Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/doctrinanvmorvmv31eckh

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS II.

DE MONETA ROMANORVM.

VOLVMEN V.

CONTINENS

NVMOS CONSVLARES ET FAMILIARVM

SVBIECTIS INDICIBVS.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXVIII.

THE J. PAUL GETTY CENTER
LIBRARY

PRAEFATIO.

Alteram praesentis operis partem, quae monetam Romanorum complectitur, in lucem edere paranti nihil, quod benevolum lectorem amice commoneri cuperem, occurrit, quod non in monitis generalibus volumini primo praefixis rite occupavissem. Istud unum observasse satis erit, me dedita opera in quintum hoc volumen nihil recepisse amplius, nisi eam partem, quae numos consulares et familiarum pertractat Atque etsi fratribus illud suis fore contractius praevideram, tamen instituto gratam iis, quorum interest, rem facturum putavi, si materiam suapte integram, et quae ab aliis separatim tractata fuit, singulari volumine complecterer, quae causa fuit, cur suos illi etiam indices adjiciendos

putaverim. Hunc deinde tractatum excipient numi Augustorum, Caesarum, tyrannorum, qui partis hujus II. generatim sumptae partem alteram constituunt.

CONSPECTVS VOLVMINIS V.

SECTIO I.

De numis consularibus.

CAP. I. Numorum Romanorum, tum consularium origo et antiquitas . Pag. 2
CAP. II. De moneta aenea Romanorum . . . . — 3
§. I. De asse et ejus partibus — 4
§. II. De assis deminutione . — 6
§. III. Characteres monetae aeneae consularis . . . . — 9
§. IV. Catalogus monetae aeneae consularis . . . . — 13
CAP. III. De moneta argentea Romanorum . . . . — 16
§. I. De exordiis monetae argenteae, ejusque divisione — 16
§. II. De denario, ejusque pondere ac notis . . . . . — 18
§. III. De quinario ejusque notis . . . . — 20
§. IV. De sestertio ejusque notis . . . . — 23
§. V. De ratione veterum numerandi in sestertiis . . . — 23
§. VI. De valore sestertii comparate ad monetam hodiernam . . . . — 27
CAP. IV. De moneta aurea Romanorum . . . . — 28
§. I. De exordiis monetae aureae, pondere, valore . . — 28
§. II. Sitne moneta aurea stante rep. ex lege ordinaria signata? . . . . Pag. 37
CAP. V. Catalogus numorum consularium . . . . — 42
CAP. VI. De numis peregrinis inscriptis ROMA . . . . — 44
§. I. Numi peregrini AVREI inscripti ROMA . . . . — 44
§. II. Numi peregrini ARGENTEI inscripti ROMA . . — 45
§. III. Numi peregrini AENEI inscripti ROMA . . . . — 46
§. IV. Numi peregrini inscripti ROMANO vel ROMANOM — 48

SECTIO II.

De numis Familiarum.

Prolegomena ad numos Familiarum.

CAP. I. Iudicium de utilitate numorum familiarum . . . . . . — 53
CAP. II. De nominibus in numis Familiarum . . . . — 55
§. I. De praenomine . . . — 56
§. II. De nomine . . . . . . — 57
§. III. De cognomine, et agnomine . . . . — 58
§. IV. De nominibus per adoptionem . . . . — 59
§. V. De mentione patris, et avi — 59

CAP. III. De magistratibus in numis Familiarum . . . . Pag. 60
CAP. IV. De IIIviris et IIIIviris monetalibus . . . . — 61
CAP. V. An ad solos IIIviros pertinuerit monetae negotium? . . . — 65
CAP. VI. An, et a quibus extra urbem signati numi Romani? . . . — 68
CAP. VII. De Epigraphe in numis Familiarum . . . . — 69
§. I. Epigraphes lex ordinaria — 70
§. II. Compendia scripturae . — 71
Per siglas . . . . — 71
Per monogrammata . . . . — 72
§. III. Archaismi . . . . . . — 73
§. IV. De solitariis literis alphabeti . . . . — 75
§. V. De notis arithmeticis . — 78
CAP. VIII. De typis in numis Familiarum in genere . . . . . . — 79
CAP. IX. De capitibus partis adversae . . . . — 80
Capita virilia . . . . — 81
Capita muliebria . . . . . — 82
CAP. X. De capite muliebri galcato alato . . . . — 84
CAP. XI. De geniis . . . . — 85
Genii regionum, urbium, populorum . . . . — 87
Boni genii . . . . Pag. 87
Mali genii . . . . — 88
CAP. XII. De typis laudum domesticarum testibus . . . . . . — 88
CAP. XIII. De typis cum adlusione ad nomen . . . . — 90
CAP. XIV. De sigillis solitariis . . — 91
CAP. XV. De typis permutatis . . — 92
CAP. XVI. De numis serratis . . — 94
CAP. XVII. De numis restitutionum — 97
§. I. Numi restitutionum argentei . . . . — 98
§. II. Numi restitutionum aurei . . . . — 100
§. III. Numi restitutionum aenei . . . . — 103
CAP. XVIII. Chronologia numorum Familiarum . . . . — 111
CAP. XIX. De auctoribus, qui numos Familiarum illustrarunt . — 113
CAP. XX. Institutum auctoris . . — 115

* * *

Numi Familiarum descripti, explicatique . . . . — 116

* * *

Indices III. in volumen V. . — 347

MONETAE ROMANORVM

PARS I.

COMPLECTENS

NVMOS CONSVLARES ET FAMILIARVM.

Numos consulares dicimus, qui stante republica, quo tempore consules principatum tenuere, signati sunt, neque cujuspiam familiae R. nomen inscriptum praeferunt. Familiarum numos appellamus, qui insignes sunt nomine gentis, vel familiae Romanae, quorum plerique tempore reipublicae, non pauci tamen etiam sub Iulio Caesare, IIIviris, et Augusto malleum subivere. Lubet praemonere, numorum consularium doctrinam suapte jejunam ac sterilem pauca objicere philologiae commodis profutura, et si qua sunt digniora, molestis ponderis, valoris, aetatis disquisitionibus implicari, in quibus cum plerumque unis conjecturis pugnandum sit, operam dabo, ut neque praecipua ejus capita lectori sint ignota, neque ejus ad utiliora, amoenioraque properantis fatigem patientiam. Quod si ampliores is commentarios requirat, habebit, quibus se penitus proluat, fontes a me semper adcurate indicatos.

SECTIO I.

DE NVMIS CONSVLARIBVS.

CAPVT I.

Numorum Romanorum, tum consularium origo et antiquitas.

Quae de Saturno et Iano rei monetariae in Italia auctoribus tradunt Eutropius, Athenaeus, Macrobius, Isidorus, quoniam fabulis illigantur, prudens praetereo. Primam monetae signatae aetatem, et metalli modum edixit Plinius [a]): *Servius rex primus signavit aes. Antea rudi usos Romae Timaeus tradit. Signatum est nota pecudum, unde et pecunia appellata.* In hanc quoque sententiam Cassiodorus [b]): *Servius rex monetam in aere primum impressisse perhibetur.* Difficile fuit, in his longinquae vetustatis tenebris certi quid adferre. Quare mirum non est, Plinium, qui ab aliis tradita plerumque compilavit, et ipsum variare. Nam alibi ad Numam monetae initium refert [c]). *Docuimus, quamdiu populus R. aere tantum signato usus sit. Sed et alia vetustas aequalem urbi auctoritatem ejus declarat, a rege Numa collegio tertio aerariorum fabrum instituto.* Etiam Suidas Numam auctorem monetae ferreae et aereae facit [d]).

Monetam vetustissimam fuisse signatam nota pecudum, atque inde factum nomen *pecuniae*, mox ex Plinio vidimus, atque idem alibi [e]): *Servius rex ovium boumque effigie primus aes signavit.* In genere Ovidius [f]):

Cetera luxuriae nondum instrumenta vigebant,
Aut pecus, aut latam dives habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est.

Secundum quod Plinius [g]): *Hinc et lo-*

a) L. XXXIII. §. 13. b) Var. form. L. VII. c) L. XXXIV. §. 1. d) in Ἀσσαρια.
e) L. XVIII. §. 3. f) Fast. V. 279. g) L. XVIII. §. 3.

cupletes dicebant, loci, hoc est, agri plenos; pecunia ipsa a pecore appellabatur. Et jam olim Cicero a): *multaque ditione ovium, et boum, quod tunc erat res in pecore et in locorum possessionibus, ex quo pecuniosi, et locupletes vocabantur.* Adde Varronem b): *aut bovem, aut ovem, aut vervecem habet signum.* Idem alibi c): *et quod aes antiquissimum pecore est notatum.* Et paullo infra: *Est scientia pecoris parandi, ut fructus quam possint maximi capiantur ex ea, a quibus ipsa pecunia nominata est. Nam omnis pecuniae pecus fundamentum.* Et inter exteros auctores Plutarchus loquens de Romanorum moneta d): *και των νομισματων τοις παλαιοτατοις βȣν ἐπεχαραττον, ἠ προβατον, ἠ συν, et numis vetustissimis bovem, vel ovem, vel suem insculpserunt*, quod si verum, tria haec animalia Romanis non modo in monetae typos, sed et sacrificia Suovetaurilia servierunt.

Haec nobis scriptores veteres de monetae R. seu antiquitate, seu primaevis typis memoriae prodita reliquere. Eo conspirant omnes, vetustissimam gentis monetam fuisse aeneam, idque confirmant numi superstites, ut dicetur. Aliud fuisse institutum non modo Graecis remotioribus, sed et Siculis, et nationibus ipsi Romae conterminis, quarum numi antiquissimi fuerunt aurei et argentei, recentiores aenei, disputavimus in Prolegomenis generalibus cap. VIII. Sintne ex numis Romanis, qui supersunt, aliqui aetati Servii synchroni habendi, aut ea non admodum recentiores, examinabimus capite II. §. 3, quo loco examinabimus quoque, utrum verisimile sit, vetustissimam Romanorum monetam fuisse pecude signatam.

CAPVT II.

De moneta aenea Romanorum.

Cum, ut vidimus, Romani in feriunda moneta ab aere sint auspicati, ab hujus metalli moneta commode initium faciemus. Necesse vero est, materiam aliquanto uberiorem in plures articulos dispescere.

a) De Rep. L. II. apud Non. Marcell. b) de Vit. pop. Rom. L. I. c) de R. R. L. II. c. 1. d) in Poplic. et in Quaest. Rom.

§. I.

De asse et ejus partibus.

Fuit as Romanis congeries ponderis distributus in partes XII., quae dicebantur unciae. Dixere Latini *as*, et *assis*, et *assarius*, unde Graecorum *ἀσσάριον*, ut ex denario *δηνάριον*. Synonyma assi fuere *libra*, *libella*, *pondo*. Cum as moneta secundum primum Servii institutum librali pondere feriretur, in totidem haec quoque uncias divisa fuit, et habentur numi copiosi non assis modo, sed et partium aliquot. En schema divisi in partes assis tam ponderis, quam monetae:

						Notae in numis.
As	—	continet	12	uncias.		I.
Deunx	—	—	11.	—		—
Dextans	—	—	10.	—		—
Dodrans	—	—	9.	—		—
Bes	—	—	8.	—		—
Septunx	—	—	7.	—		—
Semis	—	—	6.	—		S, vel oooooo
Quincunx	—	—	5.	—		ooooo
Triens	—	—	4.	—		oooo
Quadrans	—	—	3.	—		ooo
Sextans	—	—	2.	—		oo
Sescuncia	—	—	1½.	—		—
Vncia	—	—	1.	—		o
Semuncia	—	—	½.	—		—

Ceterum as apud Romanos non solum spectato pondere, et moneta solidum quoddam fuit et integritas, sed etiam spectatis intervallis, mensuris liquidorum, haereditate etc. En singulorum exempla:

Pes Romanus dividebatur in XII. pollices. At Columella pluribus locis pedem, tanquam as esset, dividit in uncias. Sic: *dupondio, et dodrante altus sulcus*, pro: duobus pedibus, novem pollicibus. *Habet in latitudinem pars prior dupondium semissem, pars posterior quatuor pedes*, pro: pedes duos et pedes duos et dimidium. S. Hieronymus *literarum uncialium* meminit [a]), quod haberent unciae, seu pollicis magnitudinem. Et Livius [b]): *tri-*

a) Praef. in Iob. b) L. V. c. 24.

umvirique ad id creati terna jugera et septunces viritim diviserant.

Ex mensuris liquidorum *sextarius* erat instar assis, divisus proinde in 12 uncias, quae et *cyathi* vocabantur. Igitur duo cyathi sextans, tres cyathi quadrans etc. quo facile explicatur illud Martialis [a]):

Quincunces et sex cyathos bessemque bibamus,
Caius ut fiat, Iulius et Proculus,

nempe cyathos 19 pro numero literarum, quae sunt in *Caius*, *Iulius*, *Proculus*. Erat autem sextarius sexta pars congii, unde etiam nomen traxit, et congius mensura, quae liquidum 10 librarum pondere continebat, ex quo insignium potorum celebrata nomina *bicongiorum*, et qui his plus adebant, *tricongiorum*, qua in laude spectatos quosdam heroas enarrat Plinius [b]).

Haereditas tota consuetis formulis vocabatur *as*; hinc *ex asse haeres*, seu ex tota haereditate, *ex quadrante*, *besse etc.* Cicero [c]): *Testamento facto mulier moritur. Facit haeredem ex deunce et semuncia Caecinam, ex duabus sextulis M. Fulcinium libertum superioris viri, Aebutio sextulam adspergit.* Quae partes omnes collectae uncias XII., seu assem, seu totam haereditatem efficiunt.

De usuris semissibus, quincuncibus, quae similem unciarum rationem sequuntur, vide jureconsultos veteres, ac praecipue cl. Dupuy [d]).

Ad assem et partes, prout fuere moneta, ut revertamur, diximus supra, aeneos primum librali pondere fuisse signatos, quod modo veterum testimoniis comprobamus. Ait Plinius loco saepe a nobis in causa numorum consularium citando [e]): *Librales, unde et nunc libella dicitur, et dupondius, appendebantur asses*, et paullo infra: *librale autem pondus aeris imminutum bello Punico primo.* Gellius agens de tempore, quo XII. tabulae conditae sunt [f]), *nam librariis assibus*, inquit, *in ea tempestate populus usus est*, Festus [g]): *Grave aes dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo librae, efficiebant denarium ab hoc ipso numero dictum.* Et Dionysius Halicarnassensis [h]), ἦν δὲ ἀσσάριον χαλκεον νομισμα, βαρος λιτριαιον, *erat autem as aeneum numisma, librali pondere.* Vnde saepe apud auctores aeris gravis poena, vel mulcta, vel aliter. Livius de Camillo [i]): *Absens XV. millibus gravis aeris damnatur*, et alibi: *denis millibus gravis aeris etc.* quo nomine asses semper intellige. Ex quo molestum monetae R. pondus etiam in summa non maxima potes colligere, sic ut teste Livio [k]) aes grave etiam plaustris ad aerarium conveheretur. Cumque ob molem in arca reponi non posset, teste Varrone [l]) *stipabatur* in aliqua cella, quo minus spatii occuparet, unde etiam dictum *stips*, et inde *stipendia.*

A *Pondo*, quod fuit assi synonymum, ducitur *dupondium.* Varro [m]): *Dupon-*

---

a) L. XI. epigr. 37. b) L. XIV. §. 28. c) pro Caecina c. 6. d) B. L. T. XXVIII. p. 734. e) L. XXXIII. §. 13. f) L. XX. c. 1. g) in Grave aes. h) L. IX. p. 586. i) L. V. c. 32. k) L. IV. c. 60. l) de L. L. Lib. IV. m) de L. L. Lib. IV.

dius a duobus ponderibus, quod unum pondus assipondium dicebatur, id ideo, quod as erat libram pondo. Ab asse composita sunt *tressis*, seu tres asses, *octussis, octas*, 8 asses, *decussis, vicessis, centussis*, 10, 20, 100 asses. A *decussis* est *decussare*, nempe, ut est apud Columellam, lineas transversas ducere ad formam τȣ X, et arbores in quincuncem disponere dixit Cicero [a]), nempe ad formam τȣ V.

Quamdiu as numus librale pondus obtinuit, sequitur, eandem etiam rationem secutas assis partes sic ut v. g. semis appenderet solidas sex uncias, sextans duas etc. Numos ipsos differimus in §. IV.

De vero librae veteris Romanae pondere multa a recentioribus sunt disputata. Teste Plinio [b]) justum erat denarios 84 e libris signari. Fuere autem denarii obvia Romanorum moneta argentea. Idem cum Plinio adfirmat Scribonius Largus [c]): *aeque enim in libra denarii 84 apud nos, quot drachmae apud Graecos incurrunt.* Atque iisdem fers verbis Celsus [d]). At juxta praecepta Barrei [e]) fuere in libra Romana denarii 96, quorum singuli grana 75 appendunt, atque adeo fuerunt singuli $\frac{1}{8}$ unciae. Et secundum haec libra Romana vetus aequivalet unciis $12\frac{1}{2}$ librae Parisinae granorum 7200. Quod Plinius aliique adserunt, ex libra denarios 84 juste signari, iis, ait, verbis indicari, imperatum monetariis, ut pro singulis libris argenti rudis repraesentarent denarios 84, denariis duodecim, qui a vera libra deficiunt, inde deductis, quibus supplerentur detrimenta metalli per ipsum opus, et sumptus in monetarios faciendi, et lucrum faceret aerarium principis. Atque in hoc sensu libra monetaria erit tantum granorum Parisinorum 6300. Alii, qui libram veram, et monetariam non distinguunt, aliud librae verae pondus statuunt. Ex his tres tantum recentiores nominabo. Eisenschmidio est libra vera grannorum Parisinorum 6240, seu unciarum $10\frac{5}{8}$ [f]) Nauzeo granorum Paris. 6144, de cujus calculo vide infra cap. IV. Barrei doctrinam de duplice libra late impugnat cl. Dupuy, sic ut profiteatur, docentibus numis libram veterem fuisse granorum 6300 [g]), ex quorum dictatis quilibet, quod e re visum fuerit, eligat.

§. II.

De assis deminutione.

Diximus, Romanos inde a principio aere rudi usos, inde a Serv. Tullio rege aere signato, sic ut as moneta ejusdem cum asse librali esset ponderis. At

a) De Senect. c. 19. b) L. XXXIII. §. 46. c) ad Callistum. d) Epist. ad Natalem. e) Mem. B. L. Tom. VIII. p. 372. et Tom. IX. hist. p. 86. f) de Ponderib p. 33. g) B. L. Tom. XXVIII. p. 647.

non perpetua fuit haec lex, de qua infracta haec docet Plinius a): *Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum regem devictum usus est. Librales, unde etiam nunc libella dicitur, et dupondius, appendebantur asses. Quare aeris gravis poena dicta - - - Servius rex primus signavit aes. Antea rudi usos Romae Timaeus tradit. Signatum est nota pecudum, unde et pecunia appellata. - - - Argentum signatum est anno urbis CCCCLXXXV. Q. Fabio consule, quinque annis ante primum bellum Punicum. Et placuit denarium pro decem libris aeris, quinarium pro quinque, sestertium pro dupondio et semisse. Librale autem pondus aeris imminutum bello Punico primo, cum impensis resp. non sufficeret, constitutumque, ut asses sextantario pondere ferirentur. Ita quinque partes factae lucri, dissolutumque aes alienum. Nota aeris fuit ex altera parte Ianus geminus, ex altera rostrum navis, in triente vero et quadrante rates. Quadrans ante teruncius vocatus a tribus unciis. Postea Hannibale urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses unciales facti, placuitque denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis. Ita resp. dimidium lucrata est. In militari tamen stipendio semper denarius pro decem assibus datus. Nota argenti fuere bigae atque quadrigae, et inde bigati, quadrigatique dicti. Mox lege Papiriana semunciales asses facti.*

Locum Plinii totum recitavi propterea, quoniam hic basis est ac fundamentum, quo omnis doctrina de assis ejusque partium deminutione nititur, et ad quem ab omnibus, qui hanc monetam judicio exercent, provocatur. Cum Plinio conjunge Vitruvium b), Maecianum, et Pompejum Festum. (in *Grave aes*, et *Sextantarius.*)

Ex his ergo Plinii verbis varius conficitur status monetae Romanorum aeneae saltem usque ad aetatem imperatorum.

I. As libralis, seu XII. unciarum. Duravit a Ser. Tullio usque in tempora belli Punici I., quod coepit V. C. 490 ex computu Pighii. Denarius, numus argenteus, quinquennio ante hoc bellum feriri coeptus, permutabatur denis assibus libralibus, unde et nomen accepit.

II. As sextantarius, seu II. unciarum. Coepit hic status fervente bello Punico I., duravitque usque in dictaturam Q. Fabii Maximi, quam is inivit V. C. 537.

III. As uncialis, seu I. unciae, inde a Q. Fabio dictatore usque ad legem Papiriam, incertum quando, et a quo Papirio latam. Vocabulum *mox*, quo Plinius utitur, hunc statum non admodum porrigit. Ab eo tempore constitutum, ut denarius assibus XVI. permutaretur.

IV. As semuncialis, seu dimidiae unciae, inde a dicta lege Papiria.

Traditae huic a Plinio doctrinae non pauca videntur adversari, ac I. quidem experientia ipsa; nam exstant in variorum museis asses obvii, iique haud dubie Romani, qui uncias 11, 10, 8 etc. appendunt, item semisses pondere unciarum 5, 4 etc. sic in proportione

a) L. XXXIII. §. 13. b) L. III. c. 1.

de trientibus, quadrantibus, sextantibus, uncialibus. Ex quo manifestum, assem nequaquam repente, ut Plinius docere videtur, sine ulla media imminutione ad duas uncias redactum. II. Vt resp. asse ad duas uncias redacto quinque sextas in aeris alieni solutionem apposuit lucro, ita tantundem decessit privatis, atque hujus iterum dimidium asse sextantario ad unam unciam artato, denique hujus etiam dimidium constituto asse semunciali. Ergo qui anno V. C. 490 habuit 60000 aeris in foenus datos, is sese repente ad 10000 aeris redactum vidit, annis postea 47 ad 5000, ac non multo post per legem Papiriam ad 2500. An verisimile est, quantum decessit pondere, tantum aucto rerum venalium pretio divites sic ad paupertatem, et pauperes ad extremam miseriam detrudi, quin remp. funditus everti contingeret? III. Quoniam denarius valebat 10 asses librales, et in libra fuere 84 denarii docente hoc quoque Plinio [a]), tum et Celso, et Scribonio Largo paragrapho praecedente citatis, necesse est, spectato valore fuisse tum argentum ad aes, ut 1 ad 840. Quantumcunque priscos Romanos pauperes statuamus, et nobilis metalli egenos, an verisimilis usque adeo divergens ratio argentum inter et aes? Istud cum ab omni veri specie abhorrere plerisque jure videretur, creditum multis, denarios flatos tum, cum librales adhuc essent asses, majoris fuisse ponderis; quin eo progressus est Savotus, ut non dubitaret conjicere, denarium ex primaevo instituto fuisse uncialem, imminutumque subinde analoge cum aere, sic ut serius ex uncia duo, tres, quatuor etc. denarii ferirentur [b]). Mitto, neminem auctorum istud liquido adserere, et parum commode, aut tuto confirmari verbis Plinii: *ratione sestertiorum, qui TVNC erant* [c]), aut Varronis, quem citat Carisius [d]). At jure quaerimus, qui factum, ut, ex quo tempore opibus numismaticis avide inhiamus, nullus sese praetensi ejus ponderis denarius, aut ponderis analogi quinarius sestertiusve in conspectum dederit? Intelligo, fusi fuere, et ad novae legis denarios redacti. At cur non etiam ex eadem causa fusi asses, semisses, quadrantes veteris rationis, quorum magnam copiam habemus superstitem? aut si eadem lex denarios veteres conflari jussit, an eadem valuit quoque in eos, qui jam tum in exterarum gentium manibus fuere, et jam tum perditi, et sub terra occultati, et aliquando in lucem emersuri? IV. At multo magis mirum, quod sequitur. Denarius, qui primum valebat asses X. librales, seu 120 uncias, intra annos non plurimos valuit asses semunciales 16, seu uncias 8. Non impugno postremam hanc rationem, quae utique modum non excedit, nimirum denario, qui fuit $\frac{1}{7}$ unciae, fuisse permutatas uncias 8 aeris monetae. Verum quis facile concoquet, exiguo temporis spatio a summo pretio ad tantam vilitatem prolapsum argentum?

Sisto intra has difficultates, quae

---

a) L. XXXIII. §. 46. b) Med. ant. part. III. c. 7. c) L. XXXIII. §. 13. d) Inst. gram. L. I.

hanc Plinii orationem exercent, cum plures aliae praesto sint, quas viri eruditi docte ac subtiliter moverunt. Habuit tamen suos etiam patronos, qui auctoris mentem explicare adlaborarunt, quo tamen parum hactenus eruditis fuit satisfactum. Inter eos cumprimis memorandus Harduinus [a]). Ceterum nequaquam longius huic de assis imminutione, et ponderum doctrinae immorari est animus, non quod ad extricanda tot ambigua et difficultates labores supterfugiam, quae tantae sunt, ut Frölichius ipse examen istud majoris esse operae, et aliarum virium, quam suas ipse agnosceret, nimium sane modeste, profiteretur [b]), quam quod fatentibus ipsis Italis, qui, quod id genus numis abundant, plus ad eruendam veritatem habent subsidii, post tot eruditorum conatus et pericula parum hactenus fuit profectum, quod ipsum Eminent. Zelada in sua de numis uncialibus epistola conqueritur. Cui volupe est, ex copiosis spissisque voluminibus variantia antiquariorum judicia cognoscere, nam vix alia causa magis adsidue et obnixe est disputata, adeat Alciatum [c]), Budeum [d]), Savotum [e]), Gronovium [f]), deinde Porcium, Camerarium, Snellium, Ios. Scaligerum, quorum commentarii exstant Tomo IX. collectionis Gronovianae, Bouteroüe [g]), Montfaucon [h]), Harduinum [i]), Wachterum [k]), Passerium [l]), at praecipue insignem libellum Eisenschmidii [m]), cui junge praeclaros commentarios Barrei [n]), Arbuthnotii [o]), Dupuy [p]), Oderici [q]). Reliquum est, ut numos ipsos, qui assis aut partium notas exhibent, repraesentemus.

§. III.

Characteres monetae aeneae consularis.

Vetus est doctrina, eaque cum auctoritate, tum experientia confirmata, asses eorumve partes, quo praestant pondere, eo esse antiquiores. Duce hac regula Passerius multo labore *Chronicon numarium* texuit [r]), in quo numorum Italicorum pondus a graviore in levius vergens descripsit. Ex quo canone ut facile intelligimus, qui numi, saltem qui certi Romani sint, aliis an-

---

a) Ad locum cit. Plinii, et Oper. sel. p. 185. b) Animadv. in num. urb. p. 56. c) de Pond. et mens. d) de Assc. e) Méd. ant. f) de Sestert. g) Recherch. cur. inde a pag. 70. h) Antiq. Suppl. Tom. III. p. 89. i) l. mox. c. k) Archaeol. num. l) Paralip. in Dempster. m) de Pond. et mens. n) Mem. B. L. T. VIII. p. 372, et Hist. T. IX. p. 86. o) Tabulae ant. num. p) B. L. Tom. XXVIII. p. 647. q) Saggi di Cort. T. VIII. p. 158. r) Dempster. Paralip. p. 193.

tiquitate praestent, sic de vera eorum aetate nihil certi potest constitui, donec ad indicatos a Plinio imminutiones delabamur, ad quas epochas si velimus attendere, intelligemus, asses sextantarios non posse praevertere circiter annum V. C. 495, unciales annum 537, at semunciales lege Papiria invectos ab uno annorum consequentium, qui definiri nequit, ortum ducere.

Quaesitum, possintne nonnulli gravis aeris numi, qui supersunt, in ipsum Servii regnum aliqua veri specie promoveri? Enimvero, si aetatem solum spectes, non magnopere istud repugnaret. Servii mors figitur ad annum V. C. 218. Habemus numos Rhegii et Messanae signatos circa annum V. C. 276, atque hos adhuc antiquitate praestant numi inscripti Zancles nomine, ut praeteream numos Cauloniatarum, aliosque civitatum vicinarum ab remotissima antiquitate cognitos. Verum obstat auctoritas Plinii, aliorumque, quos capite I. citavi, diserte adfirmantium, siquidem tanti facienda sunt ea testimonia, primam Romanorum monetam fuisse pecude signatam, cum tamen, quos vetustissimos habemus, et certe Romae signatos numos, nullum pecudi cubile praebeant, dempto unico, quem in assibus recensebo, eoque, ut colligere licet, non maximae vetustatis. Deinde si qui essent ejus aevi, eos esse librales oporteret, si asses sunt, aut, cum assis sunt partes, esse ponderis analogi ad assem libralem. Verum hactenus as Romanus libralis conspectus non est, et ex partibus assis unicum a Passerio video citari trientem, qui uncias IV. appendat. Interim ut, quod verum videtur, edisseram, vereor, ut auctorum oratio, adfirmantium, vetustissimam monetam fuisse pecude insignitam, ac propterea dictam pecuniam, continuo videatur admittenda, vel ideo, quia qui restant numi antiquissimi Romani, eam non confirmant, cumque alio loco idem Plinius, tum Ovidius et Macrobius, quorum testimonia sectione proxima citabo, diserte doceant, in vetustissima Romanorum moneta fuisse una parte caput Iani, altera navim, eamque doctrinam late confirment numi, licere mihi putabo, sententiae priori negare fidem, et per cognitam enucleationum etymologicarum licentiam longius arcessitam arbitrari. Haud gravate largiar, pecuniam duci a pecore, at non aeque dedero, eam propterea sic appellatam, quia pecoris illi nota impressa fuit, sed quia pecunia in pecoris locum quasi successit, et qui multas in arca pecunias condidit, perinde beatus, est habitus, quam qui olim pecore abundavit, praeclare istud explicante Livio, cum de Massylis ait [a]): *Familiae aliquot cum mapalibus pecoribusque (ea pecunia illis est) persecuti sunt regem.* Atqui et Columellae possum auctoritate niti, quo teste [b]) *nomina pecuniae et peculii tracta videntur a pecore, quod non solum veteres possederunt sed adhuc apud quasdam gentes unum usurpatur divitiarum genus*, non ergo a signis monetae impressis.

---

a) L. XXIX. c. 31. b) L. VII. in praef.

Forma antiquissimorum hujus classis numorum, perinde ac aliorum, est rotunda. Passerius tamen inter numos, et in hanc classem recepit massas quasdam aeneas oblongas, quae distinctae punctis, seu globulis pondus et valorem sibi videbantur indicare [a]). Huc etiam vocavit massam aeneam justi voluminis forma parallelogrammi, in cujus una facie expressus bos, alteram faciem virga instar spinae mediam dividit globulis item distincta [b]). Passerium praeivit Molinetus, qui similem laminam, utrinque bovis imagine insignem, in monetae loco putavit [c]). Similia tamen monumenta aenea utrum vere liceat monetam dicere, adfirmare non ausim, ut dixi in Prolegomenis ad numos Italiae mediae. Exstant tamen non pauci, quos numos tuto dixeris, crassiusculi, et figurae ovalis: qui hinc clavam, illinc unciarum notas globulos offerunt. In moneta etiam putantur monumenta quaedam quadrilatera, ex quibus longe illustrissimum est, quod servatur in museo emin. cardinalis Stephani Borgiae inscriptum ROMANOM, et quod infra cap. VI. §. IV. describam. Alia quoque quadrilatera dedere Molinetus [d]), et Passerius [e]). Verum dubitare item licet, utrum haec quatuor laterum artefacta veram habeant monetae rationem, etsi Suidas, sed satis perfunctorie, meminerit τετϱαγωνȣ νομισματος, *quadrati numi* [f]), ac multo etiam magis, utrum sine dubio monetae Romanae partem constituant.

Qui gravioris sunt ponderis, fusi sunt omnes, neque enim malleo opus adeo exstans, quale numi hi offerunt, peragi potuisset. Assibus imminutis abolita fusio, et res monetaria malleum respexit.

Non satis commode a majoribus nostris inter asses Romanos, et urbium Italicarum discretum. Plus ad hoc examen criterii attulere Passerius, et emin. Zelada. Satis constat, Volaterranos, Tudertes, Iguvinos, Hadrianos suos quoque et justi ponderis habuisse asses, docente istud urbis nomine ipsis numis inscripto. Livius non uno loco memorat, Italiae populos, varia aetate a Romanis victos, aeris gravis poena a victoribus multatos, cujus exempla varia recitat Passerius [g]). Ergo non omnes continuo id genus numi, qui, quod illiterati sunt, natales suos reticent, Romanorum moneta habendi. Certissimum Romani commatis indicium faciunt typi. Asses enim in antica offerunt caput Iani, semisses Iovis, trientes Palladis, quadrantes Herculis, sextantes Mercurii, unciae iterum Palladis, et omnes in aversa proram navis. Et vero fuisse hos typos Romanae monetae proprios, demonstrant asses eorumque partes, qui deinceps imminuti familiarum Romanarum nomina, scriptumque juxta ROMA praeferunt, et

a) Dempst. Paralip. p. 159. b) ibid. p. 160. c) Mus. Genov. p. 47. d) l. c.
e) Dempst. Paralip. p. 160. f) in Στατηϱ. g) Dempst. Paralip. p. 156.

iisdem utrinque typis insignes in extrema usque reip. tempora perdurant, nam et aenei ipsius Sex. Pompeji hinc Iani caput, illinc proram navis ostentant. Istud cum experientia ipsa certum sit, mirum profecto, fuisse antiquarios, qui typos hos statos fixosque historiae invitos applicuere. Exemplo esto Begerus, qui cum vel solos Fulvii Vrsini numos contendendo experiri facile potuisset, hos typos esse ponderi adcommodatos, malebat eos historiae subjicere. Sic ubi notum C. Aburii sextantem explicat [a]), ait, eo indicari, quod refert Livius, C. Aburium fuisse inter IIIviros ad Masinissam missos, tum Mercurio anticae notari deum amicitiae et foederis, navis aversae profectionem maritimam, perinde quasi non omnes sextantes in antica Mercurium, in aversa navim ostentarent. Novi, non paucos in catalogis numos aeneos in hanc numorum classem conjici, qui typos ab his diversos exhibent, at novi etiam, quod jam ab aliis est animadversum, non omnes numos, qui gentis Romanae nomen enunciant, Romanos esse putandos. Iam enim satis compertum, eorum multos Panormum, Paestum, aut aliorsum pertinere, quod in singularum urbium moneta comprobavimus. Idem sentiendum de aeneis gentium Cloviae, Oppiae, aliarumque, qui, ut dicemus, commatis peregrini indicia omnia praebent. Hi omnes si, ut oportet, excludantur, exiguus supererit numerus eorum, qui aliam legem sequantur, quosque dubitare nequeas monetae urbis inserendos. Iuvat eorum brevem catalogum ex Thesauro Morellii componere:

Caput Vulcani, pone S *et tres globuli.* ☧ C. CASSI. ROMA. *Prora navis, juxta* S *et tres globuli.* Semis gentis Cassiae.

ROMA. *Caput Iani.* ☧ CN. BLASIO. CN. F. *Victoria stans d. malleum tropaeum statuit.* As gentis Corneliae.

Caput Iani. ☧ L. MVRENA. *Victoria stans tropaeum coronat.* As gentis Liciniae.

NVMAE. POMPILI. ANCI. MARCI. *Capita jugata Numae et Anci.* ☧ C. MARCI. CENSO. ROMA. *Prora navis.* As gentis Marciae.

Capita Herculis et Mercurii instar Iani conjuncta. ☧ L. RVBRI. DOSSEN. *Prora navis, juxta templum distylum, intra quod ara cum ovo et serpente.* As gentis Rubriae.

Caput Iani. ☧ P. TE. *Gemini lactentes.* As forte gentis Terentiae.

En ex tanto numero numerum sane ignobilem. Vt ergo legis instar, quae nonnisi rarissime fallit, haberi possit, esse numos Romanos, qui typis supra memoratis sunt praediti, ita vix dubitem, eos, qui abludunt, fere semper alteri populo, etsi ignoto, tribuendos. De numis copiosis aureis, argenteis, aeneis qui ROMA inscriptum habent, et aliis sunt typis, utrum moneta Romana putandi sint, agetur infra.

Valorem pecuniae aeneae indicant notae adstitutae, sic ut assem faciat nota I, semissem S, reliquum agmen

a) Observat. p. 38.

numero globulorum, qui unciae sunt indices, definiatur. Nota X. decem asses, seu decussem notat in moneta aenea, nam in argentea alium eadem nota habet explicatum. Eadem signa, et eadem significatione, insident etiam numos urbium Italicarum, et magnae Graeciae, semperque aeneos tantum, quin in ipsam Hispaniam pervasere capta in numis Cordubae, aliarumque sede. Desivere deinde cum rep., ut tamen compareant iterum in moneta Neronis, in qua observavi notas II. I. S, quibus notari dupondium, assem, semissem, ad ipsos hos numos monebo. Globuli comparent etiam in numis Agrigenti, Himerae, Centuriparum, Syracusarum, aliarumque Siciliae urbium non aeneis tantum, sed et argenteis, quibus, ut non impugnavero notari valorem monetae, quod censuerat princeps Turris Muciae [a]), parum tamen adhuc de valoris ejus progressione sumus eruditi. In numo gentis Cassiae paullo supra citato vidimus S, notam semissis, additis tribus globulis. Decidere non ausim, utrum globuli hi, tanquam totidem unciae, insuper addendi sint ad semissem, sic ut efficiant uncias 9, seu dodrantem, quemadmodum videmus etiam in argenteis Syracusarum notas ⁰₀oXIII., an vero signa sint monetariorum nobis incognita, perinde ac in numis familiarum videbimus globulos, aut puncta literis alphabeti vario situ ac numero adstituta.

§. IV.

Catalogus monetae aeneae consularis.

Hujus classis numos copiosos ac confertos edidere Claudius Molinetus [b]), Arigonius, Passerius [c]), ac nuperrime em. card. Zelada. Binis postremis adfusam his numis lucem liberaliorem grati debemus, quod plus ἀκριβείας et artis criticae ad explorandam eorum naturam attulere. Nos hoc loco describemus eos tantum, quos causa typorum esse Romanos satis tuto licet conjicere, servato ponderis decrescentis ordine.

Decussis.

Caput Palladis, pone X. X *Prora navis, superne* X. (Arigoni Vnc. 34. Zelada Vnc. 38.)

Victoria in citis bigis d. elata flagellum, superne X, *inferne* ROMA. X *Prora navis, superne* X. (Arigoni Vnc. 41. Karat. 46.)

Hi decusses, seu 10 assium numi reliquis ut mole et volumine, ita et raritate praestant. Non tamen sunt in an-

a) Aggiunta II. p. 97, et IV. p. 227.

b) Cabinet de la biblioth. de la Ste Genev.

c) Dempst. Paralip.

tiquissimis putandi, nam in eos graviter imminuendo fuisse saevitum, ipsum pondus demonstrat.

Tripondius.

Caput Palladis, *pone* III. ✠ *Prora navis*, *superne* III. (Arigoni Vnc. 12. Zelada Vnc. 10 drachm. $5\frac{1}{2}$.

Dupondius.

Caput Palladis, *pone* II. ✠. *Prora navis*, *superne* II. (Zelada Vnc. 6 drachm. $1\frac{1}{2}$, alius Vnc. 5 dr. $1\frac{1}{2}$.)

As.

Caput Iani. ✠ *Prora navis*, *superne* I. Maximi ponderis cognitus Passerio Vnc. $11\frac{1}{2}$ et inde deorsum usque ad drachmas duas.

Caput Palladis galeatum adversum. ✠ *Taurus stans*, *superne* I, *inferne* ROMA. Vnc. 8. dr. 1 apud eminent. Zelada, et in museo Genov.

Adstituta lineola I numos hos indubitatos asses facit, et secundum hanc regulam vidimus mox, tripondium nota III, dupondium II definiri. Haec lineola saepe ipsi Iani capiti media insidet, habetque in assibus recentioribus non raro speciem remi non satis explorata causa.

Typus in assibus fere perpetuus: hinc *caput Iani*, illinc *prora navis*. Argumentum istud, tum et causam plures attigere auctores veteres. Macrobius a): *Hic igitur Ianus cum Saturnum classe pervectum excepisset hospitio, et ab eo edoctus peritiam ruris ferum illum, et rudem ante fruges cognitas victum in melius redegisset, regni eum societate muneravit, cum primus quoque aera signaret; servavit et in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam in posteros propagaret. Ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleae lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes*, capita aut navia *lusu teste vetustatis exclamant.* Eadem cum Macrobio narrat etiam Aurelius Victor b). Ovidius ex Iano sciscitatus c):

Multa quidem didici; sed cur navalis in aere
Altera signata est, altera forma biceps?

istud a bono deo responsum tulit:

Causa ratis superest: Tuscum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe deus. --
At bona posteritas puppim servavit in aere,
Hospitis adventum testificata dei.

Similia docet Plutarchus d). Draco Corcyrensis haec de Iano e): πρωτον δε και ϛεφανον ἑυρειν, και σχεδιας, και πλοια, και νομισμα χαλκȣν πρωτον χαραξαι. διο και των κατα την Ελλαδα πολλας πολεις, και των κατα την Ιταλιαν και Σικελιαν ἐπι τȣ νόμισματος ἐγχαραττειν προσωπον δικεφαλον, και ἐκ θατερȣ μερȣς ἡ σχεδιαν, ἡ ϛεφανον, ἡ πλοιον. *Ianum vero primum invenisse*

---

a) Saturn. L. I. c. 7. b) de Orig. gent. Rom. sub init. c) Fast. L. I. c. 229. d) Quaest. Rom. e) ap. Athenaeum L. XV. p. m. 692.

coronam, *rates*, *et navigia*, *et numum aeneum primum cudisse. Multas ergo urbes cum Graecas, tum Italicas Siculasque numis insculpsisse caput geminum*, *et ex altera parte aut ratem*, *aut coronam*, *aut navigium.* Similia refert Eustathius [a]). Numum urbis Graecae aut Siculae cum his utrinque typis nullum habemus. Qui superant, Romani haud dubie sunt. Secundum Plinium [b]) tum, cum as ad sextantarium decidit, *nota aeris* (assis) *fuit ex altera parte Ianus geminus*, *ex altera rostrum navis*, *in triente vero et quadrante rates.* Parum istud vere et concinne secundum numos, nam iidem typi jam exstant in assibus, qui sextantarios aetate multum praecedunt. Deinde non intelligo discrimen, quod is in rostro navis assium, et rate trientis et quadrantis constituit, cum in omnibus his sit prora navis eadem semper forma et partium compage, etsi idem discrimen propinet etiam Festus [c]).

As alter a solitis receptisque typis discedit. Quoniam secundum veterum testimonia, quae capite I. recitavi, antiquissima Romanorum moneta pecude insignis fuit, credi posset, assem hunc inter initia rei Romanorum monetariae referendum. Verum non addicit pondus, quod eum demptis quatuor fere unciis inferiore loco constituit.

Deunx, *Dextans*, *Dodrans*, *Bes*, *Septunx.*

Tot unciarum, quot haec nomina enunciant, sive pondere, sive valore neque Romanum, neque Italicae urbis numum signatum habemus, nisi forte numum gentis Cassiae, cujus §. III. memini propter notam S additosque tres globulos inter dodrantes referre velis.

Semis.

Caput Iovis, *juxta* S. ✠ *Prora navis*, *superne* S. Vnc. $5\frac{1}{2}$ et deorsum usque ad 1 drach. (Passeri, Zelada.)

Nota semissis est S, pro hac, sed rarissime in semissibus urbium Italicarum sex globuli. Typus in Romanis non variat. Pauci illi semisses familiae nomine notati, qui alio sunt typo, videntur verius extra urbem signati, quales sunt inscripti triplici nomine: CN. DOMI. M. SILA. Q. CVRTI. vel: T. POM. in numis gentis Pompeiae.

Quincunx.

Caput Apollinis laureatum, *pone* Γ. ✠ ROMA. *Dioscuri in citis equis*, *infra quinque globuli.* (Mus. Caes.)

Passerius quincuncem nullum recitat, neque ullum cum epigraphe ROMA memorat emin. Zelada. Forte neque hic, quem ex museo Caesareo descripsi, numus est in urbe signatus, secundum ea, quae dicentur infra cap. VI. §. 3.

Triens.

Caput Palladis, *juxta* 4 *globuli.* ✠ *Prora navis*, *juxta* 4 *globuli.* Pondere analogo.

Alios trientes inscriptos ROMA quaere infra capite VI. §. 3.

---

a) Ad Odyss. E. v. 251. b) L. XXXIII. §. 13. c) in Ratitum.

Quatuor globuli trientem, seu quatuor uncias testantur. Caput Palladis in trientibus perpetuum, etiam in iis, qui familiae nomen addunt. Morellius in nonnullis cum hoc typo tres tantum globulos vidit, sed malim credere, horum unum aevo extritum oculos fugisse.

Quadrans.

Caput Herculis, juxta 3 *globuli.* ✠ *Prora navis, juxta tres globuli.* Pondere analogo.

Alios quadrantes inscriptos ROMA vide infra capite VI. §. 3.

Tres globuli certa quadrantis, seu assis in 4 partes divisi nota, et Herculis caput typus perpetuus.

Sextans.

Caput Mercurii, juxta duo globuli. ✠ *Prora navis, juxta duo globuli.* Pondere analogo.

Alios sextantes inscriptos ROMA vide infra capite VI. §. 3.

Duo globuli nota constans sextantis, seu sextae partis assis, et typus Mercurius.

Vncia.

Caput Palladis, juxta globulus. ✠ *Prora navis, juxta globulus.*

Alios unciales inscriptos ROMA vide infra cap. VI. §. 3.

CAPVT III.

De moneta argentea Romanorum.

§. 1.

De exordiis monetae argenteae, ejusque divisione.

Annum, quo Romae feriri argentum coepit, dilucide indicat Plinius [a]): *Argentum signatum est anno urbis CCCLXXXV. Q. Fabio cos. quinque annis ante primum bellum Punicum.* Est hic annus Varronis. In eandem aetatem incidit, quod refertur in Liviana epitome libri XV. *Tunc primum populus R. argento uti coepit.* Ab his diversus abit Varro, quem citat Carisius, *numum ar-*

a) L. XXXIII. §. 13.

genteum conflatum primum a Servio Tullio dicunt; is quatuor scriptulis major fuit, quam nunc est. Sed major hoc loco habenda fides Plinio et Livio, quam Varroni. Minus aberrat Chronicon Alexandrinum, quod argenteae monetae exordium adsignat annum V. C. 481. Syncellus et Chronicon Prosperi eam regnante Ptolemaeo Philadelpho orsam statuunt, sed qui limites laxi sunt. Apud Eusebium est biennii prochronismus, cui initium signati Romae argenti est annus V. C. 483 a).

Divisa fuit in *denarium*, *quinarium*, *sestertium*, sic ut quinarius esset dimidium denarii, sestertius quinarii. *Libellam* etiam in moneta argentea numerat Varro b): *Numi denarii decuma libella, quod libram pondo as valebat, et erat ex argento parva.* Vnde Plautus in Pseudolo c): *Tibi libellam argenti nunquam credam*, et simile in Captiveis d). De praetensa hac libella praeter auctoritates nihil habeo, quod commemorem. Nam hactenus id genus numuli reperti non sunt. Interiisse creduntur, quod nimis essent graciles et angusti voluminis. Enimvero cum sestertii, qui asses duos cum dimidio valuere, tam arto sint compendio, quam esse minuti voluminis oportebat esse numos, qui assem unum valebant? Tamen reperti sunt, et exstant in museo Caesareo et alibi argentei Atheniensum, Tarentinorum, aliorumque, qui levioris sunt ponderis, quam cujus secundum statutam rationem libella esse debuerat. Quam vero deinde minutas esse oportuerat *sembellas* et *teruncios*, quam quoque varii in moneta argentea numerant? Bouterovius veterum testimonia secutus libellae, sembellae, et teruncii typos proposuit e), sed testatur ipse pagina praecedente, sibi eos nunquam conspectos. Quod monendum duxi, ne quis conspectis his typis in fraudem inducatur.

Hanc monetae argenteae in denarios, quinarios, sestertios divisionem ab auctoribus memoratam ipsi etiam numi superstites comprobant. Habuisse Romanos numum vere argenteum denarios C. adpendentem, ex S. Epiphanio, Herone Alexandrino, Maximo, aliisque probat cl. Dupuy Gallus f). Non nego, istud ex citatis auctoribus manifesto erui, sed haec testimonia tanti videntur putanda, quanti absurda reliqua, quae praeterea eodem loco iidem auctores commemorant, et quae cum hactenus dictis, et aliorum graviorum auctorum testimoniis aperte pugnant. Ejus certe ponderis neque Graecus unquam, neque Romanus numus argenteus est conspectus. Graecorum mina, et Romanorum libra argenti congeries fuere drachmarum, et denariorum, non ipsae pecunia vera.

---

a) In Chronico. b) de L.L. Lib. IV. c) Act. II. sc. II. v. 34. d) Act. V. sc. I. v. 27.
e) Rech. cur. p. 85. f) B.L. T. XXVIII. p. 652.

§. II.

De denario, ejusque pondere, ac notis.

Denarius nomen traxit a *denis assibus*, quibus adhuc libralibus, cum primum argentum feriri coepit, permutabatur. Ita enim Plinius post enarratum monetae argenteae exordium [a]: *et placuit denarium pro decem libris aeris, quinarium pro quinque, sestertium pro dupondio ac semisse*, videlicet: permutari. Asse circa annum V. C. 537 ad unciam redacto, *placuit*, verba sunt Plinii eodem loco, *denarium sedecim assibus permutari, quinarium octonis, sestertium quaternis.* Servavit igitur denarius vetus suum nomen, etsi cessante appellationis causa. Nodos, qui hanc Plinii doctrinam impediunt, supra cap. II. §. II. non quidem exsolvi, sed indicavi.

Ad pondus denarii quod attinet, repetenda hic, quae supra cap. II. §. 1, cum de librae veteris pondere agerem, commemoravi. Nimirum testibus Plinio, aliisque, quos ibi citavi, fuisse in libra denarios 84. Fuisse vetustiores denarios recentioribus pondere auctiores, nullo idoneo argumento probari potest. Qui dictum pondus amplius excedunt, eos esse monetam peregrinam habendos, dicetur infra cap. VI. §. 2.

Ex dictatis veterum denarius pondere aequiparatus est drachmae Atticae, quorum testimonia collegit Eisenschmidius [b], aliique. Plinius [c]: *Drachma Attica denarii argentei habet pondus.* Idem [d]: *Talentum Atticum X. VI.* (denariorum sex millibus) *taxat M. Varro.* Atqui fuere in talento Attico 6000 drachmarum. Idem adserunt Celsus et Scribonius Largus ab Eisenschmidio citati. Et videas passim ab scriptoribus, quando monetam Graecam cum Romana contendunt, denarium, vel quod eodem redit, quatuor sestertios pro drachma accipi. Ejus promiscui usus infinita suppetunt exempla, quorum illustriora aliquot recitabo infra §. V., quae causa fuit, cur nonnulli auctores Latini drachmam Graecorum, etsi valde improprie, appellent denarium, cujus §. sequente exempla dabimus. Sed enim etsi popularis sententia, ususque promiscui commercii idem denario et drachmae pondus constituerunt, compertum tamen post accuratum Eisenschmidii [e] et Barrei [f] examen, drachmam Atticam nonnihil esse denario graviorem, et habere se ad denarium, ut 112 ad 100, vel proxime, ut 9 ad 8. Et vero eandem rationem deprehendi etiam collatis ad bilancem tetradrachmis Atticis cum denariis Augusti, ut prolixius adverti ad monetam argenteam Athenarum, ut adeo non modo auctoritates a viris eruditis adlatae, sed

---

a) L. XXXIII. §. 13. b) de Ponder. sect. I. c. 3. c) L. XXI. §. 109. d) L. XXXV. § 40. e) l. c. f) B. L. Mem. Tom. VIII. p. 372.

ipsa etiam experientia ex moneta populorum publica capta drachmae ad denarium veram rationem stabiliat. Sed haec, quam dixi, ratio tantum valet ad denarios, qui stante rep. aut saltem imperante Augusto signati sunt; nam deinceps, praecipue inde a Nerone, octavam fere ponderis partem amisere, quanquam et hos usus tyrannus, qui adsueta veris praehabet, drachmae aequiparare pergeret.

Nota denarii fuit X vel ✕. Diximus supra cap. II. §. 3, eandem notam in aenea quoque moneta adhibitam ad indicandum pondus X. assium; at eadem in denariis indicat valorem X. assium, quibus fuisse permutatum denarium paullo supra diximus. Pro hac in numis gentium Atiliae, Aufidiae, Iuliae, Titiniae, Valeriae ponitur XVI., quo numero haud dubie indicatur valor denarii XVI. assium, ad quem eum fervente bello Punico II. dictatore Q. Fabio redactum supra docuimus. Ex quo visum antiquariis non paucis, denarios nota XVI. insignes sub illud bellum, quo lata ea lex, signatos, paullo post ad veterem notam X reditum, quod quidem neque adfirmare, neque negare certa ratione ausim, etsi verisimilius putem, monetarii arbitrio permissum, utramvis notam mallet. Nam ut nota X adludit ad nomen denarii numo inditum, sic nota XVI. ad ejus valorem. Enimvero denarii Valerii Flacci vetustioris formae, qui, ut omnia indicia manifestant, uno eodemque tempore sunt signati, alii X, alii XVI. praeferunt.

Quod attinet ad typos denariorum, et quae aetas horum vetustissimis, qui supersunt, possit adsignari, quoniam utraque haec doctrina cum numis quoque familiarum connectitur, opportunius in his persequemur. Id unum observo, secundum Plinium [a]) *notam argenti fuisse bigas atque quadrigas, et inde bigatos quadrigatosque dictos.* Istud de magna parte verum, at magna pars alios habet typos. *Bigatorum* meminit quoque Tacitus [b]), et saepe Livius, cum praedam Hispaniensem et Cisalpinam enumerat, quae testimonia dedimus in Prolegomenis ad numos Hispaniae.

---

a) L. XXXIII. §. 13. b) de Morib. Germ.

§. III.

De quinario, ejusque notis.

Nomen quinarii jam ipsum indicat, numum sic appellatum fuisse denarii dimidium, quod et confirmatur auctoritate Plinii paragrapho praecedente citati, tum et instituto ad bilancem examine. De ejus valore dicere supersedeo, quia is analogus semper fuit valori denarii.

Ejus nota fuit V, nimirum quod quinque asses valeret. In nonnullis, ut in quinariis gentis Egnatuleiae, est Q, nempe litera *ἀρχαιȣσα* Quinarii.

In quinariis antiquissimis, ut et sestertiis, iidem fuere typi, qui in denariis, nempe: *Caput Palladis galeatum alatum.* X ROMA. *Dioscuri equites.* Serius Victoria perpetuus ejus typus evasit, jam partem anticam occupans, jam in aversam trajecta, varioque ea habitu, jam stans, jam sedens, jam tropaeum statuens, jam quidquid aliud peragens. Ex tanto quinariorum superstitum numero aliis esse typis paucissimos video, nempe quos Cordius, Mettius, Papius, et Sestius cuderunt. Quin et eandem legem obtinent quinarii Augustorum aevo signati, raro alio, quam Victoriae, typo, ut adeo is huic monetae argenteae classi velut proprius jure sit existimandus. Istud cum verum sit, quam quod est verissimum, non possum sine stomacho legere Vaillantii, Havercampi, aliorumque inconsultas conjecturas, qui cum Victoriam in quinariis expressam vident, continue victoriam ipsam, cujus causa ejus imago monetae illata, ariolantur, praecipue cum et certum numorum genus *Victoriati*, de quibus mox agemus, dicerentur, unde arguimus, usum et consuetudinem, non relatam aliquam victoriam hunc typum praescripsisse, quemadmodum vetus institutum et usus proram navis in aeneis signavit.

Molesta mihi semper visa oratio Plinii, quam opportune hoc loco in judicium vocamus, cujus verba sunt [a]): *Livius Drusus in tribunatu plebis octavam partem aeris argento miscuit. Qui nunc* Victoriatus *appellatur, lege Clodia percussus est. Antea enim hic numus ex Illyrico advectus mercis loco habebatur. Est autem signatus* Victoria, *et inde nomen.* Quaero abs te, mi Secunde! ubi gentium percussus hic numus argenteus? Non sane in Illyrico, nam numos in hoc tractu Victoria signatos ignoramus. Sed neque tu istud ais, sed ex Illyrico advectos. Prosequamur iter abs te indicatum. Vltra Illyricum ex Italia tendenti est Macedonia. Ea regio abundat Victoriatis Alexandri et Philippi, at non argenteis, sed aureis. Non hic potes opponere, memoratos cum hoc typo argenteos temporis injuria interiisse; nam cum praedicas, Victoriatum

---

a) L. XXXIII. §. 13.

mercis loco habitum, necesse est, eum hac aetate fuisse copiosum, et obvium; sin istud, non poterat non justus eorum numerus ad nos pervenire, quando tanto numero Victoriatos aureos regum Macedoniae habemus superstites. Nescio, utrum quantacunque Plinii auctoritas, cujus oracula non raro fallunt, certe in hoc de moneta R. tractatu Oedipum saepe requirunt, certam possit experientiam elevare. Nisi igitur aut lapsum memoria, aut ignavum hoc loco velimus dicere Plinium, verisimile est, illustrem hunc scriptorem, qui per duriorem orationem sibi saepe tantum uni intellectus est, spectato solum Victoriae typo numos peregrinos ex Macedonia per Illyricum adventitios cum Romanis argenteis voluisse componere.

At quosnam Plinius numos Romanos argenteos Victoriatorum nomine intelligit? non certe denarios, quorum paullo altius typos recitavit: *nota argenti fuere bigae atque quadrigae.* Fuisse sic appellatos quinarios, diserte colligo ex Volusio Maeciano, etsi et hic, Plinium haud dubie ducem secutus, Victoriatos peregrinum numum loco mercis fuisse adserat. Ita hic loquens de asse: *Victoriatus nunc tantundem valet, quantum quinarius olim, ac peregrinus numus loco mercis, uti nunc tetradrachmum, et drachma habebatur. Denarius primo asses decem valebat, unde et nomen traxit. Quinarius dimidium ejus, id est: quinque asses, unde et ipse vocatur. Nunc denarius sexdecim, victoriatus et quinarius octo asses valet.* En victoriatum ejusdem ponderis ac valoris cum quinario, solo tantum nomine diversum. Argumentum aliud satis, ut puto, aperte sufficit Cicero [a]). Refellens hic objectum crimen propter portorium vini institutum sic ait: *itaque Titurium Tolosae quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse, Croduni Porcium et Numium ternos victoriatos, Vulchalone Servaeum binos sestertios.* Memorat hoc loco Cicero denarios, victoriatos, sestertios. Nisi quinarii sunt, quos victoriatos appellat, cui erunt monetae R. generi contribuendi, cum aliam monetam argenteam non habuerint Romani, praeterquam denarios, quinarios, sestertios? Ex his ergo, et quoniam probavimus, Victoriam proprium fuisse quinariorum typum, patet, cum victoriatos legimus, quinarios esse putandos.

Posteaquam haec scripseram, forte in binos Livii locos incidi, ex quibus collegi, jam ab hoc unos eosdemque numos jam Illyrios, jam Victoriatos dici. Refert is uno loco [b]), in praeda victi Gentii Illyrici regis fuisse argenti signati *denarium tria millia, et centum viginti millia Illyrii argenti.* Altero loco narrat [c]), Claudium in triumpho de Istris tulisse *denarium tercenta septem millia et victoriatum octoginta quinque millia septingentos duos.* Mira enimvero in his dictatis confusio. Memorat primum denarios. At cujus hi gentis fuere moneta? non utique alterius, quam Ro-

a) Pro Fonteio c. 5. b) L. XLV. c. 43. c) L. XLI. c. 13.

manae. Vocabulum enim denarius, ut constat, totum Latinum est, at Graecorum numus huic analogus fuit drachma. Si ergo denarii hi fuere moneta Romana, sequitur, captam ex hostico praedam constitisse pecunia commatis Romani per Illyricum Istriamque sparsa, et sequitur etiam, pecuniam Romanam jam ea aetate, nempe circa annum V. C. 577, quo Claudii triumphus agebatur, inter gentes externas valuisse. Quod deinde ad argentum Illyrium et victoriatos attinet, credo, ex iis, quae proxime disputavimus, satis liquere, utrovis vocabulo perinde intelligendos quinarios, atque istud tanto luculentius, quia a denariis coepit Livius, quos deinde proxime sequuntur quinarii. At enim num probari quadam veri specie potest, valuisse monetam Romanam per Illyricum ea aetate, qua maxime ejus civitates propria pecunia usas constat, quod, ut alias demam, probant drachmae Apolloniae, et Dyrrhachii, incredibili, quod omnibus vulgo notum, numero signati? Nihil profecto in his video, quod apte cohaereat. Illud unum me puto posse conjicere, denarios Livio *καταχρηστικως* fuisse dictos numos externos drachmae pondere, quia denarius Romanorum pro drachma Graecorum rependi fuit solitus, quo modo is quoque talenta et denarios in Achaeorum moneta posuit [a]), aut quo modo Quinctilianus narrat, Evathlum a Protagora Abderite rhetoricam decem millibus denariorum didicisse [b]), deinde dictum Livio Illyricum argentum, vel victoriatos illos numos externos, qui dimidiam drachmam appenderunt, cujus valoris reipsa fuerunt Romanorum quinarii, quos vocatos fuisse etiam victoriatos, et ex causa supra allata etiam in quodam sensu Illyrios diximus. Quam inique saepe vocabulum *denarius* alienis populis et temporibus fuerit a scriptoribus tributum, ejus aliqua exempla capite sequente §. II. dabimus. Atqui expertus sum etiam, Livium, cum numorum vocabula, eorumque valorem ac pondus commemorat, auctorem non esse *ἀκριβεστατον*, praecipue cum praedae ab hostibus captae rationem init, cujus luculentum exemplum dedimus in moneta Attica, secutus haud dubie commentarios confectos ab iis, quibus rei monetariae negotium non satis fuit perspectum.

---

a) L. XXXIV. c. 50. b) Instit. L. III. c. 1.

§. IV.

De sestertio, ejusque notis.

Sestertius, vel sesquitertius numus dictus, quod valeret asses duos cum dimidio. Fuit adeo quarta pars denarii, et dimidium quinarii, habuitque cum his, si quando valorem mutari contigit, fatum commune, ut diximus. Est numus monetae argenteae R. tenuissimus, si praetensam libellam demas, de qua supra egimus.

Nota sestertii est IIS, indicio, singulos valere asses duos et semissem, qui quater sumpti conficiunt denarium. In noto Hadriani numo inscripto RELIQVA. VETERA etc., tum et in aliis veterum monumentis, librisque editis scribitur HS, nempe lineola utramque assis notam colligante. Sic et per denariorum notam X vidimus supra trajectam virgulam, ut sit X̶, quo modo et Oscenses Hispaniae pro IIVIR. in numis scripsere HVIR.

Typi. *Caput muliebre galeatum alatum, pone* IIS. X *Dioscuri equites, infra* ROMA. Cum aliis typis alium hactenus antiquioris formae non reperi. Et vero ut in moneta Romana obvii sunt denarii et quinarii, ita sestertii non admodum parabiles. Inter familiarum numos tantum duos hactenus vidi, unum gentis Cordiae, qui sestertius ex pondere colligitur, alterum Sepulliae, qui insuper notam IIS in nonnullis praefert, habentque typos novae legis, ut ad singulos dicetur.

§. V.

De ratione veterum numerandi in sestertiis.

Numus sestertius ut pondere ignobilis, ita, quod omnis fere Romanorum numerandae pecuniae ratio sestertiis peragebatur, magis quam denarius, quinariusque in vulgus est cognitus. Eam rationem hoc loco compendio proponere lubet stabilitam auctoritate et testimoniis veterum, quin animus sit, nullo, quantum ad institutum numismaticum pertinet, emolumento ejus causas copiosius rimari, quod pridem vario successu praestitere alii, quicunque de ponderibus veterum disseruere. Hic in sestertiis numerandi modus fuit triplex:

I. Si legatur *sestertius*, vel in plurali *sestertii*, atque adeo in genere masculino, tot intelligendi erunt numi sestertii, quot in numero indicantur unitates.

Sic: *decem*, *centum sestertii* totidem numos sestertios indicant, quorum quivis quartam partem denarii valet.

II. Si legatur *sestertium* in genere neutro, in plurali *sestertia*, subaudire oportet *mille*, vel *millia*. Ita *decem sestertia* sunt *decem millia sestertia*. Hujus rationem sic expedit Gronovius [a]: Romani commenti sunt libram quandam diversam a vulgari stathmica, quae continet 100 denarios, atque adeo 400 sestertios, respondens minae Graecorum 100 drachmas complexae. Cum autem sestertius ex notione nominis in se contineat asses, vel libras duas cum dimidia, inde efficientur 250 denarii, seu 1000 sestertii. Quare cum legitur *decem sestertia*, monet subaudiri debere: pondera, vel pondo, nempe, quae dixi, commentitia. Haec libra sestertia satis commode ex veteribus eruitur. Narrat Livius [b]: inter Carthaginienses et Romanos de permutandis captivis sic convenisse, ut in singula capita darentur *argenti pondo bina et selibrae*. Idem narrat Plutarchus in Q. Fabio Maximo, qui eandem summam sic Graece effert: *δραχμας πεντηκοντα και διακοσιας*, *drachmas quinquaginta et ducentas*. Ergo libra una argenti aequiparata est 100 denariis, seu drachmis, et 250 denarii librae sestertiae. Quidquid erit de hoc Gronovii invento ingenioso sane atque erudito, istud certum ex innumeris veterum locis, sestertium sic in neutro positum in mille ducendum esse. En insigniora aliquot exempla. Ait Cicero ad Atticum [c], et ad Q. fratrem [d]: *Tribunicii candidati jurarunt, se arbitrio Catonis petituros, apud eum* IIS *quingena deposuerunt.* Iuxta allatam regulam legi debet: *sestertia quingena millia.* Et vero sic legendum esse probat Plutarchus in Catone minore [e], qui eandem summam modo computandi Graeco sic effert: *παραβαλεσθαι δραχμων ἑκαςον ἀργυριȣ δεκα δυο ἡμισυ μυριαδας*, *ut persolvat unusquisque drachmarum argenti myriades duodecim cum dimidia.* Vocabulum Graecum *μυριας* indicat decem millia, et drachma vulgo aequiparatur denario. Iam *δεκα δυο μυριαδες δραχμων* sunt drachmae 120000, quibus si addatur *μυριας ἡμισυ*, seu 5000, exsurgit, numerus 125000; haec multiplicata per quatuor conficiunt numerum sestertiorum 500000, nempe summam, quam Cicero simpliciter vocat IIS *quingena.*

Alterum illustre exemplum offert Plutarchus [f]: *θεας δε μȣσικας ἀξειν ἀπο σηστερτιων τριακοσιων τριακοντα τριων, και δηναριων τριακοσιων τριακοντα τριων, ἐτι τριτημοριȣ προσοντος· τȣτο δε κεφαλαιον ἐςι ὀκτω μυριαδες δραχμων, και δραχμαι τρισχιλιαι πεντακοσιαι ὀγδοηκοντα τρεις, και δυο ὀβολοι.* Recte istud interpres Xylander vertit: *simul ludi magni voti* 333000 *numum et* 333 *denariis*, *triente*. *Haec summa quadrat* 83583 *drachmis et* 2 *obolis.* Ergo secundum ea, quae docuimus, multiplicentur Plutarchi sestertia 333 per 1000, et dabunt numos ses-

---

a) De Sestert. b) L. XXII. c. 23. c) L. IV. ep. 5. d) L. II. ep. 15. e) pag. m. 781.
f) in Fabio Max. p. m. 176.

stertios 333000, et hi divisi per 4 dabunt
denarios - - - - - - - - 83250
his addantur denarii - - - 333
et prodibit summa drachmarum - - - - - - - - - 83583
a Plutarcho dictata. Additur τριτημοριον, *triens*, nempe denarii, quem Plutarchus recte duobus obolis definit; nam cum denarius et drachma eodem veteribus essent loco, et obolus pars sexta drachmae, necesse est, trientem denarii fuisse 2 obolos.

In marmore, quod edidit Hannibal Olivierus [a]), dicitur C. Titius testamento dedisse DECIES. CENTENA. MILLIA. NVM. hac lege, ut ex usuris SESTERTIORVM. CCCC. per singulos annos detur populo epulum, et ex usuris SESTERTIORVM. DC. quinto quoque anno munus gladiatorium. Vides, divisas has summas multiplicandas per mille, ut summa totius sortis decies centenorum millium numorum conficiatur.

Ejusmodi summae vocari solent *simplae* propter *amplas*, de quibus mox. Et hac computandi ratione Romani progressi sunt usque ad millionem.

III. Milliones alia ratione expresserunt, quae, ut melius intelligatur, eruditionis causa nonnulla sunt praenotanda. Has summas vocamus *amplas*, seu *amplos millenarios*, ut distinguantur a simplis, de quibus continuo actum, et indicantur praepositione adverbii amplificativi *decies*, *centies*, *millies*. Haec adverbia naturam substantivorum induunt accessione articuli *hoc decies*, aut adjectivi, ut apud veteres saepius legimus: *decies plenum*, *decies laxum*, *sestertium*, *amplum*. Sestertius ex natura sua est nomen adjectivum; hinc legitur: *sestertius pes*, *sestertius numus*, *sestertium milliare*. Vnde fit, ut το sestertius apud antiquos in omnes fere casus flexum, et cum substantivis *decies millies* concordans reperiatur. Valerius Maximus: *qui decem arbuscularum umbram tricies sestertii summa compenses*. Suetonius in Caesare: *sexagies sestertio margaritam mercatus est*. Tacitus: *bis et vicies millies sestertium donationibus Nero effuderat*.

Cum legeris: *decies sestertium*, *centies sestertium*, *millies sestertium*, aut: *ter millies*, *vicies septies millies* etc., semper subaudi: *centies millies*. Raro enim Romani conceptis verbis summam integram perscripserunt, sed pro: *decies centies millies sestertium* simpliciter dixerunt: *decies sestertium*. Haec legendi ratio copiosis potest exemplis comprobari. Seligam tantum aliquot.

Plutarchus in Antonio: των φιλων τινι μυριαδας εκελευσε πεντε και εικοσι δοθηναι· τουτο Ρωμαιοι ΔΕΚΙΕΣ καλουσι, *amicorum cuidam myriades jussit quinque et viginti* (nempe drachmarum, seu denariorum) *dari. Istud Romani DECIES vocant*. Denarii 25 multiplicati per 10000 efficiunt denarios 250000, hi rursus per 4 multiplicati, ut sestertiorum numerus emergat, praebent 1000000, seu decies centena millia.

---

a) Marm. Pisaur. n. 43.

Martialis [a]): *Si dederint superi decies mihi millia centum*, et versu postremo: *Aut vive, aut decies, Scaevola, redde deis.* Eodem modo Cicero in Verrinis eandem summam jam *decies* IIS, jam *decies centena millia* IIS vocat.

Hadrianus imp. populo R. aes ingens alienum remisit. Praeclari hujus facti memoria signata est in ejusdem Hadriani numo, in quo legitur: RELIQVA. VETERA. HS. NOVIES. MILL. ABOLITA. Idem factum insculptum est marmori apud Gruterum [b]), sed plene perscriptum: SESTERTIVM. NOVIES. MILLIES. CENTENA. MILLIA. N.

Notae sestertii IIS saepe, ac praecipue in marmoribus addi solet litera N, qua *numus* indicatur. Millenarius numerus saepe definitur virgula numerum tegente; sic $\overline{X}$ indicat *decem millia*, aut virgulae loco additur M, nempe littera ἀρχαικῶς millenarii. Si numerus tantum signis his est expressus, saepe difficile est discernere, utrum summa simpla, an ampla intelligatur, v. g. si scriptum sit; IIS. $\overline{X}$., utrum enunciari debeat: *sestertia decem millia*, an: *sestertium decies centies millies.* Notandum enim, tam simplam, quam amplam summam iisdem notis concipi solitam esse, et ipsis olim Romanis divinandum saepe fuisse, et in judiciis ad fraudes ansam praebuisse. Luculentum ejus testimonium refert Suetonius in Galba: *Liviae mortuae testamento paene ditatus est* (Galba) *IIS namque quingenties - - quia notata, non perscripta erat summa, haerede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne hoc quidem accepit.* Livia ergo per notas scripsit IIS. D. Ergo divinandum fuit, an hae notae quingenties sestertium, (quingenties centies millies) an quingenta sestertia (quingenta millia) designent. Vnde fraus Tiberii. Sed plerumque ipsae peristases facilem exitum praebent. Exemplo esto, quod refert Gellius [c]): *Equus Alexandri regis et capite et nomine Bucephalas fuit. Emptum Chares scripsit talentis tredecim, et regi Philippo donatum. Aeris nostri summa est IIS. CCCXII.* Ipsa ratio docet, non intelligendos hoc numero numos sestertios 312. Quis enim credat, sonipedem tam generosum, et formae inusitatae in regis stabula venditum tam levi pretio, quod, ut ex §. sequente patebit, vix esset florenorum nostrorum 23, aut scutorum Romanorum circiter 11. Sed et ratio docet, non posse intelligi summam amplam; nam multiplicando 312 per 100000 prodirent sestertii 31200000, qui conficerent circitur florenos nostrates 2340000, scutorum R. 1170000 in unius, quod incredibile, equi sumptus. Ergo intelligenda summa simpla, secundum quam 312 multiplicata per 1000 dant summam sestertiorum 312000, seu florenos nostros 23400. Legi etiam sic debere, eruitur ex addita summa Graeca: *talentis tredecim.* Cum talentum contineat 6000 drachmarum, resoluta in has talenta 13 efficiunt drachmas 78000, hae multiplicatae per 4, ut

---

a) L. I. epigr. 104. b) pag. 10. c) L. V. c. 2.

habeantur sestertii, exhibent eundem, quem erueram, numerum 312000. Simili saepe interpretatione juvandi auctores veteres suppressis millenariis, ut cum Plinius opes reip. enumerat [a]), aut cum longitudinem orbis terrarum metitur [b]), quae exempla brevitatis causa praetereo.

§. VI.

De valore sestertii comparate ad monetam hodiernam.

Stabilita apud Romanos ferre unica in sestertiis numerandi ratione necesse cumprimis est, sestertii valorem relate ad nostram monetam explorare, ut quamlibet a veteribus proditam summam probabili quodam modo liceat aestimare. Hic valor ut secundum omnem ἀκϱίβειαν obtineri possit, necesse foret, penitus nobis constare, quae fuerit olim aeris ad argentum ratio, et quae argenti ratio ad ipsas res venales, quae ut ab argenti sive majore abundantia, sive caritate perpetuo alternantibus omnino pendet, sic multo difficilius ad rationem nostrae aetatis exigi potest, qua omnia dissimilia, nihil veteris sive instituti, sive naturae experimur. Vnum ergo superest, ut sestertium ex pretio intrinseco, sive quantum pro eo monetae nostrae rependi solet, aestimemus.

Atque etiam in hac aestimatione rei veteris interpretes magnopere variant. Missis veteribus, Hosto, Agricola, Budeo, aliisque, qui sestertium ex moneta sui temporis Hispanica, Gallica, Belgica aestimant, cujus nunc ratio aut abolita est, aut fere ignota, eorum, qui nostram propius aetatem contingunt, calculos proferam.

Norisius notas IIS. IIII. N. legit: *IV. millia sestertia numum*, idque explicat: *nempe scutatos Romanae monetae centum* [c]). Idem infra 100000 numum comparat 2500 scutatis [d]), et alibi diserte ait, denarium Iulio Rom. comparari [e]). Ergo scutatus Rom. sestertios 40, denarios 10 valebit, cumque in scuto sint 10 Iulii, vel 100 Bajocchi, valebit denarius Iulium unum, vel 10 Bajocchos, atque adeo sestertius 2½ Bajocchos, qui efficiunt in moneta Austriaca circitur grossum, vel 3 cruciferos, in denario 12. Eodem calculo usum video Hannibalem Olivierium [f]), et Morcellum [g]).

Harduinus in variis Plinii sui locis, ut Tom. II. p. 742 in nota 12, componit 10 sestertios cum libra Gallica, vulgo *livre*. Quoniam haec secundum hodiernam rationem aequivalet monetae nostrae 22 cruciferis et paullo amplius, erit sestertius circiter 2⅕ cruciferorum, denarius 8⅘ aut 9.

Eisenschmidius sestertium 2 solidis

a) L. XXXIII. §. 17. b) L. II. §. 12. c) Cenot Pis. diss. I. c. 2. d) Ibid. c. 3. e) Ibid. diss. II. c. 4. sub. fin. f) Marm. Pisaur. p. 136. g) de stilo inscript. p. 85.

Gallicis, vulgo *sous*, taxat, qui efficiunt in moneta nostra cruciferos $2\frac{1}{4}$ et in denario cruciferos 9.

Brotierus in nota ad Tacitum Tom. I. pag. 98 sestertios 300 ad 58 libras Gallicas redigit. Ergo libram valent sestertii 5 et paullo amplius; ergo in moneta nostra sestertius circitur cruciferos $4\frac{1}{2}$ denarius 18.

Arbuthnotius sestertium fere ad 2 denarios Anglicos, *pence*, cogit [a]). Est adeo sestertius secundum nos cruciferorum $4\frac{1}{3}$ denarius $17\frac{1}{3}$.

Tam varia cum adverterem, atque secum pugnantia eruditorum judicia, necesse duxi, sepositis auctoritatibus experientiae arbitrium permittere vocato in judicium monetariae nostrae officinae integerrimo Augusti denario adpendente grana Parisina 75, quod ipsum pondus denariis consularibus constituunt Eisenschmidius et Barreus. Et patuit, tantum in eo inesse argenti, quantum 18 cruciferis nostris rependitur, et quod sequitur, sestertium valere cruciferos $4\frac{1}{2}$, qui efficiunt in moneta Rom. circiter Bajocchos 4, in Gallica solidos 4, in Anglica denarios seu *pence* quasi duos, quae singula si in 4 ducas, habebis valorem denarii. Ex quo apparet, ad hanc rationem Arbuthnotium proxime, Brotierum penitus accessisse. Monendum tamen, hoc pondere et valore esse tantum denarios consulares, in utroque sensim deficientibus denariis Augustorum, ut supra dictum. Confer etiam, quae de hoc argumento disseruimus Vol. I. in Prolegomenis generalibus capite IX., quo loco Graecorum pondera, qualia fuere *talentum*, *mina*, *drachma etc.* eorumque valorem examinavimus.

CAPVT IV.

De moneta aurea Romanorum.

§. I.

De exordiis monetae aureae, pondere, valore.

De moneta aurea haec Plinius [b]): *Aureus numus post annum LXII. percussus est, quam argenteus, ita ut scrupulum valeret sestertiis vicenis, quod effe-*

---

a) Tabulae ant. num. tab. X.   b) L. XXXIII. §. 13.

cit in libras ratione sestertiorum, qui tunc erant, sestertios DCCCC. Post haec placuit denarios XL. signari ex auri libris, paullatimque principes imminuere pondus, minutissime Nero ad XLV. Ergo cum ex eodem Plinio constet, argentum signari coeptum V. C. 485, auri signati initium capiendum ab anno V. C. 547 fervente tum bello Hannibalico. Denarii hi quoque καταχρηστικῶς a Plinio passim vocantur, quod argenteorum non quidem pondus et valorem, sed fere volumen habuere. Etiam Arrianus memorat δηναριον χρυσȣν και ἀργυρȣν [a]). Et Petronius [b]): *Pro calculis enim albis ac nigris aureos, argenteosque habebat denarios.*

Pondus denarii aurei sic ex cognito jam pondere denarii argentei eruit Barreus [c]): Teste Plinio ex libra argenti percussi sunt denarii 84. Quoniam horum singuli adpendebant grana Parisina 75, haec ducta in 84 dabunt summam granorum ad libram monetariam requisitorum, nempe 6300. At cum constet ex eodem Plinio, ex libra auri signatos denarios 40, si 6300 dividas per 40, habebis numerum granorum singulis aureis debitum, nempe 157½. Patet ex hoc, denarium aureum duorum argenteorum pondus excedere granis 7½. Ex quo consequitur, inde a Nerone, sub quo ex auri libra denarii 45 feriri coepere, pondus aurei fuisse granorum 140.

Valuit apud Romanos aureus perpetua lege denarios 25, idque sic, ut qua ratione sive auctum est, sive imminutum aurei pondus, augeretur etiam, vel imminueretur pondus denarii. Dictus aurei valor multiplici testimonio comprobatur. Definite Zonaras [d]): δυνανται δε παρα Ρωμαιοις αἱ ἑικοσι και πεντε δραχμαι χρυσȣν νομισμα ἑν. *Apud Romanos viginti quinque drachmae aureum numum unum efficiunt.* Idem docuit Xiphilinus [e]). Luciano aurei 30 aequivalent drachmis 750 [f]), ergo aureus unus drachmis seu denariis 25. Narrat Suetonius [g]), Othonem excubanti cohorti viritim divisisse aureos, et Plutarchus, qui idem factum refert, Graece dixit: χρυσȣν ἑκαςῳ διανεμων, *aureum singulis dividens* [h]). Quod hi aureis, hoc Tacitus sestertiis definivit [i]): *ut cohorti vigilias agenti viritim centenos numos divideret.* Sed 100 sestertii aequales 25 denariis. Suetonius de Domitiano [k]): *addidit et quartum stipendium militi aureos ternos*, vel, ut alii legunt, *aureis ternis*, nempe ternis aureis quartum adjecit. Eandem summam in drachmis exhibet Zonaras [l]): *cum singulis militibus septuagenae quinque drachmae solverentur centenas dari jussit.* Secundum haec intelligendus est Martialis [m]), cum sibi ad annos 57, quos vixerat, optat accedere adhuc bis novennos, ut perageret vitae tres aureos. Vixisset igitur tum annos 75, quot nempe denarios efficiunt aurei tres.

---

a) Peripl. Erythr. T. I. p. 28. b) Satyr. c. 33. c) B. L. Hist. T. IX. p. 88. d) L. X. c. 36. e) ex Dionis libro LV. f) in Pseudolog. g) in Othon. c. 4. h) in Galba p. m. 1062. i) Hist. L. I. c. 24. k) Cap. VII. l) L. XI. c. 19. m) L. X. epig. 24.

Plerique auctores moderni rationem auri ad argentum, qualis fuit apud Romanos veteres, statuunt ut 1 fere ad 12, sic ut pro auri libra rependerentur 12 argentei. Huic rationi non magnopere repugnat experientia; nam pro aureo, qui pondere fuit duplus denarii cum aliquo excessu, rependebantur denarii 25. Comparate ad nostram monetam aureus Iulii Caesaris, vel Augusti adpendit aureos Hungaricos vel Hollandicos 2 $\frac{1}{2}$ $\frac{1}{3}$ $\frac{1}{4}$ decrescente sensim in sequentibus Augustis pondere, ut diximus. Hanc apud veteres auri ad argentum rationem variis temporibus variam copiosius illustratam vide ab erudito Dupuy [a]), et quae praeterea diximus in Prolegomenis generalibus Vol. I. cap. IX.

Monetae aureae Romanae originem et progressum non multos abhinc annos explicare adnisus est cl. Nauze in dissertatione peculiari, qua sibi proposuerat, pondus librae R. ex Plinio, numisque Romanorum aureis definire [b]). Cum hoc viri eruditi tentamen unum ex postremis sit, quae super hoc argumento comparuere, ad haec adprobatum sit a summae viro auctoritatis Barthelemyo, qui suam illi operam hac in causa commodavit, placet, ejus dictata enucleatius proponere, idque tanto lubentius quod eadem opera universus monetae aureae status ac fortuna, qualis stante rep. fuit, ob oculos ponitur. Adjiciam postremo, quae ipse in eodem argumento observanda duxero.

Quoniam moneta āurea apud Romanos inde a prima sua origine, quae fuit V. C. 547, varias est vices passa, eam Nauzeus in VIII. epochas dividit, quas sibi videbantur suggerere numi ipsi aurei varia aetate signati, et ad bilancem vocati. Hos omnes Barthelemyus ex museo regio suppeditavit admissis in consortium numis aureis Pembrockii, qui pondus suum in granis Anglicis in catalogo adjectum exhibent; addidit etiam tempora, quibus singuli numi cusi videbantur, quod cumprimis ad figendas epochas necessarium fuit. En harum progressum.

* * *

Epocha I. ab anno V. C. 547 ad 560. Adpendebat scrupulus Romanus, quorum 288 in libra fuere, grana Parisina $21\frac{1}{3}$.

Hanc rationem Nauzeus constituit ex sequentibus aureis:

Caput Martis galeatum barbatum, pone ΨX. quod scribitur pro LX. *in aliis* XXXX, *in aliis* XX. ✕ ROMA. *Aquila insistens fulmini.*

Variat in his pondus pro ratione inscripti numeri, sic:

LX adpendit circiter
grana - - - - - 63.
XXXX circiter - - 41.
XX - - - - - - $20\frac{1}{2}$ verius $21\frac{1}{3}$

His numis tanquam basi nititur Nauzeus, quo comprobet, libram R. veterem fuisse granorum Parisinorum 6144. Argumentum vero sic instruit secutus

a) B. L. Tom. XXVIII. p. 687. b) B. L. Tom. XXX. Mem. p. 359.

Harduinum similia jam olim docentem [a]):

Nota inscripta XX indicat valorem sestertiorum XX. (ex sua hypothesi.)

Atqui et scrupulum auri valebat sestertios 20. (Plinius.)

Ergo hic quoque numus cum nota XX fuit pondere scrupuli aurei.

Iam vero in libra vetere fuere scrupula aurei 288. (nam fuit scrupulum 24 pars unciae.)

Ergo si 288, sive totum numerum scrupulorum in libra ducas in grana Parisina $21\frac{1}{3}$, quo pondere est hic numus, habebis pondus librae veteris granorum 6144.

Sequitur, numum cum nota XXXX valuisse duplum, et numum LX triplum prioris, sive tot sestertios, quot enunciat numerus inscriptus. Item numum XXXX causa analogiae, cum integer adhuc esset, adpendere debuisse grana $42\frac{2}{3}$, et numum LX. grana 64.

Ad eandem epocham revocat Nauzeus aureum Cornelii Blasionis ex museo regio, typo cognito Bacchi a Pallade coronati, quia circiter grana $106\frac{2}{3}$ adpendit.

Consequitur denique, per hanc epocham fuisse rationem auri ad argentum, ut 1 ad $17\frac{1}{7}$. Nam cum scrupulum auri valuerit sestertios 20, seu denarios 5, scrupula 288, seu tota libra auri, valuere denarios 1440. Iam vero ex Plinio constat, ex libra argenti signatos denarios 84, ergo si 1440 dividas per 84, quotus $17\frac{1}{7}$ docet, pro libra auri repensas fuisse argenti libras $17\frac{1}{7}$.

* * *

Epocha II. ab anno V. C. 560 ad 620. Signati tum ex libra aurei 48, pondere singuli granorum 128. Hanc comprobat sequentibus aureis:

Caput Iani gemini imberbe. ✠ ROMA. *Duo milites hastati stantes porcam bacillo contingunt, quam vir genuflexus tenet.* Est granorum circiter 128. (Mus. reg.)

Alius similis, sed quinarius. Granorum 64. (Pembrock.)

ROMA. *Caput Palladis galeatum alatum.* ✠ C. SERVEILI. M. F. *Dioscuri in diversum equitantes.* Granorum circiter 131. (Pembrock.)

Protome juvenilis galeata hastata. ✠ NERVA. *Septa comitiorum etc.* V. gentem Siliam. Granorum 128. (Pembrock.)

Ratio tum auri ad argentum, ut 1 ad $14\frac{2}{7}$. Nam cum tota libra vetus ex sententia Nauzei adpenderit grana 6144, si haec dividas per numerum granorum 128, quem adpendunt hi numi, dabit libra tota aureos 48. Iam vero cum teste Plinio aureus valuerit denarios 25, aurei 48 multiplicati per 25 respondebunt spectato valore denariis 1200, qui si dividantur per 84, quot nempe denarii ex libra signati sunt, quotus $14\frac{2}{7}$ docebit, libram auri repensam fuisse libris argenti $14\frac{2}{7}$.

* * *

Epocha III. ab anno V. C. 620 ad 635. Signati tum ex libra aurei 45 pondere singuli circiter granorum 136. Hanc legem Nauzeus ex numo unico sancit:

M. FOVRI. L. F. *Caput Iani.* ✠

a) Opp. sel. p. 190.

PHILI. ROMA. *Roma galeata stans tropaeum coronat.* Est granorum 135. (Mus. reg.)

Iuxta methodum, quam sub epocha praecedente dictavi, reperies rationem auri ad argentum, ut 1 ad 13 cum aliquo excessu.

* * *

Epocha IV. ab anno V. C. 635. ad 650. Signati tum ex libra aurei 42, pondere singuli circiter granorum 146.

Vnicus item hanc legem Nauzeo stabilit.

Caput Iovis. ℞ CN. LENTVL. *Aquila fulmini insistens.* Granorum circiter 146.

Eadem methodus docebit, fuisse tum rationem auri ad argentum ut 1 ad $12\frac{1}{2}$.

* * *

Epocha V. ab V. C. 650 ad 717. Signati tum ex libra aurei 40, pondere singuli granorum $153\frac{3}{5}$.

Liberalior ad hanc stabiliendam numorum copia, quos, quia jam cogniti, obiter cito:

C. Clodii typo Vestalis — *Numonii Vaalae* — *Arrii Secundi* — *L. Cestii et C. Norbani* — *Metelli Pii* cum *Crasso Iuniano*, tum *Iulii Caesaris*, *IIIvirorum*, *Sex. Pompeji*, aliorumque ejus aetatis, qui cum integri sunt, adpendunt grana 153 cum aliquo excessu.

Reperitur tum ratio auri ad argentum, ut 1 ad $11\frac{1}{2}\frac{9}{1}$, aut fere ratio duo decima.

Magnam Nauzeo molestiam facessunt numi Sullae dictatoris ob auctius pondus. Sunt hi:

L. SVLLA. *Caput Veneris, prae quo stans Cupido cum palmae ramo.* ℞ IMP. ITER. *Guttus et lituus inter duo tropaea.* Est granorum 202. (Pembrock.)

L. MANLI. PRO. Q. *Caput Palladis galeatum alatum.* ℞ L. SVLLA. IMP. *Sulla in quadrigis triumphalibus ab advolante Victoria coronatus.* Est granorum circiter 202. (Mus. reg. Pembrock.)

A. MAN. --- *Caput juvenile galeatum.* ℞ SVLL. IMP. *Sulla eques pacificatoris habitu.* Est granorum 204. (Pembrock.)

Ex auctiore pondere consequitur aureos 30 fuisse ex libra cusos. Quod eum sit praeter morem hujus epochae, censet Nauzeus Vaillantium secutus, esse istud numorum genus ex iis, quos Lucullus Sullae nomine in Peloponneso feriundos curavit, ut auctor est Plutarchus in Lucullo. Causam vero augmenti confert in Sullam liberalitatem in milites, et magnificentiam adfectantem. En alium ponderis analogi:

HO. VIRT. KALENI. Notus denarius gentium Fufiae et Muciae. Sed is, de quo agimus, est quinarius AV. granorum $104\frac{1}{2}$.

Ex causa ponderis analogi Nauzeus hunc item quinarium in Sullana moneta putat, et conjicit cusum a Caleno et Cordo Sullae monetariis, postquam is ex Graecia reversus in urbem est.

* * *

Epocha VI. ab anno V. C. 717 ad 767, seu excessum Augusti. Signati tum ex libra aurei 41, pondere granorum $149\frac{7}{9}$.

Confirmat hanc legem copiosis M. Antonii, ac praecipue Augusti numis. Tamen in numis Petronii Turpiliani, Durmii, et Aquillii Flori, aliisque, quos signatos novimus V. C. 734, pondus

habetur auctius, granorum 153, 154, quin et 156.

Fuit ergo tum ratio auri ad argentum, ut 1 ad $11\frac{69}{86}$.

* * *

Epocha VII. a morte Augusti ad extremos Neronis annos.

Facto ad bilancem examine compertum, verum esse, quod docuit Plinius, paullatim principes imminuisse aurei pondus, signatis ex libra aureis 42, 43, 44.

* * *

Epocha VIII. ab extremis Neronis ad extremos Caracallae annos. Signati tum ex libra aurei 45, pondere singuli granorum $136\frac{8}{13}$.

Ejus legis experimentum praebent numi ipsi, non tamen sine exceptione. Nam numi Domitiani, Nervae, Trajani primo ejus biennio cusi adpendunt grana 140, atque his plura, quin et 145.

A quo tempore aurei 45 ex libra signati sunt, ex libra argenti signati fuere denarii 96. Si ergo 45 ducantur in 25, (quot nempe denarios valuit aureus unus) factum 1125 si dividatur per 96, quotus $11\frac{23}{32}$ dabit proportionem inter aurum et argentum, quae est fere, ut 1 ad 12.

Inde a Caracalla aureorum pondus sic vagatur, ut ad nullam eos legem reducere potuerit Barthelemyus. Sub Constantino M. invecti sunt solidi aurei, sed quorum ratio a praesente instituto aliena, et de qua copiose agit cl. Dupuy [a]).

* * *

Exposita hac eruditi Nauzei doctrina mearum est partium, quantum ea secundum artis nostrae praecepta niti possimus, arbitrari, digno sane operae pretio. Agitur enim verum librae veteris pondus, agitur ratio varians auri ad argentum, agitur variorum numorum hujus classis aetas adhuc controversa, agitur denique universus status monetae aureae Roma adhuc libera. Quae omnia si hoc Nauzei tentamine legem sic accepere, ut dubitandi amplius locus non relinquatur, confiteri necesse est, illustre beneficium in artem nostram hac opera collatum. Verum sunt non pauca, quae diffidere his legibus cogunt, quaeque me judice magis adhuc videntur stabilienda, antequam in legem ire possint. En horum nonnulla, de quibus arbitretur lector.

I. Consulares antiquissimos putat aureos, qui notas arithmeticas LX, XXXX, XX offerunt, eosque epochae primae subjicit, quod nimirum sub ipsum monetae aureae exordium signati sunt. At vero haec doctrina disperit, si verum est, quod plerique nunc existimant, praeclaros hos numos in moneta Romana putandos non esse, et habendos potius magnae Graeciae, aut Siciliae sobolem. Causam adferunt, non modo quod operis in iis summa elegantia ejus ingenium soli satis ex numis ipsis cognitum penitus referat, atque hae regiones numos aureos non exiguo numero dederint, verum etiam, quod satis constat, hos, de quibus agimus, numos

a) B.L. Tom. XXVIII. 698.

in vetere Lucania, Apulia, et finitimo tractu, tum et Sicilia fere tantum reperiri, minime vero Romae, et per ejus vicina. At quorsum inscriptum numo peregrino ROMA? Nimirum et inscriptum ΡΩΜΗ legimus in numis Locrorum Epizephyriorum, Thessalorum, et Alexandrinis M. Antonii, quo sane instituto hi populi aut suam in Romanos fidem, aut se iis obnoxios testati sunt. Magis res patebit ex numo aeneo, quem infra recitabimus, cum epigraphe ΡΩΜΑΙΩΝ, qui certe Neapoli Campaniae cusus est. At cur inscriptum Latine in urbe Graeca? quasi non et remotissimi Philippopolitae Thraciae, Caesarienses Cappadociae, Antiochenses Syriae, Graeci omnes, neque Romanorum coloni, Latine nonnunquam suos inscripsissent numos. Sane cum verisimile dixerim, magnae Graeciae, vel Siciliae haec deberi numismata, pronissimum erat, ab ejus incolis per ipsam viciniam adsciri Romanorum idioma, vel quod vellent victori sese populo adcommodare, vel quod percupere Romanos intelligebant, ut non modo eaedem leges, sed et lingua per Italiam valerent. Atque eadem ex causa numeri quoque Latini Graecis suffecti, non solo hoc in urbe Graeca exemplo, nam et in numis Syracusarum et Mamertinorum legitur XIII. XII. in numo Centuriparum XI., ut e converso notas arithmeticas Graecas legimus in numis Romanis gentis Volteiae, aliarumque. Quod si urbes magnae Graeciae, etiam quae coloniae R. non fuerunt, poterant more Romanorum monetae suae aeneae imprimere globulos, quibus ejus valor indicaretur, nescio, cur non et Romanis notis potuerint insignire numos suos aureos, per quas eorum valorem respectu numorum vilioris metalli, sed suorum, indicarent. Et vero si inscriptum ROMA demas, nullam aliam potest Nauzeus commemorare auctoritatem, quae Romanam hos numos monetam comprobaret. Docuit Plinius, monetam argenteam ratione ponderis divisam fuisse in denarios, quinarios, sestertios, aeneam in asses, semisses etc. nonnullorum etiam ex his typos definivit, at ne verbo quidem monetam quoque auream ratione ponderis trifariam divisam, quam divisionem hi, de quibus agimus, numi offerunt, aut quibus fuerint typis insignes, testatus est.

Idem existima de numis, quos in epocham II. tribuit, in quibus hinc caput Iani, illinc ROMA, et milites cum porca. Morellius, aliique numum hunc gentis Veturiae numis inseruerunt, quod in horum aversa simillimus est typus, quo indicatur ritus, quo Romani foedus inire consueverunt, de quo agemus in numis ejusdem gentis. At esse numum gentis Veturiae, certum non est, nam abest ejus nomen. Deinde typus foederis Romani Romanum etiam numum non arguit; nam idem est etiam in numis Acerrarum Campaniae, quin et in Samniticis, quos percussos esse credimus bello sociali ab acerrimis Romae hostibus. At vero operis elegantia, quae in his numis summa est, et Graecae artis illecebras penitus spirans, conjicere facit, in eodem eos solo prognatos, quo praecedentes diximus. Sane utrique artis sunt perfectioris, quam

illa fuit, cum maxime fuit in urbe provecta, nedum V. C. 547, quod testari ipse possum, cum in museo Caesareo eorum sex exstent exemplaria.

Quod si ergo verisimilis eruditis videatur haec mea aliorumque sententia, aureos hos numos commatis Romani non esse, quoniam his, ceu fundamento, totum Nauzei systema nititur, necesse est etiam, quaecunque his superstruxerat, in praeceps agi. Falsum enim erit I., inscriptas notas XX., XXXX etc. indicare totidem numero sestertios Romanos, II. falsum etiam, pondus librae veteris esse granorum 6144. III. per epocham primam fuisse rationem auri ad argentum, ut 1 ad $17\frac{1}{2}$, quam quidem unquam obtinuisse apud Romanos etiam tum, cum angustissimae eorum res fuerunt, nullo argumento evicerit, certe non inde ab anno V. C. 547, in quem signati auri initium confertur, quo jam totam fere Italiam Siciliamque tenuere. Si non fallit calculus eruditi Dupuy, cujus nunc rationes expendere non vacat, fuit tum utriusque metalli ratio, ut 1 ad 15 [a]).

II. Expendenti modum, quo usus est Nauzeus ad figendam descriptorum numorum aetatem, facile patebit, arbitrarium plerumque esse et fallacem. En nonnulla super hoc dubia. Numos binos typo Iani gemini, quorum levior adpendit grana 64, gravior 128, in epocham II. confert. At non video, cur non aequo jure in epocham I. conferri possint. Grana 64 adpendere etiam debuit ex mente Nauzei numus epochae I. inscriptus LX, et cum numus alter granorum 128 hujus sit duplus, cum eidem sese rationi adcommodet, ejusdem etiam epochae praebebit sese patientem. Non potuisse vero aureos hujus aetatis ejus esse ponderis, nullo unquam argumento comprobaverit. Non igitur certe disjungendi, quos ponderis ratio sociat.

Vetus querela, in figenda numorum cum consularium, tum familiarum aetate, quod notis chronologicis fere carent, in vado nos plerumque destitui. Satis quidem in ea definienda animorum fuit Vaillantio et Havercampo, sed consilii parum, nimirum quod unis nixi fuere conjecturis plerumque arbitrariis, saepe falsis. Placuit his IIviris, sive ope typorum, sive ab inscriptis familiarum nominibus stabilire aetatem, et quod sequitur, etiam pondus cuivis aetati debitum. Ratione huic contraria Barthelemyus et Nauzeus ex pondere numorum aetatem eruunt, id est, ignotum ignoto stabiliunt. Quinarium aureum Caleni et Cordi signatum V. C. 671 contendunt, quod pondus habet analogum ad denarios aureos Sullae, atque inde arguunt, utrumque fuisse monetae a Sulla praefectum, et e Graecia cum imperatore reducem eodem perrexisse pondere ferire numos, quo fuere numi Sullae dicti Luculei. Non adverterunt viri eruditi, denarios Caleni et Cordi argenteos ejusdem argumenti, et quod sequitur, synchronos, esse omnes serratos,

a) B. L. Tom. XXVIII. p. 651.

atque adeo remotius illis aevum tribuendum, ut dicetur in tractatu de numis familiarum cap. XVI.

III. Satis apparet etiam, tentatam in epochas divisionem, tum et praescriptum singulis pondus minus prospere comprobatum, neque sperandos facile laetiores in hoc argumento progressus. Primae enim quatuor epochae quam sunt misere steriles numorum, cum tamen ad firmandas hujus naturae leges multorum sit opus subsidio? atque si eos praeterea excludas, quos esse commatis peregrini gravis est conjectura, vix unus alterve in singulas epochas restabit, atque etiam hos si negavero esse ejus aetatis, quae praetenditur, quo istud pacto comprobabit Nauzeus? Intelligo, pondere numi. Sed hoc ipsum est, in quod inquirimus. Si enim aliorsum de aetate numi certi non sumus, qua quaeso fiducia adseri potest, numos qualiscunque aetatis hoc vel illo fuisse pondere? Atque ut demus etiam, paucissimis iis numis, qui supersunt, suam esse aetatem recte adsignatam, si iis forte accidit, quod saepe alias factum ipse fatetur, ut per causam aliquam, cujus exempla mox dabimus, vel excedant pondere, vel deficiant, quam deinde parum horum potest auctoritati tribui? Magis explicata ratio in quatuor postremis epochis, quod numi plus abundant, et qui ad eas absque dubio pertinent. Sed legem ponderis, quae in plerisque commode addicit, non pauci per intervalla graviter turbant. Sic cum numis epochae V. grana $153\frac{3}{5}$ adsignat, numi Sullani ejusdem epochae grana 202, quin et 209 adpendunt, quarta debiti ponderis parte auctiores. Cum numis epochae VI. debeantur grana $149\frac{7}{9}$, numi Augusti signati V. C. 734 adpendunt grana 153, quin et 156. In epocha VIII. debitum aureorum pondus praetenditur granorum $136\frac{8}{13}$, at numi Domitiani, Nervae, et Trajani imperium inchoantis in grana 140 usque 145 valent. Quomodocunque hanc inconstantiam excuset Nauzeus, nam quae adfert, imbecilla sunt, et necessitate arcessita, istud certum, veram ponderis in aureis legem difficulter posse reperiri, sive ejus causam in monetarios conjicias jam olim in servando pondere minus religiosos, sive in aetatis injurias numis damnosas, sive in magistratus ponderi addentes vel dementes. Atque haec praecipua causa est, cur in pondere librae veteris ope denariorum sive aureorum, sive argenteorum definiendo tantopere varient eruditi, de quo dissidio egi supra capite II. §. 1.

Possunt haec, quae ad elevandum hujus doctrinae meritum modo disputaveram, sufficere, et consulto abstineo calculis arithmeticis, quos praeterea ad enervandos Nauzei calculos paraveram, cum quod hi in praesente causa nimium sese late porrigunt, tum quod in hac causa inde ab Alciato pugnatum calculis, qui nunquam desunt novae doctrinae patronis, sed qui ad plenam obscurae hujus doctrinae cognitionem nondum hactenus suffecere. Duplex tamen est emolumentum, quod ex hoc Barthelemyi et Nauzei tentamine percipimus, primum quod numorum aureorum pondus, etsi non κατ' ἀκρίβειαν, tamen quale proxime fuerit, ex hoc catalogo tenemus, deinde

quod inde perspicimus, quis fuerit stante republica monetae aureae status, de quo quae disputanda supersunt, in proximum articulum differo.

§. II.

Sitne moneta aurea stante rep. ex lege ordinaria signata.

Catalogus numorum aureorum praecedente articulo propositus disputandi mihi materiem obtulit, sitne revera, quod adhuc a nemine in dubium vocatum reperio, moneta aurea tempore reipublicae ex lege ordinaria signata. Dubitandi causam praebet insignis paucitas numorum hujus metalli, quae ut manifestius appareat, placet eos, qui reip. temporibus tribuuntur, in syllabum cogere usque ad Iulium Caesarem deductos.

Horum duo sunt genera:

I. inscripti solo ROMA, quos vide in numis epochae I. et II.

II. inscripti familiae nomine, *Cornelii Blasionis*, *C. Servilii*, *Nervae*, *Furii Phili*, *Cn. Lentuli.* Hactenus citati omnes signati feruntur ab anno V. C. 547. usque 650. Deinceps usque ad I. Caesarem: *Cl. Clodii*, *Numonii*, *Arrii*, *Cestii*, *Metelli*, *Sullae*, *Fufii Caleni.*

En tibi totum hactenus cognitum numorum consularium aureorum agmen, sed neque istud sincerum, nam inde eximendi I. ii, quos primos citavi solo ROMA inscriptos, qui verius sunt moneta peregrina, ut verisimile dixeram articulo praecedente. II. ii, quorum forte aetas verius in tempora I. Caesaris, vel IIIvirorum cadit, quam enim iis adsignat Nauzeus, arbitraria saepe est, et solis nixa conjecturis. III. ii, qui forte adulterini sunt. Nolo in virum summum Barthelemyum parum officiosus labem adspergere ejus vel adcurationi, vel peritiae, quam quis ignorat? verum quos majore numero ex museo Pembrockiano recitat, non vidit ipse; nemo vero negabit, inter numos ejus musei aeri incisos exhiberi numismata aliqua valde suspecta. Quod si Frölichius, vir artis nostrae scientissimus, potuit nonnullos aureos consulares, quos in Catalogo cimelii Vindobonensis indicavit [a]), agnoscere genuinos, quos indubitatum est esse spurios, facile etiam illustri ejus musei auctori potuit aliquid humanitus accidere. Hos ergo omnes si ex modico consularium aureorum numero praeterea eximas, vix denarius eorum numerus, qui omnium consensu reip. aevo debeantur, supererit. Cum ergo tam pauci sint hujus generis aurei, quos inde ab anno V. C. 547 usque ad principatum I. Caesaris, sive saeculo uno cum dimidio signatos certo agnoscimus, an poterunt

---

a) Pag. CLIV.

hi idoneum praestare argumentum, lege quadam ordinaria signatos sub consulibus aureos? Darem lubenter istud, si vel paucorum hujus classis numismatum copiosa exstarent exemplaria, ut copiosa exstant in moneta argentea, at vero numi omnes aurei, quos consulum aetati jure tribuimus, aut rarissimi sunt, aut, ut appellare solemus, unici, quae sane parsimonia tam parum favet monetae ordinariae, praecipue in tanto imperio, ut etiam propalam videatur repugnare.

Ergo, inquies, auro certa lege signato caruit respublica? Intelligo, si istud adsero, adversabitur quippe agmen eruditorum, quorum, quod sciam, usque nemini de cusis tum lege ordinaria aureis obortum dubium, obtendetur oraculum Plinii nequaquam de re monetaria Persarum, Indorum, Garamantum, sed Romanorum, et domestica sua disserentis. Acquiesco, modo probabilis adferatur ratio, quid sit, quod in tanta imperii majestate, atque a tot annis vix paucos ejus aevi habeamus residuos? Interiere scilicet temporis injurias experti. At quae tempori in unum istud genus irarum causa, quando aureis Philippi II. Macedonis, qui saeculo uno ac dimidio praetensam signati in urbe auri aetatem praevertunt, ac mox Alexandri M. et Lysimachi sic pepercit, ut nondum nobis per copiam ac vilitatem molesti esse desinant? Sed mittamus majora haec regna: at supersunt copiosi aurei Syracusarum, Tarenti, ac remotissimae Cyrenes, signati omnes multo ante dictam aurei in urbe saeculi epocham, atque harum civitatium ditio quotacunque tandem portio vasti Romanorum imperii? Ergo aurei I. Caesaris, Sex. Pompeji, Bruti, Cassii, IIIvirorum, potuerunt evadere interitum, qui praecesserunt proxime, non potuerunt? Quod justius fuit aptiusque tempus feriundi auri, quam cum L. Scipio victo Antiocho M., aut Cn. Pompejus victis Mithridate, et Tigrane totius Asiae opes urbi infudere? At argentei utriusque adfatim exstant, aureus nullus. Si cui mirum videbitur, in ea urbis potentia, iisque opibus aurum in re monetaria neglectum, is miretur etiam, idem institutum, quantum hactenus experientia constat, placuisse Atheniensibus, quorum perspecta potentia, et facultates, nullo tamen eorum hactenus cognito aureo, et placere hodieque praepotenti Sinarum imperio.

Ad Plinii oraculum quod attinet, in quo maxima auro fiducia, quaeso, si scriptori praestantissimo adeo explorata fuit signati auri epocha, cur in unis aureis dissimulavit commemorare typos, quibus ii insignes fuere, aut eorum in partes divisionem, harumque nomina, quando haec omnia in moneta argentea, aeneaque indicare non neglexit? Cur Livius, qui diserte signati primum Romae argenti meminerat [a]), cum ad indicatum a Plinio auri exortum deventum est, ne minimam quidem signati tum auri mentionem injecit? Cur nemo scriptorum veterum, cum ejus aetatis res gestas refert, numi aurei Ro-

a) Epit. L. XV.

mani meminit? quanquam etsi ejus aliquod exstaret testimonium, istud aliud non probaret, quam auctorem προληπτικως loqui potuisse, et tum unum valorem spectasse, velut Dionysius Halicarnassensis de collatis sub Tarquinio Superbo viritim decem drachmis meminit a), et e converso refert Seneca, philosophum Cynicum ab Antigono Asiae rege petiisse denarium b), et Curtius c), Alexandrum M. singulis captivis Graecis terna millia denarium dari jussisse, et alibi singulis quinquaginta sestertia d), quo tempore neque denarii, sestertiive exstitere, neque si jam exstitissent, agniti per Asiam fuissent, at Plutarchus, qui idem philosophi Cynici factum refert, diserte et vere δραχμην dixit e). Simili modo cum auctores veteres, qui saepe in hac causa parum fuere ακριβεις, auream videntur monetam indicare, dubium non est, aut aurum rude, aut signatum peregrinum esse intelligendum. Sic cum narrat Appianus f), Camillum captis Vejis conflatum ex pecunia a Romanis collata (απο τωνδε των χρηματων) aureum craterem Delphis dedicasse, certum sane est, eum aut falsum dixisse, aut nomine χρηματων aurum rude voluise intelligi. Capti Veji V. C. 358, at secundum disertum Plinii testimonium, quo uno maxime nituntur monetae aureae patroni, aurum Romae signari coeptum V. C. 547. Curatius Plutarchus, qui idem factum perhibet, non χρηματα, sed κοσμον γυναικων, *mundum muliebrem* in aurei crateris fabricam collatum adserit g). Enimvero video, Romanos juxta auctores veteres, ac praecipue Livium, cujus testimonium in hac causa omnibus praestat, ante epocham Plinianam, seu V. C. 547 in sumptibus faciendis auro adpenso sic usos, ut numerato. Quo pacto Capitolium a Gallis redemerint, adpenso nempe auro, vulgo notum. V. C. 544 premente Hannibale, et succumbente aerario aurum factum a senatoribus liberaliter fuit in sumptus belli collatum, quem Livii locum mox enucleatius proponam. Anno post, seu V. C. 545 magis premente pecuniae penuria *aurum vicesimarium, quod in sanctiore aerario ad ultimos casus servabatur, promi placuit* h). Facile ergo, quod pecuniae vicem praestitit, pecunia dici potuit etiam post tempus, quo aurum signari coeptum statuit Plinius.

Quaeri denique potest, cur ne unum quidem habeamus consularem aureum a Trajano restitutum, quando non paucos imperatorios aureos ab eodem restitutos habemus, qui tamen in restituendis numis non typorum modo, sed et metalli rationem habuit? Ex quo subit suspicari, eodem tempore, quo I. Caesari multa delata sunt jura, eidem et in aurum lege ordinaria feriundum jus permissum, quod deinde per ejus aetatis licentiam retentum fuit ab iis, qui proxime successere, Sex. Pompejo, Bruto, IIIviris, aliisque, paucos vero

---

a) L. IV. c. 43. b) de Benefic. L. II. c. 17. c) L. V. c. 5. d) L. VIII. c 6. e) Apophthegm. p. 182. f) de reb. Ital. Vol. I. p. 38. edit. Schweigh. g) de vitando aere alieno p. 828. h) Liv. L. XXVII. c. 10.

eos aureos, quos jure inter consulares referimus, extraordinariis quibusdam casibus deberi, quos praeter multa alia ignoramus; quanquam in promptu sit ratio, cur exstent Sullae aurei, etsi et hi rarissimi, cognita nimirum ejus dictatoris potentia et fastu. Quid quod ex lege ab ipso hoc Sulla lata satis id, de quo agimus, evincitur. *Lege Cornelia*, refert Vlpianus a), *cavetur, ut qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos numos adulterinos flaverit, falsi crimine teneri.* Si aurum tum lege ordinaria signatum fuit, cur lex *aurum* tantum enunciat, non vero numos aureos, perinde ac mox argenteos? Quod si cui istud in rep. institutum minus videatur credibile, ejusque sibi velit certiorem adferri causam, is idem agat, ac si causam sibi dari velit, cur ratione contraria inde a Claudio Gothico usque ad Diocletianum moneta argentea fere signari desierit, cum interim auream solita lege ac copia ferire liberet. Multi sunt in re antiquaria nodi vindice quidem digni, sed qui eos explicaret, nondum adfuit deus. Atque haec omnia eo disserueram, non quo Plinium velim mendacii, aut inconsultae orationis arguere, verum quo eos, qui Plinii velint causam tueri, ultro invitem, ut proferant majore numero numos, qui ex certis indiciis consulari aetati debeantur.

Non dissimulabo auctoritates alias monetae aureae patronis amicas, nimirum Pomponii et Ciceronis ipsius. Secundum Pomponium b): *IIIviri monetales aeris, argenti, auri flatores* constituti jam sunt circa annum V. C. 465. Cicero in epistola scripta ad Trebatium circa annum V. C. 700 ait: *Treviros vites censeo; audio, capitales esse, mallem auro, argento, aere essent* c). Tum libro III. de Legibus c. 3, quod opus biennio post Fabricio lucem vidisse videtur, hanc legem sancit: *aes, argentum aurumve publice signanto.* Parum moror Pomponium, cujus oratio, etsi veram demus, interpretatione certe mollienda est, quam dabimus infra in numis familiarum cap. IV. Gravior auctoritas in utroque Ciceronis testimonio, ex quibus, etsi illud per jocum fuderit, in altero legem arbitratu suo ferat, patet tamen, auctorem ad receptum domi institutum adlusisse. Tamen hic mihi scrupulus minus molestus, cum non negem signatum sub consulibus aurum, sed lege ordinaria signatum pernegem. Dubium etiam movere posset Livius, quo teste M. Valerius Laevinus cos. V. C. 544 cessante tum ob belli Hannibalici pertinaciam aerario his verbis patres est cohortatus: *aurum, argentum, aes signatum omne senatores crastino die in publicum conferamus* d), ex quibus verbis liquere videatur, jam tum Romanos auro signato usos. At facile probavero, in his Livii verbis vocabulum *signatum* nequaquam ad aurum, sed ad aes tantum, aut forte etiam argentum esse referendum. Ejus causam habeo duplicem. Primum, si *το signatum* ad aurum quoque pertinet, sequetur, jam anno V. C. 544 Romanos passim moneta aurea usos, at tum abjicienda erit

a) Digg. L. XLVIII. tit. 10. §. 9. b) de Orig. jur. leg. 2. c) L. VII. ep. 13. d) L. XXVI. c. 36.

auctoritas Plinii, nonnisi anno V. C. 547 coeptum Romae signari aurum adserentis. Deinde eundem, quem dixi, sensum fuisse Livio intentum, ex verbis mox consequentibus elucet. Nam cum definit Laevinus, quantum ex triplici hoc metallo singulis patribus relinqui possit, aeris tantum *signati* meminit, reliquum censum in *facto* tantum auro argentoque peragit: permittendam nimirum singulis sancit unciam auri in annulos sibi et conjugi, et bullam filio, libram argenti in ornamenta equi, salinum, patellamque deorum, at *aeris signati quinquemillia.* Apertius alibi Livius mentem suam explicat, quando de iisdem agens temporibus Hannibalicis L. Valerium tribunum pl. in haec verba loquentem inducit: *cautum erat, quo ne plus auri et argenti* facti, *quo ne plus* signati *argenti et aeris domi haberemus* a). Quorum verborum significationem nitide tradit Isidorus b): *tria*, inquit, *sunt genera argenti et auri et aeris, signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in numis est, factum, quod in vasis et signis, infectum, quod in massis.* Signatum Graeci dixere *ἐπισημον*, ut Aelianus c), et scholiastes Euripidis d): *κυριως ἐπισημον ἀργυριον το κεχαραγμενον, και ἀσημον το μη κεχαραγμενον, παρασημον το παρακεχαραγμενον.*

Ceterum etsi Romanos ea aetate a feriundo auro fere abstinuisse statuamus, non tamen Romae defecit moneta aurea cum tanto numero peregrina illata fuerit. Aureos intelligo Philippeos, seu Philippi II. Macedoniae regis nomine insignes, quorum quanta copia Romam migraverit, en ex uno Livio luculenta exempla, etsi in numis quoque Philippi jam memorata. Invexit Quinctius ex Graecia redux in triumpho Philippeos 14515 e), Scipio Asiaticus victo Antiocho M. 140000 f). M. Fulvius in triumpho de Aetolis 12422 g). Cn. Manlius victis Gallograecis 16320 h). Tantam summam in urbem infudit rapina publica a solo Livio, eoque misere manco indicata, quantam tulerit privata et repetita, tum et inter Romanos Graecosque commercium? Quae de hoc pecuniae peregrinae in urbe usu dixi, eximie confirmantur verbis Pompeji Festi i): *etenim solebant* (Romani) *jam inde a Romulo numis auri atque argenti signati ultramarinis uti, id quod publicae et privatae rationes commentariorum docent.* Refert Lactantius k), Sibyllam a Traquinio Prisco pro libris IX. fatidicis petiisse trecentos Philippeos. Non moror ridiculum, ut videri possit, parachronismum, quo Tarquinius et Philippus Amyntae conjunguntur. Sed istud certe indicare auctor cetera non *ἀπαιδευτος* voluit, quo tempore Romani propriam monetam auream non habuere, usos externa. Ergo si jam altiore aetate Romanis praesto fuere numi

a) L. XXXIV. c. 6. b) L. XVI. 17. c) Var. hist. L. I. c. 22. d) ad Hecub. v. 379. e) L. XXXIV. c. 52. f) L. XXXVII. c. 59. g) L. XXXIX. c. 5. h) L. XXXIX. c. 7. i) in Patres. k) de fals. relig. c. 6.

peregrini, atque his monetae propriae vice usi sunt, quanto his plus abundabant deinde, quando eversorum regnorum thesauros in urbem derivaverant?

CAPVT V.

Catalogus numorum consularium.

Quos huic classi tribuo numos, F. Vrsinus, Vaillantius, Morellius inter incertos familiarum reposuere. Malo praesentem eis sedem adsignare, quod praestare existimo, cum sint certi consulares, incerti familiarum, eos loco certo, quam incerto recenseri.

Aureos aeneosque hoc loco frustra quaesiveris. Et quidem aureos inscriptos ROMA, quoniam Romanos non puto, in sequens caput conjeci. Aeneos commatis Romani, eosque certos consulares, recitavi supra capite II. §. 4. Reliquos aeneos inscriptos ROMA, sed neque hos me judice numos Romanos, eodem capite VI. proponam. Quare de solis hic mihi numis argenteis secundum triplicem eorum divisionem sermo.

Denarii.

Caput muliebre galeatum alatum, pone X. ☧ *Dioscuri equites, infra* ROMA.

Videntur hi denarii omnium antiquissimi, et signati sub ipsum monetae argenteae exordium. Nam primum satis constat, ex denariis illos antiquitate praestare, qui in antica offerunt caput, quale descripsi, de cujus significatione agam in tractatu de numis familiarum. Deinde praevertunt aetatem, antequam mos signandae in numis familiae esset invectus. Denique idem utrinque typus est in quinariis antiquissimis, nam hi serius, ut dicetur, Victoria insigniri coeperunt. Dioscuros fuisse familiaria vetustissimorum Romanorum numina, satis docet vel ipsa popularis jurandi formula *Mecastor*, *Aedepol.*

* * *

Caput muliebre galeatum alatum, pone X. ☧ *Diana in citis cervorum bigis, in area lunula. — Diana in equorum bigis. — Victoria in citis bigis, in omnibus inferne* ROMA.

Hos aetate posteriores conjicio, quando omissis Dioscuris alii typi in partes aversas fuere admissi.

* * *

Caput Apollinis laureatum, infra quod fulmen. ℞ *Iuppiter fulminator in citis quadrigis.*

Caput Iovis laureatum. ℞ *Victoria tropaeum coronans variantibus per aream jam literis, jam sigillis, inferne* ROMA.

Hi iterum denarii aetatem sequiorem praeferunt, aliis jam etiam anticae typis. De capite Apollinis, hoc loco Vejovis, agetur in gente Caesia, Fonteia, aliisque.

* * *

Caput muliebre galeatum alatum, pone X, *infra* ROMA. ℞ *Mulier galeata clypeis insidens s. hastae innititur, ante eam lupa gemellos lactat, in area hinc et illinc avis volans.* Pondus argenti variat. Restitutus item a Trajano.

In hujus denarii aversa Vrsinus vidit Faustulum pastorem cum pico avi miraculum lupae considerantem, eumque adeo a Sex. Pompeio Fostlo cusum opinatur, quia in ejus denario similis naturae thema objicitur. Istud jam eo falsum, quod figura sedens nequaquam vir est, sed mulier, mammis, ut tres integerrimi musei Caesarei commonstrant, liberaliter instructa. Haec eadem causa redarguet Perizonium, qui figuram sedentem Martem dixit in consortio Martiae lupae, et Martii pici [a]). Aliud placuit Havercampo [b]), cui figura sedens est imago Romae, hos autem denarios signatos fuisse a Romanis tempore belli socialis, lectumque ab iis hunc typum, quo jactarent praerogativam suam prae aliis Italiae populis ejus belli auctoribus, memorando imperium summum, quod Romulo augurium captanti vultures significarunt, et urbem suam lactatis per prodigium gemellis deorum numine fundatam. In hac sententia istud displicet, quod causam hujus typi a bello sociali petit. Non sane Titus bellum istud respexerit, in cujus numis aureis inscriptis COS. VI. idem hic ad omnes apices typus comparet, quorum tres varii sunt in museo Caesareo. His adde alium non admodum diversum, quem Morellius in incertis tab. II. lit. B. sistit, et qui haud dubie sub imperatoribus signatus est. Cum typus hic varia aetate monetariis placuerit, certum videtur, eum sumptum a celebrata quadam deae Romae statua, (nam esse Romae effigiem collati tot alii numi invicte arguunt) cujus explicatio plana est ac obvia; nempe exhibetur Roma illustri prodigio et auspicato condita, quod indicatur cum gemellis miraculo nutritis, tum advolantibus vulturibus. Quod utrumque meritum cum toties a Latinis scriptoribus jactari videamus, justum etiam argumentum artificibus suffecit.

Quinarii.

Caput muliebre galeatum alatum, pone V. ℞ *Dioscuri equites, infra* ROMA.

Simillimi sunt hi quinarii denariis illis, quos paullo ante vetustissimos dixi, nisi quod pondere horum sunt dimidii.

a) Diss. III. p. m. 255. b) Famil. incert. p. 160.

et quod pro nota denarii X habent notam suam V, nempe tot assium. Et vero non modo typorum ratio his quinariis majorem vetustatem tribuit (nam his utrinque typis nulli deinceps alii sunt insignes) sed etiam quod serius Victoria insigniri consueverunt, ut dixi supra cap. III §. 3.

* * *

Caput Apollinis laureatum. ✠ *Victoria tropaeum coronans variantibus per aream jam literis, jam sigillis, inferne* ROMA.

Similis rationis denarios supra recitavi, ex quo apparet, illis quinarios hos esse coaevos.

Sestertii.

Caput muliebre galeatum alatum, pone IIS. ✠ *Dioscuri equites, infra* ROMA.

Vidimus eosdem typos in antiquissimis denariis et quinariis, in quorum adeo aetatem sestertii hi commode promoventur. Perfecta ergo omnium trium generum concordia, nisi quod pondere, hujusque notis discrepant, facile persuadet, his typis promiscue primam argenteam monetam fuisse insignem. Alios sestertios hujus classis non novi, ut monui supra capite III. §. 4.

CAPVT VI.

De numis peregrinis inscriptis ROMA.

Praeter numos hactenus descriptos non pauci exstat alii in omni metallo cum epigraphe ROMA, quos propter hanc ipsam causam ab antiquariis passim cum moneta Romanorum misceri videmus. Malo eos extra urbem signatos existimari, quanquam a populis Romae servientibus. Novi, non defuturos, quibus illud inconsultius adserere videbor. At spero, perlectis, quae ad singulos monebo, in gratiam mecum redituros.

§. I.

Numi peregrini AVREI *inscripti* ROMA.

Caput Martis galeatum barbatum, pone ↓X. ✠ ROMA. *Aquila fulmini insistens.* (Mus. Pembrock tab. VI. Mus. Caes.)

Alius, *sed pone* XXXX. (Pembrock ibid.)

Alius, *sed pone* XX. (Mus. Pembrock, Mus. Caes.)

De horum numorum pondere analogo, aetate, patria adfatim disputavi supra capite IV. §. 1. Valor elementi ⩛ in numo primo minus in vulgus cognitus. Positum illud pro L, seu 50, facile ex monumentis ipsis probavero. Ex obviis denariis Ti. Claudii, aliorumque liquet, veteribus Romanis notam quinquagenariam scriptam sic ⊥, nempe more inversi T. Ita videmus in citatis denariis: C⊥V. ⊥XXIIII. ⊥XXXXVI. etc. At placuit nonnunquam etiam, lineam rectam horizontalem in angulum acutum cogere, ex quo enatum ⩛, nimirum ut Romani testibus obviis familiarum numis scripsere L et V angulo jam recto, jam acuto, sic etiam ⊥ et ⩛ angulis jam rectis, jam acutis. Sed neque ad posteriorem hanc formam stabiliendam deficiunt monumenta haud dubie Romana. Consule denarios gentis Calpurniae, qui sunt apud Morellium tab. V. et VI. et reperies ⩛XII. ⩛XXIII. ⩛XXXX. etc. Ex quo efficitur, dubitari non posse, notam ⩛X. in numo aureo, de quo agimus, vice numeri sexagenarii positam. In simili aureo musei Genovevae, sed, ut reor, inique, numerus hic exprimitur sic: VX. a) et sic etiam ex eodem museo describitur ab Harduino, nisi quod invertat ordinem, scribatque XV. Etiam Morellius in suo, qui forte unus idemque est cum priore, vidit VX addito altero peccato, dum aeneum statuit, qui certe aureus est b). At numi omnino quatuor, iique integerrimi musei Caesarei habent luculentum ⩛X, perinde atque illud pingitur in Pembrockiano.

* * *

Caput Iani gemini imberbe laureatum. ☧ ROMA. *Duo milites hastati stantes porcam bacillo contingunt, quam vir inter eos medius ingeniculatus tenet.* (Pembrock tab. VI. Mus. Caes.)

Vide, quae de numorum similium pondere et patria disputavi supra cap. IV. §. 1.

§. II.

Numi peregrini ARGENTEI *inscripti* ROMA.

Caput Iani gemini imberbe laureatum. ☧ *Iuppiter in citis quadrigis d. fulmen intorquet, s. sceptrum, Victoria habenas moderante, inferne* ROMA, *literis in aliis exstantibus, in aliis introrsum hiantibus.* Restitutus etiam a Trajano.

Pondus horum numorum variat. Sunt

a) Tab. 17. n. XV. b) in numis ROMA tab. I. n. VI.

id genus in museo Caesareo decem, qui a drachma cum semisse usque ad drachmam sensim decrescunt. In catalogo d'Ennery pag. 137 citatur similis aureus quinarii forma, sed sine addito ROMA.

Savotus, et post eum alii, cum a veteribus majus viderent argenti pretium respectu aeris proditum, quam sibi ullo pacto verisimile videretur, de quo egimus cap. II. §. 2, suspicati sunt, vetustissimos denarios fuisse ponderis auctioris, cumque hos, quos coram descripsi, excedere pondere viderent, eos referre in ipsa monetae argenteae incunabula non dubitavere. Iis deinde sociarunt alios argenteos ejusdem fere ponderis inscriptos ROMANO, de quibus infra. At praeterquam quod judicium istud una conjectura nititur, aperte repugnat fabrica, quae, cum in numis consularibus, quos antiquissimos novimus, spectata elegantia mediocritatem vix adsequatur, in his est summae, et vere Graecae artis. Vnde verisimile videtur, signatos in Campania, aut alia Graeciae M. plaga, pondere ad rationem monetae suae accommodato, neque adeo mirum, esse rationis diversae a Romana. Restitutum a Trajano mirum non videatur, nam numi hi etsi peregrini, tamen Romae fuerunt obvii, et cum in iis expressum Romae nomen legeretur, poterant monetae R. accenseri. Sed de restituto singulari hoc numo vide Sectione II. cap. XVII.

* * *

Caput Martis galeatum cum tenui lanugine. ℞ ROMA. *Caput equi frenatum, pone harpa.* AR. II. III. (Mus. Caes.)

Caput Martis galeatum cum tenui lanugine, pone clava. ℞ ROMA. *Equus currens, superne clava.* AR. II. (Mus. Caes.)

Caput Apollinis laureatum. ℞ ROMA. *Equus currens.* AR. II. (Mus. Caes.)

Numi hi similis sunt cum praecedentibus ponderis, similis elegantiae. Perperam ergo ad officinam Romanam revocantur. Ad haec caput equi, aut equus liber currens typi sunt a certa moneta R. prorsus extorres, at obvii in numis, qui Panormo Siciliae tribui solent, quosque in hujus gaza descripsi. Similes etiam typos offerunt numi aenei, quos continuo recitabo.

§. III.

Numi peregrini AENEI *inscripti* ROMA.

Caput Martis galeatum. ℞ ROMA. *Caput equi frenatum, pone harpa.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Apollinis laureatum. ℞ ROMA. *Equus currens.* AE. III. (Mus. Caes).

Similes utrinque typos in praecedentibus argenteis vidimus. Sunt laboris delicatissimi.

* * *

Caput muliebre corona turrita redi-

mitum. ✠ ROMA. *Vir nudus eques d. flagellum citato cursu vectus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile galeatum. ✠ ROMA. *Canis gradiens.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ✠ ROMA. *Pegasus volans, superne clava.* AE. III. (Mus. Caes.)

Fabrica perelegans, typi aeneae Romanorum monetae ignoti, voluminis modus, quod in numo II. est perexiguum, hos etiam numos aliorsum avertunt. Numus III. minus exquisiti laboris in Corcyram insulam invitat, cujus numi Herculem et Pegasum saepe ostentant.

* * *

Caput Apollinis laureatum. ✠ ΡΩΜΑΙΩΝ. *Bos dimidius cum facie humana, cui insertum astrum.* AE. III. (Pellerin Suppl. II. p. 23.)

ΡΩΜΗ. (*retrograde*) *Caput Palladis.* ✠ *Apis* AE. II. (Pellerin Rec. I. p. 61.)

Numus prior ad causam meam insignis. Ejus simillimum spectatis typis, volumine, metallo, fabrica, omnibus, ex museo suo edidit cl. Neumanus [a]), quem solum inscriptum ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ a priore discernit. Ergo Neapolitani Campaniae honoris causa Romanorum nomen, in quorum erant potestate, pro suo inscripserunt, nisi forte, tanquam cives essent Romani, Romanos se vocaverunt. Numus alter, etsi Romae nomen inscriptum praefert, Romae tamen numus, quod nemo non videt, certe non est, ejusque adhuc incerta patria. Ergo utrinque probatur, urbes Romanis subjectas Romae nomine in moneta sua usas, atque ut libuit, jam Graece, jam Latine.

* * *

1. *Caput Apollinis, pone* L Γ. ✠ ROMA. *Dioscuri equites, infra* 5 *globuli.* AE. II. (Mus. Caes.)

2. *Caput muliebre incertum, pone* 4 *globuli.* ✠ ROMA. *Hercules stans d. clavam Centaurum crinibus arreptum retrorsum trahit, juxta* 4 *globuli.* AE. max. mod. (Morelli, Mus. Caes.)

3. *Caput muliebre apri exuviis tectum, pone* 3 *globuli.* ✠ ROMA. *Bos currens, infra quem serpens, superne* 3 *globuli.* AE. max. mod. item II. et III. formae. (Mus. Caes.)

4. *Lupa gemellos lactans, infra* 2 *globuli.* ✠ ROMA. *Aquila florem rostro stringens.* AE. I. (Mus. Caes.)

5. *Caput Solis adversum radiatum, juxta globulus.* ✠ ROMA. *Luna cum duobus astris, in medio globulus.* AE. II. (Mus. Caes.)

6. *Caput Vulcani, pone forceps, omnia intra lauream.* ✠ *Caput Solis adversum radiatum, juxta globulus.* AE. II. (Mus. Caes.)

De numis his quid vere statuendum sit, difficile decidere. An monetam Romanam existimabimus? Suadere istud sane videtur additum ROMA. Sed satis hactenus vidimus, hoc adjecto vocabulo non semper officinam urbis probari. Ad haec numi Romani, qui pondus indicant, multum diversos, eosque certos habent typos, ut dixi

a) Num. pop. p. 12.

cap. II. §. 3. Quibus ego motus rationibus malim numos exteros putare, urbibus Italiae seu Romae mentione, seu typis Romam respicientibus, et Romanos rerum dominos observantibus. Ad nonnullos aliqua observanda.

Numum I. jam recitavi cap. II. §. 4, quo loco adverti, nullum hactenus quincuncem, qui certo Romanus sit, compertum. Adde testimonium emin. card. Zeladae in epistola catalogo suo praefixa pag. 15. *Quincuncem nullum habeo Romanum, et nullum se talem vidisse adfirmant, qui plurimos id generis numos tractarunt.* Quae quidem indicia causam meam praeclare juvant.

Numus II. loco promulgatus mole sua est spectabilis. Supervacaneum est inquirere, quae sit haec Herculis cum Centauro pugna, quia saepius illi cum formis bimembribus negotium fuit.

Numi III. loci cetera similes mire in pondere divergunt; nam postremus quadrans vix octavam prioris partem conficit. Neque tamen utriusque aetas admodum distare videtur. En novos in ponderum doctrina laqueos. In typorum explicatione non mihi cum viris eruditis convenit. Frölichius a) et Havercampus b) caput anticae esse Iunonis Sispitae dixerunt; quin et Wachterus numos hos a quopiam gentis Thoriae signatos censet, quia denarii L. Thorii similes utrinque habent typos c). Verum ego in binis illaesis musei Caesarei numis nequaquam exuvias capri Sispitae debitas, sed apri video, luculento rictu, dente, auribus, setis inde a collo procurrentibus, neque istud soli mihi visum, sed et Scipioni Maffeio teste eodem Wachtero. Interim difficile est adsequi, quae sit haec mulier cum insolito hoc capitis cultu. Typus aversae haud dubie est mythologicus, nimirum Bacchus taurus ex Iove serpentem ementito et Proserpina natus, de quo consule jam dicta in dissertatione de tauro cum facie humana Campaniae numis subjecta.

§. IV.

Numi peregrini inscripti ROMANO, *vel* ROMANOM.

Caput Palladis, pone clava, vel cornucopiae, vel pharetra. X ROMANO. *Victoria stans lauream oblongo palmae ramo adligat, in area* Ξ *vel* HH *vel* MM, *vel* ΩΩ, *vel* Σ *vel* Λ. AR. II. (Mus. Caes. Pellerin Rec. I. p. 61, Dutens Explic. p. 54. Beger T. I. p. 359.)

Caput Herculis imberbe diadematum, juxta collum clava et exuviae leonis

a) Animadv. p. 59. b) in Fam. Morell. p. 476. c) Archaeol. num. p. 142.

X ROMANO. *Lupa gemellos lactans.* AR. II. (Musei Caes.)

ROMANO. *Caput Apollinis.* X *Equus saliens, superne astrum.* AR. (Beger l. c. p. 358.)

Caput Martis galeatum barbatum. X ROMANO. *Caput equi frenatum, pone spica.* AR. (Mus. Caes.)

ROMANO. *Caput Palladis.* X ROMANO. *Aquila insistens fulmini.* AE. fere I. (Mus. Caes.)

Caput Palladis. X *Epigraphe varia,* ROMANO. ROMAN. ROMN. (Mus. Caes. et Neumann.) ROMΑΛ. (Mus. Caes.) ROMAAC. (Hunter tab. 46. n. VII.) ROMΑΛΟC. (Mus. Caes.) OMAΛΟC. (Oderici Num. Graec. p. 32.) *Caput equi frenatum.* AE. III.

De terminatione in NO, quae in his numis legitur, tum et de eorum patria jam egi volumine I. in dissertatione Campaniae numis conjuncta. Ad typos quod attinet, numus II. Herculem cum gemellis a lupa nutritis jungit. Typus hic uberius illustrabitur in numis Antonini Pii antiquitatem Romanam restituentibus. In numo III. videtur hinc Apollo, illinc equus, qui propter radiantem superne stellam Soli sacer est putandus. Aliorsum vero constat, Soli equos fuisse sacros, et sacrificatos, et variis in regionibus ejus honori ex publico nutritos. Sic Rhodios, apud quos praecipuus fuit Solis cultus, quotannis quadrigas Soli consecratas in mare abjecisse, quod is tali curriculo credebatur circumvehi mundum, refert Festus [a]). In numo IV. hinc caput Martis, illinc equus dimidius. Ad Romana hic typus sacra pertinet. Refert Festus [b]), *Equiria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebatur.* De equo dicto Octobri, qui singulis annis Marti in campo Martio immolabatur, vide eundem Festum (*in October equus*) et quae ad hunc Festi locum erudite disserit Gaspar Odericus [c]). Kal. Ian. a consule Iovi Soli equum sacrificari solitum, narrat Laur. Lydus [d]).

Numi, quos postremos proposui, eo differunt, quod eorum plerique pro solito ROMANO vocabula offerunt a ROM quidem incipientia, sed varie deinde desinentia, ut vidimus. Cl. Odericus legere sibi in suo visus est OMΑΛΟC, ut supra dictum, eumque hujus fiducia inscriptionis tribuit Temno Aeolidis urbi, et hoc vocabulo conjicit indicari Temni conditorem. Verum facile mihi persuadeo, ex numo suo excidisse literam primam R, eumque revera eundem esse cum altero musei Caesarei inscripto ROMΑΛΟC. At enim quam statuemus varianti huic inscriptioni significationem? Cum re eam Romana connectendam facile patet. Quod ad insolentem variumque exitum attinet, haud aberravero, si hos quoque signatos existimo a Campanis Oscis, in arte quidem monetaria praestantibus, nam elegante omnes sunt opere, sed qui linguam seu Graecam, seu Latinam corrupere.

* * *

Aquila expansis alis fulmen ungui-

a) In Equus. b) in Equiria. c) de numo Oreitirigis p. 45. d) de Mensib. in Ian.

bus stringit. X ROMANOM. *Pegasus volans.* AE. praegrandis moduli formae quadrilaterae.

Illustre istud cimelium, quod ex opulento museo suo mecum communicavit em. S. R. E. cardinalis Stephanus Borgia, olim pro vera sua magnitudine pictum explicatumque stiti in mea Sylloge I. p. 90. Causa epigraphes ROMANOM vix esse opus Romanum putandum, sed a vicina quapiam gente, Romanis tamen subjecta, signatum, late disserui in Volumine I. hujus operis, et dissertatione singulari Campaniae numis adnexa. Adpendit hodiernae librae Romanae libras IV. uncias IX. Typi nimo vagi nihil ad causam idoneum suppeditant.

MONETAE ROMANORVM

PARTIS I.

SECTIO II.

DE NVMIS FAMILIARVM.

PROLEGOMENA
AD
NVMOS FAMILIARVM.

CAPVT I.

Iudicium de utilitate numorum familiarum.

En arcto compendio hujus numorum classis praestantiam, et utilitatem. Cum ajo, passim in iis occurrere deorum dearumque non communium modo, sed et domesticorum nomina et imagines, sacros ritus eorumque apparatum, vetera urbis decora, facta, et instituta, res domi forisque praeclare gestas, insignia exterorum de majestate imperii judicia, leges a majoribus latas, magistratuum varios modos, et tributos singulis honores, ludorum auctores et solennia, effigies illustrium in rep. virorum, tum etiam nonnullorum regum exterorum, aedificia publica sacra et profana, gentium R. vera et incorrupta nomina, dignitates, adoptiones, varium linguae veteris usum et scribendi modum, denique in non paucis opus perelegans Graeco ingenio, manuque dignum, haec, inquam, de hac numorum classe cum praedico, facile quivis intelliget, quanta illi subsidia ad historiae, juris veteris, rituum sacrorum profanorumque, mythologiae, grammaticae, iconologiae, variaeque eruditionis perfectiorem intelligentiam, quin ad artium etiam liberalium majora incrementa conferant. Sed de hoc argumento copiose jam disseruit magnus Spanhemius per totum suum de praestantia numorum opus, et singulari libello Frölichius, sed qui intra artiores limites constitit.

At sunt in eadem hac classe non pauca, quae rei antiquariae studiosos illi subirasci, aliasque praehabere nu-

morum classes cogunt. Neque istud injuria. Ac primum quidem in tanta hujus generis numorum copia, quae post protractum eorum incredibilem ex terrae visceribus numerum necdum defecit, nimium exigua in potiore parte varietas, aut in levissimis tantum, capita partis adversae saepe vaga et incerti explicatus, et eodem frequenter vitio laborantes typi partium aversarum, tum vero, quod caput mali est, nulla in iis, aut rarissima aetatis indicia, quae maxime in numis concupiscimus, et quae si desunt, vitam quodammodo veteribus monumentis deesse putamus. Quae causa est, cur in paucissimis, qui saeculum V. C. octavum praecedunt, noverimus, quorum sint nomina numis his inscripta, cum gentis nomen cum omnibus, qui ex ea originem traxere, et qui per omnes annos in magistratibus potuerunt esse constituti, fuerit commune. Ex hac labe profecta tot conjecturarum examina, quas per vim obtrusere commentatores illi, quibus indecorum visum, plenumque pudoris, aliqua sese ignorare profiteri. Ex eadem causa reperiri hactenus ratio non potuit, qua classis hujus numi secundum aetatis successionem disponerentur, relicto solo ordine alphabetico, necessario illo quidem, sed quo voluptas omnis, quam naturalis partium series oculis subjecta efficit, e medio tollitur. Denique haec numorum classis exhausta jam potest videri, et jam potuit videri diu. Enimvero inde a Fulvio Vrsino, qui abhinc duo fere saecula praeclarum suum de Familiis opus edidit, quam pauci ad nostra usque tempora numi novi, et quos ille non vidisset, emerserint, in aperto est, quo nomine intelligo novam aliquam gentem aut familiam, aut typum principem nondum cognitum, nequaquam vero minuta per aream sigilla, aut typos sive per fraudem, sive lapsum monetariorum permutatos, quae sola saepe novum quidpiam suppeditant, sed quae vel negligimus, vel aspernamur.

Commemoratis iis, in quibus universum hujus classis agmen et excellit, et deficit, ad ipsos familiarum numos explicandos aggrediamur. Nihil tamen amplius de triplice eorum metallo, pondere, valore attingimus, quae omnia communia habent cum numis consularibus, de quibus egimus sectione I.

CAPVT II.

De nominibus in numis familiarum.

De hoc argumento exstat liber singularis auctoris veteris inscriptus: *de nominum ratione*, qui novem libris Valerii Maximi conjungi solet, a nonnullis, licet perperam, ipsi Valerio tributus. Ex recentioribus egregiam in eo operam posuere Onuphrius Panvinius, et Carolus Sigonius editis praeclaris commentariis *de nominibus Romanorum*, quos vide in volumine II. thesauri Graeviani, quibus adde locupletem, ut in singulis argumentis numismaticis, sic et in hoc, Spanhemium a). Postremus idem argumentum erudite tractavit Henricus Cannegieterus in libro *de mutata Rom. nominum sub principibus ratione*. At de toto gentium familiarumque R. agmine insigniter meritus est Ioannes Glandorpius in opere, cui titulus praefigitur: *Onomasticon historiae Romanae*. Hos fontes, qui causam penitius nosse volet, adeat. Nihil enim amplius hoc loco tractabitur, quam quantum lucis nomina his numis inserta postulabunt.

In Romanis fuere *gentes* et *familiae*, et sic quidem, ut familiae tanquam species sub gente comprehenderentur. Festus b): *Gens appellatur, quae ex multis familiis conficitur.* Secundum haec habemus gentem Corneliam, ejusque familiae sunt Blasiones, Cethegi, Dolabellae, Lentuli, Scipiones, Sisennae etc. Confirmantur haec testimoniis veterum, quorum complura recitat Sigonius c). En bina: Suetonius ait d): *Imagines et elogia universi generis* (Sulpicii) *exsequi longum est, familiae* (Galbae) *breviter attingam.* Livius e): *P. Scipio Nasica tribunos appellavit, orationemque habuit plenam veris decoribus, non communiter modo Corneliae gentis, sed proprie familiae suae.*

Civium Romanorum, aut qui civitate donati fuere, tria plerumque fuere nomina, *praenomen*, *nomen*, *cognomen*, ut: Publius Cornelius Scipio. Servis unicum tantum indultum. Vnde apud Iuvenalem f): *si quid tentaveris unquam hiscere, tanquam habeas tria nomina.* His nonnunquam additur quartum, quod *agnomen* dicitur. Haec omnia his verbis definit vetus grammaticus, quem citat Sigonius g): *Vocabulorum, quibus Romani capita recensebant, quatuor genera sunt,* praenomen, *quod nomini gentilicio differentiae causa praeponitur, ut*: Publius. Nomen, *quod originem gentis declarat, ut*: *Cornelius.* Cog-

a) De Praest. num. T. II. p. 21. b) in Gens. c) de nom. Rom. c. 4. d) in Galba c. 3. e) L. XXXVIII. c. 58. f) Sat. V. 126. g) l. c. cap. 2.

nomen, *quod nominibus gentiliciis subjungitur, ut*: Scipio. Agnomen, *quod extrinsecus addi solet ex aliqua ratione, vel eventu quaesitum, ut*: *Africanus.* In eandem sententiam scripsit etiam Valerius. Sed veteres dixerunt etiam cognomen, quod re ipsa fuit agnomen. Ejus in L. Calpurnio Pisone Frugi exemplum habemus apud Ciceronem. Ait is de hoc Pisone [a]): *At in quem virum? qui tanta virtute, atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen* Frugi *nominaretur. Quem cum in concionem Gracchus vocari juberet, et viator quaereret, quem Pisonem? quod erant plures:* cogis me, *inquit*, dicere inimicum meum, Frugi. *Is igitur vir, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat, nisi ante laudasset, qui uno* cognomine *declarabatur, non modo quis esset, sed etiam qualis esset etc.* Sed haec ratio florente tantum rep. obtinuit. Diversa fuit sub regibus, et principio reipublicae, diversa iterum sub imperatoribus, et jam sub ipso Augusto variari coeptum. Serius nihil amplius veteris moris retentum.

§. I.

De praenomine.

Constituti praenominis causa praecipua, ut, qui in singulis familiis commune et nomen et cognomen habuere, aliquo modo distinguerentur. Ejus usus ad captandam quoque gratiam valuit docente istud Horatio [b]): *Quinte, puta, aut Publi* (*gaudent praenomine molles auriculae*). Eorum ad triginta collegit Sigonius [c]), quem numerum jam confecit Varro [d]), ex quibus ea solum repraesentabo, quae in numis nostri thematis habentur.

AP.	Appius.	P.	Publius.
A.	Aulus.	Q.	Quintus.
C.	Cajus.	S. SEX. etiam	
CN.	Cnaeus.	SX. in Quinctia	Sextus.
D.	Decimus.	SER.	Servius.
L.	Lucius.	S. SP.	Spurius.
ꟿ.	Manius.	TI.	Tiberius.
M.	Marcus	T.	Titus.
N.	Numerius.	VOLVSVS.	

a) Pro M. Fonteio c. 13. b) L. II. sat. V. 32. c) l. c. cap. 3. d) Val. Maximus.

Pauca ad haec praenomina observanda:

C. et CN. tam pronunciata, quam scripta fuere ut G. et GN. nempe propter adfinitatem literarum C et G, quas item cognatas appellat Plutarchus a). Istud non modo ex vetere grammatico Diomede tenemus, quem citat Sigonius b), sed confirmatur etiam a Graecorum usu, qui nunquam scripsere *Καιος* et *Κναιος*, sed *Γαιος* et *Γναιος*. Et secundum hanc rationem legimus in numis Oscae Hispaniae G. CAESAR. In celebri, et perantiquo sepulcro Scipionum legitur GNAIVOD. pro CNAIO.

ИV aliud non est, quam sigla complectens literas MAN. et repertum, ne confunderetur cum M, quod *Marcum* notat.

N. Numerius unius familiae Fabiae praenomen est, atque istud peregrinum Malevento adventitium, ut referunt Festus c), et Val. Maximus d). Tamen cum nonnullis etiam aliis fuisse commune, observat Spanhemius e).

S. solum dubitare nonnunquam facit, sitne explendum legendo *Sextus*, an *Spurius*. Ejus exemplum offerunt numi gentis Afraniae. Sed in gente Postumia certo legendum *Spurius*, ut in hac dicetur.

VOLVSVS, praenomen gentis Valeriae, quam vide.

§. II.

De nomine.

Nomina gentilicia in IVS exivere. Ejus causam inde petit Sigonius, quod, ut existimat, omnia gentium nomina fuerunt instar patronymicorum. Sic a Iulo ductos Iulios, ab Aemilio Aemilios, a Pompone Pomponios, a Calpo Calpurnios etc. more etiam Graecorum, apud quos e. g. Aeacides dicti fuere omnes, qui ab Aeaco descenderunt.

Haec de terminatione in IVS regula in nonnullis non tam fallit, quam fallere videtur. Nam in hac ipsa familiarum classe habemus Norbanum, Caecinam, Betilienum, Allienum, Satrienum, qui aliter desinunt. At indubitatum fere est, non fuisse haec nomina gentilicia, sed cognomina, vel agnomina, ignorari autem nomina ipsa, quia placuit Romanis, alios ex nomine gentis, alios ex cognomine tantum compellare. Sic Cicero in orationibus, alibique semper dicit *Caesar*, nunquam *Iulius*, contra semper *Pompejus*, nunquam *Strabo*. Quin fuere etiam, qui de

a) Quaest. Rom. b) de nom. Rom. c. 3. c) in Numerius. d) de rat. nom. e) Tom. II. p. 26.

se semper omisso gentis nomine locuti sunt. Nunquam Agrippa se dixit, scripsitve *Vipsanium*, sed *M. Agrippam*, atque hinc historici, ut receptus in his illisve ferebat mos, sola etiam tantum cognomina prodidere. Quare cum legimus nomen hominis Romani aliter, quam in IVS desinens, cognomen erit putandum, et nisi de gentis nomine aliorsum constet, certum teneamus, gentilicium moris soliti nomen non defuisse quidem, sed ignorari. Sed haec quoque lex ad florentis tantum reip. tempora valet, quae sequiore aetate variavit.

§. III.

De cognomine, et agomine.

Vt familias distinxere praenomina, sic gentes cognomina. Necesse vero fuit, natis cuivis genti per connubia prolibus totidem etiam stirpes enasci, quas iterum aliquo nomine oportebat ad vitandam confusionem discerni. Narrat Livius a), anno V. C. 442 in una gente Potitia fuisse familias XII., in iisque puberes ad XXX. Ducebantur vero cognomina ex causis variis cum honestis, tum turpibus, ut a sapientia: Sempronius *Sophus*, Laelius *Sapiens*, aut e contrario: Iunius *Brutus*. A moribus, Tarquinius *Superbus*, Fabius *Gurges*, Aufidius *Lurco*. Ab arte: Fabius *Pictor*. A studio rei rusticae: Cornelius *Lentulus*, Calpurnius *Piso*, Tullius *Cicero*, Licinius *Stolo*. A capta regione, vel urbe: Servilius *Isauricus*, Marcius *Coriolanus*. Omitto causas alias, quas videsis in Sigonii tractatu capite III., tum praecipue apud Spanhemium b).

Agnomina reperta cum ob causam similem, ut a familiis familiae distingueretur, tum etiam nulla necessitate honoris, aut ludicri ergo collata, ut: Calpurnius Piso *Frugi*, Cornelius Scipio *Africanus*, Cornelius Lentulus *Spinther*, Caecilius Metellus *Pius*.

§. IV.

De nominibus per adoptionem.

Romani adoptati sic in adoptantis gentem transivere, ut susceptis omnibus ejus nominibus suae gentis nomen postponerent, sed productum in ANVS.

a) L. IX. c. 29. b) Tom. II. p. 59.

Sic Aemilius Paullus a P. Cornelio Scipione adoptatus dictus est P. Cornelius Scipio *Aemilianus*. C. Octavius subinde Augustus, adoptatus a Caesare dictatore evasit C. Iulius Caesar *Octavianus*, et sic in numis: A. LICINIVS. NERVA. SILIAN*us*, et: T. QVINCTIVS. CRISPINVS SVLPICIANVS. Saepe tamen ab hac lege discessum. M. Iunius Brutus'is, qui Caesarem interfecit, adoptatus a Q. Servilio Caepione appellatus est Q. Caepio *Brutus*, retento nempe familiae suae cognomine, cum Q. Servilius Caepio *Iunianus* dici debuisset. Sic et Scipio, qui in Africa adversus Caesarem stetit, adoptatus a Q. Caecilio Metello Pio dicitur in numis: Q. Metellus Pius *Scipio*, non *Cornelianus*. Neque tamen in usurpandis nominibus, in quae successere, admodum fuisse religiosos constat. Idem Brutus adoptatus saepe in numis dicitur tantum: BRVTVS. IMP., et P. Clodius adoptatus a Fonteio ad vitae finem P. Clodius dici perexit. Productum etiam per adoptionem cognomen, ut ex Marcello *Marcellinus*, vide in numis Lentuli Marcellini gentis Corneliae.

§. V.

De mentione patris, et avi.

Patris, atque etiam avi nonnunquam mentionem in his numis legas, ut: P. CRASSVS. M. F. aut: C. ANNI. T. F. T. N. id est: T*iti* F*ilius* T*iti* N*epos*, qui mos apud Graecos quoque obtinuit, ut: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΤΟΥ. ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΥ. *Alexandri Neoptolemi F.* in numis Alexandri I. regis Epiri, item: ΖΕΥΞΙΣ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΤΟΥ. ΑΜΥΝΤΟΥ. *Zeuxis Apollonii F. Amyntae N.* in cistophoro Laodicensi apud Pellerinium [a]). Alius modus efferendi patris nomen, sed nonnihil ambiguus, est e. g. REGVLVS. F. id est: F*ilius*, de quo vide, quae dicentur in gente Curiatia.

a) Rec. II. p. 40.

CAPVT III.

De magistratibus in numis familiarum.

Horum varii in hac classe memorantur tam sacri, quam profani. Eccos:

Magistratus sacri.

PONT. MAX. in numis Lepidorum Aemiliae.

P. VENTIDI. PONT.

M. ANT. AVG. in numis M. Antonii. — Q. CORNVFICI. AVGVR. — M. SILANVS. AVG. gentis Iuniae.

L. LENTVLVS. FLAMEN. MARTIALIS. Corneliae.

L. CALDVS. VIIVIR. EPVL. Coeliae.

Magistratus profani.

SVLLA. COS. RVFVS. COS. Corneliae, et Pompejae.

P. LENT. C. MARC. COS. Corneliae, et Claudiae.

DOM. COS. ITER. Domitiae.

ALLIENVS. PROCOS. — ANNIVS. PROCOS. — Q. CAEPIO. BRVTVS. PROCOS. Iuniae. — MAGN. PROCOS. Pompeiae. Proconsules frequenter memorantur in numis peregrinis.

M. AQVINVS. LEG. Caeciliae. — M. SERVILIVS. LEG. etc.

P. CARISIVS. LEG. PROPR. vel: LEG. AVGVSTI.

PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT. EX. S. C. Pompeiae.

L. CESTIVS. PR. — A. HIRTIVS. PR. — L. REGVLVS. PR. Livineiae, quas literas alii legunt PR*aetor*, alii PR*aefectus*.

BALBVS. PROPR. Corneliae. — M. CATO. PROPR. Porciae.

C. CLOVI. PRAEF. — L. PLANCVS. PRAEF. VRB. Munatiae.

P. FOVRIVS. CRASSIPES. AED. CVR. — M. PLAETORIVS. AED. CVR. — P. HYPSAEVS. AED. CVR. Plautiae. — A. PLAVTIVS. AED. CVR. — GALB. AED. CVR. Sulpiciae.

M. FANN*ius* L. CRIT*onius* AED. PLEB. — MEMMIVS. AED.

Q. LVTATI. Q. id est: Q*uaestor*, qui magistratus in his numis obvius.

TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. Q. DESIG. — Q. VOCONIVS. VITVLVS. Q. DESIGN.

NERI. Q. VRB. *Quaestor* VRB*anus*. Neriae.

PISO. CAEPIO. Q. AD. FRV. EMV. *Quaestor* AD. FRV*mentum* EMV*ndum*, Calpurniae, Serviliae.

L. MANLI. PRO. Q. id est: PRO. Q*uaestor*, et sic in pluribus.

L. GELL. Q. P. Gelliae. — M. NERVA. PROQ. P. Liciniae. — M. SILA-

NVS. AVG. Q. PROCOS. Iuniae. Vide plures similes, eorumque explicationem in Cocceia, et alibi.

LENT. CVR. X. F. EX. S. C. id est: CVR*ator denariorum Flandorum.* Corneliae.

IIIVIR. vel IIIIVIR. A. A. A. F. F. nempe IIIviri, vel IIIIviri monetales, de quibus capite sequente.

His adde, etsi magistratus non sit: IMP. titulus obvius. — IMP. ITER. Sulla, Sex. Pompejus.

CAPVT IV.

De IIIviris, et IIIIviris monetalibus.

Qui fuerint inde a Servio Tullio, primisque reip. temporibus rei monetariae praefecti, et quo magistratus nomine, memoriae proditum non est. Quando instituti fuerint IIIviri monetales, deinceps ex numis abunde cogniti, unus memorat Pomponius [a]): *constituti sunt eodem tempore - - - et IIIviri monetales aeris, argenti, auri flatores, et IIIviri capitales, qui carceris custodiam haberent etc.* Ex mentione *capitalium* etiam aetatem monetalium adsequimur. Ait Livius in Epitome libri XI. *Triumviri capitales tunc primum creati sunt*, quod incidit circiter in annum V. C. 465. Si verum est, quod de IIIviris monetalibus refert Pomponius, cum addat, quoque *argenti* et *auri*, quando teste Plinio argentum nonnisi V. C. 485, et aurum multo serius signari coepit, sequitur, Pomponium aut locutum πϱοληπτικως addendo utrumque nobile metallum, aut latam quidem tum eam legem, sed executionem spectato auro argentoque dilatam.

IIIvirorum monetalium per jocum meminit Cicero in epistola ad Trebatium [b]): *Treviros vites censeo; audio capitales esse, mallem auro, aere, argento essent.* Scripta est haec epistola circa annum V. C. 700, quo tempore Trebatius I. Caesarem sectatus prope Treviros Galliae Belgicae stetit, unde lusus in voce *Treviri* sensus duplicis.

Fugit Vrsinum testimonium Pomponii, quando opinatus est, IIIviros Ciceronis tempore, vel paullo ante creatos fuisse [c]). At nihil molestius Vaillantio, qui cum alias adsereret [d]), IIIviros non fuisse institutos ante I. Caesaris

a) De Orig. jur. leg. 2. §. VI. b) L. VII. ep. 13. c) in Gente Cornel. tab. I. d) in praef.

dictaturam, alio loco [a]) V. C. 667. a Mario Gratidiano praetore creatos statuit, atque idem variis per opus suum locis sui omnino oblitus passim IIIviros monetales agnoscit in numis, qui ejus ipsius confessione multo ante tempora Gratidiani percussi sunt. Vt omnes tres sententiae una consistere non possunt, sic prima certe falsa tam ex oratione Pomponii, quam citata Ciceronis epistola, in qua, quinque saltem ante Caesaris dictaturam annis scripta, jam hos memorari IIIviros vidimus. Quod vero de Gratidiano memorat, nihil ad praesentem causam pertinet. Plinii verba sunt [b]): *Miscentur aera falsae monetae. Alii e pondere subtrahunt - - Igitur ars facta denarios probare, tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit.* Cicero, qui idem factum refert [c]), legem a Mario latam ait, *ut res numaria de communi sententia constitueretur. Iactabatur enim*, continuat idem sed quae sententia eruditis videtur intrusa, *temporibus illis numus, sic ut nemo posset scire, quid haberet.* Nihil in utroque auctore de praepositis modo IIIviris, tantum fraudibus cautum.

Cum hactenus tres numero essent, I. Caesar, qui magistratuum numerum auxit, ut pluribus posset referre gratiam, unum addidit. Factum istud haud dubie V. C. 709, nam in hujus primum anni numis ad hunc dictatorem pertinentibus pro IIIviris notantur IIIIviri, ut patebit ex hujus moneta. Narrat Suetonius de I. Caesare [d]): *Praeterea monetae, publicisque vectigalibus peculiares servos praeposuit.* Quam orationem ut conciliemus cum certis numorum testimoniis, qui auctum potius IIIvirorum numerum, quam ademptam iis monetae praefecturam, servisque traditam eloquuntur, dicendum erit, Caesarem servis non monetae signandae negotium, sed monetae publicae signatae custodiam mandasse, quod ipsum ibi in spreti patrii moris exemplis refertur, cum, quod quaestorum fuit in servos transtulit. IIIIviri etiam scribi perrexerunt in numis IIIvirorum R. P. C. nomine signatis. Amplus deinde hiatus, magistratu monetali per sequentes proxime annos nomen suum in moneta publica reticente. Ternarium numerum restituit Augustus docente istud primum Dione, cujus verba infra recitabo, deinde numis. Quo istud anno factum, tuto adfirmari nequit. Aquillius, Caninius, Durmius, Petronius, quorum numi signati sunt V. C. 734, aut proximis, sese IIIviros appellant. Vtrum anteriore quopiam anno haec mutatio contigerit, ignoratur.

Quo loco Romae fuerint hi monetae praefecti narrat Dio ad annum V. C. 741 [e]). Postquam enim dixisset, Augustum ex equitibus legisse XX viros, qui obitis primum inferioribus muneribus adspirare deinde ad senatoriam dignitatem possent, inter eos etiam praeter IIIviros capitales enumerat τȣς τϱεις,

---

a) Pag. 388. b) L. XXXIII. §. 46. c) Offic. L. III. c. 20. d) Cap. 76. e) L. LIV. §. 26.

τȣς το τȣ νομισματος κομμα μεταχειριζομενȣς, *tres signandae monetae negotium gerentes.* Iam vero cum referente Tacito a) Tiberius petierit a patribus, ut Nero Germanici F. *munere capessendi XXviratus solveretur, et quinquennio maturius, quam per leges, quaesturam peteret*, constet autem, ut Lipsius ad hunc ipsum Taciti locum probat, non licuisse adire quaesturam ante aetatis annum saltem vigesimum quintum, eo ipso, quod quinquennium Neroni demptum volebat, colligimus, jam aetatis anno XX. licuisse adire XXviratum monetalem. Vnde recte Ovidius, cum vitam suam describit, ait b):

Coepimus et tenerae primos aetatis honores,
Eque VIRIS quondam pars TRIBVS una fui,

quo munere exacto: *Curia restabat etc.* sed cui Musarum otium antetulit. Ex quo patet, qui IIIvir monetalis fuit, eundem et XXvirum potuisse dici, ut revera in marmore Sponii legitur XXVIRO. MONETALI c). Fuit igitur XXviratus, etsi magistratus inferior, sed tamen talis, per quem ad majores in rep. honores enitendum fuit, quod non modo ex citato Taciti loco vidimus, sed etiam ex Dione docemur narrante d), a Claudio jussos L. Iunium Silanum, et Cn. Pompejum Magnum generos suos inter XX. viros magistratum gerere, iisque sero tandem permissum, ut quinquennio maturius ceteros magistratus peterent. Adde marmora bina a Marinio e), et Grutero f) vulgata, quorum illud Iulium Proculum, hoc Q. Hedium post recitatos alios illustres magistratus in fine vocat IIIVIRum A. A. A. F. F. Constat autem, marmora in recensendis magistratibus plerumque servare ordinem temporum, sic ut, quos quis postremos obivit memorentur primi, a quibus vero coepit, postremi. Quare mirum non est, nobilissimarum gentium nomina inter IIIviros monetales legi, qui et ipsi, ut vidimus, XXviris contributi fuere. Et secundum haec explicandi haud dubie sunt denarii:

Caput Octaviani. X TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. IIIIVIR. Q. DESIG.

Caput I. Caesaris. X Q. VOCONIVS. VITVLVS. Q. DESIGN.

nempe Sempronius, et Voconius fuere IIIIviri monetales, et in hoc magistratu constituti, et jam ad quaesturam designati hos curarunt denarios feriundos.

Annuum fuisse hunc magistratum passim adfirmant Vaillantius, et Havercampus. Posterior sic in praefatione g): *neque anni unius spatium excedebat.* Sed haec temere adserta nullo potuere argumento stabilire, quin quanto sese incommodo statuenda hac lege obligaverint, apparet ab anxio conatu, quo ex laqueis sibi a Mescennio IIIviro objectis evadere nititur Havercampus h), de quo vide, quae in numis Augusti anni V. C. 738 disseram.

---

a) Ann. III. c. 29. b) Trist. L. IV. el. X. v. 33. c) Misc. p. 189. d) L. LX. §. 5.
e) Iscriz. Alban. p. 54. f) pag. 417. 5. g) pag. 9. h) pag. 279.

Magistratus hic indicatur addito IIIVIR, vel inde a I. Caesare: IIIIVIR. In denario Cossutii: C. COSSVTIVS. MARIDIANVS. A. A. A. F. F. id est: *A*uro *A*rgento *A*eri *F*lando *F*eriundo. In aeneis Augusti obvium: IIIVIR. A. A. A. F. F. Quanquam verisimile sit, non semper additam a IIIviris magistratus sui mentionem, ut dicetur capite sequente.

Notandae adhuc formulae: IIIIVIR. PRI. FL. in Flaminia, id est: PRI*mus* FL*avit*, etsi hanc esse veram explicationem, spondere nolim, ut in ejus gentis numis dicetur. Item: IIIVIR. A. P. F. in aureis Livineiae, et Mussidiae, id est: A*uro* P*ublice* F*eriundo*, melius visum Khellio: A*d* P*ecuniam* F*eriundam* a). Quorsum referendum A. PV. vel ARG. PVB. vel P. A. vel EX. A. P. vel EX. A. PV. scripta in area denariorum Luciliae, Tituriae, Sentiae, Critoniae, Fabiae, Fonteiae, quo indicatur, materiam signandae monetae ex publico praebitam. Praeter morem est: LEN. CVR. X. FL. EX. S. C., quo docemur, eos, quibus monetae cura commissa fuit, etiam CVR*atores* X. (denariorum) FL*andorum* dictos.

Augustum sibi adrogasse jus cudendae monetae aureae et argenteae, aere senatui permisso, in quo successoribus praeivit, ipsi inspecti imperatorum numi satis docent, et nos prolixe docuimus in Voluminis I. Prolegomenis generalibus cap. XIII. At cur Havercampus propterea IIIviros distinguat, et alios adserat fuisse Augusti, alios senatus, non satis video. Quin apparet ex numis aeneis, in quibus ad nomina IIIvirorum perpetuo additur A. A. A. F. F., uni eidemque IIIviro jus fuisse tam in aureos, et argenteos Augusti nomine, quam aeneos senatus nomine feriundos, atque istud rite comprobatur exemplo M. Sanquinii, qui aeque argenteos cum Augusti capite, atque aeneos addito S. C. flavit, qui scopulus cum advertisset Havercampum, scite declinavit periculum adserendo b): *cusos fuisse diversis temporibus, cum non potuerit uno eodemque anno et Caesaris, et senatus IIIvir existere.* At hoc ipsum erat probandum, et sola nititur conjectura. Secundum hanc suam distinctionem utriusque ordinis IIIvirorum catalogum nectit c), sed plenum sphalmatis, et conjecturis; nam inter hos adlegit L. Antestium Graccum, cujus tamen denarios ipse in commentariis fatetur cusos tempore belli Punici II., C. Caninium Gallum ex una Goltzii merce cognitum etc.

IIIvirorum, aut cujuscunque magistratus nomina numis Romanis imperante Augusto inscribi desivere. Vix credam, ultra annum V. C. 740 horum aliquem monetae amplius insertum, ut patebit ex numis Augusti.

Dabimus nunc catalogum IIIvirorum monetalium stante rep. et IIIIvirorum I. Caesare, et IIIviris R. P. C. rerum potitis, sed in quo eos tantum comprehendo, qui IIIviri vel IIIIviri dignitatem addunt; nam de aliis, qui eam omittunt, minus certi sumus, fuerintne

a) Supplem. ad Vaill. p. 8. b) pag. 373. c) in Praef. p. 11.

ıonetae praefecti, ut dicetur capite seuente.

IIIviri monetales:

NV. ACILIVS. IIIVIR.
T. CARISIVS. IIIVIR.
CALDVS. IIIVIR. Coeliae.
RVFVS. IIIVIR. Cordiae.
P. FONTEIVS. P. F. CAPITO. IIIVIR.
GETA. IIIVIR. Hosidiae.
L. PAPIVS. CELSVS. IIIVIR.
Q. SICILIVS. IIIVIR.

IIIIviri monetales.

L. AEMILIVS. BVCA. IIIIVIR.
C. COSSVTIVS. MARIDIANVS. A. A. A. F. F.
L. FLAMIN. CHILO. IIIIVIR. PRI. FL.
L. REGVLVS. IIIIVIR. A. P. F. Livineiae.
L. MVSSIDIVS. T. F. LONGVS. IIIIVIR. A. P. F.
TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. IIIIVIR. Q. DESIG.

IIIviros monetales, qui his successere, quaere ad calcem numorum Augusti.

C A P V T V.

An ad solos IIIviros pertinuerit monetae negotium.

Vaillantius potestatem feriundae monetae non modo cum consulibus, praetoribus urbanis, aedilibus curulibus et plebejis, tribunis plebis, sed et cum IIIviris mensariis, sacris conquirendis, donis persequendis, aedibus reficiendis etc. communicat. Huic liberalitati acerrime adversatur Havercampus, propterea quod, ut ait a), liquido constet, in urbe ad solos quaestores urbanos, et praecipue IIIviros, et IIIIviros monetales eam curam pertinuisse, quam ille regulam per totum opus suum ad fastidium inculcat. At cum contrariis sese exemplis non uno loco premi videret, eam aliquoties mitigat docendo v. g. ad numum: P. GALB. AED. CVR. S. C., extraordinariam cudendae monetae potestatem aedili datam b). Ad numum M. Marcelli, et Cn. Domitii ait c):

a) Praefat. p. 7. b) pag. 403. 443. c) pag. 91.

patet cusum fuisse V. C. 585, quo simul aediles curules fuerunt. Alibi omnes denarios nomine Pansae inscriptos ab hoc signatos adserit, cum esset consul V. C. 711, etc. Sed quod idem ante benigne indulserat, mox iterum antiquat. Sic cum olim concederet [a]), M. Scaurum, et P. Hypsaeum in aedilitate signasse numos, istud iterum pernegat [b]). Eodem modo, quod C. Clodio aedili non invitus permisit [c]), mutata sententia rursum adimit, addito: *aedilium non erat signare pecuniam* [d]). Taedet plura consarcinare exempla. Adeo praestiterat, non ferre legem, quam legislator ipse toties cogitur infringere.

Credo, distinctione obvia omnem posse difficultatem tolli. Negari nequit, fuisse IIIviris demandatam monetae feriundae curam. At cum videamus, numis persaepe inscriptos praetores, aediles curules, et plebejos, quaestores, aliosque, eo existimo indicari, his seu in belli usus, seu ludos, seu frumentum emundum, seu reficiendas aedes, seu expeditionem bellicam etc. ex aerario suppeditatum argentum, ab his traditum IIIviris monetalibus signandum suo praetorum, aedilium etc. nomine. Istud perspicuum fit eo, quod tum frequenter addi solet S. C. vel: EX S. C. Quod cum factum, IIIviri monetales aut solum praetoris, aedilis etc. nomen in numo expressere, aut illi suum quoque addidere, cujus exemplum illustre, et forte unicum sufficit denarius, qui hinc inscribitur: C. COPONIVS. PR*aetor* S. C., illinc: Q. SICINIVS. IIIVIR. Eadem ratione quaestores provinciales jam suum ipsorum nomen solum, jam una proconsulis sui memorant, ut in denariis Anniae hinc: C. ANNI. T. F. T. N. PROCOS. EX. S. C. illinc: Q. TARQVITI. P. F. *Quaestor.* Hinc est, quod juxta Fannium, et Critonium aediles plebejos adscriptum videamus, P. A., nempe: *Publicum Argentum*, ex publico ad frumentum emundum erogatum, ex quo cusi denarii aedilium nomine, qui, cum superioris ordinis essent magistratus, poterant ad imperata facienda adigere IIIviros monetales, quorum magistratus primus erat ad altiorem capessendum gradus.

Ex quibus colligo, certos nos esse non posse, nomine in his numis signato notari IIIvirum monetalem, nisi cum vel tria conjuncta leguntur nomina, ut: AP. CL. T. MA. Q. VR. vel: C. F. L. R. Q. M., quo modo vetustioribus reip. temporibus IIIviros notari solitos verisimile est, vel additur IIIVIR, vel IIIIvir, aut denique instrumenta proponuntur ad feriundos numos adhiberi solita, ut in gente Carisia. Qua in re video, parum saepe fuisse circumspectos antiquarios, qui, cum primum nomen solitarium nulla addita magistratus mentione conspexere, plerumque in eo IIIvirum monetalem viderunt, quod vel ex solis I. Caesaris nondum dictatoris numis refellitur, in quibus saepe aliud non scribitur, quam CAESAR, quem fuisse tum IIIvirum monetalem vix quispiam probaverit.

---

a) Pag. 8. b) pag. 640. c) pag. 94. d) pag. 654.

Quod in Caesaris numis fallit, fallere etiam in aliis potest. Omnium vero minime videntur esse nomina IIIvirorum, cum additur, S. C. vel EX. S. C. Istud eo patescit magis, quod in numis iis, quos ab adductis mox exemplis satis certum est a IIIviris cusos, nunquam videre licet IIIVIR. aut IIIIVIR. EX. S. C. Quare ubi ea nota additur, signum est, nomine inscripto notari alium magistratum, cujus quidem mentio raro omittitur.

Ex quo consequitur, omnibus his omissis, qui alterius sunt magistratus, quorum ingens est copia, pauca pro tanto denariorum numero restare nomina, quae in IIIvirorum monetalium catalogum legi possint. Sane si IIIviris permissum fuisset, constante lege, ac pro libitu nomine suo ferire monetam, magis varia sese eorum nomina deberent nobis offerre, non solum quod inde ab anno V. C. 465, quo eorum conlegium diximus esse constitutum usque ad ipsum Augusti imperium, post quem nulla amplius eorum leguntur nomina, atque adeo per tria fere saecula monetae signandae erant praefecti, verum etiam quod eodem tempore fuere tres diversi, et anno exacto, si modo verum est, quod adserit Havercampus, tres alii ad monetae negotium admoti fuere. At vero integris jam duobus saeculis, ex quo primum a Goltzio, et Vrsino familiarum numi collecti, et in lucem dati fuere, vix unus alterve denarius prolatus est, qui IIIvirum novum, et antehac ignotum sisteret. Ex quo saepe suspicari subiit, jure, an injuria, alii viderint, non constanter Romae ac certa quadam lege, et quotannis cusam fuisse monetam, verum sive cum prior deficeret, sive cum bella ingruentia, aut extraordinarii quidam apparatus praesentem, ac majore quidem copia monetam flagitarent, tum ex S. C. demandatam praetoribus, aedilibus, quaestoribus novae monetae feriundae provinciam. Quam sententiam non obscure videtur confirmare incredibilis numerus unius generis denariorum ab *uno* Calpurnio Pisone, aut Antonio Balbo, aut Roscio Fabato, aliisque signatorum, quibus musea omnia referta sunt. Quin et delatum hoc extra ordinem negotium videntur indicare denarii Cn. Lentuli, qui idem argumentum continent, sed quorum alii inscribuntur: CN. LEN. Q*uaestor* EX. S. C., alii: LEN. CVR*ator* X*ariorum* FL*andorum* EX. S. C. Exemplum signatae in usum belli Mithridatici monetae Lucullеae dabo capite sequente.

Havercampus, qui, ut diximus, in re monetaria omnia IIIviris, nihil aliis indulsit, eam tamen imperante I. Caesare octo praefectis subjecit, qua veri specie, dicetur in numis gentis Cestiae.

CAPVT VI.

An, et a quibus extra urbem signati numi Romani.

Cum ex lege ordinaria in urbe tantum moneta rep. integra feriretur, factum nonnunquam aut casu, aut certa aliqua ratione, ut externus quoque malleus numos fingeret, quos Romanos, et familiarum jure dixeris, quia spectato pondere, et typis Romanum modum servant, et ab inscriptis familiarum nominibus Romanos se palam profitentur. Casui tribuas copiosos numos per causam bellorum civilium necessario peregre flatos, quos inter numeraveris denarios Metelli Scipionis, qui V. C. 707 in Africa bellum adversus Caesarem instauravit; neque enim feriri poterant in officinis urbis, quas Caesar tenebat. Iam vero biennio ante per similem causam signati foris denarii inscripti: L. LENT. C. MARC. COS., nempe L. Lentuli, et C. Marcelli consulum, quos Caesar transito Rubicone una cum Pompejo excedere Italia, et in Graeciam transferre bellum coepit. Signatos Apolloniae Illyrici, verisimile est, praeferente facem Cicerone. Narrat is in epistola ad Plancum a): *hujus* (Capitonis) *propinquus fuit T. Antistius, qui cum sorte quaestor Macedoniam obtineret, neque ei successum esset, Pompejus in eam provinciam cum exercitu venit.* Postquam deinde excusasset Antistium, cur a Pompejo ad Caesarem non transiverit pergit: *cum signaretur argentum Apolloniae, non possum dicere, eum praefuisse, neque possum negare adfuisse, sed non plus duobus aut tribus mensibus.* Eodem modo per varias urbes Graecas signatos fuisse numos Bruti, et Cassii, ipsa eorum tempora manifeste docent, cujus facti certa proferam exempla in numis hujus Bruti. Huc etiam quodammodo pertinet, quod ad versum Virgilii 684 libri VII. *quos dives Anagnia pascis*, notat Servius: *dives Anagnia, aut fertilis, aut alludit ad historiam. Nam Antonius Augusti sorore contempta, postquam Cleopatram duxit uxorem, monetam ejus nomine in Anagnia civitate jussit fieri.* Istud si verum, necesse est, officinam Anagniae constitutam fuisse aliquo tempore ante, quam inimicitiae Antonii et Octaviani in apertum bellum erumperent. Adde denarios Labieni Roma-

a) L. XIII. ep. 29.

norum hostis, item quinarios Antonii inscriptos LVGVD*unum*.

Ex certa aliqua ratione alibi signatos numos docet Plutarchus a). *Sulla*, inquit, *Luculli opera nunquamnon est arduis in rebus usus, sicut etiam in cudendo numismate. Maximam enim ejus numismatis partem, quod ad bellum Mithridaticum est in Peloponneso factum, Lucullus signavit, a quo Lucullea est dicta.* Sed neque deficiunt testimonia numismatica. Oscae Hispaniae signatos denarios, et quidem ex S. C. a Lentulo Spinthere, et Domitio, ex singulorum numis patebit; idem apud Emeritam Lusitania factum a P. Carisio legato Augusti, in hujus denariis dicetur. Taceo exempla alia, ex quibus idem factum erui potest.

Non uno loco monet Havercampus, denarios, qui vocabulum ROMA. juxta scriptum non habent, extra urbem fuisse percussos, cui legi refutandae non inhaerebo, cum quod multis eam locis aperte fallere constet, tum quod vir eruditus ejus immemor non raro ipse aliud docet, cujus exemplum luculentum habes in Egnatuleia.

Cum pecunia in provinciis signabatur, ea cura haud dubie ad quaestores pertinuit, quod et Ciceronis verbis mox laudatis confirmatur, ac tum a quaestoribus idem fuit constitutum, quod in urbe a IIIviris. Nam aut sua tantum inscripsere nomina, aut proconsulis, seu propraetoris, cum quibus in provinciam missi sunt, aut nomen suum junxere cum nomine proconsulis. Hujus exemplum offerunt numi gentis Anniae, in quibus hinc: C. ANNIVS. PROCOS., illinc: Q. TARQVITI. Q*aestor*.

CAPVT VII.

De epigraphe in numis familiarum.

Nomine epigraphes intelligo, quidquid literarum cujuscunque modi et explicatus in his numis occurrit. Ejus multiplicem rationem in plures paragraphos dispesco.

a) In Lucullo p. 492.

§. I.

Epigraphes lex ordinaria.

Praecipuam ejus partem constituunt inscripta familiarum nomina. De magistratus vocabulis, quae saepe adduntur, egimus capite III.

Inscribitur familia aut solo cognomine, ut: KALENI. in Fufia, aut solo nomine gentili, ut NERI., aut nomine, et cognomine, ut: PETILLIVS. CAPITOLINVS, aut praenomine, et nomine, ut: A. HIRTIVS, aut praenomine, et cognomine, ut: L. SVLLA, aut junctis omnibus tribus nominibus, ut: L. MESCINIVS. RVFVS. Postremus hic casus, et frequentius quidem in denariis vetustioribus, eam legem obtinet, ut cognomen scribatur in antica ut: COTA, praenomen et nomen in aversa, ut: M. AVRELI., atque tum semper tria nomina sunt conjungenda ad unam eandemque personam pertinentia. Perperam igitur Havercampus denarium, in cujus antica est GRAC., in aversa: L. ANTES., in duas personas dividit, nempe in Sempronium GRAC*cum*, et L. ANTES*tium*, cum sit unius L. Antistii Grac - - quomodocunque hoc cognomen explendum sit, ut in hac gente dicetur. Sane generalis haec regula uno alterove tantum loco fallere videtur, reipsa non fallit. Sic in denario, in cujus antica est: LAECA, in aversa: P. MAE. ANT., antica haud dubie quidem ad gentem Porciam pertinet, ut aversa ad Maeniam, sed is aut subaeratus est, aut temere permutatae sunt matrices. Idem existima de numo Morelliano, in quo hinc est RVFVS, illinc Q. POMPONI. MVSA, nimirum perperam conjunctus est Pomponius Rufus cum Pomponio Musa ut typos Morellianos inspicienti continuo patebit.

Si in una numi facie, et in una eademque linea scribatur praenomen et nomen familiae, tertium, aut etiam nonnunquam quartum nomen, quod sequitur, non sunt nomina alterius gentis, sed cognomina ejus gentis, cui adduntur. Haec regula non observata in fraudem impulit. Sic Havercampus epigraphen C. TER. LVC. legit: C. *Terentius*, *Lucretius*, cum legendum sit: LV*Canus*, nempe cognomen Terentiae, ut in hac dicetur. Sic idem epigraphen P. MAE. AVT. (vel ANT.) ME. explicat: *P. Maenius*, *Autronius*, *Metellus*, cum sint nomina unius personae P. Maenii Antiatici Me - - - ut advertam infra in gente Maenia.

ROMA saepe familiarum nominibus additur, et quidem in denariis vetustissimis, et vetustioribus; in iis, qui sunt reip. inclinantis, abesse solet. Ait Vaillantius [a]), et sexcentis locis Havercam-

a) Praef. §. VI.

pus, eam vocem additam indicare numum in urbe signatum, omissam in provincia. Haec lex jam primum eo fallit, quod, ut dixi, in numis recentioris aevi ea vox abest; deinde nescio, cur numi, etsi in provincia, tamen a magistratu Romano signati, non potuerint se Romanos profiteri, quando moneta Romana sine dubio fuerunt, praecipue cum, ut sectione I. cap. VI. vidimus, in numis etiam peregrinis vox ROMA non raro legatur, nimirum quo populi subjecti suum cum urbe dominante nexum voluerunt testari.

§. II.

Compendia scripturae.

Compendiis scripturae usi sunt Graeci aeque, ac Romani, neque in numis modo, sed et marmoribus inscribendis. Eorum ratio non una, ut sequentes modi indicabunt.

Per siglas.

Omitto minus arcta compendia pluribus literis constantia, et vel tironibus cognita, ut: DICT. — AED. CVR. — TR. MIL. etc. aut trita illa P. R. — S. C. Obvium etiam est COS. pro CONS. omisso N ἀρχαϊκῶς. Sic in marmore pervetusto; COSOL. CESOR, pro CONSVL. CENSOR [a]). Minus obvia sunt alia, in quorum plerisque sensum tenêmus certum, in nonnullis tamen ambiguum, et necdum satis exploratum. Vocatur autem *sigla* vel *siglum* scriptura, quae vocabulum sola ejus litera principe absolvit.

A. A. A. F. F. A*uro* A*rgento* A*eri* F*lando* F*eriundo*, in obviis aeneis Augusti, et in denario Cossutii.

A. C. A*bsolvo* C*ondemno*, Cassii Longini.

AN. XV. PR. H. O. C. S. AN*norum* XV. PR*aetextatus* H*ostem* O*ccidit*, C*ivem* S*ervavit*, Aemilii Lepidi.

A. P. F. — A. PV. — ARG. PVB. — EX. A. P. Has formulas explicui supra capite IV.

C. F. L. R. Q. M. in denario, quem Morellius in gente Fabia recitat. Quorum his literis IIIvirorum nomina indicentur, incertum.

D. P. P. D*ei* P*enates*, Sulpicii.

D. S. S. explicatione ambigua. Vide Cassiam, et Quinctiam.

F. P. R. F*ortuna* P*opuli* R*omani*, Arrii.

G. P. R. G*enius* P*opuli* R*omani*. Cornelii Lentuli.

G. T. A. G*enius* T*utelaris* A*fricae*, Caecilii Metelli.

a) Piranesi Monum. Scip.

I. S. M. R. *Iuno Sispita Magna Regina*, Thorii.

L. D. *Libero Damno*, Coelii.

O. S. C. *Ob Cives Servatos*, Aquillii.

P. P. *Penates*, Fonteji.

Q. C. M. P. I. *Quintus Caecilius Metellus Pius Imperator.*

Q. P. *Quaestor Propraetore*, secundum alios: *Quaestor Provinciae*. Vide, quae de harum lectione literarum diximus Vol. IV. p. 248.

S. C. D. T. sensu incerto, Volteji.

S. F. sensu incerto, Petillii.

V. *Vti*, vel *Veto*. Incertum. Cassii Longini.

Per mognogrammata.

Nomine monogrammatis intelligimus literas sic colligatas, ut unus earum ductus pluribus sufficiat. Ejus exempla in hac numorum classe sunt obvia, defecere sub Augustis, revocata in monetam infimi saeculi, et Gothorum Italiae regum, deinceps in numis, et sigillis medii aevi potissimum valuere. En maxime illustria in numis nostri argumenti exempla, quae in aere incisa exhibet adnexa tabula aenea, et hoc loco explicantur.

1. Pro VR in denariis gentis Aburiae.

2. Pro MAN., quibus literis indicatur praenomen Manii, in numis Aciliae, Aemiliae, Aquiliae.

3. Pro TV in vocabulo Vale*tu*do, Aciliae.

4. Pro VT in numis Aeb*ut*iae.

5. Pro NT. in vocabulo Po*nt*, Aemiliae.

6. Pro ANTE. in numis Antestiae.

7. Pro AL in vocabulo 'B*al*bus, Antoniae.

8. Pro L. APuleius.

9. Pro AT., in numis Atiliae, pro TA in vocabulo Lime*ta*nus, Mamiliae.

10. Pro AVFidius.

11. Pro AVRelius.

12. Pro METellus gentis Caeciliae.

13. Pro AP. in vocabulo APollo, gentis Caesiae.

14. Pro CALPurnius.

15. Pro VD in vocabulo Cla*ud*ius, gentis Claudiae.

16. Pro ALD, in vocabulo C*ald*us, gentis Coeliae.

17. Pro CRITonius.

18. Pro NATVL. gentis Egnatuleiae.

19. Pro CN. FOVLvius.

20. Pro TVB*ero* gentis Hostiliae.

21. Pro TIL. in numis Hos*til*iae.

22. Pro ITALia, gentis Muciae.

23. Pro VETurius.

24. Pro IB in V*ib*ia.

25. Pro ΠA in Fabia.

26. In tribus his formis includuntur literae constituentes vocabulum Roma. Prima exstat in denariis Marciae, altera in semisse musei Caesarei, tertia obvia in denariis Calpurnii Pisonis Frugi.

§. III.

Archaismi.

Archaismus est vetus loquendi, scribendive ratio, quae sensim exolevit. Ejus multa vestigia in numis Graecis, et Latinis. Sed in Latinis post Augustum raro reperias. Quare de his hoc loco commodissime agitur. Consistunt autem archaismi nostri argumenti I. in forma literarum, II. in verbis vario modo scriptis.

I. De literarum forma haud multa erunt observanda. Neque enim in his innovare tam libuit Romanis, quam istud placuit Graecis. Quare et pauca erunt exempla, quae ex numis potui conferre, neque multo plura reperiet is, qui eorum numerum augere ex marmoribus, aut monumentis aeneis vetustissimis volet. Non enim continuo diversam literae formam dixero, si quis lineae ductus aliquanto plus, minusve porrigatur, inclinetur, incurvetur. Pauca specimina habes in tabula aenea paullo altius proposita, quorum nunc domicilia, in quibus habitant, indicabo.

A.

Num. 1. Exstat in numis consularibus aeneis et argenteis musei Caesarei. Consulares autem, ut alias, hoc loco et deinceps voco eos numos, qui stante republica, et consulum dominatu signati sunt, neque familiae nomen inscriptum offerunt, et plerumque familiarum numos aetate praecedunt. Exstat etiam in insigni aureo consulari ejusdem musei cum typo foederis porca percussa initi. Extra numos comparet in vetustissima inscriptione sepulcrali, quam vulgavit Lanzius in suo *Saggio di lingua Etrusca* Tomo I. pag. 162, et in aere expressam dedit tabula II. num. XIII.

Num. 2. Hanc formam non raro reperi in aeneis consularibus. Non differt a praecedente, nisi quod lineola media alteri adfixa cruri deorsum vergit.

Num. 3. In lineolae locum succedit punctum inter duo crura positum, qui modus non modo Romanis altiore aevo placuit, ut videre est in eorum assibus consularibus, quin et nonnullis denariis consularibus, sed et vicinis Volscis, ut docet tabula aenea musei Borgiani abhinc annos X. reperta, et inscriptionem Volscam continens.

Num. 4. Lineola media in formam v curvata cum utroque latere jungitur. Obvius est hic modus non modo in assibus consularibus, sed etiam hujus classis argenteis, quin et in denariis Atilii Sarani.

Num. 5. Excepi hanc formam ex asse gentis Saufeiae, quem dedit Morellius. Differt a modo primo, quod linea media per crus dexterum continuatur.

G.

Num. 1. Ejusdem omnino cum tertia alphabeti litera formae. Sed ejusdem etiam formae fuit Γ in vetustissimo Graecorum alphabeto testibus numis antiquissimis Agrigenti, et Gelae, inscriptis: AKPACANTOΣ, et CEΛAΣ, neque adeo dubium, hanc formam a Graecis fuisse petitam. Atqui constat de adfinitate literae C cum Γ Graecorum, et G Latinorum. In inscriptionibus Romanis antiquissimis raro videas scriptum C pro G. Comparet sic in columna rostrata Duillii, ut: CARTACINIENSIS pro CARTHAGINIENSIS. Ad numos quod attinet, hanc formam non reperi in numis consularibus seu argenteis, seu aeneis. Invaluit tamen serius; nam legitur in denariis M. Lepidi: TVTOR. RECIS pro REGIS, et passim in denariis M. Antonii AVCVR pro AVGVR, item in quibusdam denariis Livineii Reguli, et Sulpitii Galbae.

Num. 2. Hujus formae G occurrit saepe in aureis argenteisque M. Antonii, ut videre praecipue est in ejus numis legionariis.

L.

Num. 1. Obvia forma in assibus, et denariis gentis Atiliae, tum et aliis. Sic etiam perantique scribitur Lambda alphabeti Graeci, et vidimus eandem formam in numis Etruscis, Samniticis, Oscis.

Num. 2. 3. Nolim adfirmare, utramque hanc formam valere literam L, istud tamen certum esse positam pro L nota arithmetica, significante *quinquaginta*, ut patet ex numeris, qui sunt obvii in denariis gentium Claudiae, Crepusiae, Mariae, Calpurniae Pisonis, aliarumque. Vide, quae de his formis jam disputavimus Sectione I. cap. VI. pag. 45. Nota numeri 3 in alphabeto Etruscorum, et in pervetusta tabula aenea Graeca musei Borgiani ponitur pro *Chi*.

P.

Vterque hic modus obvius in numis tam consularibus, quam familiarum. Ejusdem formae est etiam Π vetustius alphabeti Graeci.

V.

Hanc literam semper sibi constare video, praeterquam in denariis Pomponii Musae, in quibus vocabulum MVSA semper praefert V, ex cujus sinistro crure superne lineola procurrit, et quod singulare est, abest haec lineola ab V verborum HERCVLES, et MVSARVM, quae iisdem denariis inscripta leguntur. Fueritne istud factum ex certa aliqua linguae causa, an ex sola monetarii privata libidine, plane ignoro.

* * *

II. Archaismos in scribendis verbis offerunt exempla sequentia:

AI. pro AE. sic: AIMILIA, CAISAR. Item CONCORDIAI in Vinicia.

EI pro I, cum haec vocalis producitur, sic: PREIVER*num*, in Plautia, DEIDI*us* — PREIMVS in Memmia, OPEIMI*us*, SERVEILI*us* — LEIBERTAS in Cassia, et alibi. Insolentius est CASSEI*us* pro CASSI*us*, quia I in hoc verbo corripitur; sed scripsere etiam veteres *ubei*, *ibei*, *sibei* pro *ubi*, *ibi*, *sibi*, quamvis I in his vocabulis corripiatur etiam.

H aspirata exclusa. Sic in denariis Flaminiae antiquae formae constanter CILO, at in junioribus sub I. Caesare CHILO. — PILIPVS in Marcia, TRIVMPVS. in Papia. TAMPILVS in Baebia. GRACCVS in Sempronia. YPSAE. pro HYPSAEVS in Plautia. Aspirandi licentiam copiosius invaluisse circum tempora Ciceronis, patet ex Catulli carmine 84, et Quinctiliano. (Instit. L. I. c. 9.) Sed vide, quae notabo ad denarios Clodii Pulchri.

K pro C, ut: PALIKANVS, in Lollia. KALENI in Fufia.

O pro AV, sic FOSTLVS. pro FAVSTVLVS. in Pompeja, quanquam in multis vocabulis O pro AV fuerit νεωτερισμος, sic qui olim fuere Claudii, serius facti sunt Clodii, de quo vide plura infra in gente Claudia.

OI pro OE, ut: COIL. in Coelia.

OV pro OE, sic: CLOVLI. in Cloulia. Item OV pro V, ut: FOVLVI*us*, FOVRI*us*.

Q pro C, sic QVM pro CVM, in Antestia.

V pro Y, ut: ERVC. in Considia, SIBVLLA in Manlia.

V pro I, ut: MAXSVMVS in Egnatia.

XS pro X solo, ut PAXS in Aemilia Bucae, ALEXSANDREA in Aemilia Lepidi, AXSIVS — MAXSVMVS in Egnatia. Sic et HOC. SAXSVM in pervetusto monumento Scipionum, et passim alibi exempla alia.

Vocales, cum longae sunt, duplicatae, sic: VAALA in Numonia, et FEELIX in Cornelia Sullae.

Consona simplex, quam duplicavit posteritas; ut in SISENA, CINA, SVLA, RVFVS, PILIPVS. Romani olim non geminabant semivocales docente istud Quinctiliano [a]).

§. IV.

De solitariis literis alphabeti.

In hac numorum classe res obvia, videre solitarias alphabeti literas plerumque Latini, rarius Graeci, per numi aream vagantes. Quorum denarii eas

---

a) Iustit L. I.

pascant, longum foret recensere, et inutile. Commemorabo tantum varios modos, deinde verisimilem apud veteres earum usum.

Hae literae jam anticam, jam aversam insident ea lege, ut, quam semel partem iisdem monetarius destinaverat, eam constanter retineret. Variarunt tamen stationem numi Herennii, et Antonii Balbi.

In aliis, quae literae sunt in antica, eaedem redeunt in aversa. Vide numos Cornelii Lentuli Marcelli F., Crepereii, L. Iulii Caesaris, Poblicii, Titurii.

In aliis Latinae cum Graecis variant. Vide denarios Corn. Lentuli Marcelli F., et C. Fabii, et quinarios Catonis.

In aliis partem anticam occupant variantes literae, aversam notae arithmeticae, ut in numis Iulii Silani.

Variant literae cum notis arithmeticis in denariis Naevii Balbi.

Iunguntur plures literae nulla certa ratione, ut: MA. — CE. etc. in Iulia Bursionum.

Opulentiora musea nonnullorum integrum habent alphabetum. In museo Caesareo plenus est numerus in denariis Aelii Balae, Antonii Balbi, Cornelii Scipionis Asiagenis, Herennii, Iunii Silani, Thorii. Quo loco juvat advertere, postremam literam constanter habitam X, quae sequuntur Y et Z, in peregrinarum loco habitis, quae lex denariis Cassii Caeiciani, de quibus mox, invicte comprobatur. Legitur tamen Y in denariis Plautii Hypsaei scripto YPSAE., pro quo deinde in aliis HVPSAEVS. Fuit ergo alphabetum Latinorum literarum XXI. Ergo Athenodorus philosophus, quando auctor fuit Augusto, ut est apud Plutarchum [a]), ne quid iratus antea statueret, quam XXIV. elementa apud se repeteret, alphabetum Graecorum respexit.

Singularis est modus in numis Cassii Caeiciani, et M. Servilii. In Cassianis utraque numi facies aliquam literam ostentat, sed antica exhibet literas alphabeti priores, aversa posteriores, sic ut prima litera jungatur cum ultima, secunda cum penultima, tertia cum antepenultima etc. Idem peragitur in Servilianis, sed cum alphabeto Graecorum. En harum seriem ex solo fere museo Caesareo additis paucis Morellianis.

Numi Cassii.

Antica.	*Aversa.*
A	X
B	V
C	T
D	S
E	R
F	Q

Numi Servilii.

Antica.	*Aversa.*
Ω	A
X	C Morelli.
Φ	D
Υ	E
T	F
P	H
M	N

a) In Apothegm.

H	O	Λ	O
K	M	K	P
		Θ	R Morelli.
		H	S

Cum nihil in arte nostra videatur temere negligendum, observo etiam globulos, quorum unus, duo, tres, etiam quatuor saepe has literas, velut planetas sui satellites, stipant, quod sane non absque ratione factum, nam, ut praecipue videre est in denariis L. Iulii Caesaris, quo numero, aut situ sunt in antica, eodem et in aversa comparent. Ejusmodi globuli obvii sunt in numis Cassii Caeiciani, Cloulii, Coelii, Corn. Scipionis Asiagenis, C. Fabii, Man. Fonteji, Fundanii, Herennii, L. Iulii Caesaris, Sentii.

Literae hae solitariae sub extremum Romae liberae tempus jam exolevere. Sane in numis, quos certo constat saeculo VIII. urbis conditae signatos, vix amplius comparent. Eas adhuc ostentant nonnulli gentis Mettiae imperante I. Caesare cusi aliique ejusdem Caesaris inscripti: COS. TERT. DICT. ITER.

Ad harum usum literarum quod attinet, qui sobrie de iis judicavere, in eo conveniunt omnes, fuisse adhiberi solitas ad notandam matricum diversitatem, et opus singulis officinis injunctum distinguendum, cujus vicem muneris in aliis subierunt notae arithmeticae, aut adstituta modica sigilla, de quo utroque agetur in sequentibus. Qui aliter de his sensere, certissime offenderunt, quos inter en tibi Vaillantium, cujus judicia saepe temere, atque irreverenter projecta si potes sine stomacho legere, mirabor indulgentiam. Habes ex infinito numero exempla aliquot prae aliis strepera. In quinario gentis Cloulliae adstitutum Iovis capiti F interpretatur *Feretrius.* Darem istud, si elementum hoc in omnibus exstaret. At vel unum museum Caesareum pro F offert D, E, K, N, O, S, T, X. Valeat igitur bonus, et opimus Feretrius. Novi, Vaillantium, ut plerumque alias, Pighii sententiam secutum. Verum quam veniam damus Pighio, cujus adhuc aetate vacillabat ars nostra, an dabimus etiam Vaillantio? Vnicum, quod citavi museum tot offert variantium literarum exempla; an haec ipse videre non potuit in urbe sua, quae inde a centum, et amplius annis tota numismatica est? In denariis Coelii Caldi solitarium H legit *Hispaniensis*, nimirum quod signati essent ex vectigalibus Hispaniae, et in simili altero τo M. *Manubialis.* Habet museum Caesareum similium Coelii denariorum plenum fere alphabetum, qui si praesto fuissent viro perspicaci, etsi neque sibi opulenta musea deerant, quam tum habuisset patentem exercendi ingenii campum? In denariis Aelii Balae literam C explicat *Corsicus*, at pro C in aliis aliae sunt literae, quarum integrum fere alphabetum habet iterum museum Caesareum. Ad numum gentis Claudiae, in quo legitur LXXIIII., advertit, similes denarios cusos ex tributo regis Hieronis, quod erat pondo argenti LXXIIII. Ergo non vidit denarios id genus alios,

in quibus XV. CXXXXII. et infiniti numeri alii? Aliud illustre exemplum vide infra in Lucretia. Nolo commemorandis his absurdis laborem inutilem impendere, quorum jam plura collegit Liebeus [a]. Eodem modo literas solitarias in numis quoque Graecis explicare saepe adortus, quam inanes plerumque falsasque propinaverit conjecturas, patebit ex commentariis nostris.

Cum ergo ex iis exemplis, quae principio proposui, manifestum sit, id genus notas in numorum tantum discrimina valuisse, qui mos hodieque in multis officinis monetariis obtinet, possumus legis instar hanc ferre sententiam:

Literae alphabeti, notae arithmeticae, minuta sigilla tum tantum ad numi explicatum pertinent, quando ea constantia sunt in omnibus, et nulli obnoxia varietati.

Notas arithmeticas, de quibus articulo sequente, et sigilla προληπτικως legi incluseram, cum eadem horum sit ratio, et ne eandem cramben frequentius cogar recoquere. Secundum haec tenemus causam τȣ X. vel XVI. in denariis, et τȣ Q. vel V. in quinariis. Graecum Φ capiti Philippi regis Macedoniae in denariis gentis Marciae perpetuo adstitutum commode pro principio nominis Φιλιππȣ habetur. Sic pes in Furia gente ad cognomen Crassipedis, malleus in Poblicia ad cognomen Malleoli etc. sine dubio adludunt. Cum haec variant, quemadmodum in omnibus his tribus modis, ac praecipue per denarios Pisonum, supra quam credi possit, variant, notae sunt monetariorum, et diversarum matricum. Ejusdem generis notae mirum etiam saepe differunt in numis Graecis, ac cumprimis in aureis Philippi II., Alexandri M. et Lysimachi, quas qui quadam veri specie explicare volet, aut nemo erit, aut cui caput tribus Anticyris insanabile est.

§. V.

De notis arithmeticis.

Pro literis alphabeti, de quibus continuo egimus, in denariis aliis occurrunt notae arithmeticae. Earum causa, et usus idem, quem literarum diximus, et hae quoque postremis reip. temporibus omitti coeptae. Habentur in Cossutia, Crepusia, Iunia Silanorum, Mamilia, aliisque, ac praecipue Pisonum Calpurniae. In Axia, et Maria Capitonum, quae notae sunt in antica, repetuntur in aversa, quod idem factum cum literis diximus.

Scribuntur sic: VII. XV. LXXXXIIII. CXVIII. etc. In his observandae notae ꓕ vel Ѵ, quae non raro occurrunt, praecipue in denariis Pisonum, et Ti. Claudii. Hujus formae elementa posita pro L., nempe nota numeri quin-

a) Goth. num. p. 222.

quagenarii, satis probavi Sectione I. cap. VI. §. 1. In denariis Ti. Claudii numero saepe praeficitur A., ut: A. V. — A. XV. — A. CXXIII. incerta causa.

Vt literae Graecae, sic et numeri in his numis habentur, sed in unius gentis Volteiae, ut: E. IB. KE. KZ. ΞB. OΘ. etc.

CAPVT VIII.

De typis in numis familiarum in genere.

In tanta numorum hujus classis copia a tot variis magistratibus, et per varias causas signatorum necesse est, multiplices esse typos. Ea varietas habetur tantum in argenteis, nam aenei statos suos typos habent a), aurei usque ad I. Caesaris aetatem vix exstant b). Ago autem hoc loco tantum de varietate in typis principibus, non in typis ἀδιαφοροις, de quibus agemus infra.

Pars antica, ut in Graecorum numis, constanter caput aliquod offert seu numinis, seu genii, seu regis, seu personae cujuspiam illustris, pars aversa omnis generis argumenta. Vtriusque partis typi aut capti sunt ex indole aetatis, quemadmodum denarii vetustiores certos suos habuere typos, ut dicemus alias, aut ex temporibus, ut Bruti, Cassii, et conjuratorum numi libertatem amant praedicare, aut pro arbitrio magistratuum, qui eos sive in numinis, quod maxime observabant, sive in gentis suae gloriam praescripsere. Multa argumenta sunt vaga, neque causas offerunt certas, cur hic, illeve his potius typis prae aliis uti voluerit, in quae qui curiosius inquirunt, inanes plerumque, ac saepe frigidas conjecturas ad legentium fastidium propinant. Exemplo sit typus Victoriae. Constat, Victoriam fuisse proprium quinariorum typum, etiam quando victoria relata non est, ex quo dicti fuere Victoriati. Constat etiam, stetisse Romae aedes Victoriae sacras, eamque non in bello modo, sed et pace observatam, neque solum ob impetratum beneficium, sed etiam speratum. Quis igitur typum similem in numo omnibus notis chronologicis destituto ad certam quandam victoriam aliqua veri specie poterit referre? Multi denique sunt typi non satis suis attributis discreti, quod cumprimis saepe in capitibus anticae usuvenit, multi explicatus ambigui, et hactenus infeliciter tentati, et forte desperati.

Atque haec princeps causa fuerit,

a) Sect. I. c. II. §. 3. b) Sect. I. c. IV. §. 1.

cur commentarios suos temperaverint Vrsinus et Patinus, et cum verisimile nihil dicere possent, tum maluerint nihil potius dicere, quam infirmis conjecturis augere operis molem. Aliud visum Vaillantio, *audacior ego*, inquit [a]), *nihil omnino intactum mihi relinquendum existimavi, ne studiosos rei antiquariae veluti frustra hiantes dimitterem.* Quo simul constituto nihil est in isto numorum genere explicando, quod non attentet, nihil tam planum ac simplex, ceu in area numi litera, numerus, sigillum, in quo non dignum aliquid animadversione videat; nam dixerat alibi [b]): *nihil enim in denariis sine causa apponitur.* Ergo cum Victoriam videt, novit indicare victoriam, propter quam ea in numo proponitur, cum caput Apollinis, indicantur ludi Apollinares, cum Cereris, Cerialia, cum Magnae Matris, Megalesia, ipsum adeo annum, quo singuli numi cusi sunt eorumque auctorem tam confidenter definit, tanquam haec omnia numi ipsi disertis verbis eloquerentur. Eodem exemplo Havercampus opus suum de familiis a Morellio digestis ad eam, quam videmus, molem promovit, quae sola absterrere hujus possit scientiae studiosum, qui cum magnam partem versatur in refutando Vaillantio, ac deinde suas prodit conjecturas non raro aeque infirmas, atque ad fastidium verbosas, fecit, ut pro unis binas habeamus misere exhauriendas. Si pudebat eruditos IIviros, aliqua se nescire profiteri, oportuerat meminisse, vel ipsum illud, scire, quid sciri nequeat, magnam esse scientiae partem, et Socratem, ut est apud Tullium [c]), ideo ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quod id unum se scire est professus, se nihil scire.

Varia aetate varii placuere typi, de quibus nunc agere supersedeo, quia argumentum istud plenius persequar infra capite XVIII., in quo agam de chronologia numorum familiarum.

Haec in genere de typis praefari visum. De singulis agetur in numis ipsis, tum etiam per capita proxime sequentia.

CAPVT IX.

De capitibus partis adversae.

Deorum dearumque capita cum ex lineamentis, tum attributis plerumque satis cognoscimus. Lineamenta cum adcurate expressa non sunt, nam attri-

a) Praefat. §. VIII. b) Tom. I. p. 293. c) Acad. quaest. L. I. c. 4.

buta nonnunquam cum pluribus sunt communia, dubium saepe relinquunt, an caput laureatum, et barbatum Iovis sit censendum, an Neptuni, an Aesculapii, qui omnes et barbam promiserunt, et lauro se induerunt. Quin et sexus nonnunquam difficulter discernitur. Caput juvenile hedera coronatum, utrum Bacchum, an Baccham dicas, minus saepe expeditum. Dubitatur ab antiquariis, sitne caput galeatum, quod est in denariis Satrieni, Martis, an Palladis. Videmus etiam attributa, quae certis diis saltem ex recepto more non competunt, ut diadema datum Apollini pro laurea in denario Coponiae. Romana superstitio, cum virtutes, et vitia consecravit, geniorumque exercitum aluit, in iis fingendis non modo vagis usa est attributis, sed etiam in his ipsis parum sibi constans fuit. Sic caput Libertatis, Concordiae etc. variis videmus modis effictum, aut etiam idem capitis cultus, eadem oris lineamenta pluribus diis geniisve tribuuntur inter se maxime diversis. Quare nisi adscripta ipsa sint nomina, jure saepe dubitabis, an laureatum mulieris caput Salutis sit, an Fidei, an Concordiae. Quae hic commemorare operae pretium visum, ne in definiendis incertis his capitibus, quod operose et inutiliter fecere alii, operam perdamus. Quamobrem gratam me multis rem facturum confido, si catalogum proposuero eorum capitum, quae spectato cultu ad plures possunt deos referri aut genios, aut quae minus certam habent appellationem.

Capita virilia.

Caput juvenile diadematum cincinnis ad perpendiculum dependentibus, in Caecilia. Istud Havercampus dei Triumphi censet [a], et probat ex numis Claudiae, et Fabiae, in quibus ad simile caput additur T, nempe Triumphi litera princeps. Verum hi denarii sunt Goltziani. Caput simile in Marcia, et Pomponia dicit Apollinis, cui sententiae favere videtur denarius Valeriae, in quo simili capiti imminet astrum.

Caput juvenile laureatum cincinnis ad perpendiculum dependentibus addito HO*nos*, in Fufia.

Caput laureatum barba in cincinnos contorta, et ad perpendiculum pendente, in Caecilia. Vaillantio Neptuni videtur, Havercampo Iovis Terminalis, quia tridens abest, et in aliis similibus ejusdem gentis juxta est caput aquilae cum sceptro. In Memmia propter simile caput legitur QVIRINVS.

Caput diadematum barba, et capillis in cincinnos contortis, et ad perpendiculum pendentibus, in Terentia. Alii Quirinum, alii Iovem Terminalem dicunt.

Caput juvenile diadematum alatum, in Calpurnia. Havercampus dei Termini dicit nulla certa ratione.

Caput juvenile laureatum alatum, pone tridens, in Iulia Bursionum. Havercampus Triumphum dicit, Vrsinus et

a) Pag. 46.

Vaillantius Mercurii. Vtrumque minus verisimile. Vide mea ad hunc numum observata.

Caput diadematum barbatum alatum, in Titia, incertum cujus.

Caput juvenile diadematum cum capillis instar Apollinis cum, aut sine astro, in Coponia. Propter astrum Havercampus Apollinis putat, Vaillantius Tiburti Tiburis conditoris.

Caput juvenile nullo alio cultu, adscribitur HONORI in Durmia.

Caput laureatum tantum, instar Apollinis, addito HONORIS, in Lollia. Caput simile, sed retro tropaeum, addito TRIVMPHVS, in Papia.

Caput juvenile nudum capillatum ceu Apollinis, retro sceptrum, in Livineia. Havercampus Apollinis regis dicit, Vaillantius, genii P. R. Res incerta.

Caput diadematum barbatum, pone sceptrum, addito Genius P. R., in Cornelia Lentulorum.

Caput barbatum tectum galea, cui palmae ramusculus adfigitur, in Veturia. Simili galea tegitur Virtus, de qua articulo sequente.

Capita muliebria.

Caput nudum nullo cultu, nisi quod capilli retro in nodum ligantur. Iuxta legitur MONETA in Carisia, LIBERTAS in Cassia et Iunia, PIETAS in Iunia, SIBVLLA in Manlia.

Caput cum solo tutulo, quo nomine intelligo fasciolam, quae supra frontem turget, quamque nimbum dicere possis, de quo alias. Sic Venus passim in numis I. Caesaris fingitur. In Egnatia collo inhaeret Cupido. Propter simile caput in Plaetoria legitur MONETA. In gente Annia ea vox quidem non additur, sed adstituta in plerisque bilanx Iunonem Monetam commode indicat. Additur LEIBERTAS in Cassia, et Cornelia. PIETAS in Herennia, SALVS in Iunia Silanorum.

Caput laureatum tantum, scripto juxta SALVTIS in Acilia, FIDES in Licinia, CONCORDIA in Vinicia. Havercampus caput simile in Cassia, et Considia Libertatis putat. Exstat et simile caput in adversa parte numorum Pomponii Musae, quod alii Musae caput, verius Musarum matris alii putant.

Caput laureatum cum tutulo. Sic comparet Venus Erycina in Considia. Venerem Victricem eo in Aemilia indicari putat Havercampus.

Caput diadematum. In Cestia et Plautia Vaillantio, et Havercampo Venus est, ut et caput illud, quod cum diademate satis lato comparet in Iulia apud Morellium Tab. 3. n. VIII.

Caput velatum cum, aut sine tutulo, qui nullo discrimine jam adest, jam omittitur, juxta CONCORDIA in Aemilia, Didia, Fonteia, Mussidia, LEIBERTAS in Cassia, VESTA in Cassia. Iunonis Monetae ab Havercampo dicitur in Crepusia, et Mamilia nullo idoneo argumento. In Rubria videtur Iunonis ob adstitutum pone sceptrum.

Caput velatum laureatum cum modio in vertice, in Iunia. Havercampus dicit Pietatis, et nullam rationem adfert.

Caput pampino redimitum, in Cassio. Havercampus deae Liberae dicit. Haec eadem est cum Proserpina. Dubito, sitne haec unquam pampino usa.

Caput corona querna redimitum offert Venus in nonnullis Iuliae.

Caput tectum pileo instar Atalantae in numis Aetolicis, in Antonia et Plancia. Non satisfaciunt variorum de hoc conjecturae.

Caput, cujus crines pluribus filamentorum circulis colligati sunt, in Carisia, et Valeria. Censetur Sybillae nulla idonea causa.

Caput tectum galea cui palmae ramusculus adfigitur. In Aquillia juxta scribitur VIRTVS. Simile caput est in Axia, Iulia L. Caesaris, Licinia, Lutatia, Minucia, Poblicia. Esse muliebre, docet addita inauris in Carisia, et Manlia. Simile caput est in Veturia, sed cum luculenta barbula. At constat etiam, Romanorum genios, ut olim Tiresiam, variasse sexum. Sane Honos, quem praecedente articulo virum vidimus, in numo Galbae inscripto HONOS. ET. VIRTVS stat cultu muliebri. Idem passus est Bonus Eventus, ut videbimus in denariis Scriboniae.

Caput muliebre galeatum alatum. Esse caput Palladis, capite sequente probare contendam.

* * *

Aliqua etiam de capitibus regum, virorumque illustrium memoranda. Cum videris capita Quirini, Numae, Anci, primorum Romae regum, aut Bruti primi consulis, Ahalae, aliorumve, qui prima reip. aetate vixere, ea a posteris memoriae, aut observantiae causa numis illata teneto. Nam iis illi temporibus vixerunt, quibus aut nulli adhuc signati numi, aut nonnisi aenei. At neque numi, qui exhibent capita L. Sullae, Pompeji Rufi, Pompeji M., aliorumque, quorum aetas in extrema reip. tempora incidit, coaevi sunt iis, quorum exhibentur capita, sed a filiis in patrum memoriam signati. Quod ut rei monetariae praefectis permissum, ita vetitum, viventis caput in numis proponere, quod istud omni aevo regium, et principatus certissimum indicium est habitum. Primus erat I. Caesar, cui istud ex S. C. indultum fuit, ut observabimus ad ejus numos, atque istud etiam ex S. C. permissum fuisse Pompejo, adserit Patinus a), sed qua auctoritate? Deinceps nullo quidem, quod constet, permissu publico istud sibi jus sumpsere Sex. Pompejus, M. Antonius, et L. Antonius fratres, M. Lepidus, Octavianus, atque ipse libertatis amicus M. Brutus. Sunt etiam in his numis capita regum exterorum, Philippi IV. Macedonis, et Bocchi Numidae, sed qui propter gloriam domesticam ex alieno traducti fuere a Marcio Philippo, et Cornelio Fausto Sullae filio, ut in horum denariis dicetur.

* * *

Catalogum deorum dearumque, qui in his numis occurrunt, et quo fuerint habitu, hoc loco describere supervacaneum puto, quia Romanae mythologiae in plerisque cum Graeca convenit, et quae illi sunt propria, per ipsos numos docentur, et peti poterunt ex in-

a) Ad Suet. pag. 66.

dice huic volumini subjecto. Huc tamen distuli controversiam de capite muliebri galeato alato, de quo mihi continuo sermo.

CAPVT X.

De capite muliebri galeato alato.

Inde a principio signati argenti partem ejus adversam occupavit caput muliebre galeatum alatum, idque non in denariis modo, sed et quinariis, et sestertiis, paullatim etiam aliorum deorum imagines admissae, denique post saeculi ab urbe condita VII. dimidium penitus neglectum est. Esse caput deae Romae primi artis nostrae magistri constanter credidere, tantumque valuit una auctoritate nixa opinio, ut multorum eam annorum intervallo nemo in dubium vocaret, et in sua singuli Roma, velut religione obstricti, confidenter acquiescerent. Primus abbas Olivierius ausus est inveteratum judicium impugnare, praeclaris usus ad fidem faciendam argumentis a). I. Nihil, ait, probare adjectam saepe capiti vocem ROMA, nam illam jungi etiam capiti Apollinis in Caecilia, Fabia, Postumia, Herculis in Cornelia, Saturni in Memmia etc. II. In nullo vetere monumento, quod certam dat Romae effigiem, qualia sunt plurima, praecipue in numis, ejus deae galea alata est. III. In numis, quos Samniticos statuimus, et signatos tempore belli socialis, simile habetur caput. An vero jurati Romae hostis genium urbis inimicae sua in moneta signaverint? Haec argumenta satis per se valent ad aspernandam veterem sententiam. Superest, ut, cujus caput illud sit deae effigies, quod facere neglexit praeclarus Olivierius, constituatur.

Ajo, esse Palladem. Hanc quo minus agnoscerent antiquarii, vetabant, credo, adstitutae alae. At non reflexere animum, aut idoneis monumentis destituti nescivere, Palladi frequenter additas fuisse alas, easque illi jure competere. Mitto insignes gemmas, quae Minervae galeae alas addunt, apud Begerum b), et Zanettum c), etsi hic, quo saepe hodieque peccari videmus, Alexandrum M. pro Pallade dixit. Mitto etiam eam sic propositam

a) Saggi di Cort. Tom. IV. p. 133. b) Thes. Brand. T. I. p. 49. c) Dactyl. num. 2.

in numis urbium longius ab urbe Roma distantium, ut Morgantiae Siciliae a), Syracusarum b), Camarinae Siciliae c). At habes caput galeatum alatum in copiosis numis vicinae Graeciae M., Thurii, Metaponti, Veliae, in quibus nemo erat hactenus, qui praesentem Minervam inficiaretur. Ingreditur etiam alata in insigni numo aureo regis Agathoclis d), et in numo insulae Neae prope Lemnum e), et alatam exhibet insignis numus Domitiani cum mentione consulatus XVII., qui est in museo Caesareo. Quam alatam docent monumenta, comprobant etiam veterum testimonia. Cornutus de Pallade f), πτερωτη παρεισαγεται, δια το ὀξυῤῥοπον και ἀμεταβολον των πραξεων, *alata fingitur*, *quod ea negotia*, *quae suscipit*, *celerrime procedant*, *nec ullo modo impediri queant*. Nolo recoquere, quas auctoritates alias ad citatum Agathoclis numum commemoravi. Est nimirum Minerva Victrix, aut Minerva Victoria, quam cumprimis Athenis nomine Νικηφορυ, aut etiam Νικης cultam fuisse, in Athenarum moneta aenea large ostendi. Ergo in argentea quoque Romanorum moneta, cum Palladem alatam conspicimus, Victrix intelligenda est. Atque hanc videtur respexisse Cicero, cum ait: *Minerva quinta Pallantis*, - - - *cui pinnarum talaria adfigunt* g). Nemo miretur, adeo singularem Palladi a Romanis, et constantem honorem habitum, cum eam publice ipsi Iunoni praelatam voluerint, quo de argumento latius agam in numis Vespasiani ad annum V. C. 824.

CAPVT XI.

De geniis.

Secundum deos, deasque proximum locum obtinent genii, quo nomine intelligo I. imagines regioni, populo, urbi tributas, sive illae aliud non fuerint, quam allegoriae ad significandam provinciam, urbemve ex earum indole, causisque inventae, sive illis revera coelestes quidam, sed inferioris ordinis praesides sunt intellecti. II. Virtutes, ut: clementiam, fidem, pietatem etc.

---

a) Princ. Turr. Muc. in num. Sib. b) Ibid. Tab. LXXIV. n. 9. c) Paruta tab. 123. n. 8. d) Mus. Caes. e) Pellerin Rec. III. p. 88. f) de Nat. deor cap. 20. g) de nat. deor. L. III. c. 23.

aut quaecunque in bonis putantur, neque in nostra semper potestate sunt posita, ut: fortunam, honorem, libertatem, salutem, triumphum, valetudinem. III. Vitia, et mala, ut: pallorem, pavorem, febrim etc. Haec et similia, quorum in veterum monumentis icones videmus, non nudas semper fuisse προσωποποιΐας, sed coelestis naturae habita, inde patet, quod eorum honori aedes sacrae perinde ac diis ipsis constitutae fuerunt. Harum aliquas, Virtuti, Honori, Menti, variaeque Fortunae dedicatas recensent Cicero [a]), Plutarchus [b]), et Iuvenalis [c]):

Quandoquidem inter nos sanctissima divitiarum
Majestas; etsi funesta pecunia templo
Nondum habitas, nullas numorum ereximus aras,
Vt colitur Pax, *atque* Fides, Victoria, Virtus,
Quaeque salutato crepitat Concordia *nido.*

Vide plura exempla in P. Victoris libro de regionibus Romae. Huc pertinet, quod ad fratrem Quintum scripsit Tullius [d]): *Quare quoniam in istis urbibus cum summo imperio et potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas, et in deorum numero collocatas vides etc.* Atque hoc modo non Romani solum, sed et Graeci sic Olympum novis colonis, diis sane secundum Plautum minutis et patelariis, implevere, ut jure apud Lucianum conquereretur Momus [e]), neminem jam majoribus, veteribusve diis velle sacrificare, sed hecatombas proponere Virtuti, Naturae, Fato, Fortunae recens coelo illapsis, at ambrosiae, et nectaris sextarium jam mina emi propter convivarum promiscuam multitudinem. Quanquam ferenda fuit quodammodo superstitio, quae virtutibus honores divinos impertivit; verum quae alia major insania, quam quae vitia, morbos, larvas diis aequiparavit? Quae quidem religio veteribus ipsis altiore quadam mente praeditis indigna, et intoleranda visa est. Testis lex, quam Quiritium sapientissimus sanxit [f]): *Ast olla, propter quae datur homini adscensus in coelum, Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem earumque laudum delubra sunto. Nec ulla vitiorum sacra solennia obeunto.* Quae deinde verba paullo infra sic explicat [g]): *Bene vero, quod Mens, Pietas, Virtus, Fides consecratur manu, quarum omnium Romae dedicata publice templa sunt, ut, illa qui habeant (habent autem omnes boni) deos ipsos in animis suis collocatos putent. Nam illud vitiosum Athenis, quod, Cylonio scelere expiato, Epimenide Crete suadente, fecerunt Contumeliae fanum, et Impudentiae. Virtutes enim, non vitia consecrare decet. Araque vetus stat in palatio Febris, et altera Esquiliis Malae Fortunae detestataeque, quae omnia ejusmodi repudianda sunt.* Laudat continuo Salutem, Honorem, Opem, Victoriam, Spem a Calatino consecratam, Fortunam hu-

---

a) De Nat. deor. II. 23. b) de Fort. Rom. p. m. 318. 319. c) Sat. I. v. 112. d) L. I. epist. I. §. 10. e) Concil. deor. sub fin. f) de Legib. L. II. c. 8. g) Cap. 11.

jusce diei, et Respicientem, Fortem Primigeniam. Addere poterat exempla externa, Impietatis, et Nequitiae aras, Ασεβειας και Παρανομιας, a Dicaearcho quodam publice erectas [a]), Voracitatis, Αδδηφαγιας in Sicilia delubrum [b]). Quanquam non deerant veteribus speciosae causae, quae instituti insaniam excusarent. Sunt apud Lacedaemonios, ait Plutarchus [c]), *non Timoris modo, verum Mortis etiam, Risusque, atque aliorum ejusmodi affectuum templa. Timorem autem venerantur, non quod, sicut quos alios detestantur genios, noxium putent, sed quod remp. cumprimis timore contineri arbitrantur.* Valerius Maximus, quo loco tria Febri in urbe erecta templa enarrat, addit, eam ad minus nocendum templis cultam [d]). Vide similia apud Plinium [e]). Sed enim argumentum istud in prolixam dissertationem patens has commetariorum angustias fastidit. En catalogum geniorum ex numis familiarum contextum secundum triplicem divisionem, quam proposui, qui maximis potest accessionibus augeri, si addatur geniorum agmen in serie imperatorum propositum, sed qui sunt alterius loci.

Genii regionum, urbium, populorum.

Africa. Genius stans miro cultu, addito G. T. A., vel caput muliebre elephanti exuviis tectum, in Caecilia Metelli.

Alexandrea in Aemilia Lepidi.

Hispania in Postumia.

Italia in Fufia.

Roma in Fufia. Ejus effigies obvia in numis imperatorum, ut Neronis etc. etiam in Graecis.

Genius P. R. Caput barbatum diadematum, pone sceptrum, addito G. P. R., aut ipse barbatus sedens seminudus, d. cornucopiae, s. hastam, in Cornelia Lentuli Spintheris. Obvius est etiam in numis autonomis sub imperatoribus signatis, qui sunt in incertis Morellii Tab. II. addito GENIVS. P. R. At ubi se insinuavit adulatio, induit lineamenta imperatoris, qui tum fuit. Ejus exempla videbis in Augusto ad annum V. C. 734, et in Galba.

Boni genii.

Bonus Eventus, in Scribonia.

Clementia, in Sepullia.

Concordia, in Aemilia, Fonteia, Didia, Mussidia.

Fides, in Licinia.

Fortuna P. R. Caput muliebre diadematum addito: F. P. R. in Arria.

Fortunae Antiates, et *Fortuna Redux*, in Rustia.

Honos, in Durmia, et Lollia, junctus cum Virtute, in Fufia et Mucia.

Lares sedentes, in Caesia.

Libertas, in Cassia, Iunia, Cornelia, Farsuleia.

Pax, in Aemilia Bucae.

Pietas, cum vel sine ciconia, in Caecilia, Iunia, Herennia. Stans cum attributis, in denariis L. Antonii.

Salus, in Acilia, et Iunia Silani.

a) Polyb. hist. XVII. 35. b) Athenaeus L. X. p. m. 416. c) in Agide et Cleom. p. m. 808. d) L. II. c. V. §. 6. e) H. N. L. II. p. 72.

Sors, in Plaetoria.

Triumphus, in Papia.

Valetudo, in Acilia.

Virtus, in Aquillia. De ejus cultu vide supra capite IX. in capitibus mulierum. Iungitur cum Honore in Fufia, et Mucia.

Mali genii.

Pallor, et *Pavor*, in Hostilia. Nulla praeterea alia ejus generis absurda in numis.

CAPVT XII.

De typis laudum domesticarum testibus.

Vetus est labes, et in Romanis pervulgata, in generis antiquitate ambitiosius gloriari, et si qua merita propria deficiunt, majorum virtute, ac laudibus pensare. Sit haec vanitas ferenda, cum vera sunt, quae jactantur, at cum falsa, et ementita, aut saltem nulla certa ratione, sola plerumque nominis adfinitate nixa, tum demum hominem arcessitis per vim laudibus stolide tumentem jure ridemus. Tametsi quaestuosae saepe fuere hae nugae; nam cum Iulius Caesar se Veneris abnepotem tulit, quod ipse non credidit, istud illi profuit apud rudem populum, *qui stupet in titulis, et imaginibus*, atque eodem consilio Severus imperator se M. Aurelio pridem mortuo adoptandum dedit, ut olim dicetur. Eam in populo insaniam jam risit si quis alius sanus Cicero, *quanquam*, ait a), *his laudationibus* (funebres intelligit), *historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa, et a plebe transitiones, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus, ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Serv. Sulpicio consul anno X. post exactos reges fuit.* Dixerat palam I. Caesar in laudatione funebri amitae Iuliae: *amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus conjunctum est, nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Iulii, cujus gentis familia est nostra* b). Haec prodigia cum illustriores reip. familiae et venditarent publice, et credi cuperent, ne-

a) In Bruto c. 16. b) Suet. in Caes. c. 6.

quaquam mirum, ea a scriptoribus, ac praecipue poetis, qui opulentiorum fortunam sectari solent, publicis literarum monumentis fuisse propagata. Sic Horatius Maecenatem Tyrrhenis regibus inseruit [a]), Pisones a Numa Pompilio deduxit [b]), Virgilius Memmios, Sergios, Cluentios a vetustissimae memoriae Mnestheo, Sergesto, Cloantho derivavit [c]). Plura similis vanitatis exempla vide in numis M. Iunii Bruti. Quid vero magis ridiculum oratione D. Hieronymi, narrantis, sua adhuc aetate exstitisse Romae Toxotium quendam, qui ab Aenea et Iuliis sanguinem traxerit, ejusque uxorem Paulam a Gracchis, et Agamemnone genus ducere? Vide haec laxius exposita apud Spanhemium [d]). Certe majori horum parti, qui vili prognati origine, subinde potentiam opesque consecuti sunt, recte adplicaveris illud Iuliani Aug. [e]) *και τοι πως ȣκ ἀτοπον, μαγειρον μεν, ἡ σκυτεα, και ναι μα Δια κεραμεα τινα, χρηματα ἐκ της τεχνης, ἠ και ἀλλοθεν ποθεν ἀθροισαντα, μη δοκειν ἐυγενη, μηδε ὑπο των πολλων ἐπονομαζεσθαι τȣτο το ὀνομα· ἐι δε ὁ τȣτȣ παις διαδεξαμενος τον κληρον ἐις τȣς ἐκγονȣς διαπορθμευσειε, τȣτȣς δε ἠδη μεγα φρονειν, και τοις Πελοπιδαις ἠ τοις Ηρακλειδαις ὑπερ της ἐυγενειας ἁμιλλασθαι; et sane quomodo non sit absurdum, coquum, vel sutorem, aut si mavis figulum quempiam, cum opes sive ab arte, sive aliorsum collegit, nondum tamen putari nobilem, neque apud vulgus nominis esse conspicui; at ubi hujus filius successor haereditatem in nepotes transmiserit, hos continuo insolescere, et cum Pelopidis et Heraclitis de nobilitate contendere?*

Dixi haec causa numorum hujus classis, in quibus, qui eos malleo subjecere, saepe antiqua gentis suae decora ostentant, quae si ex cyclo mythico deprompta sunt, suapte fallunt, sin ex prima rei Romanae aetate, oppido suspecta possunt haberi. Fabulosa sunt: Iulii a Venere orti, in quorum numis perpetuus haec amorum dea typus, Antonii ab Antone Herculis socio ducti, cujus causa leo in M. Antonii IIIviri numis signatus putatur, Mamilii a Mercurio et Vlysse oriundi, ex qua causa utriusque imago in Mamiliorum monetam vocata. Suspecta sunt: Calpurnii et Pomponii a Numa profecti, ob quod Numam in denariis exhibent; M. Iunius Brutus, is, qui Caesarem occidit, a Bruto, qui reges ejecit, ortus, propter quod hujus ille effigiem in numis jactat, qua de vanitate in hujus moneta late agetur. Quae ut vera esse possunt, sic, quod urbis exordia Cimmeriis sunt tenebris involuta, pro veris adfirmari nequeunt. Nam, ut ex vetere auctore Clodio refert Plutarchus [f]), vetusta Romanorum acta, cum urbs a Gallis exscinderetur, sunt abolita; quae vero nunc manibus teruntur, conscripta fuere a nonnullis in gratiam certorum hominum in nobilissimas familias et gentes, a quibus alienissimi sunt, penetrantium.

Aliter se res habet, cum decora pe-

a) Carm. L. III. od. 29. b) de Arte v. 291. c) Aen. V. 117. seq. d) Diss. XII. p. 348. e) Orat II. p. 81. f) in Numa sub init.

tuntur ex viciniore aetate, et veritati historicae magis amica, ut cum Manlii Torquati in numis proponunt torquem, Marcelli Iovem Feretrium, Aemilii Lepidum tutorem regis Ptolemaei, Faustus caput Bocchi Numidarum regis, et Iugurtham vinctum, quae fuere patris Sullae laudes. Quae facta illustria cum ex certa historia deprompta sint, fidem certam obtinent, eoque delectant magis, quod, quae narravit historia, oculis picta objiciunt.

CAPVT XIII.

De typis cum adlusione ad nomen.

Non raro in hac numorum classe videmus, ab iis, qui eos feriundos curavere, seu toto typo, seu sigillo aliquo solitario ad familiae nomen adludi, quod sane unus urbanus jocus leporque suaserit, perinde atque in Plutarcho legimus [a]), Ciceronem Siciliae quaestorem dono argenteo, quod diis dedicaturus erat, priora duo nomina *M. Tullius* inscribi, et juxta cicer insculpi curasse, quod esset vice cognominis *Ciceronis*. Eodem modo Graeci quoque in numis suis non quidem ad nomina inscripti magistratus, sed ipsarum urbium saepe adlusere. Sic Selinuntii Siciliae in iis finxerunt folium selini, Sidetes Pamphyliae malum Punicum, Graecis σιδη, Cardiani Thraciae cor, Graecis καρδια, Clides insulae Cypro vicinae clavim, Graecis κλεις, Melii Cycladum malum, atque istud adeo securi, ut saepe urbis mentione abstinerent, satis eam hoc lusu indicatam existimantes, ut fecisse Ciceronem vidimus. Quin et in numis infimi aevi Leonis I. Aug. typo leonis ad nomen adlusum est. Idem hodieque in scutis nobilium obtinere nemo est, qui ignoret, quae propterea Galli *armes parlantes* commode appellant. En harum in numis praesentibus praecipua exempla:

Malleus capiti Virtutis imminens, in Poblicio *Malleolo*.

Malleus alterius formae, dictus *Acisculus*, in Valerio *Acisculo*.

Flos, in Aquillio *Floro*.

Pes humanus, in Furio *Crassipede*.

a) Vita Cicer. sub init.

Phaethontis sorores in *larices* mutatae, in Accoleio *Lariscolo*.

Murex, ex quo *purpura* confit, in Furio *Purpureone*.

Septem *triones*, in Lucretio *Trione*.

Saturnus, in Sentio *Saturnino*.

Musa stans, in Pomponio *Musa*.

CAPVT XIV.

De sigillis solitariis.

Vt praeter epigraphen principem habentur in his numis literae, aut numeri solitarii, sic etiam praeter typum principem minuti per aream typi, quos sigilla solitaria appello. Petuntur ex omnibus tribus regnis, re sacra, militari, domestica, quacunque, mira varietate, praecipue in gente Papia, Roscia, Calpurnia, et plerumque insigni in arcto volumine artificio, suntque Romani, qui Graecorum omnia imitari solebant, numos Syracusarum, Neapolis Campaniae, Philippi II., Alexandri M., Lysimachi, in quibus eadem sigillorum frequentia, haud dubie imitati. De eorum causis idem esto judicium, quod de causis literarum epithetarum, de quibus egi capite VII. §. 4. Cum sigillum in uno eodemque numo constanter idem est, ac invariatum, tum illud sive typi, sive familiae causa, quae numum feriit, additum non dubitemus. Ita ciconia additur capiti Pietatis, cujus est symbolum. Pes humanus, aut murex comparent in numis Furiae per causas, quas capite praecedente exposui, etsi sunt aliqua significationis ignotae, aut ambiguae, ut avis in denariis Fabiae, aut mus in denariis Ti. Quinctii. Cum variant, sunt, sicut literae solitariae, indicia variarum matricum, ac tum nonnisi rarissime aliquem cum numo ipso nexum habent, qualem v. g. facit tabella inscripto PAPI. in numis gentis Papiae, ad indicandam legem Papiam.

CAPVT XV.

De typis permutatis.

Frequenter accidit in moneta Romana, ut pars numi unius jungeretur cum parte numi alterius. Ejus exempla copiosa reperiuntur in numis imperatorum. At neque rara sunt in hac numorum classe. En pauca specimina, neque enim non obvia sunt in singulis museis.

C. EGNATVLEI. C. F. *Caput Apollinis*, *infra* Q. ✗ T. CLOVLI. *Victoria tropaeum coronans.* Quin subaer. (Mus. Caes.)

Male cum adversa Egnatuleii sociata est aversa Clulii, ut collati utrique denarii docent.

RVFVS. S. C. *Caput Iovis.* ✗ Q. POMPONI. MVSA. *Mulier stans d. clavam, s. personam.* (Morelli in Pomponia.)

Antica pertinet ad Q. Pomponium Rufum, aversa ad Q. Pomponium Musam, ut videre est apud Morellium.

Caput muliebre laureatum, retro lyra ✗ L. SCIP. ASIAO. (*sic*) *Iuppiter fulminans in citis quadrigis.* (Mus. Caes.)

Adversa petita est ex denariis P. Clodii, qui est apud Morellium in gente Claudia Tab. II. num. 1. Aversa nota ex denariis Scipionis Asiagenis.

Communis praeceptorum nostrae artis sententia est, similes permutationis casus tribuendos oscitantiae monetariorum, matrices nonnunquam alienas temere supponentium. Demus, istud accidere facile potuisse, cum in eadem officina numi diversorum hominum cusi fuere, et quidem aut eodem tempore, aut saltem annis non magnopere divergentibus, quae labes obvia est in numis Titi, et Domitiani. At quid, cum tempora nimio distant, ut in numo ex hic descriptis tertio, cujus antica debetur aetati IIIvirorum, ut dicetur in numis Clodii, aversa anno V. C. 564, qui IIIvirorum aetatem saeculo integro cum semisse praecedit? Ajunt, ab incuriis operis arreptam veterem matricem, quae in officina servabatur, et novae rationis numo inique sociatam. Dura enimvero oratio, ac nonnisi effugii necessario quaesiti loco putanda. Nolo tamen illam vexare morosius. At qua quaeso ratione explicabunt numos, quos continuo describam:

SVLLA. COS. *Caput Sullae dictatoris.* ✗ BRVTVS. *Caput barbatum Bruti primi consulis.* (Morelli in Corn. tab. IV. lit. A.)

Q. METEL. PIVS. *Caput laureatum barbatum.* ✗ CAESAR. *Aeneas Anchisen efferens.* (Morelli in Caecil. tab. II. lit. E.)

MAG. PIVS. IMP. ITER. *Caput Nep-*

tuni. X IMP. ITER. *Tropaeum.* (Morelli in Pompeja Tab. I. lit. D.)

Adversa numi primi est ejus denarii, quem Q. Pompejus Rufus in memoriam Sullae et Pompeii Rufi cos., avorumque suorum Romae signavit. Aversa ad eos denarios pertinet, quos M. Brutus caeso dictatore tempore illati sibi a IIIviris belli procul ab urbe feriundos curavit. Quae ergo fortuna matrices tantis inter se intervallis distantes sociavit.

Adversa numi II. est eorum pars numorum, qui signati sunt a Metello Scipione tempore belli, quod is in Africa adversus Caesarem instauravit. Aversa est ex cognitis denariis I. Caesaris. In hoc numo Havercampus certam matricum permutationem videt. At quo istud pacto verisimile, cum Caesaris, et Scipionis officinae oppido distarent, illiusque numi haud dubie ferirentur in urbe, hujus in provincia Africa sibi obnoxia? Ad haec Caesaris id genus denarii videntur praecedere tempus, quo imperium Scipio in Africa obtinuit; nam eorum, qui Caesare jam dictatore signati sunt, alia fere est forma, et inscriptionis lex. Quod existimat Havercampus, direptis Scipionis castris ejus monetae matrices in Caesareanorum manus devenisse, et istud hujus erroris monetariis occasionem dedisse, in frigidis conjecturis puto, cui nemo cordatus facile adsensum dederit.

Adversa numi III. est ex numis Sex. Pompeji in Sicilia cusis, aversa ex numis M. Antonii in Oriente haud dubie, et caeso quidem jam Pompejo percussis. Quo igitur pacto matrices sic distantes, et inimicae idem contubernium nactae sunt?

Manifestum est igitur, fortuitam matricum permutationem a viris eruditis praetensam tam facile permittendam non esse. Adverto, numos id genus hybridas fere semper aliqua sui parte peccare; aut enim sunt subaerati, ut numus citatus Egnatuleii, aut sive in inscriptione, sive fabrica aliquid est hiulcum pravumque a prototypi tenore abludens, ut in producto Scipionis Asiagenis numo. Reliqui, quos descripsi, utrum ejusdem sint farris, judicabunt ii, qui illos possident. Ex quo licet colligere, clandestinarum potius officinarum partus habendos, eorum vero non paucos, quando magis sunt inconcinni, in barbarorum plagiis putandos, de quibus egi Vol. IV. pag. 176, et quod consequitur, hos populi numismatici abortus inique ad philologiae crisin advocari. Qua in re graviter video deliquisse Havercampum, qui, cum animum non adverteret, in descripto supra Sex. Pompeji numo partem aversam ad M. Antonium pertinere, adserere non dubitavit, Sex. Pompejum ter fuisse adclamatum imperatorem [a]). Ergo quoties familiae se numus offert, qui in aversa typum habet, quem hactenus cum antica sociatum non vidimus, fraudem jubeo continuo suspicari. Quae quidem diligenter observata multis te

---

a) Pag. 358.

molestiis expedient. Etenim nihil est in arte nostra adeo firmum ratumque, quod mendax istud, atque impurum numorum genus, si fidem habebimus, non planissime evertat. En tibi luculentum ejus exemplum. Cum persuasum mihi esset literas alphabeti solitarias in familiarum numis sub extrema reip. tempora negligi coeptas, obturbavit quinarius gentis Sestiae a Morellio loco III. propositus, qui in antica pone Iovis caput elementum A comite globulo offert. At constat, cognitos omnes L. Sestii numos per bellum civile Bruti et Cassii signatos. Attentius cum in rem inquirerem, patuit mala ejus numi causa, nam partem anticam male fugitivam apprehendit, retraxitque herus Titurius Sabinus, ut collati ejus numi docent. Addo denique alium alterius modi:

C. EGNATVLEI. C. F. *Caput Apollinis*, *infra* Q. X MAN. ACILIVS. IIIVIR. VALETV. *Valetudo stans.* (Liebe Gotha. num. p. 229.)

Est denarius, cum tamen pars antica non exstet, nisi in quinariis. Vtrum bis peccaverit monetarius, an falsarius, is inquirat, qui numi fabricam, et an subaeratus sit, an non, coram potest inspicere.

CAPVT XVI.

De numis serratis.

Agimus hoc loco de numis, quorum ora exterior in serrae modum incisa est, unde et *serrati* dicti, non nostro quodam artis vocabulo, sed hoc jam a Tacito notati, cum de Germanis veteribus scribit a): *Pecuniam probant veterem, et diu notam*, serratos, *bigatosque.* Ingens exstat numorum hujus modi copia, sed in hac tantum familiarum classe, suntque tales denarii tantum; quinarii, aut aurei, aeneive nondum observati. Quae fuerit hujus causa instituti, indagandum. Verisimilis est eorum sententia, qui istud factum censent propterea, ut ope hiantis introrsum orae subaerati facilius discernerentur, et ars difficilior evaderet iis, qui monetae adulterandae institutum professi sunt. Enimvero credibile est, non aliam ob causam, quod refert Tacitus,

a) De morib. Germ. c. 5.

id numorum genus Germanis fuisse probatum, quam quod prae aliis suspicione latentis intus aeris caruit, uti et praetulere bigatos veteres, quia vetus moneta argentea, cujus typus potior fuerunt bigae, et argenti purioris fuit, et ponderis justioris, quam quo tum pecunia Augustea signabatur. Reperit tamen cupiditas, cui nihil non pervium, etiam hos numos adulterandi modum; nam ejus generis aliquot sunt exempla in museo Caesareo, et alibi, quae pertusa pellicula latens ignobile metallum produnt. Quam causam esse putant, cur fallente hac quoque cautione ad veterem modum sit reditum. Dixi, sententiam hanc esse verisimilem; nam certam spondere non ausim. Continuo enim videbimus, ex numis una eademque aetate signatis alios fuisse serratos, alios non item; deinde si addita serra fuit ad detegendam fraudem in denariis, mirum videatur, cur eadem cura non etiam impensa fuerit quinariis, qui item fuere argentei, et in quos non minore rabie saevitum ab impostoribus. Accedit denique, modum contrarium in numis regum Syriae observatum; nam ex his argenteus nullus est serratus, at fuit tempus, quo aeneos in serrae modum finxerunt. Vt ergo hujus apud Syros instituti causa certe non fuit metus, ne pecunia corrumperetur, sic etiam apud Romanos alia potuit ejus intercedere causa, quam ignoramus, et forte alia non fuit, quam unum arbitrium, et novandi libido, quam deinceps retinuere alii, alii non item. Quid quod unus idemque magistratus aliis denariis suis serram addidit, in aliis abstinuit. Sic serrati sunt denarii Egnatii, qui mulierem bigis vectam exhibent, at non illi, qui alios habent typos, etsi omnium eundem esse auctorem Egnatium ipsa epigraphe doceat. Idem etiam conjicio ex numis Papiae, et Prociliae. Adverto denique, si qui ejusdem speciei sunt serrati, serratos esse omnes qui ad eam pertinent. Ita serrati sunt omnes Papii cum typo gryphi currentis, omnes Procilii cum typo Sispitae in bigis, omnes Antonii Balbi, Scipionis Asiagenis, verbo omnes, quorum mox catalogum habebis. Si qui ex his serrati non sunt, certum habeto, aut esse spurios, aut subaeratos, aut semibarbaros, et quod sequitur, aut clandestine, aut certe nulla magistratus Romani auctoritate percussos, quorum omnium plura exempla sunt in museo Caesareo.

Restat examinandum, quo tempore hic modus coeperit, et quo desiverit. Quod antequam exsequar, lubet eorum catalogum ex solo museo Caesareo praefigere. Vtrum praeter hos, quos describam, alii adhuc exstent serrati, ignoro; nam auctores nostri, qui aut catalogos numorum confecere, aut iconismos proposuere, hanc memorare peristasin plerique neglexerunt.

Catalogus numorum serratorum.

Afrania. Numus: M. AFRA. ex solo museo Caesareo cognitus. Eum vide infra loco suo descriptum.

Antonia. Denarii L. Balbi omnes.

Aquillia. Denarius: VIRTVS. III-VIR, in X MAN. AQVIL. MAN. F. MAN. N. SICIL.

Aurelia. Denarii L. Aurelii Cottae omnes.

Claudia. Denarii: TI. CLAVD. TI. F. AP. N. serrati omnes.

Cornelia. Denarii L. SCIP. ASIAG. serrati omnes.

Crepereia. Denarii ejus omnes serrati.

Domitia. Vide in Licinia.

Egnatia. Denarii: C. EGNATIVS. CN. F. CN. N., sed ii tantum, in quorum aversa sunt bigae.

Fufia et *Mucia.* Inscripti KALENI. CORDI. omnes.

Hosidia. Denarii ejus omnes ejusdem legis.

Licinia. Denarii omnes, quorum aversa in segmento inferiore exhibet IIviros L. LIC. CN. DOM. variante magistratu tertio in antica, quos omnes in gente Cosconia descriptos vide, serrati sunt.

Manilia. Denarii cum typo Vlyssis omnes.

Maria. Denarii C. Marii Capitonis omnes.

Memmia. Denarii: L. MEMMI. GAL. serrati sunt omnes, sed inscripti: L. C. MEMIES. L. F. GAL., et semibarbari, serrati non sunt.

Naevia. Denarii C. Naevi Balbi omnes.

Papia. Denarii, in quorum aversa gryphus currens.

Poblicia. Denarii: C. POBLICI. Q. F. typo Herculis leonem suffocantis.

Postumia. Denarii tantum ii, qui inscribuntur: A. POST. A. F. S. N. ALBIN.

Procilia. Denarii tantum ii, in quorum aversa Iuno Sispita bigis invehitur.

Roscia. Ejus denarii serrati omnes.

Sulpicia. Denarii: C. SVLPICI. C. F. typo scrofae jacentis serrati omnes.

Vettia. Serrati omnes.

Volteia. L. Volteji Strabonis serrati.

De serratorum initio et progressu haec eruo. Sub initia signati Romae argenti percussi certe non sunt. Constat, primis his temporibus familiarum nomina monetae inscripta non fuisse. At serratum hactenus non vidi, qui harum aliquam non admisisset. Vetustissimi, quorum possimus aetatem indicare, sunt Scipionis Asiagenis, signati anno V. C. 564. Eadem tempora, aut forte altiora, videntur exigere denarii Liciniae et Domitiae, quod plura continent vetustioris rationis argumenta, ut dicetur in Cosconia. Subinde per intervalla signatos, et quidem adhuc post dimidium saeculi ab urbe condita VII., probat non modo elegantia, et novitas typorum, sed etiam quod satis liquido constet denarios Postumiae signatos circa annum V. C. 650, Muciae post annum 653, Aquilliae post annum 655, ut infra ad singulos observabitur. Vltra haec tempora deinceps certum nullum. Inde a I. Caesare nullus amplius ejus modi conspiciendus. Quare neutiquam audiendus Bouterovius, cum adserit, eos signatos inde a M. Antonio IIIviro, ut ejus fraudibus occurreretur denariis ferrum miscentis [a]. Et nescio, qua scientia adserere potuerit cl.

a) Recherch. cur. p. 98.

Beauvais, reperiri serratos cum capitibus I. Caesaris, M. Antonii, et Augusti [a]). Ipse sane horum nullum serratum hactenus vidi.

CAPVT XVII.

De numis restitutionum.

Magna est numorum copia omnis metalli, in quorum aversa memoratur aliquis imperatorum adjecto post omnes ejus titulos vocabulo REST., rarius plene RESTITVIT. Eos antiquarii appellare solent *numos restitutos*, mallem *numos restitutionum*, quia, ut dicetur, το REST. non in omnibus numum restitutum, sed restitutum aliud indicat. In istud numorum genus commentati sunt omnes artis nostrae magistri, omnium liberalissime cl. le Beau dissertatione in VI. partes tributa, quarum tres priores exstant in Memoriis inscriptionum Tom. XXI. p. 333, posteriores Tom. XXIV. p. 151.

Antequam ad ejus vocabuli explicationem aggredior, necesse duco, similium numorum catalogum praemittere, in quo componendo sequentes mihi leges praefixi. I. Eos secundum tria metalla enumerabo addito restitutoris nomine. II. Adsidue monebo, qui ex numis his sua habeant archetypa, qui non, aut si qua in re ab archetypo deficiant. III. Inseram etiam numos Augustorum et Caesarum, sine quibus judicium in hoc examine exerceri nequit. IV. Solos tantum numos certae fidei adferam, et quos testes idonei viderunt, probaveruntque. Negligam igitur eos omnes, quorum praeco unus est Mediobarbus, cujus quidem jam auctoritati detraxit laudatus le Beau, sed tamen, ut videtur, justo plus indulsit. At quod in erudito hoc Gallo jure culpaveris, est, quod numos quosdam singulares ex museo regio non suo testimonio, sed Harduini, aliorumque refert, cum tamen ejus interesset, de numorum, in quos tanto nisu commentatus fuerat, fide esse securum, eosque coram inspicere.

---

a) Hist. abr. Tom. III. p. 425.

§. I.

Numi restitutionum argentei.

Sunt omnes opus Trajani, dempto numo D. Trajani, in quo legitur restitutor Hadrianus, et numo M. Antonii IIIviri, quem restituerunt M. Aurelius, et L. Verus. In aversa numorum omnium a Trajano restitutorum legitur scripta in orbem epigraphe: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST., quam adeo deinceps repetere necesse non duco.

Numorum hujus classis omnium, dempto citato Hadriani, habemus archetypa cum restitutis plene conspirantia, si levissima in uno, alterove discrimina demas.

Numi consulares.

Caput Iani imberbe laureatum. ℞ *Iuppiter in citis quadrigis d. fulmen intorquet, s. sceptrum, Victoria habenas moderante, inferne* ROMA, *literis introrsum hiantibus.* (Mus. Caes. editus olim a Neumanno Num. Pop. P. II. p. 181.)

Prototypon proposui Sectione I. cap. VI. §. 2, a quo solo pondere deficit. Vide, quae de hoc denario notabo infra.

Caput Palladis galeatum alatum, pone X, *infra* ROMA. ℞ *Mulier galeata clypeis insidens s. hastae innititur; ante eam lupa gemellos lactans, in area superne, et utrinque prora navis.* (Vaillant in incertis. Morelli in incert. fam. tab. I. lit. H. Pembrock Part. III. tab. 93. M. C. de Vitzai.)

Vide archetypon Sectione I. cap. V., sed in hoc pro duabus navium proris sunt totidem aves advolantes, incerta hujus discriminis ratione.

Numi familiarum.

Aemiliae. *Caput Vestae velatum, ante quod simpulum, pone corona.* ℞ M. LEPIDVS. AEMILIA. REF. S. C. *Basilica Aemilia.* (le Beau.)

Caeciliae. *Caput Pietatis, prae quo ciconia.* ℞ Q. C. M. P. I. *Elephas loricatus.* (Morelli.)

Archetypa nobis cognita lorica carent.

Carisiae. MONETA. *Caput muliebre.* ℞ T. CARISIVS. *Incus, pileus Vulcani, forceps, malleus.* (Panel ex le Bret Mem. Trevoux.)

Cassiae. Q. CASSIVS. VEST. *Caput muliebre velatum.* ℞ *Templum rotundum, intra quod sella curulis, in area hinc urna, illinc tabella, cui inscriptum* A. C. (Morelli.)

Claudiae. MARCELLINVS. *Caput virile imberbe nudum, pone triquetra.* ℞ MARCELLVS. COS. QVINQ. *Templum 4 columnarum, ad quod vir velatus, et togatus accedit tropaeum gestans.* (Morelli.)

Cornelia. AVGVSTVS. *Caput Au-*

gusti. ⅹ COSSVS. CN. F. LENTVLVS. *Statua equestris viri galeati d. tropaeum tenentis, in ejus basi prora navis.* (Mus. Caes. Morelli.)

Ejusdem. AVGVSTVS. COS. XI. *Caput laureatum.* ⅹ M. AGRIPPA. COS. TER. COSSVS. LENTVLVS. *Caput Agrippae corona turrita intextis navium rostris redimitum.* (Morelli.)

Ejusdem. *Lentuli Marcellini.* Vide in Claudia.

Cornuficiae. *Caput Cereris.* ⅹ. Q. CORNVFICI. AVGVR. IMP. *Vir velatus, et togatus stans d. lituum coronatur ab adstante Iunone Sispita.* (Morelli.)

Didiae. Ejus numus citatur a Bimardo, (ad Iobert. T. I. p. 287.) et Beauvais (Hist. abr. T. I. p. 198.)

Horatiae. COCLES. *Caput Palladis galeatum alatum, pone* X. ⅹ *Dioscuri equites, infra* ROMA. In alio *infra Dioscuros caput humanum.* (Morelli.)

Iuniae. LIBERTAS. *Caput Libertatis.* ⅹ BRVTVS. *Consulis processus inter duos lictores praeeunte accenso.* (Morelli.)

Livineiae. *Caput virile nudum imberbe.* ⅹ L. LIVINEIVS. REGVLVS. *Modius inter duas spicas.* (Theupoli.)

Lucretiae. *Caput Solis radiatum.* ⅹ L. LVCRETI TRIO. *Luna inter septem triones.* (Morelli.)

Mamiliae. *Protome Mercurii, pone* E. ⅹ C. MAMIL. LIMETAN. *Vlysses gradiens, cui adblanditur canis.* (Morelli.)

Marciae. Auctoribus Bimardo, et Beauvais. (ll. cc.)

Mariae. CAPIT. LXXV. *Caput Cereris, prae quo flos.* ⅹ C. MARI. C. F. S. C. *Colonus arans, superne* LXXV. (Morelli.)

Memmiae. C. MEMMI. C. F. QVIRINVS. *Caput barbatum laureatum.* ⅹ MEMMIVS. AED. CERIALIA. PREIMVS. FECIT. *Ceres sedens d. spicas, s. facem, pro pedibus serpens.* (Morelli.)

Minuciae. Auctoribus Bimardo, et Beauvais. (ll. cc.)

Norbani. C. NORBANVS. *Caput Veneris, pone* CCIII. ⅹ *Spica, fasces cum securi, caduceus.* (le Beau ex Rothelin.)

Numoniae. C. NVMONIVS. VAALA. *Caput imberbe nudum.* ⅹ VAALA. *Miles vallum castrorum oppugnat, binis intus illud defendentibus.* (Vrsinus, Pellerin Mel. I. p. 192.)

Pompeiae. M. PIVS. IMP. ITER. *Caput Cn. Pompeji inter lituum et urceum.* ⅹ PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT. EX. S. C. *Fratres pii parentes efferunt.* (Catal. d'Ennery p. 335.)

Rubriae. DOSSEN. *Caput Iovis, pone sceptrum.* ⅹ L. RVBRI. *Lentae quadrigae, ex quibus superne avolat Victoria.* (Morelli.)

Ejusdem. DOS. *Caput Iunonis velatum, pone sceptrum.* ⅹ L. RVBRI. *Idem typus.* (Morelli.)

Ejusdem. DOS. *Caput Palladis.* ⅹ L. RVBRI. *Lentae quadrigae, ex quibus superne defixa Victoria in citis bigis vecta.* (Morelli.)

Scriboniae. LIBO. BON. EVENT. *Caput muliebre fascia redimitum.* ⅹ PVTEAL. SCRIBON. *Puteal, ex quo pendent duae lyrae, et encarpi.* (Pembrock P. III. tab. 93.)

Sulpiciae. L. SERVIVS. *Caput nu-*

dum modice barbatum. ☧ *Viri duo nudi hastati stantes imminente capiti astro.* (Morelli.)

Titiae. *Caput diadematum alatum cum barba prolixa.* ☧ TITI. *Pegasus volans.* (Morelli.)

Tulliae. *Caput Palladis galeatum alatum, pone* ROMA. ☧ M. TVLLI. *Victoria in citis quadrigis s. palmae ramum, in area corona, et* X. (le Beau ex Rothelin.)

Valeriae. ACISCOLVS. *Caput Solis radiatum, pone malleus.* ☧ L. VALERIVS. *Luna in citis bigis.* (Morelli.)

Ejusdem. ACISCVLVS. *Caput juvenile diadematum imminente astro, pone malleus.* ☧ L. VALERIVS. *Europa tauro vecta.* (Mus. Caes.)

Ejusdem. *Protome Victoriae cum caduceo.* ☧ C. VAL. FLA. IMPERAT. EX. S. C. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* (Catal. d'Ennery p. 161.)

* * *

Iulii Caesaris. *Caput Veneris.* ☧ CAESAR. *Aeneas Anchisen gestans.* (Morelli.)

Ejudem. *Instrumenta pontificalia.* ☧ CAESAR. *Elephas serpentem calcans.* (Morelli.)

Augusti. CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput Octaviani nudum.* ☧ *Sella curulis, super qua corona.* (le Beau ex Rothelin.)

Recedit ab archetypo, quod in hoc sellae inscriptum est: CAESAR. DIC. PER.

Ejusdem duos alios vide supra in Cornelia.

Agrippae. Vide supra in Cornelia.

Numus restitutoris Hadriani.

DIVVS. TRAIANVS. PATER. AVGVSTVS. *Caput Trajani.* ☧ IMP. HADRIAN. DIVI. NER. TRAIAN. OPT. FIL. REST. *Hadrianus stans ad aram sacrificat.* (Catal d'Ennery pag. 334. Mangeart pag. 53.)

Numus a M. Aurelio, et L. Vero restitutus.

M. Antonii IIIviri. ANTONIVS. AVGVR. IIIVIR. R. P. C. *Triremis.* ☧ LEG. VI. *Aquila legionaria inter duo signa militaria, in area:* ANTONINVS. ET. VERVS. AVG. REST. (Morelli.)

Differt ab archetypo, quod in hujus antica legitur tantum ANT. AVG., at in restituto plene ANTONIVS. AVGVR.

§. II.

Numi restitutionum aurei.

Hi quoque omnes restitutorem habent Trajanum dempto sexto, quem restituit Titus, sed quem ipsum suspectum putat le Beau. Epigraphe in his quoque: IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST.

Omnium horum aut nulla prorsus exstant archetypa, aut si quod simile exstat, notabile inter utrosque intercedit discrimen, ut ad singulos observabimus.

* * *

Iulii Caesaris. C. IVLIVS. CAES. IMP. COS. III. *Caput nudum calvum.* In aliis: DIVVS. IVLIVS. *Caput laureatum, et in nonnullis juxta cometa.* ℞ *Venus seminuda, et aversa stans sinistro cubito columnae innixa d. galeam, s. hastam transversam, pro pedibus clypeus.* (Mus. Caes. Morelli Impp., le Beau.)

Horum numorum archetypon non exstat, ut in moneta hujus Caesaris ad ejus numos restitutos monebo.

Ejusdem. DIVVS. IVLIVS. *Caput laureatum.* ℞ *Mulier alata gradiens d. vestem a pectore ad os adducit, s. caduceum, pro pedibus serpens.* (Ibid.)

Deest archetypon. Vide, quae ad hunc quoque numum loco citato monebo.

Augusti. *Epigraphe varia. Caput vario cultu.* ℞ AEGYPTO. CAPTA. *Crocodilus.*

Archetypon hujus aversae obvium est in argento, in auro nondum repertum. Neque etiam ulla ex ter varia capitis inscriptione, quam citat le Beau, in argenteis cum hoc aversae typo sub Augusto signatis reperitur. Ergo in his non numus, sed Aegypti captae memoria est restituta. Numum hunc in argento restitutum videre potes apud Morellium, (Impp Tab. XVII. n. 40.) sed hic museum non citat. Reliquum numi explicatum vide in numis Augusti.

Ejusdem. DIVVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.* ℞ *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* (Morelli, Mus. Farnes.)

Desideratur prototypon. Explicatur ibidem.

Tiberii. TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. *Caput laureatum.* ℞ *Mulier sedens d. hastam, s. ramum.* (Liebe pag. 439.) Alium addito in antica IMP. VIII. citat Harduinus ex museo Colbert.

Ejusdem. *Alius similis, sed restitutore Tito.* (Vaillant.) Sed hunc numum, ut dixi, in suspectis putat cl. le Beau.

Obvia sunt hujus numi archetypa aurea in moneta Tiberii, tamen in horum aversa praeterea legitur PONTIF. MAXIM.

Claudii. TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. *Caput laureatum.* ℞ CONSTANTIAE. AVG. *Mulier sedens d. pateram, s. cornucopiae.* (Vaillant.)

In archetypis mulier sedens cornucopiae non habet, et dexteram ori admovet.

Ejusdem. DIVVS. CLAVDIVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.* ℞ *Epigraphe restitutoris Trajani. Mulier sedens d. pateram, s. duplex cornucopiae.* (Morelli, Patin ad Suet. p. 283. ex thes. reg.)

Archetypon hujus numi non habetur.

Galbae. *Ejus epigraphe, et caput.* ℞ *Sola epigraphe restitutoris Trajani. Libertas stans d. pileum, s. hastam.* (le Beau, Morelli Impp.)

Exstat archetypon aureum, sed in hoc praeterea legitur LIBERTAS. PVBLICA.

Vespasiani. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. *In aliis:* DIVVS. VESPASIANVS. *Caput laureatum.* ℞ *Sola epigraphe restitutoris Trajani. Tro-*

paeum, infra quod captivus genuflexus, in aliis tropaeum solum. (Mus. Caes. Morelli.)

Horum archetypa non comperta.

Ejusdem DIVVS. VESPASIANVS. *Caput laureatum.* ✕ *Sola epigraphe restitutoris Trajani. Fulmen pulvinari impositum.* (Patin Thes. num. p. 8. Morelli.)

Hujus archetypon exstat apud Morellium, (Impp. tab. X. n. 40.) sed argenteum, et cum inscriptione aversae: TR. P. IX. IMP. XV. COS. VIII. P. P., quae notae chronologicae docent, hanc aversam non ad Vespasianum, sed Titum pertinere. Ergo numus hic inter restitutos non habendus.

Ejusdem. *Alius sed: Capita adversa Mercurii et Iovis, infra astrum majus.* (Olim mus. de France Vindob.)

Archetypon desideratur.

Titi. *Epigraphe varia. Caput Titi.* ✕ *Sola epigraphe restitutoris Trajani. Fulmen supra sellam curulem, vel aram.* (le Beau.)

Hujus quidem numi prima exemplaria in auro exstant, sed in his inscribitur numerus trib. potestatis, consulatus, imperii.

Ejusdem. T. CAES. VESPASIANVS. AVG. *Caput laureatum.* ✕ *Eadem epigraphe. Tropaeum.* (Vaill.)

Idem judicium de hoc numo.

Nervae. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. P. P. *In aliis:* DIVVS. NERVA. AVG. *Ejus caput.* ✕ *Sola epigraphe restitutoris Trajani. Duae dexterae junctae.* (le Beau.)

Typus aversae obvius est in argenteis Nervae; aureum etiam similem citat le Beau, sed in his memoratur numerus consulatuum et imperii.

Ejusdem. DIVVS. NERVA. AVG. *Hujus caput.* ✕ *Eadem epigraphe. Statua imperatoris insidens thensae quam bini elephanti loricati cum suis singuli rectoribus trahunt.* (Vaill.)

Desideratur archetypon.

In hanc classem a nonnullis vocatur etiam numus sequens:

IMP. CAESAR. AVGVSTVS. *Caput Augusti nudum.* ✕ HADRIANVS. AVG. P. P. REN. *Figura togata stans d. duas spicas praefert, sinistra togae involuta.* AR. max. mod. (Baldinus ad Vaill. T. II. p. 30. ex mus olim Apost. Zeno.)

Baldinus truncum vobabulum REN. explet legendo REN*ovavit*, tanquam scilicet Hadrianus Augusti memoriam post centum annos, ex quo decesserat voluisset renovare. Lautae conjecturae. Eandem lectionem approbat quoque cl. Morcellus, (Stil. inscript. p. 220.) sed existimat, verbum *renovavit* positum esse pro usitato *restituit*, et significare, ab Hadriano veterem monetam perinde, atque a Tito aliisque factum, restitutam fuisse. Sed hanc opinionem, quae infra subjiciam, praecepta evertunt. Ceterum numus hic ad praesentem classem certe non pertinet. Nam primum, etiamsi demus, legendum REN*ovavit*, tamen incertum semper manebit, quidnam renovasse intelligendus sit Hadrianus. Deinde satis apparet, numum hunc, quia maximi moduli est, in urbis moneta inusitati, peregre extra urbem signatum, qua de lege in imperatorum numis frequens redibit sermo. Ac numos quidem hujus formae argenteos cum Trajani ac Hadriani mentione non paucos habemus superstites,

fere omnes per Orientis provincias signatos, quos partim in his, partim in ipsorum moneta recensemus. Sed et satis habeo compertum, numum hunc, qui modo in museo S. Floriani servatur, omnia praeferre commatis peregrini indicia. Quare verisimile est, Augusti quoddam templum, qualia plura per provincias, ac praecipue Asiam stabant, ejusque simulacrum, quale in hujus numi aversa proponitur, ab Hadriano fuisse renovatum. Nequaquam temere istud conjicio; non enim unicum hoc esset beneficium ab Hadriano Augusti aedi impensum. Narrat Spartianus de hoc imperatore a): *Post haec Hispanias petit, et Tarracone hiemavit, ubi sumptu suo aedem Augusti restituit.* Similia autem beneficia non principum modo, sed et privatorum nonnunquam fuisse in numis jactata, (nam horum mentione abundant marmora) docet denarius Aemilii Lepidi cum epigraphe: AIMILIA. REF*ecta*, tum et numi a Tripolitanis Cariae imperante Trajano cusi, in quorum aversa praedicatur, *Theodorum Tripolin vallo munivisse.* Probe autem vocabulum *renovare* ad substructiones fuisse adhibitum, docebit Cicero b): *vides Honoris templum a M. Marcello renovatum.* Arbitretur lector, cujus explicatio videatur praeferenda.

§. III.

Numi restitutionum aenei.

Hujus metalli numi restitutores habent Titum, Domitianum, Nervam. Si qui restitutorem alium memorant, quod nonnunquam fieri in catalogis videmus, in suspectis habendi.

Epigraphe restitutorum variat, ut variat etiam in aliis eorum numis. Domitianus in his nomen suum saepe solo D indicat. Sub finem additur REST. vel plene RESTITVIT.

* * *

Augusti. DIVVS. AVGVSTVS. PATER. *Caput radiatum.* ✕ PROVIDENT. S. C. *Ara.* Restituerunt *Titus*, *Domitianus*, *Nerva.* Vox PROVIDENT. in nonnullis abest. AE. II. (le Beau.)

Exstat hic numus sine restitutionis indicio.

Ejusdem. DIVVS. AVGVSTVS. *addito in aliis* PATER. *Caput vel radiatum, vel nudum.* ✕ S. C. *Aquila super globo, vel fulmen unguibus stringens.* Restituerunt *Titus*, *Domitianus*, *Nerva.* AE. II. (le Beau.)

Habentur id genus archetypa.

Ejusdem. DIVVS. AVGVSTVS, *addito etiam:* PATER. *Caput vel radiatum, vel nudum.* ✕ S. C. *Fulmen.* Restituerunt *Titus*, *Domitianus*, *Nerva.* AE. II. (le Beau.)

Horum quoque exstant archetypa.

Ejusdem. DIVVS AVGVSTVS. *ad-*

a) In Hadr. cap. 12. b) de nat. deor. L. II. c. 23.

dito in aliis PATER. *Caput vel radiatum, vel nudum.* ℞ S. C. *Globus cum transverso gubernaculo.* Restituerunt *Titus, Domitianus, Nerva.* AE. II. (le Beau.)

Habetur utriusque partis typus in numis aeneis II. formae Augusti vivi, sed diversa utrinque inscriptione. Restituti ergo tantum sunt typi.

Ejusdem. DIVO. AVGVSTO. S. P. Q. R. *Duo capricorni globum et gubernaculum attinent, superne corona, intra quam:* OB. CIVES. SER. ℞ *Aquila fulmini, vel globo insistens.* Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* AE. II. (le Beau.)

Archetypa mihi ignota.

Ejusdem. DIVVS. AVGVSTVS. PATER. *Caput radiatum.* ℞ S. C. *Victoria gradiens et tenens clypeum, cui inscriptum*: S. P. Q. R. Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* AE. II. (le Beau.)

Prima horum exemplaria mihi ignota.

Ejusdem. DIVVS. AVGVSTVS. *addito in aliis* PATER, *in aliis:* DIVI. F. PATER. PATRIAE. *Caput laureatum.* ℞ S. C. in medio numi. Restituerunt *Titus, Domitianus, Nerva.* AE. I. (le Beau.)

Horum quoque archetypon mihi ignotum.

Ejusdem. DIVVS. AVGVSTVS. PATER. *Augustus sedens d. pateram, in aliis ramum oleae, s. hastam.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* AE. I. (le Beau.)

Similis adversa est in numis Tiberii nomine cusis.

* * *

Agrippae. M. AGRIPPA. L. F. COS. III. *Ejus caput cum corona rostrata.* ℞ S. C. *Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem.* Restituerunt *Titus* et *Domitianus.*

Obvia sunt archetypa similia.

* * *

Drusi senioris. NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERMANICVS. IMP. *Caput nudum.* ℞ S. C. *Arcus triumphalis, cui inscriptum:* DE. GERM. Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* AE. I. (le Beau.)

Eadem aversa habetur in numis a Claudio cusis.

Ejusdem. *Eadem adversa.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituit *Titus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Archetypon non habetur.

* * *

Tiberii. CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS. *Tiberius togatus sedens d. pateram, s. hastam.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituit *Titus.* AE. I. (le Beau, Morelli.)

Idem numus est in moneta Tiberii variante sola aversae inscriptione.

Ejusdem. TI. CAES. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. VIII. *Ejus caput.* ℞ S. C. *Caduceus alatus.* Restituit *Titus.* AE. II.

Numus in Tiberio obvius, sed alia aversae inscriptione.

Ejusdem. IVSTITIA. *Caput Iustitiae.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituit *Titus.* AE. II. (Morelli.)

Idem est in moneta Tiberii, sed in aversa inscribuntur hujus tituli.

Ejusdem. *Epigraphe et caput Tiberii.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* AE. II.

Idem de his judicium.

* * *

Drusi jun. PIETAS. *Caput Pietatis.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* AE. II.

Exstant similes, sed in quorum aversa sunt tituli Drusi jun.

Ejusdem. DRVSVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. *Caput nudum.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* AE. II.

Est in numis Drusi, sed in aversa continuantur ejus ipsius tituli.

* * *

Germanici. GERMANICVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. *Ejus Caput.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* AE. II.

Adversa est in numis, quorum aversae titulos Caligulae, et Claudii exhibent.

* * *

Agrippinae senioris. AGRIPPINA. M. F. GERMANICI. CAESARIS. *Hujus caput.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituit *Titus.* AE. I.

Pars antica est in numo, cujus aversa titulos Claudii sistit.

* * *

Claudii. TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Hujus caput.* ℞ S. C. *Ceres sedens d. ramum, s. facem.* In aliis: *Mulier galeata paludata stans dexteram ori admovet, s. hastam.* In aliis: *Libertas stans.* In aliis: *Spes gradiens.* In aliis: *Pallas telum intorquens.* Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* (Morelli.)

Hi numi habentur in moneta Claudii, nisi quod in hac plerumque adscribuntur dearum nomina.

* * *

Galbae. *Ejus epigraphe et caput.* ℞ S. C. *Libertas stans.* In aliis: *Mulier stans armorum congeriem incendit.* In aliis: *Mulier stans d. bilancem, s. hastam.* Restituit *Titus.* AE. II. (Morelli.)

Exstant in moneta Galbae haec archetypa, sed in horum aversa leguntur dearum nomina.

Ejusdem. *Ejus epigraphe et caput.* ℞ S. C. *in medio numi.* Restituerunt *Titus* et *Domitianus.* AE. II. (Morelli.)

Horum archetypa desiderantur.

* * *

Othonis. M. OTHO. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Caput nudum.* ℞ IMP. T. CAES. DIVI. VESP. F. AVG. - - - *in medio* S. C. AE. II. (Pedrusi Mus. Farnes. Tom. VIII p. 317.)

IMP. OTHO. CAESAR. AVGVST. TR. P. *Caput nudum.* ℞ IMP. TITVS. AVG. RESTIT. *Figura militaris stans d. elata, s. hastam.* AE. II. (Morelli Impp. Mus. d'Ennery p. 521.

Hos Othonis numos neglexit le Beau, haud dubie, quod spurios crediderit. De eorum fide agemus in ejus Augusti moneta.

* * *

Iulia Titi. IVLIA. IMP. T. AVG. F. AVGVSTA. *Hujus caput.* ℞ IMP. D. VESP. AVG. F. REST. S. C. *Vesta velata et stolata dextrorsum sedens d. Palladium, s. facem praefert.* AE. II.

His verbis numum hunc usque huc aliis omnibus ignotum ex museo Apostoli Zeno descripsit Baldinus. (ad Vaill. T. II. p. 38.) Dedi operam, ut cime-

lii hujus, quod nunc in museo S. Floriani Austriae superioris adservatur, fidem haberem exploratam. Ajebat vir artis nostrae peritissimus, qui meo rogatu numum inspexit, in partis aversae scriptura observari manifesta admoti scalpelli vestigia, inscriptionem vero non esse talem, qualem prodidit Baldinus, sed: IMP. D. VESP. AVG. REST., quae adeo suapte imperitum falsarium arguit; neque enim Domitianus unquam Vespasiani nomen tulit. Ergo Baldinus literam F. post AVG., quo vitium velaret, ultro intrusit, ut sensus sit: *Domitianus* VESP*asiani* AVG. F*ilius*. Sed neque sic sublata omnis culpa. Vespasiani enim nomini appellatio *divi* praefigenda fuerat. Satis igitur causae, cur numo huic, qui ceteris partibus vere antiquus videtur, fidem abrogemus.

Animadversiones

in descriptos restitutionum numos.

Eruditus baro Bimardus sic de isto numorum genere judicat [a]). *Restitutos*, ait, appellamus numos tam consulares, quam imperatorios, in quibus supra primaevum typum, et inscriptionem observamus nomen ejus imperatoris, qui eos secundo feriit, addito vocabulo REST. Non igitur numos restitutos proprie dici posse aut illos, in quibus Gallienus praecedentium Augustorum consecrationes restituit, aut illos, in quibus Augustus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero capita I. Caesaris, Augusti, Liviae, Agrippae etc. expressere, quia in his revocati non sunt veteres typi, sed numi sunt plane novi, seu typum spectes, seu matricem. Bimardo in praesente causa cum praecedentibus antiquariis fere convenit, sic ut necesse non sit, aliorum quoque sententiis commemorandis immorari.

Non adrisit vetus haec opinio erudito le Beau. Nam I. nullum, ait, reperiri in veterum scriptis testimonium, quod restitutos a successoribus praecedentium Augustorum numos traderet. II. Nullam posse adferri verisimilem causam, quae ad istud institutum Augustos impulerit, neque ullo pacto valere posse eas, quas commemorant alii. Sic, qui censuere, factum istud, ut haberetur honos principibus vita functis, aut vetustis reip. familiis, non expendisse, inter hos occurrere etiam Tiberium, et Claudium, qui nullos sane honores promeriti sunt, non paucas vero familias parum illustres, et plerasque jam tum exstinctas. III. Omnes has, similesque conjecturas prorsus everti numis inscriptis DIVVS. NERVA a Trajano addito REST. percussis. An enim verisimile, a Trajano restitutum numum, quem feriri ipse jussit?

Rejectis his sententiis aliam multo, ut putat, praestabiliorem inducit. Existimat, verbum *restituit* significare, imperatorem, quem numus restitutorem appellat, restituisse monumentum quoddam publicum ejus sive imperatoris, sive hominis illustris, cujus nomen numus prodit. Argumenta compendio haec sunt: I. Copiosa exstant veterum

a) Ad Iobert. T. I. p. 285.

testimonia de operibus publicis, quae sive aevo fatiscentia, sive incendio vexata restituerunt Augusti, de numis nullus illis sermo. II. Quod numi similes incipiant sub Tito, et desinant sub Trajano, expedita ratio. Constat, Romam per incendia sub Nerone, Vitellio, Tito magna accepisse detrimenta, amplam adeo restitutionum materiem habuisse Titum, et successores. Multis aliis profusis conjecturis, ut novae huic sententiae aliquam veri speciem daret, locupletem omnium istius generis numorum catalogum instruit, et ad singulos monet, quod, et quale fuerit monumentum ab imperatore restitutum, et quando istud ex typis probare nequit, quod fere semper, sua is praesto habet effugia, v. c. statuit, monumenta publica indicari etiam iis typis, qui nonnisi symbolici videri possint, quales sunt: duae manus junctae, aquila consecrationis etc. haec igitur cum restitueret imperator, restituit memoriam ejus, qui monumenti auctor exstitit, restituendo una cum monumentis ipsos etiam typos, qui haec designabant. Haec auctor clarissimus in prolixa dissertatione, quae exstat in Mem. d'Inscr. et B. L. Tom. XXI. p. 350, et Tom. XXIV. p. 204.

Quod primum occurrerat summa prolixae ejus dissertationis capita volventi, erat illud Epicharmi; μεμνασο απιστειν. Adeo speciosa in ea sunt omnia, unius digna Harduini ingenio. Perstringam paucis, quae fidem plane elevant commemoratis primum binis argumentis, quae ipse sibi objecerat [a]). I. Bona horum numorum pars aliud in aversa non offert, quam nudum S. C., an et istud potest monumenti restituti vice accipi? Auctor eruditus satis verbose eam conatur mollire difficultatem [b]), sic tamen, ut satis appareat, cymbulam in vado destitui. II. Exstat numus M. Antonii cum typo hinc navis, illinc signorum militarium, quem in argenteis restitutis postremum descripsi. An et navis, et signa monumentum sunt? an et manus junctae, instrumenta pontificalia, fulmen, aliaque? Qua ratione ab hoc se laqueo expedire conatus sit, paullo supra diximus, utrum vere emerserit, arbitretur lector. Addo III. Numi D. Augusti, restituti a Tito, Domitiano, Nerva, eosdem saepe in aversa habent typos, aquilam globo vel fulmini insistentem, fulmen, aram Providentiae, globum cum gubernaculo. Sequetur ergo ex doctrina cl. le Beau, omnes tres imperatores uno eodemque monumento restituendo fuisse occupatos. IV. Verisimile est, urbis incendia, aut aevum non modo corrupisse monumenta principum, sed etiam illustrium reip. virorum, qualia multa Romae stetere, Pompeji M., M. Lepidi, Scauri, aliorumque. Vidimus ex praefixo catalogo, solos principes memorari a restitutoribus Tito, Domitiano, Nerva. An ergo hi unorum principum opera restituerunt omissis privatorum operibus, quorum tandem miseratio ceperit Trajanum? V. Argumento petito ex numo, qui inscribitur: DIVVS. NERVA,

---

a) B. L. Tom. XXI. p. 349. b) l. c. p. 392.

ridiculum visum est auctori, a Trajano restitui numum, quem ipse feriundum curavit. Sed enim an non aeque ridiculum, monumento, quod Nerva recens posuerat, post pauculos annos restitutione Trajani opus fuisse? VI. Cum numi opus aliquod restitutum eloquuntur, addere solent ipsius etiam operis picturam. Sic in numo Antonini Pii scribitur: TEMPL. DIVI. AVG. REST., et additur forma templi octo columnarum. An simile quid in his, de quibus agimus, numis, aut nonnisi per conjecturas debiles? VII. Si veri sunt Othonis numi, an verisimile, potuisse hunc principem propter imperii sui et turbas, et brevitatem operi publico esse intentum? Mitto, ne me, lectoremque incassum vexem, sexcenta alia, quae auctoris nostri sententiam expendenti suapte sese offerent.

Si quis, quae mea sit in re ambigua sententia, exquirat, ajo, in hac quoque causa, perinde ac in quavis alia, certa in certis putanda, reliqua in incertis, ac forte desperatis, aut tantisper seponenda, dum forte aliquando lux major adfulgeat. Enimvero expenso, quem supra proposui, horum numorum catalogo, tria illo restitutionum genera video contineri, I., veram ipsorum numorum restitutionem, II. restitutionem imaginis principis, ac praeterea III. in nonnullis restitutionem tantum typorum, aut insignis cujuspiam facti. Singula paucis explicemus.

I. Numum in sensu primo restitutum appello eum, qui sic ad archetypi sui formam est exactus, ut non modo utriusque partis typi, et inscriptiones, et metallum, sed etiam, si qua ἀδιαφορα habet primaevum exemplar, plane conspirent, adeo ut, nisi adesset restituentis nomen, unum ab altero vix discerneres. Vtrumque obtinere in numis argenteis omnibus a Trajano restitutis et non paucis aeneis, adeo certum est, ut primo conspectu continuo appareat monetarium alterum restituendo ad omnes apices archetypo anxie ac religiose fuisse intentum. Patet istud continuo ex denario I., in quo monetarius ne quidem rationem literarum introrsus hiantium, quae eadem est in archetypo, et raro in aliis familiarum numis, in imperatoriis nunquam occurrit, negligendam duxerit, ut recte jam advertit pretiosi hujus cimelii et possessor olim, et praeco Neumannus [a]). In numo gentis Mamiliae est litera solitaria E., in Maria, et Norbani notae arithmeticae, et quidem in Maria etiam utrinque, omnia ex archetyporum praecepto, quae literae ac notae etsi monetariorum tantum fuere discrimina, quia tamen ab altero scalptore retentae fuerunt, vel ideo canore arguunt, aliud illi propositum non fuisse, quam ut numum restitueret. Idem a monetario in exprimendis secundum archetypon minutis sigillis, quae vulgo contemnuntur, observatum videas. In numo gentis Numoniae est vetus orthographia VAALA Trajani aetate pridem antiquata. Haec si animo minus praejudicato reputasset cl. le Beau, nihil, credo, in his numis aliud vidisset praeter Trajani lubidinem numos ipsos restituere vo-

a) Num. pop. P. II. p. 181.

lentis. Sed reticent, istud, ait, scriptores veteres. At ex cujus ipse testimonio intellexit, imperatores his numis non numos restitutos, sed restituta monumenta intelligi voluisse? Quod ego doceo, usurpamus oculis, et palpamus manibus, ipse causam suam auguriis ejus generis tuetur, qualia sibi non ab Apolline illo Pythio, sed Apolline Tortore, quem observavere quoque Romani [a]), reor fuisse dictata. Neque tamen, quod existimat, usque adeo invidos habemus veteres, ut non aliquam saltem luculam nobis indulgeant. Xiphilinus, postquam de Trajano ex Dione narrasset [b]), eum Pomptinas paludes silicibus stravisse, pontesque in iis magnificentissimos fecisse, addit, *το τε νομισμα παν το ἐξιτηλον ἐξεχωνευσε*, *et omnem pecuniam evanidam attritamque conflasse.* Liceat et mihi esse auguri. Quem antea magnifica statuisse opera perhibet Xiphilinus, eum denique refert pecuniam longo aevo exesam, et inutilem conflasse, perinde quasi istud non ab omnibus omni tempore factum esset, et commemorando trito hoc facto, quod ne mentionem quidem merebatur, aliquid posset gloriae Trajano accedere, qui amplissimis rebus bello ac pace gestis immortale sibi nomen peperit. Verisimile sane, a Dione postremis his verbis aliquid amplius, dignumque Trajani ingenio fuisse additum, et quidem illud ipsum, quod re factum videmus, *ex eaque veteres reip. numos restituisse*, quae quidem, aut his similia verba Xiphilinus in breviario suo omiserit. Enimvero Trajani aetate quae potuit esse evanida, et attrita pecunia, nisi vetus illa consularis, quam restituendo consuluit reverentiae veteris reipublicae, perinde atque Antoninus Pius, quem vetera nascentis imperii decora in numis restituisse videbimus. Diximus, argenteos, quos habemus, nonnisi a Trajano restitutos, ex qua lege eximendi duo postremi, quorum prior Hadriani restituit memoriam patris Trajani, cujus archetypon non exstat, alter restitutus a M. Aurelio et Vero, in quo tamen nonnihil a primo exemplo discessum; nam pro ANT. AVG. plenius scribitur ANTONIVS. AVGVR. Quae fuerit Aurelio hujus ristituendi numi causa, et quidem tantum LEG*ionis* VI., ignoramus. Cur nullum consularem, vel familiae in auro restituerit Trajanus, expedita ratio. Restituit is numos, quales ab origine fuere, habita ergo etiam metalli ratione. At monetam auream Romae nonnisi inde a I. Caesare feriri coeptam, alibi probabile dixi [c]). Quod de restitutis ad omnem archetypi rationem argenteis dixi, intelligi etiam debet de compluribus aeneis, praecipue Augusti, et Agrippae, ut docet catalogus.

II. Numi, in quibus restituuntur imagines principum, ad hanc classem pertinent cumprimis aenei, in quorum aversa praeter S. C. aliud nihil habetur; ex quo aliud intelligere non possumus, quam placuisse Tito, Domitiano, Nervae, ex quacunque demum causa, eorum imagines revocare.

III. Ad hanc classem, in qua vel typi

---

a) Suet. in Aug. c. 70. b) L. LXVIII. §. 15. c) Sect. I. cap. IV.

tantum restituuntur, vel singularia quaedam facta in memoriam revocantur, pertinent numi omnes aurei, et plerique aenei. Numi restituti dici non possunt, quia inter hos et archetypa notabile discrimen sive spectata epigraphe, sive typis intercedit et nonnunquam aliud etiam metallum. Eosdem restitutos typos videas v. c. in aureo Tiberii primo, aliisque. In multis archetypa plane desiderantur, ut in plerisque aureis, et verisimile est, nunquam exstitisse, et excogitatos a Trajano horum typos numorum, quaecunque istud causa suaserit. Eodem modo Trebonianus quoque (Gallienum alii putant) praecedentium Augustorum consecrationes restituit, sed nova, aut certe ad archetyporum modum parum exacta ratione. Nemo vero velim sibi persuadeat, aureorum prima exemplaria periise, et quod sequitur, aureos perinde, atque argenteos posse in numorum restitutorum numero haberi; nam quis credat, aureos eo fuisse fato, ut primaevae eorum formae interirent, quando argenteorum omnium, quotquot hactenus nacti sumus, exstant archetypa?

Haec de restitutionum numis aut certa, aut verisimilia, aut incerta, aut plane ignota reperio. Addo postremum paucas tantum animadversiones. I. Cum Trajanus obscurarum familiarum numos restituerit, ut Rubriae omnino tres, verisimile est, ab eo illarum plerosque, et forte omnes restitutos, sed quos hactenus videre non licuit. Videmus enim, eorum numerum, etsi lente, sensim tamen augeri, et haud dubie complures in variis museis latent, sed nobis ignoti. II. Nullum habemus a Trajano restitutum aureum sive consularem, sive familiae, qui tamen imperatorios restitutionum numos frequentes ex auro feriundos curavit. Mea igitur conjectura, stante rep. numos aureos cusos non fuisse, quam proposui Sectione I. cap. IV., hoc defectu multum videtur confirmari. Nam quae esset causa cur is restituendis aureis consularibus abstineret? Quod restituendis reip. aeneis abstinuit, causam puto, quod hi tritos, et cuivis ponderi proprios habuere typos, quos restituere opere pretium non videbatur. III. Cum nullus hactenus repertus sit familiae cujuspiam numus restitutus, cujus non etiam archetypon exstet, parum jam spei adfulget, fore ut familiarum series justis amplius accessionibus possit locupletari. IV. Ex omni agmine numorum familiarum, quos Goltzii ubertas sibi uni cognitos in apricum protulit, nullus est numus restitutus nobis non cognitus; nullus etiam hactenus emersit numus restitutus, cujus archetypon solus thesaurus Goltzianus sufficeret. Mirum istud videatur, sed tamen possumus veram causam divinare. Ad fingendos restitutos animum non reflexerit, archetypa vero nunquam ipse poterit suppeditare, quod numi ab eo solo hactenus conspecti fere ad unum omnes in fictitiis sunt habendi.

CAPVT XVIII.

Chronologia numorum familiarum.

Posse universam hanc seriem in aliquem temporum ordinem, misso trito illo ac ignavo alphabetico, tribuere, optavimus saepe, sed nonnisi intra vota stetimus. Destituuntur nimirum notis chronologicis, quae, ut in multis imperatorum numis, multis etiam Graecis, temporis rationem docent. Quod unum superest, ex typis, aliisque nonnullis causis generalia quaedam praecepta possumus conficere, quae etsi ad numos singulos non magnopere valent, aliquid tamen lucis universae rei monetariae, qualis stante rep. fuit, impertiuntur. En ejus, quatenus iri potest, breve tentamen.

I. Omnium antiquissimi sunt, in quorum antica est: Caput Palladis galeatum alatum addito X, in aversa: nomen familiae addito ROMA, typus: Dioscuri equites.

His typis fuisse monetam argenteam consularem, cum ea primum feriri coepit, alias dixi [a]), et cum nondum familiarum illi nomina inscribi consuevere. Hic mos cum primum stabiliri coepit, cujus epocha incerta, retenti tum adhuc typi veteris rationis, in quibus deinceps aliquid semper fuit immutatum, donec denarii veteres cum recentioribus collati penitus dissiderent.

II. His proxime succedunt, in quibus manent priora omnia, nisi quod vice Dioscurorum compareant numina varia, ut Victoria, Iuppiter fulminator, Pallas, Apollo, Diana, aliique, atque hi in bigis, trigis, quadrigis, plerumque citis, raro lentis.

Denarii cum his typis vetustiorem etiam fabricam produnt, et universim *bigati* dicti sunt, ut quinarii *victoriati*, nam multo frequentius bigas illis impressas videas, quam aut trigas, aut quadrigas. Fuisse bigatos jam olim in vetere moneta habitos, docet Tacitus [b]): *Pecuniam probant veterem, et diu notam, serratos, bigatosque.* Etiam Plinius vetustiores argenteos numos *bigatos*, *quadrigatosque* appellat [c]). Anno V. C. 538 mox post cladem Cannensem, cum de permutandis captivis ageretur, petiit Hannibal in capita Romana CCC. numos *quadrigatos* [d]), et eodem anno L. Bantio Nolano numerati sunt D. *bi-*

---

a) Sect. I. c. V. b) de morib. Germ. c. 5. c) L. XXXIII. §. 13. d) Liv. L. XXII. c. 52.

gati [a]). Raro in numo antiquioris fabricae alius est aversae typus. In denario pervetusto gentis Pompeiae Faustulus pastor geminos a lupa nutritos observans aversae typum facit.

III. Quemadmodum caput Palladis galeatum alatum, nota denarii X vel XVI, bigae vel quadrigae, adscriptum ROMA, cum haec omnia in uno eodemque denario habentur, numum esse perantiquum sine dubio testantur, sic tamen eadem seorsim sumpta denariis multo etiam serius cusis inhaerent. Sic denarii M. et C. Metellorum, quos certum est, saeculo urbis conditae VII. jam utcunque provecto signatos, in aversa habent decus huic genti ab elephantis petitum, denarius gentis Didiae militem vite castigatum, denarius Porciae imaginem civis provocantis, et tamen horum omnium antica veteris tota rationis est. Caput Palladis galeatum alatum adhuc exstat in denario Sullae dictatoris. Omnia tamen haec vetustatis indicia, caput dictum Palladis, nota denarii, vox ROMA, et bigae sic fictae paullo post hunc dictatorem, aut saltem vergente ad finem saeculo VII. ex moneta fuere depulsa. E converso nonnunquam etiam in denariis sat antiquis pro capite Palladis est caput alterius numinis. Ita denarii Scipionis Asiagenis, qui haud dubie cusi sunt circa annum V. C. 564, habent caput Iovis, numi Metellorum, quos modo citavi, aliquanto serius cusi, alii caput Palladis, alii caput dei juvenis.

IV. Perantiquus est etiam modus scribendorum nominum sic, ut in antica exaretur cognomen, in aversa praenomen, et nomen gentilicium. Etiam hic modus circum tempora exeuntis reip. desiit.

V. Numi serati locum quasi medium inter initia signatae monetae argenteae, et finem reip. obtinent. Dixi capite XVI., horum certos vetustissimos deberi anno V. C. 564, novissimos paullo post annum 655 cusos.

VI. Eandem fere sedem sibi postulant numi variantibus literis solitariis, notis arithmeticis, minutis sigillis onusti. Hos modos neque principia signati argenti tulerunt, neque facile amplius extrema reip. tempora.

VII. Addita nominibus magistratus dignitas, ut: IIIVIR, vel modus typos inscriptione juvandi, ut: SALVS additum capiti Salutis, recentiorum temporum inventum est. Simplicitas ut in moribus, sic et in numis certum est antiquitatis criterium, neque in Romanis solum, sed et Graecis. In antiquissimis nulla est inscriptionis copia, nullus titulorum fastus, nulla typorum confusio. Confer, si lubet, primos regum Syriae, et passim urbium Graecarum numos cum postremis, et idem in his, quod in Romanis discrimen sese offeret.

VIII. Circum tempora Sullae magistratus rei monetariae praefecti, saltem frequentius, missis veteribus et communibus typis coeperunt adhibere privatos, commemorando decora avita, aut initia gentis, et proponendo numina,

a) Liv. L. XXIII. c. 15.

quae impensius observabant. Atque juxta hanc legem moneta deinceps feriri perrexit, donec sub imperatoribus illapsa adulatio et servitus typos potissimum imperarent.

Hae leges in consilium vocatae istud saltem praestabunt, ut judicare commode possis, qui numi primae, mediae, infimae aetati intra terminos signati primum argenti, et incipientis imperii debeantur, quas si diligentius observassent artis nostrae magistri, certius saepe de iis judicassent, et parcius ab iis in adsignanda aetate esset peccatum.

CAPVT XIX.

De auctoribus, qui numos familiarum illustrarunt.

Vtilitas, quam familiarum numi ad rei Romanae intelligentiam conferunt, tum et voluptas, quae in iis contemplandis percipitur, pridem invitavit viros eruditos, ut, quotquot nancisci poterant, in unum conferrent, et aeri incisos publice proponerent. Neque fere alia est numorum veterum series contentiore eruditorum studio illustrata dicam, an vexata? Praetereo eorum conatus, qui, ut occasio, aut institutum tulere, in nonnullos sunt commentati, quales fuere Sebastianus Erizzo, Pighius in Annalibus Romanorum, Spanhemius in magnae molis opere de Vsu et Praestantia numorum, Perizonius in suis ad Morellium epistolis, et nonnulli alii. Eos tantum commemoro, qui ex proposito colligendis omnibus, explicandisque his numis operam dederunt, quorum hactenus habemus quatuor, quos secundum aetatem additis ad singulos meis judiciis proponam.

HVBERTVS. GOLTZIVS. *Fasti magistratuum, et triumphorum Rom. ab urbe condita ad Augusti obitum etc. Brugis Flandrorum* 1566, *iterum Antwerpiae* 1708 *in fol.*

Quae sit operibus Goltzii generatim, ac privatim praesenti habenda fides, dixi in Prolegomenis generalibus capite XXII. sub initium.

FVLVIVS. VRSINVS. *Familiae Romanae, quae reperiuntur in antiquis numismatibus ab urbe condita ad tempora D. Augusti. Romae* 1577. *in fol.*

Opus Scaligero, et Spanhemio jure dictum aureum, et divinum, nimirum quale a tantae eruditionis viro debebat exspectari. Modum, quem is in disponendis explicandisque familiarum numis tenuit, sedulo retinuere posteri,

atque iidem pauca scitu digna attulere, quae non ante a summo hoc viro fuissent praemansa. Vellem tamen, non pauca absurda ac frivola abessent, quae praeclarum hoc opus dedecorant. Raris jam ejus exemplis, alteris illud typis CAROLVS PATINVS restituendum curavit Parisiis 1663 additis modicis suis observationibus, numisque, qui Vrsinum fugerunt.

IOANNES VAILLANTIVS. *Numi antiqui familiarum Romanorum perpetuis interpretationibus illustrati. Amstelaedami* 1703. *Tom. II. in* 4.

Cui non cognita praeclari hujus viri in universam rem numismaticam merita? Sed et cognita ejus in omni fere argumento peccata, quae si in praesente opere magis quam in aliis gravia sunt, et cumulata, in causa fuit, quod festinare lucubrationes jusserat metus, ne praeverteretur a Morellio eundem laborem meditante. Vide praefationem Havercampi ad familias Morellii. Non in alio magis opere tot videas congestas, coacervatasque conjecturas, inanes plerumque, ac debili, nullove fundamento nixas. In hoc instituto quod fuerit ejus consilium, perversum sane ac inficetum, partim supra capite VIII. exposui. Accedit, quod, ubi ubi poterat, Pighium compilat, raro correctis ejus peccatis in numorum explicatione admissis, tum quod Goltzianos nullo discrimine perinde ac probissimos in consortium admittit. Addunt infelici operi coronidem iconismi infideles, et longe saepe ab archetyporum habitu aberrantes. Non auderem sic de viro tot ab arte nostra palmis nobili judicare, nisi viderem, easdem querimonias singulis fere paginis ab Havercampo inculcari. Quid quod et testatur Bandurius, plerosque negare, Vaillantium iis artibus, quae in antiquario requiruntur, ad enarranda numismata accessisse. (Bibl. num.)

ANDREAS MORELLIVS. *Thesaurus Morellianus, sive familiarum Romanarum numismata omnia. Commentario perpetuo illustravit* SIGEBERTVS HAVERCAMPVS. *Amstelaedami in fol.*

Ex praegrandi hoc opere solae imagines aeri incisae auctorem habent Morellium, sed jam ab his maxima operi laus. Nam si fidem spectes, nullum in dilectu recepit, nisi quem vidit ipse, aut saltem probavit Vrsinus, Goltzianis omnibus seorsim, et inter apocryphos editis. Sin adcurationem, nihil iconismis, si paucos demas, fidelius, sic ut perinde sit, hosne, an ipsos numos prae oculis habeas, dempto solo, quod illorum volumen ampliavit. Quos addere ipse commentarios primum morbis, deinde morte praeventus non potuit, perfecit Havercampus. Ejus viri institutum ejusmodi est: primum, quae Erizzus, Vrsinus, Vaillantius, Morellius, Perizonius, aliique in singulos numos commentati sunt, retentis ipsis auctorum verbis restituit; suas deinde conjecturas liberali manu admetitur, easque longis veterum testimoniorum ambagibus utraque lingua recitatis firmat. Habes causam, cur opus istud in eam molem excreverit. Vaillantium quod perpetuo sugillat, ut jure istud fecisse videri potest, sic culpandus certe, quod iisdem se peccatis, quae in Vaillantio reprehendit, perpetuo obligat.

Male conjectavit Vaillantius, en tibi conjecturam aliam priore non multo praestabiliorem, sic ut non magnopere aberraveris, si universum illud opus conjecturarum specimen voles appellare. Lege, et experire. Ceterum opus istud cum habes, potes reliquis omnibus tuto carere. Nam iconismi et plenum sistunt horum numorum catalogum, et numos cum affabre, tum sancte ac religiose depictos, ipsi vero commentarii omnia ea, quae praecedentes antiquarii de singulis numis seu recte, seu perperam judicavere.

CAPVT XX.

Institutum auctoris.

Paucis sic habeto. Brevitatem sectari placuit. Eam non modo suasit ratio operis omnes numorum classes complexi, sed et ipsi hujus classis numi istud postulare visi, qui plura continent incerta, et ambigua, quam quae nullo adversante possint adfirmari. Quae vero voluptas aut scribentis, aut deinde legentis, cum ad prolixae disputationis finem ventum est, esse aeque incertum, ac dudum? Habet istud omnis ars humana, ut plura sint, quae nescimus, quam quae scimus, et qui sapit, dabit operam, non ut omnia explanet, sed ut plura, reliqua relinquat posteris, qui forte novorum ope subsidiorum ea expedient, aut nobiscum ignorabunt. Hoc sane consilio ad scribendum appellet animum, cui turpes videntur nugae difficiles, et stultus labor ineptiarum. Interea dum brevitati consului, operam dedi, ne qua intercidere paterer, quae cognitu essent digna, vel quae utilia ab iis, qui praecessere, sunt observata.

In enarrandis numis ordinem servavi alphabeticum gentium, quem primus intulit Vrsinus, quoque opportunior alter obtineri vix poterit. Inter gentes ipsas numi iterum pro alphabetico cognominum ordine dispositi sunt, cum is commode adhiberi potuit.

Gentes, et familias ex coloniarum, et municipiorum moneta cognitas, etsi eas in syllabum suum receperint Patinus, Vaillantius, Morellius, negligendas duxi. Magistratus enim municipales, etsi gentibus Romanis homonymi, vix tamen ad eas pertinuere, ut dictum in tractatu de Coloniis Vol. IV. p. 482. Proconsules, praetores, provinciarum

quaestores, quae pecunia peregrina sistit, cum saltem aliquamdiu sub imperatoribus ex unis fere gentibus Romanis capti fuerint, inter gentes, ad quas spectant, indicavi quidem, sed plerumque in moneta ejus urbis, ex qua prodivere, explicavi. Isti tamen instituto non ultra Domitiani imperium inhaesi. Nam cum deinceps provinciarum regimen multo frequentius, ac antea demandatum fuerit peregrinis in civitatis et honorum communionem adscitis, difficile jam est, atque intutum, hos, et vere Romanae prosapiae homines discernere. Familiarum numos uni Goltzio cognitos vetere meo instituto omnes aspernor; suis tamen locis monere non negligo, si qua ex numis gens ab eo fuit intrusa, ne quid a me per incuriam praetermissum desideret lector.

Denarios Bruti, Cassii, Sex. Pompeji, IIIvirorum M. Antonii, et Lepidi, quoniam viri hi inter Iulii Caesaris, et Augusti tempora summo in republica loco stetere, et numorum, quos nomine suo signavere, argumenta historiam Caesarum eximie illustrant, post numos Caesaris dictatoris collocare, explicareque opportunius est visum.

Singulis etiam numis sui adjeci meriti statum, sic ut secundum notas jam passim receptas litera R indicet, numum esse rarum, RR. magis rarum, et sic deinceps, litera autem C, numum esse communem, et obvium.

NVMI FAMILIARVM

DESCRIPTI, EXPLICATIQVE.

Praemonendum, quoniam hujus classis numos fere omnes ex Morellii Thesauro cepi, deinceps tum tantum musei me facturum mentionem, cum quis numus deest in Morellio, et aliunde petitus fuit.

ABVRIA.

Gens plebeja. Habemus in numis Caium et Marcum. Cognomen utrique, ut numi eloquuntur, GEM., quod Pighius, eumque secuti alii explent legendo GEM*inus*, sed nulla certa auctoritate.

GEM. *Caput Palladis galeatum alatum, juxta* X.

M. ABVRI. *Sol togatus capite radiato in citis quadrigis d. scuticam, infra* ROMA. AR. C.

Caput Herculis, pone 3 *globuli.*

M. ABVRI. M. F. GEM. *Prora navis,* 3 *globuli, infra* ROMA. AE. III. C.

* * *

GEM. *Caput Palladis galeatum alatum, juxta* X.

C. ABVRI. *Mars d. tropaeum, s. hastam cum clypeo tenens in citis quadrigis, infra* ROMA. AR. C.

Caput Herculis, pone 3 *globuli.* In alio: *Caput Mercurii, pone* 2 *globuli.*

C. ABVRI. GEM. *Prora navis, tres globuli, infra* ROMA. In alio: 2 *globuli.* AE. III. C.

Typi aversae in denariis facile cul-

tum sive Soli sive Marti praestitum indicant, etsi ignota ejus causa. Vtrum recte conjecerit Pighius, qui in utroque typo adlusionem ad nomen *Aburius* videt, ductum a vetere *aburendo* pro *amburendo*, quod praestant et sol, et ardens Martis astrum [a]), dubitare licebit.

ACCOLEIA.

Gens fere tantum ex sequente denario cognita.

P. ACCOLEIVS. LARISCOLVS.
Caput muliebre.
Tres virgines adversae stantes in arbores mutantur. AR. C.

Aversa omnium consensu proponit tres Phaethontis sorores, quas fabula dixit fratris perempti desiderio mutatas in populos. At videtur Accoleius noster alteram secutus famam, quae abiisse eas in larices adseruerit, ac propterea legisse argumentum, quod ad cognomen *Lariscoli* adluderet, haud dubie ductum a *laricibus colendis*. Nimirum in causis mythologiae saepe variatum a veteribus. Ipse Virgilius alibi dixit mutatas fuisse in populos [b]), alibi in alnos [c]).

ACILIA.

Fuere Acilii cognomine *Aviolae*, *Balbi*, *Glabriones*, quorum duo posteriores propter obitum tribunatum plebis certo plebeii. Sed Herodianus de sui temporis Glabrione memorat [d]): fuisse eum omnium patriciorum nobilissimum, ut qui genus suum ab Aenea Veneris et Anchisae filio deduxerat. Et in eandem sententiam Ausonius [e]):

Stemmate nobilium deductum nomen avorum
Glabrio Aquilini, Dardana progenies.

* * *

Balbus.

BALBVS. *Caput Palladis alatum, prae quo* X, *infra* ROMA, *omnia intra lauream.*

MV. ACILI. *Iuppiter d. fulmen, s. sceptrum tenens in citis quadrigis Victoria eas moderante, in area clypeus.* AR. R.

* * *

Acilii incerti.

M. ACILIVS. M. F. *Caput Palladis alatum, pone* X,
ROMA. *Vir nudus in lentis bigis d. clavam, s. tropaeum.* AR. C.

---

a) Ann. T. II. p. 278 et 308. b) Aen. X. 190. c) Ecl. VI. 63. d) in Pertinace. e) de profess. Burdeg.

Vtrumque M in his denariis explendum *Manius*, non *Marcus* censet Havercampus, quoniam, ut ait, ex Aciliis nullus Marci nomine insignitus reperitur. Verum hoc ipsum est, quod quaeritur. Sane cum Acilios variis cognominibus vel unus offerat Livius, nescio, cur aliis cognomen Marci negandum sit.

* * *

SALVTIS. *Caput muliebre laureatum.*

NV. ACILIVS. IIIVIR. VALETV. *Mulier stans d. serpentem tenet, s. columellae innititur.* AR. C.

Offert antica caput Salutis, cui a C. Iunio Bubulco votum templum, locatum, et dedicatum narrat Livius [a]), quod stetisse in regione VI. tradit Victor. At in varias sententias eruditos distraxit vox VALETV. partis aversae. Onuphrius totam epigraphen conjungendo IIIVIR*os* VALE*tudinis* TV*endae* hactenus in re Romana ignotos produxit [b]). Eodem pertinet Patini IIIVIR. VALETV*dinarius*. Melius Vrsinus, aliique proponi deam *Valetudinem* censuere, nempe ut in numis Aquillii est IIIVIR. VIRTVS, ita hic IIIVIR. VALETV*do*. Deam hoc nomine unus forte Martianus Capella prodidit [c]): *Venit ex altera Fortuna et Valetudo, Favorque.* At quod deinde inter Salutem et Valetudinem discrimen? Novi, valetudinem in utramque a Latinis partem acceptam, in bonam malamque, at eodem modo, quo in hoc denario effictam videmus Valetudinem, nempe quae serpentem manu tractat, fingitur Graecorum Ὑγιεια, quae passim Romanis *Salus* dicitur. Neque vero etiam utramque distinguunt num Augusti, in quorum aliis, quos ad annum V. C. 738 recensebo, legitur: *pro salute Caesaris*, in aliis: *pro valetudine Caesaris*.

His Salutis et Valetudinis typis non obscure videtur adludi ad nomen *Acilius*, nempe Graecis ἀκέομαι, Ionice ἀκειομαι *mederi* significat. Et fuit hic typus genti Aciliae adhuc Claudii aetate proprius; nam in numis Agrippinae Corinthi signatis cum epigraphe: NV. ACIL. IIVIR. exhibetur item Hygia stans, sive hic IIvir ex ipsa Aciliorum gente fuit, quod vix verisimile, sive cum nomine Acilii observantiae in hanc gentem causa etiam symbolum gentis recepit. Havercampum, qui olim hunc Acilium IIIvirum sacris aedibus reficiendis constituit, vide semetipsum serius retractantem [d]).

* * *

M. ACILI. ROMA. cum unciarum notis in aeneis. RR.

* * *

Aeneum alium a Morellio citatum: *Caput Iani.*

NV. ACILI. Q. *intra coronam*, non esse numum Romanum, sed verisimilius Panormi, in hujus Siculae urbis moneta diximus.

* * *

Glabrio.

Hujus nomen in moneta Romana, si Goltzianam demas, non exprimitur, proditur tamen in numo commatis pere-

---

a) L. IX. c. 43, et L. X. c. 1. b) de Civit. Rom. c) de Nupt. Philol. L. I.
d) pag. 639.

grini; M. ACILIVS. GLABRIO. PROCOS., quem vide descriptum in numis Augusti ad annum V. C. 729.

* * *

Aviola.

Proditur hic proconsulis addito, vel dissimulato titulo in moneta Ephesi et Smyrnae, quam vide. Proditur etiam C. Aviola vir illustris gentis Siliae in binis tabulis aeneis, quas restituit Morcellus a).

AEBVTIA.

Aebutii IIviri in numis coloniarum Caesaraugustae Tarraconensis, et Corinthi Achaiae, quos ex meo instituto negligo.

AELIA, ALLIA.

Plebeja. Cognomina numi certi offerunt *Balam*, *Lamiam*, *Paetum*, *Sejanum.*

* * *

Bala.

BALA. *Caput muliebre, juxta litera alphabeti.*

C. ALLI. *Diana in citis cervorum bigis d. facem, s. hastam, infra bigas cicada, delphinus, gryphus, ancora etc., omnia intra laureum.* AR. C.

Vna fere omnium est sententia, unam eandemque esse gentem *Aeliam*, *Ailiam*, *Alliam*, quo ex judicio non dubitant numos inscriptos ALLI. genti Aeliae tribuere. Tamen non satis idoneis istud argumentis adseritur. Magis controversa vox BALA. Vaillantius rationibus sane infirmis explet BALA*rus*. Hoc reprobato Havercampus legit BALA*tro*. Neuter rationem adfert, cur producendum esse vocabulum existimet, et non *Bala* per se efficere cognomen possit perinde ac *Buca*, *Cinna*, *Galba*. Sane Alexander I. Syriae rex dictus fuit *Bala*, cui sententiae quid repugnet, non video, et mecum sentit Liebeus b).

* * *

Caput Palladis alatum.

C. AL. *Dioscuri equites*, infra ROMA. AR. C.

Eidem Allio vel Aelio denarium hunc tribuunt eruditi. Res minus certa, nam AL. varie legi potest.

* * *

Lamia.

Aelios Lamias descendere a vetusto Lamo Formiarum olim tyranno docuit Horatius c).

Q. AELIVS. L. F. LAMIA. IIIVIR. A. A. A. F. F. in numis aeneis I. formae Augusti. C.

LAMIA. SILIVS. ANNIVS. in aeneis III. formae, qui prioribus sunt coaevi. C.

a) De Stilo inscr. num. 314. 315. b) Goth. num. p. 215. c) L. III. Od. 17.

* * *

Paetus.

Caput Palladis alatum, pone X. P. PAETVS. *Dioscuri equites, infra* ROMA. AR. R.

* * *

Sejanus.

L. AELIO. SEIANO. COS. in numo Bilbilis Tarraconensis cum capite Tiberii, quo de numo agetur in moneta hujus Augusti ad annum V. C. 784.

AEMILIA.

Patricia, et insignibus factis inclyta testibus etiam numis. Cognomina in his: *Buca*, *Lepidus*, *Paullus*, *Scaurus.*

* * *

Buca.

L. BVCA. *Caput Veneris.* *Diana adstante Victoria palmifera ad virum humi super strato dormientem descendit.* (Morelli, Mus. Caes.) AR. RRR.

Caput Veneris, prae quo globus. *Eadem adversa.* (Morelli in Cornelia Tab. IV. lit. B.) AR. RRR.

Numum utrumque, quem separavit Morellius, conjunxi, geminum plane, nisi quod in posteriore deest epigraphe, et abundat globus. Horum priorem pridem edidit Morellius [a]), et explicavit erudite secutus indicium Plutarchi narrantis: (in Sulla.) *Dicitur etiam Sullae in somniis se obtulisse dea, quam ex disciplina Cappadocum Romani colunt, sive ea Luna, sive Minerva, sive Bellona sit. Haec Sullae visa est adsistere, et fulmen tradere, jussisseque singulis nominatis inimicis ejus ferire. Illi icti concidere, atque e medio dilabi. Hoc ostento erectus narrat id postridie collegae, ac Romam pergit.* Factum istud V. C. 671, quando is ex Campania urbi imminebat. Haec olim a praestante Morellio tradita probata etiam fuere Havercampo, qui addit praeterea, cusum fuisse a L. Buca, qui quaestor fuit sub Sulla, pater autem filii cognominis, qui IIIIvir monetalis sub I. Caesare in numis, quos mox citabimus, proditur. Verum idem in numi alterius explicatu fastiditis prioribus Perizonii sententiam amplectitur negantis, praetensum Sullae somnium in his denariis exhiberi, quia, ait, L. Bucam non reperimus in numis, nisi tempore Caesaris dictatoris, sub quo ille IIIIvir monetalis fuit. At vero sub Caesare, maximo Sullae inimico, minime videri probabile, voluisse hunc hominem, qui Caesaris ipsius titulos et decora (caput Veneris et globum) in numis exprimit, gloriosum quoddam Sullae somnium ad memoriam posteritatis propagare. Instanti, incertum tum esse, utrum hic L. Buca idem sit, qui ille Caesarianus, respondet, esse probabile, eundem esse, quamdiu non reperitur atque ostenditur alius monetalis ejusdem plane nominis. Haec Perizonius [b]). Apparet, universam quae-

a) Specim. p. 236. b) de Num. cons. p. m. 560.

stionem eo redire, sitne L. BVCA numi praesentis idem cum L. BVCA. IIII-VIR*o* in numis Caesaris. Sin idem, vicerit causam Perizonius: sin vetustior aliquis, causa facile cadet. At quam infirmum est viri eruditi argumentum, exhiberi sibi cupientis alium retrorsum hoc nomine IIIvirum monetalem. An ergo, ut vel uno exemplo utar, numi omnes C. Marcii Censorini nomine inscripti, erunt ejus, quem sub Augusto constat fuisse IIIvirum, quoniam alius ejusdem nominis non reperitur? Quis in ea inscriptionis parsimonia, qua numi consulares laborant, facile aut aetatem numi, aut quis fuerit is, qui inscriptus legitur, an IIIvir monetalis, an quaestor, an aedilis, enucleabit? At enim, inquit, sunt in his numis decora Caesaris, caput Veneris, et globus. Minus haec commode. Sane globi explicatus est ambiguus, atque is abest etiam in horum numorum uno; at Venerem ut Caesari, sic et Sullae fuisse familiarem, in hujus numis copiose videbimus. Ergo cum numi thema tam belle cum Plutarchi narratione conspiret, non credo, arcessendum explicatum alium a Morelliano diversum, atque omnium minime illum, quem ipse denique sufficit. Hunc Sullae typum praeclare illustrat testimonium Velleii Morellio praeteritum, scribentis [a]): *Post victoriam, qua descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sulla, grates Dianae, cujus numini regio illa sacrata est, solvit, aquas salubritate medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit deae. Hujus gratae religionis memoriam et inscriptio templi affixa posti hodieque, et tabula testatur aerea intra aedem.* Horum agrorum modum a Sulla definitum serius ab Augusto, iterum a Vespasiano ordinatum fuisse, docet nobile marmor apud Donium [b]):

IMP. CAESAR. VESPASIANVS AVG. COS. VIII. FINES. LOCOR. DICATOR. DIANAE. TIFATINAE CORNELIO. SVLLA. EX. FORMA DIVI. AVG. RESTITVIT

Addendum adhuc videtur quod de Sulla narrat Plutarchus [c]), ab eo monitum Lucullum, nihil perinde firmum ut ducat, quam quod secundum quietem ei praecipit deus. Stratum, cui Sulla incumbit, perperam Vaillantius literas Punicas, aut ignotas putat.

Iuvat hoc loco mirari commentatores nostros in explicandis familiarum numis nequaquam difficiles ac morosos. Sane ut vidimus, Havercampus, qui antea hunc L. Bucam quaestorem Sullae, et IIIIviri patrem confidenter constituerat, repente numum intra Caesaris imperium cogit. Si solida olim docuit, cur tam facile deserit, sin intuta, quorsum tanta confidentia? Liquet ab hoc uno exemplo (neque enim lubet in singulis agere censorem) quae saepe fides sit habenda Vaillantio, aut Havercampo, cum quae maxime ambigua sunt, incerta, fluctuantia, velut certa et explorata obtrudunt, et continuo ex tripode

a) L. II. c. 25. b) Inscr. ant. Cl. I. n. 41. c) in Sulla p. m. 454.

pronunciant, quae numi aetas, quis ille, cujus nomen proditur, quo insignis magistratu numum ferierit, quarum praestigiarum exempla singulae fere eorum paginae offerunt. Sed de hoc argumento plura scripseram in prolegomenis.

* * *

Caput I. Caesaris.

L. BVCA. — L. AEMILIVS. BVCA. — L. AEMILIVS. BVCA. IIIIVIR. typis ad I. Caesarem pertinentibus, quorum praecipuos in hujus moneta descriptos vide.

PAXS. *Caput muliebre.*

L. AEMILIVS. BVCA. IIIIVIR. *Duae dexterae junctae.* Quin. RR.

* * *

Lepidus.

Lepidorum denarii insignes propter commemorata in his facta gentis domestica.

Caput muliebre.

M. LEPIDVS. AN. XV. PR. H. O. C. S. *Eques lento gressu s. tropaeum gestat.* AR. RR.

Memorabilis epigraphes sensus est: M. LEPIDVS. AN*norum* XV. PR*aetextatus* H*ostem* O*ccidit*, C*ivem* S*ervavit.* Eam Valerius Maximus paene ad verbum reddit a): *Aemilius Lepidus puer etiam tum progressus in aciem hostem interemit, civem servavit. Cujus tam memorabilis operis index est in Capitolio statua bullata et incincta praetexta S. C. posita.* Simile factum, praemiumque jam regum temporibus reperit Macrobius. Narrat is b), Tarquinium Priscum de victis Sabinis triumphasse, *quo bello*, addit, *filium suum annos XIV. natum, quod hostem manu percusserat, et pro concione laudavit, et bulla aurea, praetextaque donavit, insigniens puerum ultra annos fortem praemiis virilitatis et honoris. Nam sicut praetexta magistratuum, ita bulla gestamen erat triumphantium, quam in triumpho prae se gerebant, inclusis intra eam remediis, quae crederent adversus invidiam valentissima. Hinc deductus mos, ut praetexta, et bulla in usum puerorum nobilium usurparentur etc.* In horum denariorum parte antica nonnunquam additur corona querna, decus servati civis. Tamen tuto adfirmari nequit, quis fuerit hic puer Lepidus tam praeclari facti auctor.

* * *

ALEXANDREA. *Caput muliebre turritum.*

M. LEPIDVS. PONT. MAX. TVTOR. REG. S. C. *Lepidus togatus stans regi togato adstanti et d. hastam tenenti diadema imponit.* AR. R.

In denario musei Caesarei legitur: ALEXSANDREA, et PONF. pro solito PONT.

Insigne hujus numi argumentum rursus explicat Valerius Maximus c): *cum Ptolemaeus rex tutorem populum R. filio reliquisset, senatus M. Aemilium Lepidum Pont. Max. bis consulem ad pueri tutelam gerendam Alexandriam misit.* Appertius Iustinus d): *Morte regis legatos Alexandrini ad Romanos*

a) L. III. c. 1. n. 1. b) Saturn. L. II. c. 6. c) L. VI. c. VI. n. 1. d) L. XXX. c. 2. 3.

misere orantes, ut tutelam pupilli susciperent, tuerenturque regnum Aegypti. - - - Mittitur et M. Lepidus in Aegyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administret. Idem factum exempli causa memorat Tacitus [a]): *exemplo, quo majores M. Lepidum Ptolemaei liberis tutorem in Aegyptum miserant.* Rem illustrem, atque tot tamque claris testibus confirmatam mirum profecto tam spissis septam tenebris, ut quis fuerit hic Ptolemaeus, cui Lepidus datus tutor, nondum perspicue sit explicatum, cujus ambigui causa jure auctorum veterum negligentiae tribuitur, male posteritati, in cujus commodum scripsere, consulentium, cum tot numero Ptolemaeos, quod plerumque factum, ne minimum quidem distinguerent. Vsserius, eumque secuti alii plerique patrem pupilli censent fuisse Ptolemaeum IV. Philopatora, pupillum, quem denarius hic sistit, Ptolemaeum V. Epiphanem. At Pighius missum a senatu Lepidum conjicit, qui Ptolemaei V. Epiphanis filios Ptolemaeum VI. Philometora, et Ptolemaeum VII. Physcona tutaretur, quorum per immaturam aetatem Aegyptiorum res perditum, et Syrorum, quod nolebant Romani, auctum ibant [b]). Causam repetit ab hoc ipso denario, et Val. Maximo, a quibus Lepidus noster, quo tempore regis pueri tutelam suscepit, dicitur pontifex maximus, et consul iterum, qui tamen nonnisi compluribus post Philopatoris mortem annis utramque hanc dignitatem est adeptus. Mortuus est Philopator V. C. 550, Lepidus in locum C. Servilii Gemini dicitur pontifex maximus V. C. 574 [c]), consul II. V. C. 578. Vnus viro erudito scrupulus haeret, quod Val. Maximo unus duntaxat rex puer memoratur, quo permissum sibi putat librariorum culpam modeste suspicari, scriptumque forte *filiis* pro *filio.* En viri praestantis sententiam, sed quam gravissima alia argumenta manifeste evertunt. Omitto leviora, quae opponi possunt, non, quod censet Pighius, senatum suapte tutelam puerorum suscepisse, sed, ut prodidit Val. Maximus, ex testamento patris, ut Iustinus, petentibus Alexandrinis. Ad haec memorantur a veteribus tutores filiorum Epiphanis Cleopatra mater, Eulaius, Lenaeus [d]), atque inter haec nihil de praestita a Romanis tutela. Quod si errorem suspicatur in Val. Maximo filium unum pro binis prodente, necesse erit culpare quoque Iustinum, unicum etiam pupillum prodentem. At maxime fallitur Pighius, quod revera censuerat, propter mentionem pontificatus maximi, quem multis serius annis Lepidus adivit, dictam quoque tutelam differendam. Etenim luculento alio testimonio facile probaverim, non fuisse Lepidum, neque esse potuisse hoc magistratu insignem jam tum, cum pupilli causa in Aegyptum profectus est. En verba Livii capta ex ejus epitome [e]): *P. Licinius Crassus, cum idem pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum fuerat, extra Italiam profectus, praelio victus et interemptus est.* Factum istud V. C. 623, in bello a Roma-

a) Ann. II. c. 67. b) Annal. T. II. p. 403. c) Livius L. XL. c. 42. d) Frölich. Ann. Syr. ad ann. A. X. 173. seq. e) L. LIX.

nis cum Aristonico in Asia gesto. Ergo si Lepidus, cum pontifex max. esset, tutorem in remota Aegypto egit, qua ratione Crassus primus dici potuit in pontificatu maximo Italiam egressus? Sane jam olim, cum ambigeretur, sitne Scipioni, an Crasso bellum Africanum cum Hannibale mandandum, Crassum, quod pontifex maximus esset, lex, quam Plutarchus θειον appellat, in urbe coercuit [a]). Denique adversatur Pighio Iustinus narrans, gratam fuisse Romanis legationem Alexandrinorum, causam belli adversus Philippum V. Macedoniae regem quaerentibus, qui insidiatus eis tempore belli Punici fuerat; quare, addit, *mittuntur legati, qui Antiocho et Philippo denuncient, regno Aegypti abstineant. Mittitur et M. Lepidus in Aegyptum, qui tutorio nomine regnum pupilli administret* [b]). Victus est apud Cynoscephalas Philippus, et ad pacem adactus V. C. 557, ergo necesse est aliquot annis praecessisse legationem Alexandrinorum, quod tum belli causam cum Philippo quaerebant Romani. At Lepidus, ut diximus, nonnisi anno V. C. 574 pontificatum max. abstulit.

At qua ratione, quo argumento maxime nititur Pighius, potuit cum in hoc denario, tum a Val. Maximo dici M. Lepidus simul pontifex max., simul tutor regis? Expediam. Quiscunque is fuit ex posteris hujus Lepidi, qui insignem hunc denarium feriundum curavit, ei propositum aliud non fuit, quam ut in gentis suae decus jactaret palam, eum, cui regis tutela commissa fuit, fuisse etiam honorifico summi pontificatus magistratu functum, etsi hic multo accessit serius. Quidni? an non et Cicero [c]), et Appianus [d]) hi quoque πϱοληπτικως sunt locuti, cum adseruere, a P. Scipione Nasica pont max. perduellem Gracchum fuisse caesum? Constat, Gracchum a Scipione caesum V. C. 621, quo tempore pontificatum max. tenuit P. Licinius Crassus, quo deinde biennio post in bello Aristonici interempto hic Scipio ejus ipsius virtutis causa, quam in Gracchanis his turbis exhibuerat, summum hunc honorem abstulit, ut diserte Vellejus [e]) *). Illustre exemplum aliud suppeditat numus gentis Claudiae, in cujus aversa epigraphe: MARCELLVS. COS. QVINQ. typus:

a) Plut. in Fab. Max. c. 16. b) L. XXX. c. 3. c) Catilin. Orat. I. c. 1. d) Bell. civ. L. I. e) L. II. c. 3.

*) Quae de Scipione tum nondum pontifice max. dixeram, serius etiam a Pitisco praeclare confirmata reperi. (Lex. T. II. p. 467.) At enim πϱοληπτικως locutus Plutarchus dici nequit, qui diserte narrat, Nasicam per Gracchanas has turbas fuisse pontificem max. (in Ti. Gracch. c. ult.) Plutarchum satis coarguit testimonium Velleji, tum quod probaveram, ea tempestate Crassum fuisse pontificem max., denique quod Cicero, etsi caesum a Scipione pont. max. Gracchum adserat, addat tamen: *privato*, quod de homine pontifice maximo dici vix potest. Non advertit hoc sphalma Rualdum immitem Plutarchi Aristarchum.

Marcellus Iovi Feretrio spolia offerens. Constat, Marcellum ea obtulisse V. C. 532, at consulem V. processisse demum V. C. 546. Vt ergo in hoc numo το COS. QVINQ. nequaquam referendum est ad tempus ejus facti, quod typus exhibet, ita neque in hoc, de quo agimus, denario inscriptum PONT. MAX. ad tempus praestitae tutelae. Secundum Val. Maximum, qui Lepidum tutorem etiam consulem II. facit, haec exteri regis tutela saltem in annum V. C. 579 erit differenda, quod anno hunc praecedente processit consul II., at tum vide, qua ratione cohaesura sint tempora.

Omnibus igitur expensis ita illustre istud factum explicandum censeo, secutus praecipue Iustinum, plurimas ejus peristases commemorantem. Moritur Ptolemaeus IV. Philopator V. C. 550, quo tempore et belli in Philippum causas quaesivere Romani. Mittunt Alexandrini legatos, qui impuberi regi Ptolemaeo V. Epiphani tutorem a senatu peterent. Ejus rei causa in denarii antica proponitur genius Alexandriae istud sibi beneficium exposcentis. Gliscit bellum cum Philippo, cui is V. C. 557 succumbit. Tutela perfunctus Lepidus, quo anno, ignoratur, consul I. procedit V. C. 567, pontificatum max. adit V. C. 574, consul II. V. C. 578.

Genius Alexandriae urbis in Aegypto principis argumenti causa in anticam est vocatus. Scripti XS pro X exempla ex numis jam dedimus altius in Proleg. Cap. VII. §. 3.

* * *

Caput muliebre velatum, in nonnullis juxta simpulum, et corona. M. LEPIDVS. AIMILIA. REF. S. C. *Basilica Aemilia.* — Idem restitutus a Trajano. — In denario musei Caes. antica offert *caput muliebre laureatum velatum.* AR. RRR.

Non pauci veterum insignis hujus substructionis meminere, quae vulgo *Basilica Aemilia*, vel *Pauli* dicebatur. Ejus exstruendae occasionem dedit corruptela. Nam, ut narrat Plutarchus a), inter eos, quos ingenti pecunia corruperat Caesar, fuit etiam Paulus consul, talentis argenti MD. in partes tractus, quo argento celebrem illam Basilicam juxta forum loco Fulviae aedificavit, dedicavitque. Fuit autem L. Aemilius Paulus consul V. C. 704. Ejus basilicae meminit quoque Cicero b). Is tamen opus nonnisi inchoatum vidit; nam dedicatum denique est a Paulo Aemilio Lepido prioris filio, aut certe consanguineo in consulatu suo suffecto V. C. 720, ut refert Dio c). Maximum decus in Phrygiis columnis fuit, propter quas eam *mirabilem* dixit Plinius d). Damnum passa bis refecta legitur, primum V. C. 740 docente Dione e). Pauli porticum incendio absumptam, ignemque ad Vestae usque grassatum - - - postea specie quidem ab Aemilio, ad quem primi conditoris genus reciderat, re autem ab Augusto, et Pauli amicis refectam. Iterum imperante Tiberio *Lepidus a senatu petivit, ut basilicam Paulli, Aemilia monumenta,*

a) In Caesare p. 722. b) ad Attic. L. IV. ep. 16. c) L. XLIX. c. 42. d) L. XXXVI. §. 24. e) L. LIV. c. 24.

propria pecunia firmaret, ornaretque, verba sunt Taciti a). Ceterum quae alia ad hanc basilicam, ejusque in urbe situm, tum alias eodem nomine (nam plures produntur) pertinent, vide nitide explicata a cl. le Beau b).

De tempore, quo denarius hic sit percussus, disputatur ab eruditis. Perizonius eum in aetatem Tiberii, qua eam fuisse refectam ex Tacito docuimus, promovet c). Melius Havercampus ad priorem sub Augusto restaurationem retrahit. Iam enim sub extremos hujus annos desierunt Romae feriri numi gentium nomine insignes, moneta omni uni Caesaris nomini reservata. Favet etiam posteriori huic sententiae caput anticae, quod haud dubie Vestae est. Nam cum in dicto incendio ignis ad usque templum Vestae pervaserit, probabile est, numum respicere et Vestae aedes, et basilicam ab Augusto restitutas. Addo, magis Augusti, quam Tiberii aevum sapere archaismum AIMILIA.

* * *

ROMA. *Caput muliebre laureatum, pone* X.

NV. AEMILI. *Statua equestris d. hastam tenens insistit ponti, intra cujus tres arcus scriptum* LEP. AR. R.

Refert Plutarchus, pontem in Tiberi sublicium, quo primus Ancus Marcius Ianiculum cum urbe conjunxit, multis post saeculis ab Aemilio quaestore factum lapideum d). Ab hoc Aemilio is Aemilii nomen abstulit. Quo anno opus positum sit, neque Plutarchus, neque, quod norim, alius prodidit. Pighius Man. Aemilium Lepidum quaestorem anno V. C. 675 inserit, atque tum conditum ab eo pontem. Qua istud auctoritate, ignoro; nam vades alios non citat, praeter Plutarchum, et denarium praesentem. At Plutarchus neque annum quaesturae, neque Aemilio huic fuisse praenomen Manii prodit, et Manius, quem numus offert, poterat esse unus ex posteris ejus, qui operis architectus fuit. Cujus sit statua equestris partis aversae, dubitatur. Havercampus esse regis Anci conjicit, qui pontis veteris sublicii fuit auctor. Denarius hic aetatis est mediae inter antiquissimos, et modi recentioris; nam non exhibet caput galeatum alatum, et sistit tamen notam X, quam aetas Caesaribus vicina ex numis jam exegit.

* * *

Paullus Lepidus.

Paullus et Lepidus singula fuerunt cognomen gentis Aemiliae. At habemus ex historicis etiam Paullum Aemilium Lepidum, sic ut ejusdem gentis cognomen in praenomen cesserit. Si vera memorat Fulvius Ursinus e), *Paullus Lepidus adoptatus a patre M. Lepidi IIIviri fuit, et ex Aemilio Paullo Paullus Aemilius Lepidus dictus est.* Nimirum cum et adoptans et adoptatus ex eadem gente Aemilia essent, Paullus adoptatus Aemilianus dici non potuit, sed ex suo Paulli cognomine praenomen fecit, dictusque adeo fuit Paullus Aemilius Lepidus. Verisimile istud, sed utinam accederet quoque auctoritas. Ursino consona scribit et Pighius f).

a) Ann. III. c. 72. b) B. L. T. XXIV. p. 205. c) de num. cons. p. m. 560. d) in Numa p. m. 66. e) num. fam. in Aemilia. f) Ann. T. III. p. 495.

Quoniam Paullorum et Lepidorum magnum fuit inde a principio saeculi V. C. VIII. nomen, iique ipsi Caesarum domui adfines, non alienum, horum gentem hoc loco aliquanto explicatius proponere, praecipue cum eo numi, quos explicatum imus, lucem mutuentur. In eo argumento erudite versatus jam est Norisius [a]), etsi in nonnullis dissentire cogar.

L. Aemilium Paullum supra vidimus consulem V. C. 704 grandi pecunia a Caesare corruptum, et basilicae suae architectum. Eum Norisius perperam videtur constituere fratrem M. Aemilii Lepidi IIIviri ab eodem hoc fratre proscriptum, et censorem ab Augusto V. C. 732 nominatum. Praeterquam enim quod non satis videatur verisimile, eum qui consul V. C. 704 fuit, post XXVIII. annos potuisse adhuc molesto censurae negotio vacare, scrupulum etiam injicit Dio, qui refert, V. C. 720 ab Aemilio Lepido Paullo in consulatu suffecto dedicatam basilicam Aemiliam [b]). Si vivus adhuc tum L. Aemilius Paullus, cur is non ipse opus, cujus architectus exstitit, dedicavit, sed summum hunc honorem alteri ex sua gente reliquit? Alium igitur Aemilium Paullum circumspiciamus, cui opportunius ea, quae Norisius in L. Aemilium Paullum congerit, competant.

Aemilium illum, quem supra dixi ab altero Aemilio adoptatum, et per hanc adoptionem dictum Paullum Aemilium Lepidum, Pighius censet fuisse adoptivum Lepidi IIIviri fratrem [c]). Idem fuit eodem judice, quem frater IIIvir inter proscriptos referri est passus. Idem deinde V. C. 720 consul suffectus, ut dixi, porticum Aemiliam dedicavit, dictus Dioni Aemilius Lepidus Paullus, cujus consulatus suffecti meminerunt etiam marmora duo, quorum unum recitat Pighius [d]): L. SEMPRONIVS. L. SCRIBONIVS. (fuere hi ejus anni consules ordinarii, aut saltem horum prior) mox additur: K. IVL. PAVL. AEMILIVS, quod postremum in altero marmore, nisi forte idem est cum priore, sic notatur: K. IVL. P. AEMILIVS [e]). Habemus ergo circum hanc aetatem Aemilium alium illustrem, certe ab Aemilio Norisiano diversum, qui posterior neque Lepidi nomen tulit, neque Paulli nomine in praenomen usus est, quique tum adhuc vegetae aetatis censurae XII. serius annis obeundae idoneus facile fuit.

V. C. 732 exercuisse censuram Paullum Aemilium Lepidum conlega L. Munatio Planco, diserte prodit Dio [f]), quem fuisse sane eundem, qui V. C. 720 fuit consul, ipsa nomina demonstrant.

Ejus uxor Cornelia. Fuit filia P. Cornelii Scipionis et Scriboniae. At Scriboniam marito abductam duxit ipse Octavianus V. C. 714 [g]), fuitque ex ea pater Iuliae clarissimis, quos ea aetas habuit, viris, Marcello, Agrippae, Tiberio matrimonio junctae. Ergo Cornelia per sororem Iuliam domui

---

a) Cenot. Pis. diss. II. c. 13. b) L. XLIX. c. 42. c) Ann. Tom. III. p. 495 et 515. d) Ann. Tom. III. p. 494. e) Gruter. p. 1087. 2. f) L. LIV. c. 2. g) Suet. in Aug. c. 62.

Caesaris consanguinea, Paullus Lepidus per uxorem Corneliam eidem adfinis in magna tum nominis claritate fuere, quam auxit etiam Propertius, qui tenerrimam scripsit elegiam, qua Corneliam fingit, cum praematura morte obiisset, mariti Paulli luctum moderantem [a]). Annum mortis ipsa in eo carmine indicat [b]), nempe in consulatu fratris:

Vidimus et fratrem sellam geminasse curulem,
Consule quo facto tempore rapta soror.

Dubium non est, hunc Corneliae fratrem consulem fuisse P. Cornelium Scipionem, quem fasti ad annum V. C. 738 memorant. Istud si verum, plurimum valet ad refellendum Norisium, qui Corneliae hujus maritum constituit L. Aemilium Paullum, qui V. C. 704 consul processit. Esto, fuisse illum tum annos natum nonnisi XXXV., necesse est, V. C. 738, quo mortua Cornelia, fuisse octogenarium. Sin istud, ridicula sane erunt praecepta a Cornelia filiis data, quibus rationem praescribit, qua observanda noverca, si quam pater alteris nuptiis in domum induxerit, aut si maluerit coelibem vitam persequi, discerent *venturam* patris *jam nunc sentire senectam.* Non satis Paulli honori consuluerat aut Cornelia, aut Propertius, si id aetatis virum, et jam constituta domi sobole posse adhuc novis nuptiis inhiare sunt suspicati. Deinde anni LXXX. non jam sunt *ventura senecta*, sed senecta ipsa.

Paulli Lepidi duo memorantur filii. Eos in laudato carmine sic compellat mater Cornelia: *Te Lepide, et te Paulle, meum post fata levamen.* Fuere ingenio multum dissimili. M. Aemilius Lepidus cos. V. C. 759, cujus moderationem extulit ipse Augustus, quando agens de iis, qui possent ambire imperium, *M. Lepidum* dixerat *capacem*, *sed aspernantem* [c]). L. Aemilius Paullus cos. et ipse V. C. 754 conlega C. Caesare, sed qui ipsum Augustum insidiis petivit, ut refert Suetonius [d]), a quo Augusti progener appellatur; nam habuit junctam matrimonio Iuliam Agrippae et Iuliae filiam Augusti neptem.

Haec sunt, quae de Paullo Lepido ex veterum monumentis animadvertenda videbantur, verisimilia sane, dempto, quod spondere nolim, fuisse eum Lepidi IIIviri fratrem, ut visum Pighio; nam video, eruditos plures huic sententiae contraire, ac praecipue Perizonium [e]). Ceterum aliud hoc loco probare non constitui, quam diversum ab Aemilio Norisii esse Paullum Lepidum hoc nomine a veteribus proditum, et sic etiam inscriptum numis, quos modo recitabo, et quorum causa isthaec collegeram.

* * *

PAVLLVS. LEPIDVS. CONCORD. *Caput Concordiae velatum.*

---

a) L. IV. el. 12. b) vers. 65. c) Tacit. Ann. L. I. c. 13. d) in Aug. c. 19. e) Animadv. hist. p. 121.

PVTEAL. SCRIBON. LIBO. *Puteal Libonis.* AR. C.

Eadem adversa.

TER. PAVLLVS. *Tropaeum, juxta hinc vir togatus stans, illinc captivus revinctis post tergum manibus, adstantibus duabus parvis figuris.* AV. (Pembrock P. I. tab. 7.) RRRR. AR. C.

Eadem adversa.

CLEMENTIAE. S.C. *Caput Clementiae intra clypeum.* AR. RRRR.

Quoniam antica in omnibus his est eadem, certum pariter, uno omnes tempore ac consilio signatos. Iam primum sensus τȣ PAVLLVS. LEPIDVS dijudicandus. Havercampus utroque nomine exhiberi putat Paullum et Lepidum Paulli Lepidi filios, de quibus continuo egi, signatosque hos numos tum, cum uterque esset IIIvir monetalis, cumque in aversa numi I. videret insuper notatum Scribonium Libonem, omnes tres IIIviros, qui uno eodemque tempore exstitere, credidit indicari. Nimium is per totum suum opus in statuendis IIIviris liberalis, cum tamen ipse toties quaestores, praetores, praefectos urbis etc. numorum auctores confiteri cogatur. Melius Perizonius ipsum utriusque patrem Paullum Lepidum, de quo ampla mihi mox facta mentio, in his numis videt, causa tanto certiore, cum utrumque illi fuisse hoc nomen constet.

Cur in omnibus his numis signata sit CONCORDIA, certam causam non reperio, nisi forte palpari placuit Augusto ob decretum a senatu novae Concordiae templum per causam restitutae a I. Caesare pacis, de quo Dio a). Iuvat judicium istud numus III., ut dicetur.

Numi I. aversa typum exhibet genti Scriboniae proprium, famigeratum nempe puteal, quod in ejus monetam reservamus. At cur istud Scriboniorum decus numis suis inseruerit Paullus, explicata ratio. Diximus, fuisse ei uxorem Corneliam filiam Scriboniae, ex quo adfinitatis vinculum inter gentes Aemiliam et Scriboniam, tanto magis Paullo venerabile, quod illo cum domo Caesarum conjunctus est, ex quo Octavianus Scriboniam Corneliae matrem uxorem duxit, ut supra latius ostendi. Iusta igitur causa, cur Paullus honorificam hanc cum gente Scribonia unionem in moneta sua jactaret.

Numi II. typus illustris ărgumenti. Revocat enim in memoriam L. Aemilii Paulli victoriam de Perseo, captam Macedoniam, et deinceps Romanis servire coactam, et triumphi V. C. 587 magnificentiam, quo nullus hactenus per praedae opulentiam insignior est actus, quae omnia ex veteribus adcurate collecta habes apud Pighium b). Exhibet typus Paullum togatum stantem, et porrecta dextera imperantem quid Perseo, qui adstat vinctus, in comitatu duorum filiorum, qui triumphantis quoque victoris currum sequebantur. Epigraphe TER. PAVLLVS sensus est ambigui. Aut enim significat triumphum a IV. Kal. Dec. ejus anni in triduum porrectum, de quo Florus c): *quippe cujus spectaculo triduum impleverit, primus dies signa tabulasque, sequens arma*

a) L. XLIV. c. 4. b) Ann. T. II. p. 386. c) L. II. c. 12.

pecuniasque transvexit, tertius captivos, ipsumque regem attonitum adhuc, tanquam subito malo stupentem. Aut significat tres L. Paulli triumphos, quorum unus de Liguribus, alter de Perseo, tertius incertum de quibus, quem ex Velleio elicit Pighius. Et sane ternos hos triumphos, quos tamen controvertunt aliqui, confirmat marmor hodieque Romae exstans, et ibidem citatum a Pighio: L. AEMILIVS. L. F. PAVLLVS. COS. II. CENS. AVGVR. TRIVMPHAVIT. TER. Vide de hoc numo plura apud Spanhemium a).

In numi III. aversa Vaillantius clypeum Macedonicum videt, putatque indicari *Clementiam*, qua erga Macedonas usus est Paullus in bello contra Perseum. At clypei Macedonici multo alia est figura, ut non modo ex numis Macedoniae constat, sed vel ex ipsis numis consularibus Caecilii Metelli. Clypeus vero hic ex eorum genere est, quales dedicari et suspendi solebant in locis sacris cum imagine deorum vel virorum illustrium, ut patet ex numis Tiberii cum simillimo typo, et inscriptis CLEMENTIAE, vel MODERATIONI. Exstat etiam numus gentis Mesciniae, qui Augusti caput simili clypeo insculptum offert. Existimo ergo, typum hunc a Paullo lectum ad demerendum Augustum in memoriam patris Iulii, cujus causa observandi decretum a senatu, ut Clementiae Iuliae templum aedificaretur, de quo vide plura in numis I. Caesaris. Eodem animo Paullum Concordiae effigiem numis intulisse supra conjecimus. Denarius hic est rarissimus, et Goltzianum tantum crederem, nisi et a Morellio vulgatum viderem.

* * *

Lepidus IIIvir.

Hujus numos vide in moneta imperatorum.

* * *

Scaurus.

M. SCAVR. EX. S. C. *in imo:* REX. ARETAS. *Rex Aretas genuflexus s. camelum freno retinet, d. oleae ramum protendit, ex quo vittae dependent.*

P. HYPSAE. AED. CVR. — C. HYPSAE. COS. PREIVER. CAPTV. *Iupiter fulminans in citis quadrigis.* AR. C.

Pars tantum antica ad gentem Aemiliam pertinet, nempe M. Aemilium Scaurum; nam aversa est P. Plautii Hypsaei, quam explicabimus in Plautia. Argumentum elegans, et totum historicum. Refert Dio b), Pompejum M. constituta Syria et Phoenice Aretae Arabiae Petraeae regi, qui Syriam incursionibus saepe vexaverat, bellum intulisse, victumque custodiae tradidisse. Apertius et explicatius secundum hunc denarium Iosephus c): Pompejum rebus in Syria ordinatis, cum reditum in urbem pararet, omnem Syriam ab Euphrate usque ad Aegyptum Scauro commisisse, qui confestim Aretam bello petiit. At hunc viribus suis diffisum petiisse pacem, eamque solutis talentis CCC. impetrasse. Facta haec V. C. 692. Sistit ergo denarius Aretam re-

a) T. II. p. 220. b) L. XXXVII. c. 15. c) Antiq. L. XIV. c. 4 et 5. Bell. Iud. L. I. c. 6, 7, 8.

licto, quo Arabum more vehebatur, camelo supplicis more in genua prolapsum, et oleae ramum porrigentem, in quo observandae, quod jam praeclare observavit Havercampus, pendentes vittae secundum ea, quae docuit Virgilius [a]):

Optime Grajugenum, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit praetendere ramos.

Fuit hic mos inter Graecos pervetustus. Auctore Aeschylo [b]) Orestes post patratam matris caedem Apollini supplex tenebat manu

ἐλαιας ϑ' ὑψιγεννητον κλαδον,
Ληνει μεγιςῳ σωφρονως ἐςεμμενον,
Αργητι μαλλῳ.

et olivae praelongum ramum
Lana praegrandi prudenter coronatum,
Albo villo.

Vtraque numi superficies par aedilium curulium, M. Scaurum, et P. Hypsaeum sistit. Famigerata apud veteres Scauri aedilitas ob immoderatam ludorum et muneris magnificentiam, quae fidem vix reperiat. Operae pretium est legere apud Pighium, qui haec collegit [c]), ostentatam luxus insaniam. Haec cum a tot scriptoribus tam magnifice creparetur, miratur idem, neminem annum adnotasse, quo magistratum hunc gessit, ac mox citato loco Ciceronis ex oratione pro Sextio [d]) non incommode eruit, gestum eo anno, quo Clodius fuit tribunus pl., nimirum V. C. 696. Verum Harduinus hoc Pighii judicium inanem conjecturam vocat et ex dubio Plinii sui loco Scauri aedilitatem in annum V. C. 678 retrahit [e]). Siccine Scaurus praeclarum hoc decus revocati ad obsequium Aretae, quod certum est anno V. C. 692 sibi partum, ante annos omnino XVIII. jam praescivit, et in numis signavit? Ergo denarius hic aperte Pighio favet.

AFRANIA.

Gens plebeja.

Caput Palladis galeatum alatum, pone X.

S. AFRA. *Victoria in citis bigis, infra* ROMA. AR. R.

In aeneis quoque S. AFRA. cum nota assis et partium. RR.

Literam praenominis S in his numis Vrsinus, Vaillantius, Havercampus confidenter legunt *Spurius*, quin ejus certam rationem adferant. Esto, in gente Postumia solum S legi *Spurius*, istud nondum probat, etiam in Afrania legi potius debere *Spurius*, quam *Sextus*, praecipue cum fateatur Vrsinus, Sp. Afranii, a quo cusi hi numi, nullam exstare mentionem in veteribus monumentis. In marmoribus perinde

a) Aen. VIII. 125. b) Eumenid. v. 43. c) Tom. III. p. 361. d) cap. 54. e) ad Plin. L. XXXVI. §. 8 not. 7.

Sextos, atque Spurios reperias, sic: SEX. AFRANIVS. LAVTVS. SP. F. (Grut. p. 666. n. 7.) SEX. AFRANIO. SEX. F. (Murat. p. 1627. n. 6.)

* * *

Caput Iovis laureatum, pone S. C. *sed litera S inversa.*

M. AFRA. *Victoria in citis trigis, superne* XXXXIII. (Mus. Caes.) Est serratus. AR. RRRR.

Numum hunc integerrimum alibi editum non reperio. Est simillimus numis Q. Antonii Balbi.

* * *

Numi argentei, qui spectato modulo similes sunt denariis Romanis, et literas AΦPA. Graecas exhibent, ab Vrsino, Mahudelio [a]) et auctore musei Pembrock [b]) genti Afraniae tribuuntur, cusi ut censent, in Hispania. Hujus esse regionis, dubium non est, sed longe absum ab eorum opinione, qui gentem Afraniam notari putant. Credam potius, regulum quemdam Hispaniensem exhiberi. Neque obturbant literae Graecae; nam et Emporitanorum Hispaniae numi literas Graecas antiquis Hispanicis mixtas offerunt. Minus verisimilis sententia Olivierii, qui hos numos Italicos putat, et cusos tempore belli socialis [c]). Iam numus Pellerinianus, in cujus antica AΦPA, in aversa integer versus constans literis pure Hispanicis sistitur, Olivierii sententiam evertit. Ceterum fabrica similes numos stante rep. cusos arguit, nullo autem pacto Gothici haberi possunt, quorum multo alia est forma et fabrica, etsi Gothicos esse suspicati sint Vaillantius et Havercampus. (in Afrania.)

ALBIA. ALFINIA.

Numi Goltziani.

ALITIA.

P. Alitius IIvir Corinthi. Sed ut alias dixi, magistratuum municipalium in hoc opere rationem non habeo, quia ad gentes Romanas vix pertinent.

ALLIENVS.

Ex gente plebeia. Ejus nomen, ut putat Vrsinus, videtur productum ab *Allius*, quemadmodum a Nasidius habemus *Nasidienus*, a Satrius *Satrienus* etc. Ceterum τo Allienus haud dubium est cognomen, quin nobis de gentis no-

a) Dissert. sur les monn. d'Espagne p. 14.   b) P. III. tab. 7.   c) Saggi di Cort. T. II. p. 66.

mine, ad quam illud pertinuit, constet, non unico isto in familiis R. exemplo.

C. CAES. IMP. COS. ITER. *Caput Veneris.*

A. ALLIENVS. PROCOS. *Vir nudus d. pede prorae navis insistens d. triquetram tenet.* AR. RR.

Sistit hic denarius A. Allienum, cui Siciliae praetori I. Caesar multa in mandatis dederat, quando ex insula in Africam contra Scipionem profectus est VI. Kal. Ian. ut refert Hirtius a). Infra narratur b), Allienum, sed qui jam proconsul dicitur, ampla Caesari subsidia ad id bellum ex Sicilia misisse. Proconsulem etiam appellat Cicero in epistolis binis ad eum in Siciliam datis, quae sunt postremae libri XIII. Ex verbis Hirtii et numo ipso certam numi aetatem tenemus. Certum est, memoratum diem VI. Kal. Ian. esse anni V. C. 707, missa vero subsidia principio anni sequentis 708. Ergo certum etiam, fuisse Allienum proconsulem Siciliae saltem exeunte anno priore, et ineunte altero. At vero I. Caesar, qui in denario dicitur consul iterum, anno V. C. 708 jam fuit consul III. Ergo numus hic tribuendus anno V. C. 707. Triquetra Siciliam, vir nudus navis prorae insistens demandatum Allieno maris imperium notant.

ANICIA.

Numus Goltzianus.

ANNIA.

Gens. plebeia. In numis certis cognomen non additur.

C. ANNI. T. F. T. N. PROCOS. EX. S. C. *Caput muliebre, ante quod plerumque bilanx, saepe etiam pone caduceus alatus, infra caput saepe literae alphabeti, aut quid aliud, ut scorpius, etc.*

L. FABI. L. F. HISP. *superne* Q. *Victoria in citis quadrigis, (rarius lentis) d. oblongum palmae ramum.* In aliis: Q. TARQVITI. P. F. Q. *Victoria in citis bigis d. palmae ramum, superne notae arithmeticae, ut:* $\overline{\text{IIII}}$. $\overline{\text{XXXV}}$. etc. AR. C.

Plerique antiquarii hunc C. Annium eundem putant, quem refert Plutarchus a Sulla adversus Sertorium in Hispaniam missum hujus ducibus e Pyrenaeo submotis ipsum Carthaginem Novam retrocedere coegisse c). Existimant etiam, ejus tum quaestores fuisse L. Fabium Hispaniensem, et Q. Tarquitium, idque horum denariorum indicio. At enim istud profecto mirum, quod testatur Sallustius d), in extrema coena, qua a

a) De bell. Afric. c. 2. b) cap. 34. c) in Sertor p. 571. d) apud Servium ad Aen. p. 702.

suis perfide interemptus est Sertorius, adfuisse inter convivas L. Fabium Hispaniensem senatorem ex proscriptis, et Tarquitium. Enimvero hi, etsi eorum concordant nomina, ii ipsi esse non possunt, quos his denariis inscriptos legimus. Nam etsi statuamus: secessionem a Romanis ad Sertorium fecisse, Fabius unus ex proscriptis dici non potuisset. Etenim si eum Sulla in tabulas retulisset, nunquam Annio procos. additus quaestor fuisset. Multa offert haec numorum classis obvoluta tenebris, quas nulla oculorum acies pervadat. Caput anticae propter adstitutam plerumque bilancem vel Aequitatis est, vel Monetae.

* * *

ANNIVS. LAMIA. SILIVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. memorantur in aeneis III. formae imperante Augusto signatis.

AE. C.

ANTESTIA. ANTISTIA.

Gentem plebejam utramque conjungo, quia haud dubie paullum variato nomine gens una eademque fuit. Id jam suspicatus est Vrsinus nixus vetere inscriptione, quin et Pighius et Vaillantius. Havercampus horum conjecturae repugnat propterea, quod Augusti aetate fuere et Antistii et Antestii, illorum testes denarii cum capite Augusti, horum testis numus Calagurris cum ejusdem imperantis capite. Cl. Odericus, qui priorem sententiam tuetur in erudita dissertatione, quae exstat in Tentaminibus Cortonensibus tomo VIII., opponit Havercampo, non debere confundi familias municipales cum familiis Romanis, quamvis illae ab his oriundae essent; quin fieri poterat, ut Antestii Romani se serius vocarent Antistios, nomen autem vetus retinerent Hispani. Sane Livius constanter vocat Antistios etiam illos, quorum numos Havercampus Antestiis adjudicat. Quin etsi demus, fuisse revera distinctos et Antestios et Antistios, non tamen sequitur fuisse gentes distinctas, sed potius duas familias ejusdem gentis, quemadmodum gens una fuit Claudia et Clodia, Plautia et Plotia, etsi diversae fuerint familiae, perinde ac unum idemque verbum fuit *antesto* et *antisto*, etsi variaret litera. Quod si utroque nomine una gens notatur, ut dubitari vix potest, certum est, nomen Antestiae esse vetustius nomine Antistiae, nam posterius praeferunt numi sub Augusto signati, sed Antestiae nomen cum denarii, tum numi aenei, qui ex typo et fabrica remotiora arguunt tempora, ut continuo patebit.

* * *

Antestius.

C. ANTESTI. *Caput Palladis galeatum alatum, juxta* X. *Dioscuri in citis equis, infra* ROMA, *et canis currens, sed jam in antica, jam in aversa.* AR. C.

Caput Iani. - ANTESTI. ROMA. *Navis, supra canis currens.* AE. I. R.

Praeter canem nihil in his observatu dignum. Eum Vaillantius ad Dianam ve-

natricem primum refert nullo idoneo fundamento [a]), mox addit: *sed canis pertinet ad aliquam familiae historiam; quam Dio dedit nobis, cum ille Antestium quemdam servavit navigantem per fenestram latrans, unde Antestia gens semper in sigillo habuit.* Idem ex Vaillantio scripsit Havercampus. Quis non fidem haberet, viris id tam audacter adfirmantibus? Tamen Dio neque hoc modo rem prodidit, neque de Antestio, sed de Galba; sic enim narrat [b]): ὁυτος γαρ προγονικῳ τινι σφραγισματι, κυνα ἐκ πρωρας νεως προκυπτοντα ἐχοντι ἐνομισεν, *hic enim* (Galba) *canem ex prora navis prospectantem, signum a majoribus acceptum usurpare solebat.* Causa ergo canis adhuc ignota.

* * *

GRAC. *Caput Palladis alatum, juxta* X.

L. ANTESTI. *Iuppiter fulminans in citis quadrigis, infra* ROMA. AR. C.

Caput Palladis, in area 4 *globuli.*

- ANTES. *Navis, supra quam avicula, infra* ROMA. AE. III. (Oderici Saggi di Cort. T. VIII. p. 158) RRRR.

Insignis Odericus hanc alterius numi aviculam graculum putat, et adludere ad nomen GRAC. praecedenti denario inscriptum. Nomen *Graculus*, inquit, apud Romanos viguit; nam Plinius Turanii *Graculi* meminit, etsi Harduinus legere malit *Gracilis.* Non diffitetur, neminem veterum meminisse *Antestii Graculi*, sed neque veterum aliquis prodidit, Accoleium dictum fuisse Lariscolum, omissis exemplis aliis, quae ex numis praesto sunt. Satis igitur tuto hoc cognomen produnt numi, in quorum aliis expressae literae ἀρχαικως GRAC., in alio graculus ipse. Fatetur quidem Vrsinus, nescire se, quod nomen ex literis GRAC. ducendum putet. Confidentius, quam felicius eas Vaillantius et Havercampus explent GRAC*chus*, et fuisse Antestium una cum Sempronio Graccho IIIvirum monetalem adserunt. Parum haec dicta commode. Esto, ex eorum sententia legendum *Gracchus*, tantum tamen abest, ut το GRAC. ad Semproniam gentem, trahendum sit, ut ex his ipsis numis doceremur etiam, fuisse et Antestiis cognomen Gracchi. Sane generalis putanda regula, quamque in prolegomenis jam insinuavi [c]), quotiescunque in parte adversa legitur cognomen, in aversa praenomen cum nomine gentis, cognomen illud cum nominibus aversae conjungendum. Quam regulam his quoque denariis applicando habemus L. ANTESTI*um* GRAC*ulum.* Dixeram, graculum in triente expressum positum vice literarum GRAC. Eodem exemplo Cicero referente Plutarcho (Apophth. p. m. 204.) ἐκπωμα ἀργυρȣν τοις ϑεοις ἀνατιϑεις τα μεν πρωτα των ὀνοματων γραμμασιν ἐσημανεν, αντι δε τȣ Κικερωνος ἐρεβινϑον ἐτορευσε, *in poculo argenteo diis ab se dedicato praenomen nomenque literis indicavit, in locum vero Ciceronis cicer insculpsit.* Quae fuerit causa inditi cognominis *Graculi*, ut de plerisque non constat, ita neque de hoc exigi potest. Agathoclem Siculum malevoli dixere

a) Pag. 71. b) L. LI. c. 3. c) Cap. VII. §. 1.

graculum [a]). Narrat Plinius [b]), *buteonem* (accipitrem) *hunc appellant Romani, familia etiam* (Fabiorum) *ex eo cognominata, cum prospero auspicio in ducis navi consedisset.* Revera in obviis gentis Fabiae denariis juxta epigraphen C. FABI. C. F. comparet avis, quae haud dubie buteo est, et valet ad ipsum cognomen *Buteonis*, quo typo praesens de Graculo sententia egregie juvatur.

* * *

Antistius.

Hi, qui *Antistius* inscribuntur, omnes Augusti caput, aut epigraphen sistunt. Cognomina ex numis bina habemus, *Reginus* et *Vetus*.

* * *

Reginus.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput Augusti nudum.*

C. ANTISTIVS. REGINVS. IIIVIR. *Instrumenta pontificalia.* AR. RR.

* * *

Vetus.

C. ANTISTIVS. VETVS. IIIVIR. *Protome muliebris.*

IMP. CAESAR. AVGVS. COS. XI. *Instrumenta pontificalia.* AR. R.

IMP. CAESAR. AVGVS. TR. POT. IIX. *Caput nudum.*

ANTISTI. VETVS. IIIVIR. APOLLINI. ACTIO. *Apollo stolatus insistens basi rostris navium et ancoris ornatae d. pateram ad aram sacrificat, s. lyram.* AR. RRR.

IMP. CAESAR. AVGVS. TR. POT. VIII. *Caput nudum.*

C. ANTIST. VETVS. FOED. P. R. CVM. GABINIS. (*in alio:* FOEDVS. P. R. QVM. GABINIS.) *Duo viri togati et velati stantes porcam super ara ignita simul tenent.* AR. RRR.

C. ANTISTIVS. VETVS. IIIVIR. *Protome Victoriae.*

PRO. VALETVDINE. CAESARIS. S. P. Q. R. *Sacerdos velatus stans ante aram ignitam d. pateram, hinc victimarius taurum adducens.* AV. (Mus. Caes.) RRRR.

Insignes sunt hi denarii tam argumento, quam quod aetatem, qua malleum subierunt, produnt; nam memorant Augusti trib. potest. VIII. et consulatum XI., quae sunt notae anni V. C. 738.

Numus II. longa explicatione non eget. Constat, Augustum Apollini Actio ob relatam propter ejus templum victoriam magna fuisse religione obstrictum. Idem in aliis quoque ejus numis frequenter typum facit, quos dabimus ad annum V. C. 742. in moneta Augusti.

Numus III. in aversa thema offert unis Antistiis proprium, lectumque a IIIviro Antistio, ut se Gabiis pervetusta Latii urbe oriundum testaretur. Sane Dionysius Halic. *Antistium Petronem* ἐπιφανεςατον Γαβιων *Gabiorum longe illustrissimum* vocat, qui fraude Sex. Tarquinii occisus est, oppido subinde in potestatem patris regis redacto [c]). Mox restituta concordia foedus inter utrumque populum cum sacrificiis et jurejurando initum, cujus leges antiquis literis exaratas sua adhuc aetate in templo Iovis Pistii servatas idem refert [d]).

---

a) Rhodig Var. lect. L. XXIV. c. 4. b) L. X. c. 8 c) L. III. p. m. 255. d) l. c.

Idem tradit, bovem tum immolatum, at numi porcam exhibent, quae sane in sanciendis foederibus offerri consuevit, ut diserte Livius [a]), apud quem totus ritus et formula usurpari solita describuntur, et eleganter juxta numi imaginem Virgilius, ubi initum Romulum inter ac Tatium post raptas Sabinas foedus narrat [b]):

Tum idem inter se posito certamine reges
Armati Iovis ante aras, paterasque tenentes
Stabant, et caesa jungebant foedera porca.

Et Varro [c]): *Initiis pacis foedus cum feritur, porcus occiditur.* Adde et Festum [d]): Igitur ara accensa est ara Iovis; nam et in formula Diespiter est enunciatus, quod ipsum quoque ex Graecorum disciplina fluxit; nam apud Theocritum [e]) Tiresias jubet Alcmenam.

Ζηνι δ' επιρρεξαι καθυπερτερῳ αρσενα χοιρον.
Iovi mactare supremo masculum porcum.

Multo autem vetustiorem religionem, Iovem caeso porco testandi jam commemorat Homerus, cum juratum ait ab Agamemnone, intactam sese Achilli restituere Briseiden [f]). At Talthybius

Καπρον εχων εν χερσι, παριςατο ποιμενι λαων.
Porcum tenens manibus adstabat pastori populorum.

Simili ritu athletae in ludis Olympiae testabantur Iovem Ορκιον, se sine fraude rem suam facturos [g]). Hoc porcae sacrificium et foederis ritus simili fere modo exprimitur in numis Acerrae Campaniae, et in numis Samniticis. Vide etiam numos gentis Veturiae. Notandum in hoc numo αρχαϊκον QVM pro CVM. Sic in perantiquo marmore Dorvillii saepe recurrit scriptum PEQVNIA [h]). Valuit tamen etiam inclinante imperio. Sic in marmore apud cl. Marinium [i]): NATIONE. DAQVS. pro DACVS. In marmore Nanii QVLINA. pro CVLINA [k]).

Numi IV. typus, cum ad Augusti historiam totus pertineat, explicabitur in ejus numis ad annum V. C. 738.

Videtur hic C. Antistius Vetus fuisse filius ejus Antistii Veteris, quo Ciceronis villam, quam ipse Academiam dixit, possidente non multo post ejus oratoris obitum, eruperunt ibi fontes calidi oculis salubres, quod naturae donum eleganti epigramate celebravit Ciceronis olim libertus Laurea, quod totum recitat Plinius [l]).

---

a) L. I. c. 24. b) Aen. VIII. 638. c) de R. R. L. II. 4. d) in Porci. e) Idyll. XXIV. v. 97. f) Il. T. 250. g) Pausan. L. V. c. 24. h) Sicul. p. 595. i) Iscriz. Alban. p. 70. k) Biagi Monum. Graec. Lat. p. 188. l) L. XXXI. §. 3.

ANTIA.

Gens plebeia. Cognomen in numis *Restio.*

RESTIO. *Caput virile imberbe nudum.* In aliis: DEI. PENATES. *Capita duo jugata juvenilia diademata.*

C. ANTIVS. C. F. *Hercules nudus gradiens d. clavam sublimem gestat, s. tropaeum et exuvias leonis.* AR. R.

RESTIO. *Ara luculenta.*

C. ANTIVS. *Caput bovis cum infulis.* Quin. RRR.

Creditum antiquariis, capite virili sisti Antium Restionem auctorem legis sumptuariae, sed quam, etsi optimam, vitiorum firma concordia nullo abrogante irritam fecit. Istud memoriae prodiderunt Macrobius a), et Gellius b). Quo tempore eam legem tulerit, satis definite docet Macrobius, *Sulla*, inquit: *mortuo Lepidus consul legem tulit et ipse cibariam - - - dein paucis interjectis annis alia lex pervenit ad populum ferente Antio Restione.* Mortuus est Sulla dictator V. C. 676, anno sequente Mam. Aemilius Lepidus processit consul, ut adeo verisimile sit, C. Antium Restionem, quem denarius nominat, ejus ipsius legislatoris fuisse filium, qui patris mortui, et tam praeclaro in remp. animo adfecti memoriam restituit, et forte idem hic fuit, quem a IIIviris proscriptum etsi immerentem inaudita servi pietas incolumem praestitit, de quo vide Appianum c), et Val. Maximum d).

DEI. PENATES scriptum plene, cum in Fonteia propter similia capita legatur tantum P. P., in Sulpicia D. P. P. De his opportunius agam in Sulpicia.

Herculem partis aversae Vaillantius aliique statuunt eum, qui Romae nomine Victoris, seu Triumphalis ob caesum Cacum colebatur. Videtur sententiae huic favere quinarius sequens. Ovidius, quo loco repertas ab Hercule boves, Cacumque peremptum memorat, haec ad numi hujus explicatum valentia addit e):

Immolat ex illis taurum tibi, Iuppiter, unum
Victor, et Evandrum, ruricolasque vocat.
Constituitque sibi, quae Maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Secundum haec igitur ara hujus numi est ea ipsa, quae *Maxima* dicebatur, et caput bovis taurus Iovi mactatus. De hoc argumento vide plura in numis Antonini Pii antiquitatem Romanam restituentibus.

a) Sat. II. c. 13. b) L. II. c. 24. c) Bell. civ. d) L. VI. c. 8. n. 7. e) Fast. I. v. 579.

ANTONIA.

Gens antiquissima et patricia, nam ab Antone Herculis F. se descendere gloriabatur, et hujus unus T. Antonius Merenda Xvir legum ferundarum fuit, et Q. Merenda tribunus militaris consulari potestate, sed ea vel exstincta est, vel ad plebem transiit. Sed de hujus gentis splendore dicam amplius in numis M. Antonii IIIviri. Etiam Antonii *Balbi*, quod unum in hac gente cognomen offerunt numi Romani, fuere plebeji, ut docent tribunatus ab his obiti. *Naso* est in numis peregrinis.

* * *

Balbus.

Caput Iovis laur., *pone* S. C., *propter mentum litera alphabeti, nisi in aversam trajiciatur.*

Q. ANTO. BALB. PR. *Victoria in citis quadrigis d. elata lauream, s. oblongum palmae ramum et una habenas, in area litera alphabeti, nisi in anticam migravit.* Sunt serrati omnes. AR.

Id genus denarii abundant. Vaillantius et Havercampus Pighium secuti eos referunt ad Q. Antonium Balbum, qui praetor in Sardinia, nam PR*aetorem* eum etiam dicunt hi numi, postea a Sulla inde ejectus, et occisus est V. C. 672, et in hac praetura illos ab hoc signatos. Sed cur Sardiniae causa, et ea tempestate pacatae necesse habuit praetor tanta copia ferire numos? Praeterea an non altius aevum hi postulant denarii, quia serrati sunt omnes? Verisimilius videtur, eos ab antiquiore quodam Q. Balbo hujus forte patre cusos, cum is urbanus praetor esset, etiamsi is in annalibus non reperiatur. De literis alphabeti, quae in his denariis jam anticam, jam aversam insident, egimus in Prolegomenis cap. VII. §. 4.

* * *

M. Antonius IIIvir, C. Antonius, et L. Antonius Pietas fratres.

Horum numos, quoniam cum historia imperatorum miscentur, vide in moneta imperatoria.

* * *

Naso.

L. Antonium Nasonem procuratorem Vespasiani vide in Prolegomenis ad numos Bithyniae.

APPVLEIA.

Gens plebeia, ex qua fuit turbulentus L. Appuleius Saturninus.

Exstant *asses* et *trientes* inscripti L. AP. in monogrammate. Hi quo minus Appiae genti tribui possint, repugnat praenomen Lucii Appulejis familiare, ab Appiis alienum. Haec post Patinum Havercampus. At plus causae, quod

Appius in praenomen tantum váluit, genti Claudiae fere proprium. Quare huic in numos sic inscriptos jus esse nequit.

AE. R.

APRONIA.

Gens plebejá.

Obvii sunt aenei III. formae: GALVS. MESSALA. IIIVIR. SISENNA. APRONIVS. A. A. A. F. F. aut similiter. Haec Vaillantio videntur quatuor familiarum diversarum nomina, sed tum utique scribendum fuerat IIIIVIR, non IIIVIR. Quam difficultatem tollere conatur Havercampus statuendo, τo GALVS esse Apronii cognomen, etsi in una numi facie scriptum sit APRONIVS, in alia GALVS. Sed et in hac sententia nulla veri species, etsi quod melius statuam, praesto non habeam.

AE. C.

* * *

Commatis peregrini aeneus I. formae cum capite Drusi Tiberii F. haec continet: PERMISSV. L. APRONII. PROCOS. III. *Caput Mercurii*, sed de quo et similibus aliis egimus in numis Carthaginis et Hipponis.

AQVILLIA.

Gens patricia et plebeia. Quem numi sistunt *Florum*, plebeius fuit.

Caput Solis radiatum, ante quod X.

MAN. AQVIL. *Diana in citis equorum bigis inter astra, in imo* ROMA. AR. R.

Denarius hic notis Aquilliorum numis antiquitate praestat. Cui Man. Aquillio is tribuendus sit, nam plures hoc nomine fuere illustres septimo ab V. C. saeculo, decidere vereor. Neque enim lubet continuo subscribere Vaillantio, aliisque, qui, cum caput Solis conspexere, mox in procurationem ludorum Apollinarium ruunt, hosque adeo denarios Man. Aquillio V. C. 619 praetori urbano tribuunt, ad quem pertinuit hos ludos regere. Mallem, cum hinc caput Solis, illinc Diana proponatur, typos hos ad ludos saeculares, in quibus praecipua fuere ea numina, revocare, si eruere e veteribus liceret, aliquid cum his rei Man. Aquillio fuisse. Ceterum cum videam, simillimum Solis caput multis post annis ab Aquillio etiam Floro usurpatum, colligere licet, privatae in Solem religionis causa ab hac gente eum typum lectum, quemadmodum et Virtutis typus ab Aquilliis, qui multum dispari aetate vixere, est adhibitus.

* * *

IIIVIR. VIRTVS. *Protome juvenilis capite galeato.*

MAN. AQVIL. MAN. F. MAN. N. *Miles s. clypeum tenens et respiciens d. mulie-*

rem nudum in genua procumpentem sublevat, *infra* SICIL. Sunt hi serrati omnes. AR. R.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

L. AQVILLIVS. FLORVS. IIIVIR. *Idem typus.* AR. R.

Habes in his denariis insigne factum Man. Aquillii, qui consul V. C. 653. conlega C. Mario cos V. ad bellum fugitivorum missus, eoque prorogata provincia feliciter confecto, pacataque provincia biennio post ovans urbem ingressus est. Vide Pighium ad annos citatos. Fuisse huic Aquillio cognomen Galli, docet insigne marmor apud Gruterum [a]): M. AQVILIVS. M. F. GALLVS. PROCOS. VIAM. FECEI. AB. REGIO. AD. CAPVAM. - - - ET. EIDEM. PRAETOR. IN. SICILIA. FVGITEIVOS. ITALICORVM. CONQVAEISIVEI. REDIDEIQVE. HOMINES. etc. Egregium istud factum elegantis hujus in his denariis imaginis occasio exstitit. De *Virtute*, cujus protomen sistit antica, agetur in gente Durmia et Mucia. Conjunxi numum sequentem Augusti capite insignem, hac una de causa, quod eundem uterque habet aversae typum. Nam quod censet Havercampus, unam utrique esse aetatem, horumque priorem perinde atque secundum imperante Augusto cusum a Man. Aquillio, et L. Aquillio Floro, qui ambo sub hoc fuere IIIviri monetales, eo certe eximie fallitur. Etenim prioris generis omnes, ut dixi, sunt serrati. An vero potest vir eruditus vel unum denarium praestare, qui ad Augusti aevum sine dubio pertineat, serratusque sit? Ex quo apparet, permagni interesse, ipsisne ex numis, an eorum imaginibus, ut Havercampus instituerat, argumenta artis nostrae promamus. Necesse ergo est, utriusque aetatem multum differre. Cum numus prior tres nobis Manios dictet, videtur horum vetustissimus esse is, qui belli Asiatici ab Aristonico Attalicae haereditatis causa moti reliquias confecit, triumphavitque V. C. 628 victor eo bello non magis armis, quam impietate, mixtis veneno hostium fontibus [b]). Hujus filius Manius alter fugitivorum in Sicilia domitor, ut diximus, ac hujus denique filius Manius IIIvir, quem denarius memorat, et qui numum hunc non multo post Siculum illud bellum ferierit, de quo pater V. C. 655 ovans urbem ingressus est; nam quod serratus est, longius differri nequit. Veterem deinde hunc typum L. Aquillius Florus sub Augusto IIIvir revexit, cum quod genti esset honorificus, tum quod Augusto etiam poterat adplicari, qui ipse quoque Siciliam victo Sex. Pompejo erexit. Eodem modo idem L. Florus caput quoque Solis restituit ex numo gentis suae vetere, quem ipse Havercampus Augusti aevo multo esse antiquiorem non dubitat adserere.

* * *

Reliqui hujus gentis numi a L. Aquillio Floro percussi sunt, in quibus tam propria gentis decora, quam Augusti tum imperantis praedicantur. Fuisse autem hunc Florum IIIvirum moneta-

a) Pag. 150. 7. b) Florus. L. II. c. 20.

lem V. C. 734, aut paullo post, patet ex typis Armeniae captae, recuperatorum a Parthis signorum etc. quae fuere egregia Augusti ejus anni facta, et fuisse circa eosdem annos in eodem magistratu Durmium, Caninium, Petronium, persuadent ejusdem rationis typi Augustei cum horum denariis communes.

* * *

L. AQVILLIVS. FLORVS. IIIVIR. *Triquetra, in cujus medio caput Medusae alatum.*

CAESAR. AVGVSTVS. *Corona querna inter duos lauri ramos, cui inscriptum:* O. C. S. AV. (Mus. Caes. Morelli Impp. T. I. p. 256.) RRR.

Typus anticae cum Siculo numorum praecedentium argumento penitus connectendus. Aversa obvia in numis Augusti.

* * *

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

L. AQVILLIVS. FLORVS. IIIVIR. *Flos.*

Adludit typus aversae ad cognomen. Hunc florem ignotum esse rei botanicae magistris censet Vaillantius. Havercampus esse cyanum apertis foliis se explicantem contendit. Viderint artis periti.

* * *

Numi ejusdem Flori reliqui:

Caput Solis radiatum, vel: *Caput Virtutis galeatum*, vel: *Caput Augusti nudum.*

Symbola Armeniae captae, vel signorum a Parthis receptorum, vel scorpius Commagenes. AV. AR.

Horum typi numorum in moneta Augusti ad annum V. C. 734 et gentis Durmiae explicantur.

ARRIA.

Gens plebeia magis sub imperatoribus, quam stante rep. cognita. Cognomen *Secundus.*

M. ARRIVS. SECVNDVS. *Caput virile nudum modeste barbatum.*

Hasta pura inter lauream, et quandam speciem arae ignitae. AR. RR.

M. ARRIVS. SECVNDVS. *Caput muliebre, supra quod:* F. P. R.

Eadem aversa. AV. RRR.

Quis fuerit hic M. Arrius Secundus, cujus sit caput in numo priore propositum, an ipsius Arrii, an Octaviani, molesta disputatio, quae hactenus a viris nostri ordinis gravissimis tractata nihil aliud praeter inanes conjecturas parturivit, quibus qui se imbuere volet, adeat minime avarum Havercampum loco suo, et in Addendis pag. 647. Id unum adsero, caput in numo simili integerrimo musei Caesarei nihil habere Octaviani.

Literas F. P. R. supra caput muliebre exaratas sanior antiquariorum pars interpretatur: F*ortuna* P*opuli* R*omani.* Solus Vaillantius legit F*ortitudo.* Hanc a Romanis cultam non constat, quin diserte negat D. Augustinus, fortitudinem

Romanis pro dea fuisse agnitam [a]), Fortunae cultus multiplex. In gente Sicinia supra simile caput scriptum plenius FORT. P. R., quam vide.

* * *

Reliqui Arrii a Morellio ex numis citati sunt magistratus municipales.

ARRVNTIA.

In numo Goltziano.

ASINIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis *Gallus* et *Pollio*. Asiniae gentis stirpem deductam vide a cl. Brotier ad Taciti Tom. I. p. 422.

* * *

Gallus.

C. ASINIVS. GALLVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. *in aeneis I. et II. formae cum capite, vel inscriptione, vel symbolis Augusti.* AE. C.

Fuit hic Asinius Gallus filius C. Asinii Pollionis belli pacisque artibus clarissimi, ac propterea Augusto perchari, qui primus Romae bibliothecam in usum publicum aperuit. Gallus noster subinde V. C. 746 consulatum, et quod magis ad gloriam profuit, Vipsaniam Agrippinam Agrippae F., cum repudiare eam cogeretur Tiberius, uxorem accepit, ex qua numerosae sobolis pater est factus, quam recenset Brotierus [b]). Eum postea Tiberius, quod tanti matrimonii fiducia plus quam civilia agitare videretur, et Pollionis patris in dicendo libertatem et ferociam retineret, e medio substulit [c]).

GALVS memoratur etiam IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis III. formae sub Augusto signatis, de quibus vide numos Aproniae.

ACINIOC. ΓΑΛΛΟC proconsul Asiae, et haud dubie idem cum priore in numo Temni Aeolidis, quem vide.

* * *

Pollio.

ΓΑΙΩ. ΑΣΙΝΙΩ. ΠΟΛΛΙΩΝΙ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. in numis Sardium, in quorum antica sedentes Drusus Tiberii F. et Germanicus Caesares. Hos recensebo et explicabo in numis Germanici commatis peregrini. Fuit hic Pollio filius Galli praecedentis, gessitque consulatum V. C. 776. De tempore, quo Asiam proconsul rexit, non satis constat.

---

a) De Civ. dei L. IV. c. 20.

b) l. c.

c) Tacit. Ann. I. c. 12. Ann. VI. c. 23. Dio L. LVII. c. 2.

ATIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis *Balbus* et *Labienus.*

* * *

Balbus.

M. ATIVS. BALBVS. PR. *Caput Balbi nudum.*

SARD. PATER. *Caput viri peregrino cultu prominente retro hasta.* AE. II. R.

Hic M. Atius Balbus Aricia oriundus Iuliam I. Caesaris sororem duxit, ex qua nata filia Atia, quae subinde denupta C. Octavio mater exstitit Octavii illius, qui adoptatus a I. Caesare dictus fuerat C. Iulius. Caesar Octavianus, serius Augustus [a]). Quapropter huic genti adulatus Virgilius, cum eam inde a Trojanis repeteret, et Iuliam Atiamque gentes jam tum animis concordes diceret [b]):

Alter Atys, genus unde Atti duxere Latini,
Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iulo.

Hoc ergo numo docente hic Atius Balbus missus in Sardiniam praetor est, et a Sardis Augusto jam rerum potito hic cusus numus cum capite Atii, ut ab eo gratiam inirent. Sane barbara fabrica Sardiniam elegantibus artibus olim semper inhospitam olet. De Sardo patre Herculis F., quem exhibet aversa, quique in Sardiniam appulsus suum insulae nomen dedit, vide, quae in moneta Sardiniae monui.

* * *

Labienus.

Labienos genti Atiae inserit Patinus [c]), utrum jure, graviter dubitat Spanhemius [d]).

Q. LABIENVS. PARTHICVS. IMP. *Caput nudum modica barba vestitum.*

Sine epigraphe. Equus frenatus cum stragulis. AR. RRR.

Q. Labienus, quem denarius hic sistit, filius fuit T. Labieni, cujus ope I. Caesar in bellis Gallicis multum est usus, qui initio belli Civilis ad Pompejum transfuga [e]) Cingulum in Piceno aedificat [f]), denique communem cum Pompejanis fugam experitur. Filius paterni in Caesarem odii haeres Bruti secutus castra ab hoc ad Orodem Parthum petendi causa auxilii mittitur, mox audita calamitate Philippensi, et desperata a victoribus venia cum Antonium in Aegypto turpi otio immersum intelligeret, Parthos in Romanos concitat, copiisque ab Orode impetratis una cum hujus filio Pacoro Euphratem transgressus Palaestinam, Phoenicen, Syriam, Ciliciam, Cariam occupat, Parthicumque sese imperatorem appel-

a) Suet. in Aug. c. 4. b) Aen. V. 568. c) ad Vrsin. p. 40. d) T. II. p. 11.
e) Dio L. XLI. c. 4. f) Caesar Bell. civ. L. I. c. 15.

lat, ratione, ut observat Dio [a]), a more Romano alienissima, cum Romani a victis gentibus sibi titulum petivissent, hic a victrice. Iure ergo tum Hybreas, qui cum lecta Carum manu Labieno restitit, dixerat: *ergo Caricum ego me imperatorem appellabo* [b]). Bello denique petitus a P. Ventidio Antonii legato, fusus captusque imperium scenicum finivit V. C. 715. Haec ex Dione [c]), aliisque.

Hic ergo denarius offert illius et caput, et adfectatum, ut dixi, *Parthici imperatoris* titulum. Equus aversae ad notum Parthorum studium equestre adludit. Habuisse Romanorum equos injectam tergo stragulam vel ornamenti causa, vel in sessorum commodum, hic numus testatur. Iam hunc morem regnante Latino obtinuisse finxit Virgilius [d]):

Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.

Et monuit Martialis [e]):

Stragula succincti venator sume veredi,
Nam solet a nudo surgere ficus equo.

Quare et Silius Italicus huic gentis suae mori Nomadum morem opponit, quorum equi stragula carebant: *nullo decorare tapete cornipedem Nomas adsuetus* [f]).

ATILIA.

Gens patricia et plebeia. In numis memoratur *Saranus.*

SARAN. *Caput Palladis galeatum alatum, ante quod* X.

M. ATIL. *Dioscuri equites, in imo* ROMA.

Caput simile.

SAR. *Victoria in bigis, infra* ROMA.

Caput Iani.

SAR. ROMA. *Prora navis.* As.

M. ATILI, ROMA. *solitis typis.* As, semis.

Caput Palladis alatum, pone X.

C. ATIL. (*in monogrammate*) *Victoria in bigis, infra* ROMA.

Caput simile, pone XVI.

L. ATILI. *Victoria in bigis, infra* ROMA.

En numos Atiliorum omnes, et omnes ejus aetatis, cui incunabula monetae argenteae debentur. Saranum, quem numi hi produnt, Vrsinus eumque secuti alii omnes detorto paullum nomine a Serano profectum censent, de quo Virgilius [g]): *et te sulco, Serane, serentem.* Incerta omnia.

AR. et AE. C.

a) L. XLVIII. c. 26. b) Strabo L. XIV. p. m. 975. c) L. XLVIII. c. 24. seq. c. 39. seq.
d) Aen. VII. 276. e) L. XIV. ep. 86. f) Punic. XVII. 64. g) Aen. VII. 843.

ATTIA.

Gens incerta, quae reperitur in numo Nicaeae cum capite Neronis: ΕΠΙ. ΑΤΤΙΟΥ. ΛΑΚΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Vide, quae ad hunc numum animadverti in prolegomenis ad numos Bithyniae. Attium Rufum Pompeji asseclam memorat Caesar [a]).

AVFIDIA.

Gens plebeia.

RVS. *Caput Palladis alatum, pone* XVI.

M. AVF. *Iuppiter in citis quadrigis d. fulmen, s. sceptrum, infra* ROMA. AR. R.

Vaillantius contendit, το RVS. explendum RVS*ticus*, Morellius et Perizonius RVSO. Praeplacet prior sententia, nam in integerrimo musei Caesarei solum RVS. legitur nullo vestigio τȣ O, quod additum fuisse suspicatus est Morellius.

AVRELIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis: *Cotta*, *Rufus*, *Scaurus*.

* * *

Cotta.

COTA. *Caput Palladis alatum, pone* X.

M. AVRELI. *Hercules d. clavam vectus bigis Centaurorum, qui s. praelongum ramum bacciferum gestant, in imo* ROMA. AR. R.

Malo causam typi singularis, quem exhibet aversa, me ignorare profiteri, quam tam aliena arcessere, quibus viri eruditi eum explicare sunt conati, cujusmodi habes apud Spanhemium [b]). Id unum lubet commemorare, similem typum exstare in numo Graeco inscripto ΟΡΡΕ., quem Horreo Epiri tribuo, in quo hinc caput Herculis, illinc Centaurus currens, et ramum bacciferum jactans.

* * *

Caput Vulcani, pone forceps, et X, *omnia intra lauream.*

L. COT. *Aquila fulmini insistens intra lauream. Literae alphabeti jam anticam, jam aversam occupant.* Sunt serrati omnes. AR. C.

Adversa recte cum aversa cohaeret.

a) Bell. civ. L. III. c. 83. b) T. II. p. 16.

Vulcanus faber fulminum, quae aquila, *minister fulminis ales*, Iovi defert. Cur typum hunc sibi legerit Cotta ignoramus.

* * *

Rufus.

Caput Palladis alatum, pone X.
AV. RVF. *Iuppiter d. fulmen vibrans, s. sceptrum in citis quadrigis.* AR. C.

Denarium hunc genti Anniae adserit Vaillantius, nam AV monogrammate ligatum perinde legi potest Annius, atque Aurelius. Cujus sententia praestet, incertum, ferenda jactura.

* * *

Scaurus.

M. AVRELI. ROMA. *Caput Palladis alatum, pone* X.
SCAVRI. L. LIC. CN. DOM. *Mars nudus d. hastam violente intorquens, s. clypeum et lituum militarem.* Sunt serrati. AR. C.

Vide, quae ad similes denarios observabo in Gente Cosconia.

AVTRONIA.

Incerti ordinis.

Caput Palladis alatum, pone X.
AVTR. (*in monogrammate*) *Dioscuri equites, infra* ROMA. AR. R.

Genti Semproniae numum hunc tribuit Morellius, at Vaillantius et Havercampus opportunius Autroniae. Reliqui hujus gentis denarii unum Goltzium auctorem habent.

AXIA.

Gens plebeia. Cognomen *Naso.*

NASO. S. C. *Caput muliebre tectum galea, quam exornant rami duo prominentes sive lauri, sive palmae, in area notae arithmeticae.*
L. AXSIVS. L. F. *Diana succincta d. hastam in citis cervorum bigis; praecurrit canis unus, sequuntur duo, in area eadem nota arithmetica.* AR. C.

De typis his multa nobis ἀσυϛατα occinit Vaillantius. Sed neque adsentior Havercampo, qui denarios hos extra urbem signatos contendit, quia vocabulum ROMA abest, quae lex non raro fallit.

* * *

Exstant et aenei inscripti NASO, quos vide apud Morellium. Hos non esse monetam Romanam, sed verisimilius signatam Panormi, dictum in hujus urbis numis, etsi satis verisimile sit, inscriptum his Nasonem ad gentem Axiam pertinere.

BAEBIA.

Gens plebeia, *cujus nomen ab ululatu ovium bae, bae derivatum videtur*, verba sunt Vaillantii. Concinne in utramque partem. Cognomen ex numis Romanis *Tampilus*, ἀϱχαϊκῶς pro *Tamphilus*, quemadmodum etiam in numis TRIVMPVS pro TRIVMPHVS. Apud Nepotem in vita Attici fit mentio domus Tamphilianae, quae stetit in Quirinali.

TAMPIL. *Caput Palladis alatum, juxta* X.

M. BAEBI. Q. F. *Apollo nudus in citis quadrigis d. ramum, s. arcum, infra* ROMA. In denario cetera simillimo musei Caesarei est: M. BAEBI. M. F. AR. R.

Caput Iovis.

TAMP. (*in monogrammate*) *Victoria coronans tropaeum, infra* ROMA. (Mus. Com. Vitzai.) AR. RRRR.

Q. Baebius Tamphilus pater Marci circa annum V. C. 535 bis ad Poenos legatus, ut cum his de oppugnato injuste Sagunto expostularet, deinde bellum denunciaret a). Filius Marcus, a quo hic denarius percussus, consul processit V. C. 573. Satis remotam hic numus spirat antiquitatem, ut facile possit vicinis temporibus congruere. Abunde Harduinus deridiculo fuit eruditis, quando repugnantibus his denariis, marmoribus, scriptoribusque Baebium Plinii sui non cognominatum Tamphilum, sed Pamphilum pertinaciter adseruit, et denarii hujus literis TAMPIL. sensum adpingit, quem nonnisi febri correpti, cum maxime delirant, adprobaverint b).

* * *

Sunt etiam aenei assales inscripti M. BAEBI. typis solitis. AE. RR.

* * *

Reliqua cognomina hujus gentis, quae antiquarii ex coloniarum numis hausere, huc proprie non pertinent. De cognomine *Rusticelii* ex numo genti Baebiae perperam a Liebeo adficto agetur in gente Rusticelia.

BARBATIA.

De numis dubiis hujus gentis vide infra in Valeria.

---

a) Liv. L. XXI. c. 6 et 18. b) ad Plin. L. XIII. §. 27.

BELLIA.

Hanc gentem scriptoribus omnibus ignotam Morellius ex numo coloniae Corinthi, qui IIvirum M. Bellium Proculum sistit, vulgavit, qui adeo praesentis instituti non est.

BETILIENVS.

Gentis nomen videtur intercidisse salvis tantum cognominibus.

P. BETILIENVS. BASSVS. *in medio* S. C.
IIIVIR. A. A. A. F. F. *Incus.* AE. III. C.

Fuit ergo IIIvir monetalis imperante Augusto, cujus tamen hominis praeter hunc numum nulla mentio. Ejus nominis alium ex veteribus eruerunt antiquarii, nempe Betilienum Bassum unum ex iis, quos Caligula uno die flagellis cecidit torsitque non quaestionis, sed animi causa, ut refert Seneca a). Quod testimonium induxit eruditos nonnullos, ut Βετιλλινον Κασσιον, quem ab eodem Caesare interfectum narrat Dio b), eundem cum Betilieno Basso Senecae putent, et in Dione librarii peccatum suspicentur. Verum aliis non satis istud probabile visum. Vide Fabricium ad hunc Dionis locum. In marmore pervetusto, quod ad hunc numum ex Grutero recitat Patinus, legitur L. BETILIENVS. L. F. VAARVS.

CADIA.

C. Cadium Rufum procos. Bithyniae vide in prolegomenis ad numos Bithyniae.

CAECILIA.

Gens plebeia, quanquam et patricios fuisse ex Caeciliis, patet ex Livio c). Cognomina in numis Romanis *Metellus Pius*, et forte *Aquinus.* Metellorum insigne nomen, quorum complures a victis gentibus nomina tulere, ut *Macedonici*, *Numidici*, *Balearici*, *Cretici.* Eorum genealogiam vide apud Glandorpium. *Creticum Silanum* vide in numis Antiochiae Syriae, *Cornutum* in numis Amisi Ponti.

---

a) De ira L. III. c. 18. b) L. LIX. c. 25. c) L. IV. c. 6 et 7.

* * *

Metellus.

Q. METE. *Caput Palladis alatum juxta* X.

Iuppiter in lentis quadrigis d. ramum, s. fulmen, infra ROMA. AR. R.

Q. METE. in assalibus, et partibus assis. RR.

Numi hi per typos hujus gentis sunt antiquissimi. Ex Metellis, quibus nomen Quinti fuit, longe celeberrimus fuit is, qui V. C. 608 pro praetore de Andrisco, vulgo Pseudophilippo, scenico Macedoniae rege triumphavit, *Macedonici* etiam cognomen ex re bene gesta nactus. Huic propter singularem felicitatem alium, quem compararet, non reperit Velleius [a]). Nam praeter excellentes triumphos, honoresque amplissimos, et principale in rep. fastigium, extentumque vitae spatium quatuor filios sustulit, omnes adultae aetatis vidit, omnes reliquit superstites et honoratissimos. Mortui ejus lectum pro rostris sustulerunt quatuor filii, unus consularis et censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est. Eidem huic Metello denarium hunc tribuendum praedicat Havercampus, quia in eo proponitur Iuppiter triumphator velut symbolum sui de Pseudophilippo triumphi. Sin istud, ergo post actum suum triumphum signatus est hic numus. At vero, quomodo is, qui toties per opus suum negat ab alio percussam monetam, quam quaestore urbano et IIIviro, permiserit, a viro praetorio et triumphali, et qui triennio post consul processerit, hunc signatum denarium, et quidem in urbe, quod arguit additum ROMA? Facile dedero, hujus eum Metelli esse, at signatum ante, cum in minore magistratu esset, neque necesse est, typo Iovis triumphantis credere adludi ad triumphum Metelli, cum Iuppiter ipse *clarus Giganteo triumpho* exstiterit.

* * *

ROMA. *Caput Palladis alatum, juxta* X. vel: ROMA. *Caput juvenile diadematum pendentibus cincinnis, juxta* X.

M. METELLVS. Q. F. *Caput elephanti intra clypeos Macedonicos, omnia intra lauream.* AR. C.

ROMA. *Caput Palladis, ut supra.*

C. METELLVS. *Vir togatus in bigis elephantorum, quem advolans Victoria coronat.* AR. C.

Caput Palladis, ut supra.

ROMA. *Mars in citis bigis, in imo caput elephanti.* AR. C.

Caput Iovis laureatum, juxta ROMA.

C. METELLVS. *Navis, in area* S, *et caput elephanti pendente ex collo tintinnabulo.* AE. Semis. RR.

M. et C. Metellos numi hi inscribunt, utrumque filium Q. Metelli Macedonici de quo mox egimus. Vterque in his denariis illustria majorum facta in memoriam revocat, et quidem elephanti indicant egregiam victoriam a L. Metello V. C. 504 de Asdrubale ad Panormum relatam, et triumphum ductis in eo CXX. elephantis bello captis insi-

a) L. I. c. 11.

gnem, de quo vide Pighium a). At scuta Macedonica notant victoriam Q. Metelli Macedonici V. C. 606 de Pseudophilippo relatam, de quo actum supra. Hi ergo denarii in gentis decus signati a M. et C. Metellis Macedonici filiis.

* * *

L. METEL*lum* conjunctum cum A. ALB*ino*, et C. MAL*leolo* vide in gente Poblicia.

* * *

Metellus Scipio.

Caput muliebre, juxta ciconia.
Q. C. M. P. I. *Elephas.* AR.

Alius similis a Trajano restitutus, sed in hoc: elephas loricatus. AR. RRR.

Q. METEL. PIVS. *Caput laureatum barba et capillis per cincinnos pendentibus.*
SCIPIO. IMP. *Elephas.* AR. R.

Caput muliebre, juxta ciconia.
IMPER. *Vrceus et lituus intra lauream.* AR. C.

Succedunt numi *Q. Caecilii Metelli Pii Scipionis imperatoris.* Haec sunt nomina ejus omnia ex his numis collecta, secundum quae explicantur siglae numi primi: Q. C. M. P. I. Fuit hic filius naturalis P. Cornelii Scipionis Nasicae, sed testamento adoptatus a Q. Metello Pio pont. max., ut collegit Glandorpius. Hujus igitur omnibus nominibus adscitis conjunxit nomen Scipionis, ut ex qua gente esset adoptatus, intelligeretur. V. C. 702 consul Pompejo M. consule III. sine collega, cujus socer fuit, in reliquos V. menses consul adscitus, eidem subinde in bello civili adhaesit. Victis ad Pharsalum Pompejanis, hisque in Africa bellum instaurantibus totius ipse exercitus imperator appellatur superstitione nominis Scipionis, quod in Africa invictum habitum, quod omen ut eluderet Caesar, despectissimum quemdam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitae Salutioni cognomen erat, in castris secum habuit b). Fusus a Caesare fugatusque conscensa navi in hostes incidit, quos cum evadere non posset, simul gladio se transfigit, simul in mare dat praecipitem c).

Expedienda nomina *Pii* et *imperatoris*, nam reliquorum causas ex dictis tenemus. Nomen *Pii* ad eum per adoptantem Q. Caecilium Metellum transiit, qui honorificum istud vocabulum est promeritus, quod patris Q. Metelli Numidici per Appuleji Saturnini furorem V. C. 654 in exilium acti reditum quibus potuit modis impetrare adlaboravit d). Altior Caeciliae pietatis causa a L. Metello Poenorum victore, qui pontifex max. in ardens Vestae templum ingressus Palladium ac Penates ex flammis eripuit oculorum inde usu amisso. Vide Pighium e). Istud haereditarium. *Imperatoris* titulum ipse sibi emeruit, et quidem V. C. 706 in Cilicia, quod per risum commemorat ipse Caesar f): *His temporibus Scipio detrimentis quibusdam circa montem Amanum acceptis sese* imperatorem *appellaverat.* At in praesentibus numis imperator dicitur ob collatam summam gerendi adversus Caesarem belli potestatem. Atque in hanc sententiam respondit Considius captivo,

---

a) Tom. II. p. 48. 49. b) Suet. in Caes. c. 59. c) Appian. Bell. civ. d) Victor de vir. illustr. n. 63, Valer. Max. L. V. c. 2. e) ad ann. V. C. 512. f) Bell. civ. L. III. c. 31.

qui sese literas illi a Caesare imperatore ferre dixerat, *unus est*, ajebat, *Scipio imperator hoc tempore populi Romani* [a]).

Elephas. Variae possunt esse lecti hujus typi causae, vel ea ipsa, ob quam superiores Metelli animal istud in numis suis signavere, nempe in memoriam victi Asdrubalis, et magno tum elephantorum numero de Poenis capto, vel quod elephas est symbolum Africae, in qua tum pugnatum, quod magis patebit ex numo sequente, vel quod Scipio eo bello magnam in his belluis habebat fiduciam repositam, de quo vide passim Hirtium [b]). In numo, quem restituit Trajanus, idem elephas est loricatus, nimirum et lorica tectos Scipionis elephantos tradit idem Hirtius [c]). Etiam in sacris literis mentio fit elephanti τεθωρακισμενῃ θωρακι [d]). Neque rarum est videre haec animalia isto cultu in numis imperatorum inscriptis MVNIFICENTIA. AVG, vel in numis regum Syriae, vel in numo Nicaeae cum capite Elagabali [e]).

Pietatis caput, et hujus symbolum ciconia. Vsus his est Scipio, quoniam, ut dixi, a Metello Pio adoptatus ipse etiam *Pii* nomine gloriabatur. Nota ex Plinio [f]), aliisquae ciconiae pietas, parentum senectam sublevantis. Qua de causa Petronio dicta *Pietaticultrix* [g]).

Vrceus et lituus pontificatus argumenta. Fuisse Scipionem ex pontificibus unum, eo constat, quod ipse in castris ad Pharsalum ex eorum numero fuit, qui pontificatum max. ambivere, I. Caesari post victoriam, quam stulte praeceperant, abrogandum [h]). At ex Romanorum instituto nemo poterat ad pontificatum max. aspirare, nisi pontifex. Eum hoc munere praeditum testatur etiam Suetonius [i]). Denarium cum hoc typo, etsi solo IMPER. inscriptum ad hunc tamen Scipionem pertinere, docebit numus ex sequentibus unus, qui manente eodem typo omnia Scipionis nomina memorat.

* * *

Q. METELL. SCIPIO. IMP. *Caput muliebre elephanti exuviis tectum, infra aratrum, et spica.*
EPPIVS. LEG. F. C. *Hercules nudus stans s. clavae innixus.* AR. R.

Q. METEL. PIVS. SCIPIO. IMP. *Mulier stolata stans adversa, capite, ut videtur, leonis, cui superne globus imminet, d. triangulum, s. pectori admota, supra literae* G. T. A.
P. CRASSVS. IVNI. LEG. PROPR. *Victoria stans d. caduceum, s. clypeolum rotundum.* AR. R.

METEL. PIVS. SCIP. IMP. *Caput virile barba et capillis per cincinnos pendentibus, infra caput aquilae et sceptrum.*
CRASS. IVN. LEG. PROPR. *Bilanx ex cornucopiae pendens, infra sella curulis, hinc spica, illinc manus erecta, pollice et*

---

a) Hirt. bell. Afric. c. 4. b) de Bello Afric. c) l. c. c. 72. d) L. II. Macchab. c. 6. e) Frölich IV. Tent. f) L. X. §. 32. g) Satyric. c. 55. h) Caesar Bell. civ. L. III. c. 83. i) in Tib. c. 4.

indice numum, ut videtur, stringens. AV. (Pembrock.) RRRR. AR. R.

METEL. PIVS. SCIP. IMP. *Tropaeum inter lituum et urceum.*

CRASS. IVN. LEG. PROPR. *Caput muliebre turritum, hinc spica, illinc caduceus, supra quid instar lineolae, infra prora navis.* AR. R.

Quos descripsi, denarii praeter Scipionem ejus etiam legatos memorant, sed eorum argumenta ad ipsum fere Scipionem tantum pertinent, licet horum nonnulla hariolum omnino requirant.

Caput elephanti rictu tectum notum est Africae symbolum, aratrum et spica regionis ubertatem designant. Egregie huc valent, ut jam advertit Vrsinus, versus Claudiani a):

Tum spicis et dente comas insignis eburno
Et calido rubicunda die sic Africa fatur.

Similem typum, quo notatur Africa, vide in numis Agathoclis, Hadriani, Antonini, Severi, Clodii Macri, et hujus formae fuerit caput, quod P. Victor memorat in II. regione urbis: *Caput Aphricae*, et a quo haud dubie nomen sibi sumpsere PAEDAGOGI. A. CAPITE. AFRICAE, quos memorat marmor apud Sponium b). De aversa, quae saltem aperte ad Scipionem non pertinet, agetur in gente Eppia.

Argumenta in numis reliquis, qui auctorem habent Crassum Iunianum, de quo agetur in gente Licinia, sunt:

Mulier numi II. eo est cultu, qualem descripsi. Nihil hactenus probabile adlatum est, quo ea sit nomine appellanda. Ante omnia literarum G. T. A. sensus indagandus. Vrsinus legit: G*enius* T*utelaris* A*egypti*. Verum quid Scipioni cum genio Aegypti, quae tum adhuc propriis regibus paruit? Tutius ergo secundum Vaillantium aliosque legetur A*fricae*. Simulacrum numi antiquarii omnes dixere Isidem. Facile ignoverim Vrsino sic censenti, nam cum literam A esse ἀρχαικὴν Aegypti putaret, facile in peregrino hoc cultu Isidem vidit, quae fuit Aegyptiorum numen. At miror Vaillantium et Havercampum, qui cum in ejus literae explicatu ab Vrsino discederent, Africamque ea intelligi statuerent, in adserenda tamen Iside conspirarent, quam tamen fuisse inter Libyae et Africae propriae numina receptam, sic ut ejus genius tutelaris dici potuisset, nullo monumento probaverint. Tuetur quidem sententiam suam Havercampus simili Iside, quam ait exstare in Tabula Isiaca; at in eadem juxta adcuratam comitis Caylus picturam, quam Tomo VI. proposuit, caput caninum pro leonino est. Verum ut facile est deturbare Isidem, ita difficile verum ei nomen imponere. Istud certum, esse numen, quod peculiari modo ei tractui praeesse creditum est. Reperio, fuisse apud Carthaginem simulacrum a Didone ibi collocatum, quod Libyes Vraniam, alii aliter dixere, et quae eadem cum luna habita, de qua plura commemorabimus in numis Severi et Caracallae ad annum V. C. 956, in quibus eadem dea proponi-

a) De Laudib. Stilic. L. II. v. 256. b) Misc. p. 227.

tur leone vecta. Sunt, quae fidem faciant, denarii hujus sigillum esse hanc ipsam Vraniam, sive Coelestem. Sphaera, seu discus, qui capiti imminet, hanc deam, quatenus luna fuit, non inficiatur, quo cultu obviam videmus in monumentis Isidem, sed et hanc fuisse lunam constat. Vt adserere non possum, caput ei leonis fuisse, tamen constat, ejus comitem et vectorem exstitisse leonem, in cujus adeo caput eodem potuit jure involare, quo tot Aegyptiorum numina in capita animalium omnis generis.

Caput anticae numi III. item ambiguum. Adstitutum aquilae caput, et sceptrum Iovem arguunt, et quidem, ut censent Vaillantius aliique, Terminalem. In area aversae ejusdem numi conspicitur manus humana, quam neglexere Vrsinus et Vaillantius, ad restituit Morellius. Ea secundum Havercampum a) videtur priorem digitum ita habere formatum, ut solent ii, qui jurant. Verum in integerrimis musei Caesarei aliquid numismati prorsus simile pollice et proximo digito stringit, quod indicasse satis habeo, neque enim ultro in ambiguum hunc typum inquiro. Aream aversae numi postremi ajebam superne offerre aliquid instar crassioris lineolae, cujus etiam, quis sit explicatus, ignorare me profiteor. At non tam rudis bardusque Havercampus, cui esse fructus ex genere prunorum Damascenorum et Aegyptiorum visus est, quanquam, ut erat ingenii facilis et minime morosi, non repugnabat magnopere, si illud quis vellet ficum putare, quoniam teste Plutarcho Africa insignis praestantiae ficus tulit. Vide eum has suas conjecturas stabilientem pag. 241.

* * *

Q. METELLVS. PIVS. SCIPIO. IMPER. legitur in insigni cistophoro Pergameno, quem edidit Haymius, quemque latius, ut merebatur, explicatum dedimus in tractatu de Cistophoris.

* * *

Aquinus.

LIBERTAS. M. AQVINVS. *Caput muliebre.*

C. CASSI. PR. COS. *Tripus.* AV. RRR.

Non satis exploratum, ex qua gente fuerit hic M. Aquinus. Seguinus, qui numum hunc edidit, sed minus fideliter pictum b), contra fidem Morelliani, alteriusque musei Caesarei, Aquinum esse genti Caeciliae subjiciendum existimat. Esto, nam non lubet conjecturam conjecturis evertere. Typi explicationem vide in Cassia, in qua numus hic ab antiquariis proponi solet.

* * *

Reliqua gentis Caeciliae cognomina, quae ex numis ab eruditis eruuntur, sunt municipalia, neque adeo huc proprie facientia.

a) Pag. 241. b) Sel. num. p. 90.

CAECINA.

Caecina certum cognomen gentis, sed quam numi reticent. Licinium Caecinam virum praetorium memorat Plinius a). Vide de Caecinae gente plura apud Spanhemium b).

A. CAE. legitur in asse, (Morelli) tum in quadrante. (Mus. Caes.) AE. R.

CAEDICIA.

Numi Goltziani.

CAELIA.

C. CAELIVS. TAX. magistratus in numo Vticensi, qui huc non pertinet.

CAESENNIA.

Caesennius Paetus procos. memoratur in numis Ephesi et Smyrnae imperante Domitiano cusis.

CAESIA.

Plebeia parum clari nominis ignoto cognomine.

Protome diademata dei juvenis obverso tergo d. sagittam trisulcam vibrantis, pone AP. *in monogrammate.*

L. CAESI. *Duae figurae juveniles cum hastis sedentes capite galeato superne nudae, inferne vestitae, medio inter hos cane, supra quos caput Vulcani cum forcipe, in area hinc* LA. *illinc* RE., *utrumque in monogrammate.* AR. R.

Quae ad denarii hujus explicationem pertinent, pleraque jam in eruditorum commentariis praeclare praecepta reperio. Caput anticae creditur esse Apollinis Vejovis docente Gellio c): *Simulacrum dei Vejovis - - - sagittas tenet, quae sunt videlicet paratae ad nocendum. Quapropter eum deum plerique*

---

a) L. XX. §. 76. b) T. II. p. 9. c) L. V. c. 12.

Apollinem esse dixerunt. Hujus Apollinis Vejovis caput exstat etiam in numis gentis Fonteiae, et Liciniae cognomine Macri, et literae nexae AP., quae in hoc et gentis Fonteiae numis adduntur, sunt principium AP*ollinis*, nisi forte verius explendae: A*rgentum* P*ublicum*, ut observabo in Fonteia.

Aversa Lares exhibet. Hos ita definit Appuleius [a]), dum Genios, Lemures, Lares, Larvas, Manes deos distinguit: *ex hisce ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus pacato et quieto numine domum possidet, Lar dicitur familiaris.* Copiosius Arnobius Larium naturam, variasque de iis sententias persequitur [b]). *Possumus*, inquit, *si videtur, summatim aliquid et de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos esse, ex eo, quod Graeci vicos cognominant lauras. In diversis Nigidius scriptis modo tectorum domuumque custodes, modo Curetas illos, qui occultasse perhibentur Iovis aeribus aliquando vagitus, Indigetes Samothracios, quos quinque indicant Graeci Idaeos dactylos nuncupari. Varro similiter haesitans, nunc esse illos Manes, et ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum, nunc aerios rursus deos, et heroas pronunciat appellari, nunc antiquorum sententias sequens larvas esse dicit Lares, quasi quosdam genios defunctorum.* Binos juvenes in denario nostro sedentes esse Lares, probat primum adstitutus canis. Audi de hoc Plutarchum [c]): *Cur Laribus his, quos proprie praestites vocant, canis adstat, ipsi vero canum pellibus amiciuntur? an quod praestites sunt ii, qui praesunt, hos autem custodes esse domus oportet, et formidandos exteris, quod videmus in canibus, mansuetos vero placidosque domesticis?* Audiamus Nasonem numum uberius explicantem [d]):

Praestitibus Majae Laribus *videre Kalendae*
Aram constitui, signaque parva deum - - -
At canis ante pedes *saxo fabricatus eodem*
Stabat. Quae standi cum Lare causa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque,
Compita grata deo, compita grata cani.
Exagitant et Lar, et turba Diania fures,
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.
Bina gemellorum *quaerebam* signa deorum - - -

Deinde cum Vulcani capite apposite conjunguntur Lares, qui praeesse foco credebantur; unde vetus scholiastes ad Horatii Epod. II. *juxta focum dii Penates positi fuere, Laresque inscripti idcirco, quod ara deorum Larium focus fuit habitus.* Quare Vulcanus et Lares junguntur etiam in marmore, quod ad hunc numum recitat Ursinus, positumque fuit Augusto: VOLCANO. LARI-

a) De deo Socratis. b) adv. gent. L. III. c) Quaest. Rom. p. m. 276. d) Fast. V. 129.

BVS. PVBLICIS. SACRVM. Denique et adstituta monogrammata, quae in LARE commode resolvuntur, Lares ultro eloquitur. Docuit me eruditus abbas Fea, anno 1773 in agro Perusino repertum fuisse signum ex terra cocta praeclari artificii, quod exhibet larem domesticum sedentem, et pelle canina vestitum, addita inscriptione: C. FVFIVS. FINXIT [a]).

CALIDIA.

Gens plebeia.

M. CAL. vel CALID. in consortio cum Q. Metello, et Cn. Fulvio in denariis perantiquae formae. AR. R.

CALPVRNIA.

Gens plebeia, sed perantiqua, quippe a Calpo Numae F. originem traxit, ut infra dicetur.

Cognomina in numis: *Piso:* cujus originem his versibus declarat Saleius Bassus [b]):

Claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
Humida callosa cum pinseret hordea dextra.

Ei saepe additur *Frugi*, propter frugalitatem inditum L. Pisoni, ut testatur Cicero [c]). Insigne abstinentiae exemplum in Calpurnio Pisone commemorat Val. Maximus [d]). Aliud cognomen *Bibulus.*

* * *

Caput Palladis alatum, pone X. CN. CALP. *Dioscuri equites, infra* ROMA. AR. R.

* * *

Piso Frugi.

Caput Appollinis laur. L. PISO. FRVGI. in aliis: C. PISO. L. F. FRVGI. *Eques rapide invectus, qui in aliis tridentem, in aliis facem, aut gladiolum, aut palmam, aut flagellum tenet, in imo saepe* ROMA. AR. C.

Incredibilis est horum denariorum numerus, quorum plerique aut nota arithmetica, aut litera alphabeti, aut solitario symbolo differunt, quam varietatem uni monetariorum lubidini, aut officinarum instituto Davus ego tribuo, cum desit ingenium, quale fuit in Vaillantio et Havercampo, qui harum rerum omnium causas reperiendo sibi praeclare satisfecerunt. Cusi sunt hi denarii a L. Pisone Frugi, ejusque filio Caio, de quorum aetate ariolari piget, etsi illam definivere alii, utrum satis recte, judicent alii. Peritorum judicio utraque numi pars ludos Apollinares

a) Ad Winkelmanni Storia delle arti Vol. III. p. 239. b) in Carm. ad Pisonem v. 16. c) pro Fonteio c. 13. d) L. IV. c. 3.

indicat, quod nimirum hi auctore Calpurnio praetore V. C. 543 in perpetuum voti sunt, cum nullo ante senatus consulto firmati essent, de quo vide Livium [a]), et Pighium [b]), at praecipue Macrobium, qui horum ludorum originem late enarrat [c]). Eos equestri cursu celebrari solitos praeclare ex veteribus eruit Spanhemius [d]). Idem argumentum est in numis gentis Marciae sed constat etiam, Marcium quendam vaticinio illustrem, quem Zonaras perperam Μαρκον pro Μαρκιον appellat [e]), Calpurnio et senatui fuisse auctorem, ut ludi hi constituerentur, ut videre potes ex citatis Livii et Macrobii locis. Habes in his numis certos Apollinarium ludorum typos, quos in moneta familiarum nimis frequenter, neque ex certa causa vident numorum interpretes. Minus, ut opinor, recte Vaillantius, Havercampus, aliique horum denariorum equitem appellant *desultorem*, nam fuit desultorum saltem binos equos agere, ut dicetur in numis gentis Marciae.

* * *

Caput Apollinis.

L. PISO. FRVGI. *Victoria gradiens d. lauream, s. palmam.* Quin. C.

Hunc quoque typum Havercampus ad ludos Apollinares trahit motus oratione Livii et Macrobii perhibentium [f]), eorum originem ludorum *victoriae*, non valetudinis ergo. Sed cur non potius dicamus signatam Victoriam, quia haec ordinarius fuit quinariorum typus?

* * *

PISO. CAEPIO. Q. *Caput barbatum laureatum, pone quiddam instar falcis serratae, in imo tridens, vel arcus, vel aliud.*

AD. FRV. EMV. EX. S. C. *Duo viri togati sedentes, hinc et illinc spica.* AR. R.

Docet hic denarius, Pisonem et Servilium Caepionem *Quaestores* AD. FRV*mentum* EMV*ndum* EX S. C. missos esse. Factum istud contendit Pighius V. C. 508, quod etsi nullo argumento comprobat, habuit tamen consentientes Vaillantium et Havercampum. Vrsinus denarios hos Augusti aevo malleum passos conjicit, quod hoc imperante IIviri creari solebant frumento distribuendo, et aediles Cereales, ut testatur Dio. Verum alia est horum forma numorum, quam ut Augusto synchroni possint existimari. Patienter ergo feramus, nos veram eorum aetatem ignorare. Pighius caput anticae, quale etiam est in numis Memmii, Portuni dei putat, nulla istud veri specie; alii caput Saturni, quod magis probabile, non modo propter adstitutam falcem, sed etiam quod teste Plutarcho Saturnus a Romanis habitus est praeses agriculturae et frugum [g]), et sic antica cum aversa belle componitur. Vide simili falce armatum Saturnum in Memmia et Sentia, at simul certissimum Saturnum in Neria. Similem aversam offerunt denarii Critonii et Fannii aedilium plebis.

---

a) L. XXV. c. 12. et L. XXVI. c. 23. b) Ann. T. II. p. 182. c) Sat. L. I. c. 17. d) T. II. p. 131. e) Annal. L. IX. c. 1. f) ll. cc. g) Quaest. Rom. p. m. 275.

* * *

CN. PISO. PROQ. *Caput barbatum cinctum diademate, cui inscriptum* NVMA.

MAGN. PROCOS. *Prora navis.* AR. RR.

Caput Numae in numis suis jactat gens Calpurnia, quod haec sese a Calpo Pompilii Numae F. procreatam praedicabat, ut diserte narrat Plutarchus [a]), et Festus [b]). Vnde et Horatius in epistola ad Pisones: *Vos o Pompilius sanguis.* Et laudatus supra Saleius Bassus versu 4.

Nam quid memorare necesse est,
Vt domus a calpo nomen Calpurnia ducat?

Idem Numae caput exstat etiam in aeneo Cn. Pisonis IIIviri, in cujus aversa est caput Augusti. Vide tabulam III. Vrsini et Morellii. In Marcia quoque gente Numae caput habetur, et auguris habitu proponitur in Pomponia. Hic Cn. Piso proquaestorem sese Magni proconsulis, nempe Pompeji, profitetur. Existimat Vrsinus, Pisonem hunc esse eum ipsum, cujus opera Pompejum in bello praedonum usum refert Appianus [c]), et hac de causa navis rostrum in numo signatum. Probabile istud, verum video, eum Pisonem ab Appiano dici Publium, non Cneum, nisi forte in hoc erratum.

* * *

Signum Termini, hinc corona illinc capeduncula. In aliis: *Caput juvenile diadematum, per aream corona, capeduncula, astrum.*

M. PISO. M. F. FRVGI. *Patera et secespita, omnia intra lauream.* AR. RR.

Ad quem M. Pisonem pertineant hi denarii, conjecturas suas attulere Vrsinus et Havercampus, quas, si lubet, adi. Neque satis explorata typorum ratio. Vrsinus, quem secuti sunt reliqui, in priore numo signum dei Termini, in altero ejus ipsius caput vidit, quem, ut et vasa pontificalia, proposuit Piso ad indicandam originem a Numa religionum auctore ductam, qui primus Termino in colle Tarpejo sacellum erexit testibus auctoribus, quos citat.

Hos denarios Vaillantius in gentem Pupiam trajecit causa denarii Goltziani, in cujus una facie PISO. FRVGI, in altera: M. PVPIVS. M. F., et quia revera constat, Pisonum aliquem a Pupio fuisse adoptatum. Verum etiamsi genuinus esset hic Goltzii numus, quem nemo alios vidit, inde nequaquam sequitur, omnes eos denarios, qui *Pisonem Frugi* inscriptum offerunt, esse ejus Pisonis, quem adoptavit Pupius, perinde quasi praeter hunc nemo alter Piso Frugi exstitisset. Atque etsi demus, denariorum nostrorum Pisonem esse eum ipsum, quem a Pupio adoptatum novimus, tamen vel propterea, quia Pupii nomen abest, certi essemus, hos denarios ante adoptionem cusos, atque adeo ex numis gentis Calpurniae non eximendos. Sane Vrsinus, et Morellius, quibus haec adoptio ignota non fuit, nihil mutandum rectius censuere.

---

a) In Numa p. m. 73. b) in Calpurnii. c) Bell. Mithrid.

* * *

CN. PISO. CN. F. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis obviis Augusti I. et II. formae. Idem postea sub Tiberio Syriae praefectus Germanico veneno perfide sublato se ipse interemit.

* * *

Bibulus.

L. BIBVLVS. PRAEF. CLAS. typo navis, in aeneis M. Antonii, de quibus agam in moneta hujus IIIviri.

CALVISIA.

Numi Goltziani.

CANIDIA.

Gens plebeia, praetermissa ab Vrsino et Morellio, nimirum numis, qui huc pertinent, in gentem Liciniam translatis. Cognomen *Crassus.* Non exstant, nisi commatis peregrini.

CRAS. *Prora navis.*

Crocodilus. AE. II. (Vrsinus, Morellius in Licinia.) RR.

- ΛΕΟΠ - - Γ. M. A. T. *Caput Cleopatrae.*

ΚΡΑΣ. *Crocodilus.* AE. I. (Mus. Caes.) RRRR.

Horum primum Goltzius, Vrsinus, Vaillantius genti Liciniae tribuerunt, sed Patinus Canidiae, quem secutus Havercampus negat, M. Licinio Crasso IIIviro a Parthis occiso, ut volebat Goltzius, competere posse, qui prius insanae cupiditatis poenas dederat, quam Romanis cum Aegypto, cujus certum symbolum est crocodilus, rei quidpiam fuerit. At P. Canidii Crassi frequens in historia Aegypti mentio, quo tempore Antonius in ea morabatur. Ab hoc in Armeniam missus multa ibi fortiter ac prospere patravit, postremo universi peditatus dux ad Actium, superato mari cum Antonio ipse in Aegyptum evasit, ibique anno sequente V. C. 724 Octaviani jussu caesus est. Eum ipsum numum huic Canidio tribuendum confirmat numus sequens. Constat, Canidium, quod apud Antonium gratiosus esset, a Cleopatra multum observatum, ut latius ostendi in meis Numis veteribus, quo loco hunc Cleopatrae numum vulgavi [a]). Vide et numos hujus Cleopatrae.

* * *

Caput Apollinis laur.

CRA. *Fasces cum securi.* AE. fere II. (Mus. Caes. Liebe p. 393. Morelli, Vaill. in Licinia.) RR.

Hunc item numum Vaillantius genti Liciniae largitur, putatque a Crasso quodam in Aegypto sub Caesaribus cusum. At negat hoc post Spanhemium

a) Pag. 292.

Liebeus [a]), quia ab his nunquam praetores in Aegyptum missi sunt, sed viri equestris ordinis. Putat igitur Havercampus [b]), signatos fuisse a M. Canidio Crasso, qui pro quaestore adfuit Catoni, cum is per Clodii violentiam pro praetore in Cyprum missus est.

CANINIA.

Gens plebeia. Cognomen in numis Romanis *Gallus.*

AVGVSTVS. *Caput Augusti.*
L. CANINIVS. GALLVS. IIIVIR. *Ianua domus, aut domus ipsa, cui imposita corona querna cum epigraphe:* OB. C. S., *utrinque laurus.* AR. RR.

Aversam hujus numi explicabimus in numis Augusti ad annum V. C. 727.

* * *

AVGVSTVS. *Caput Augusti.*
L. CANINIVS. GALLVS. IIIVIR. *juxta:* AVGVSTVS. *Sedile humilius et porrectum adstituta hasta, superne* TR. POT. AR. RR.

De hoc item denario agemus in numis Augusti ad annum V. C. 731.

* * *

Reliqui Caninii numi Augusti caput perinde offerunt, et in aversa typos, qui ad unum Augustum pertinent, ut Parthus flexo genu signum restituens, quos vide in ejus principis moneta.

* * *

L. Caninius Agrippa IIvir Corinthi.

CARISIA.

Gens nonnisi Augusto imperante memorata a scriptoribus, cum gestum ejus in Hispania bellum persequuntur. Vide Dionem, Florum, Orosium. Denarii T. Carisii Augusti aevum haud dubie praecedunt, P. Carisii in ejus tempora cadunt.

* * *

Caput Dianae prominente retro pharetra et arcu.
T. CA. *Canis currens.* AR. R.

Antiquarii omnes denarium hunc T. Carisio tribuunt, perinde quasi non essent tot aliae gentes, quibus literae CA. possent applicari. At nihil molestius est reliquo eorum examine, quo causam signatae in hoc Dianae indagant. Nolo commemorandis inanibus tot conjecturis augere praesentes commentarios, justae semper futuros molis, etsi tantum certa, probabilia, et utilia adferantur. Ceterum quando literae CA. varie possunt accipi, quid obstat, quo minus referamus denarium ad aliquem T. CA*ninium*, et suspicemur, esse canem partis aversae adlusionem ad ipsum gentis nomen, cujus infinita in hac numorum classe habemus exempla?

a) L. c. b) pag. 243.

Sin istud, apposite anticam occupat Diana, cujus comites sunt canes, quos Ovidius ex hac causa *turbam Dianiam* appellat a). Et vero T. Caninium Rebilum praetorem prodit Pighius ad annum V. C. 707.

* * *

MONETA. *Caput muliebre.* SALVTARIS. (pro hoc in aliis: T. CARISIVS.) *Incus, pileus Vulcani, forceps, malleus.* AR. RRR. cum vocabulo SALVTARIS.

Denarius cum posteriore modo, nempe: T. CARISIVS, *restitutus est a Trajano.* (Panel ex le Bret. Mem. Trevoux.) AR. RRRR.

Teste Cicerone b), *cum terrae motus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, vocem ab aede Iunonis ex arce exstitisse; quocirca Iunonem illam appellatam MONETAM.* At secundum Suidam c) Romani, cum in bello contra Pyrrhum et Tarentinos pecunia egerent, Iunoni votum fecerunt, quam ferunt respondisse, si bellum justum gererent, pecuniam non defuturam. At hi voti compotes facti Iunonem Monetam coluerunt, hoc est, consultricem, et decreverunt, ut numi in ejus templo cuderentur. Haec Suidas. Secundum Livium d) L. Furius Camillus in bello Auruncorum V. C. 409 Iunoni Monetae templum vovit dedicavitque, loco in arce destinato, quae area aedium M. Manlii Capitolini fuerat. Idem vero antea dixerat e), Manlii domum fuisse, *ubi nunc aedes atque officina monetae est.* Livio inhaerens Ovidius sic canit f):

Arce quoque in summa Iunoni templa Monetae
Ex voto memorant facta, Camille, tuo:
Ante domus Manli fuerant, qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Iove.

Recte igitur in hoc numo cum Iunone Moneta conjuncta habes instrumenta feriundae monetae destinata,

Ακμονα τε, σφυραντ', ευποιητον τε πυραγρην,
Οισιν τε χρυσον ειργαζετο.

Incudemque, malleumque, bene factamque forcipem,
Quibus aurum tractabat faber Homericus g).

Dicitur Iuno SALVTARIS, quia adflictis bello rebus salutem attulit. Ejus etiam caput certum cultu parum diverso exstat in numis gentis Plaetoriae. Epigraphe MONETA deinde obvia in numis Augustorum, et quidem maximi moduli inferioris aevi, quin et in Alexandrino Commodi legitur Graece MONHTA.

* * *

Caput muliebre crinibus fascia colligatis.

---

a) Fast. V. 141. b) de Divinat. L. I. c. 45 et L. II. c. 32. c) in Μονητα. d) L. VII. c. 28. e) L. VI. c. 20. f) Fast. VI. 183. g) Odyss. Γ. 434.

T. CARISIVS. IIIVIR. *Sphinx sedens.* AR. RR.

Ad hujus denarii explicationem accessit Vaillantius verba Stephani perhibentis [a]), ex urbe Troadis Gergithe dictam *Gergithiam Sibyllam oraculorum interpretem, cujus imago in Gergithiorum mumismate una cum Sphinge expressa fuit.* Atqui, inquit, constat ex Suetonio [b]), Augustum adito V. C. 741 pontificatu maximo, quidquid fatidicorum librorum nullis, vel parum idoneis auctoribus ferebatur, cremasse retentis solis Sibyllinis. Satis apparet, non aliam ob causam Vaillantio caput Sibyllae visum, quam quod Sphingem in aversa vidit. At vero habemus numum Augusti: ARMENIA. CAPTA typo Sphingis, quem dabo in ejus moneta ad annum V. C. 734. Quid in hoc cimelio Sphingi cum Sibylla? Constat etiam, Augusto jam placuisse Sphingem, antequam in fatidicos hos libros crisin intenderet; nam inter initia imperii hujus monstri imagine signasse epistolas eodem loco ex veteribus ostendam. Denique dubitare licet, utrum post annum V. C. 741 permissum adhuc fuerit IIIviris monetariis sua in numis proponere nomina. Sane annus V. C. 738 postremus est, qui, saltem quod exploratum sit, magistratum hunc offerat, atque etiam tum nunquam abest Augusti vel caput, vel epigraphe. Remotiora igitur tempora sibi denarius hic postulat, ipsa vero Sphinx hujus numi in nostram usque aetatem aenigma est, nullo adhuc vindice reperto. Ceterum verum Sibyllae caput vide in gente Manlia.

* * *

Omitto brevitatis causa alios T. Carisii denarios per argumentum parum illustres.

* * *

IMP. CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

P. CARISIVS. LEG. PROPR. In aliis tantum: LEG. vel: LEG. AVGVSTI. *Tropaeum ex armis Hispanicis conflatum.* — *Porta urbis, cui inscriptum:* EMERITA. — *Arma Hispanica.* — In quinariis: *Victoria statuens tropaeum.* AR. C.

Carisium Augusti in Hispania legatum Cantabros et Astures fortiter repressisse tradunt Dio [c]), Florus [d]), Orosius [e]), quo bello circa annum V. C. 729 finito, ait Dio [f]), Augustum dimisisse milites EMERITOS (ἀφηλικεςερ͂ς των ςρατιωτων) eisque urbem in Lusitania Augustam EMERITAM dictam aedificare permisisse, ob quam causam denariis inscriptum EMERITA. Omnes quoque numi reliqui typos habent ad Hispaniam pertinentes, ex quo verisimile, eos omnes in ipsa Hispania prognatos curante opus P. Carisio, non inficiante istud barbara eorum fabrica, tum et epigraphe, nam in horum nonnullis, qui sunt apud Morellium, et in museo Caesareo, pro EMERITA legitur IMIRITA, vel IIMIIRITA, de quo scribendi modo vide, quae monebo in moneta Antonii IIIviri. In quinariis Haver-

a) In Γεϱγις. b) in Aug. c. 31. c) L. LIII. c. 25. L. LIV. c. 5. d) L. IV. c. 12. n. 56. e) L. VI. c. 21. f) L. LIII. c. 26.

campus victoriam Carisii Hispanicam videt, ego antiquum morem, quo in quinariis Victoria signari consuevit. Dio Carisium Cantabrorum victorem non secundum numos *Publium*, sed *Titum* vocat. Quare, nisi mendum irrepsit, videntur fuisse diversi duo Carisii. De forma armorum Hispanicorum vide, quae dixi ex his etiam numis in prolegomenis ad numos Hispaniae. De aetate horum numorum vide monetam Augusti ad annum V. C. 732, ubi insignis Havercampi parachronismus perstringetur.

* * *

Numos alios Carisiis a nonnullis tributos vide in sequente Carvilia.

CARVILIA.

Gens plebeia.

Caput juvenile laureatum, infra quod fulmen.

CAR. OGVL. VER. *Iuppiter in citis quadrigis d. fulmen intentat.* AR. C.

Caput Iani.

CAR. OGVL. VER. *Prora navis.* As. RR.

Numi hi ab aliis genti Carisiae, ab aliis Carviliae inseruntur pro varia *το* CAR. explendi lubidine. Vtraque pars solis conjecturis pugnat, exigua victoriae gloria.

Caput anticae numi prioris omnes esse Iovis Axuris statuunt, cum tamen iidem simillimum aliud gentis Fonteiae esse Apollinis Vejovis adserant. Quorsum haec sententiae inconstantia? Nos illud remur confidenter posse Vejovi tribuere, non modo quod certus Vejuppiter in gentibus Caesia et Licinia imberbis quoque est, et armatus fulmine, verum etiam quod Axur gentis Vibiae diversum praefert cultum.

CASSIA.

Patricia, quae defecisse videtur, et plebeia. De hac gente Tacitus loquens de L. Cassio Longino Drusillae marito [a]): *Cassius plebei Romae generis, verum antiqui honoratique.* Cognomina in numis habemus *Caeicianus*, *Longinus*, *Celer.*

Caeicianus.

CAEICIAN. *Caput Cereris spicis coronatum, pone litera alphabeti.*

L. CASSI. *Iugum boum aratro junctum, superne litera alphabeti.* AR. C.

Productum *Caeiciani* cognomen suspicari jure facit, Caeicium quendam in Cassii familiam adoptatum. Ad typos Cereris et boum haec conjicit Havercampus, videri IIvirum deducendae coloniae fuisse Cassium hunc, tempore, quo diviso plebi agro Campano circiter millia civium viginti eo tradu-

a) Ann. VI. 15.

cta sunt ex lege I. Caesaris V. C. 694. Verum an IIviris jus feriundae monetae fuit? quod ab eodem toties video objici Vaillantio et Vrsino. Enimvero forma horum numorum remotiorem haud dubie aetatem flagitat, et Ceres, cui sacrum animal est bos, multis aliis ex causis potuit signari. L. CASSI. KAECIANI. meminit etiam marmor Gruteri [a]). De miro in his denariis alphabeti ordine vide supra in Prolegomenis pag. 76.

* * *

Longinus.

Q. CASSIVS. *Caput muliebre velatum*, *juxta* VEST.
Templum rotundum, *intra quod sella curulis*, *in area hinc urna*, *illinc tabella*, *cui inscriptum:* A. C. Est AR. C.

Eundem denarium restituit Trajanus. AR. RRR.

Q. CASSIVS. *Caput muliebre*, *juxta*. LIBERT.
Eadem aversa. AR. R.

Insignes hi denarii jam praeclare a viris eruditis sunt explicati. Caput Vestae, ejusque in aversa templum revocant memoriam L. Cassii Longini, qui V. C. 641 rogatione Peduceia constitutus quaesitor praetoria potestate de Vestalium stupris Liciniam ac Marciam a L. Metello P. M. absolutas in judicium revocavit damnavitque, ut ex Asconio, aliisque docet Pighius [b]). Fuit hic Cassius severitatis insigne exemplar, sic ut *reorum scopulus* vulgo vocaretur [c]), quo modo Pompejus M. apud Petronium dicitur *piratarum scopulus* [d]). Notum ejus solenne, *cui bono*, toties Ciceroni in simili causa repetitum. Sella curulis intra templum notat praetoriam potestatem, qua eum in hac causa fuisse praeditum diximus.

Ad ejusdem Cassii historiam pertinent urna, tabella inscripto A. C., et caput Libertatis denarii sequentis. Innuitur his typis lex tabellaria de judiciis, quam is in tribunatu suo V. C. 617 tulit, uti populo in omnibus judiciis, perduellione excepta per tabellam suffragium esset, qua lege suffragiorum LIBERTATI praeclare consuluit. Testimonia plura Ciceronis partam hac lege libertatem praedicantis collegit Spanhemius [e]). Literae A. C. sunt ἀρχαιȣσαι vocum *Absolvo* *Condemno* his tabellis inscriptae, adstat urna, Ciceroni saepius dicta sitella, ad eas excipiendas parata. Lubet tabellarium istud beneficium petito a Graecis exemplo illustrare. Quo tempore Athenienses gravi XXX. tyrannorum jugo premebantur, hi in senatu sedebant in subselliis, inquit Lysias [f]), in quibus nunc consident prytanes. Ante eos positae stabant mensae duae, calculos vero non licebat, ut ante, mittere in sitellam, sed oportebat palam in mensis deponere, et condemnantem quidem in posteriore, absolventem in priore. Haec auctor laudatus. Enimvero in omni civitate vere libera suffragia clam ferri sunt solita sive metu potentium reorum, sive judicum partibus faventium. Quem morem collaudavit quoque Demosthenes [g]): ἀλλα και τȣτο και παντων ἀριϛα ὁ τιθεις τον

a) P. 864. n. 11. b) Ann. III. p. 109. seq. c) Pighius l. c. p. 14. d) Satyric. c. 123. versu 239. e) T. II. p. 198. f) Orat. in Agorat. g) de fals. legat. p. 330. A.

νομον ἐιδε, το κρυβδην ψηφισεσθαι. δια τι; ὁτι τυτων μεν ὀδεις ἐισεται τον ἑαυτῳ κεχαρισμενον ὑμων. *Sed et hoc omnium optime legislator praevidit, ut clam suffragia ferrentur. Cur? ut nemo vestrum, qui rei sunt, sciret, qui sibi esset gratificatus.*

* * *

Caput Vestae velatum, prae quo variae alphabeti literae, pone simpulum.

LONGINVS. IIIV. *Vir togatus stans d. tabellam, cui inscriptum V. super basi tenet.*

Denarii hi propter idem Vestae caput ab eodem Q. Cassio, a quo praecedentes, videntur signati. Litera V tabellae inscripta Vaillantius credit indicari plures ab eodem L. Cassio latas leges, quae cum omnes vocabulo VTI incipiant, primam ejus vocabuli literam in tabella exprimi. At Havercampus verbum VETO, quo usi sunt tribuni plebis, cum intercedere legi placuit, mavult, et auguratur, a L. Cassio circa illud *vetandi* jus aliquam fuisse latam legem. Vtraque sententia intra conjecturas sistit.

* * *

Caput juvenile nudum prolixis crinibus, pone sceptrum.

Q. CASSIVS. *Aquila fulmini insistens, hinc lituus, inde praefericulum.* AR. R.

Existimat Pighius, in antica exhiberi caput Apollinis cum sceptro regio, atque istud propter ludos Apollinares a Q. Cassio Longino in praetura editos [a]), cui sententiae non adversatur Havercampus, etsi toties contendat, non fuisse praetorum ferire monetam. At non adrident praetensi Apollinares, et toties ad fastidium obtrusi cum alias, tum ad hunc praecipue denarium. Nam videor posse negare, caput anticae esse Apollinis, quod potius Iovis putandum, cujus certa attributa sceptrum, fulmen, aquila. Quod imberbis est, et luxuriant capilli; Iovem non inficiatur, qui eodem cultu comparet in numis Syracusarum inscriptis ΖΕΥΣ. ΕΛΛΑΝΙΟΣ. Quid quod et Vejuppiter, et Iuppiter Axur intonsi sunt ut docent denarii Caesiae et Vibiae.

* * *

Caput Bacchi hedera et corymbis coronatum, pone thyrsus.

L. CASSI. Q. F. *Caput muliebre pampinis coronatum.* AR. C.

Vrsinus, quem deinde secuti sunt reliqui, in his numis capita Liberi, Liberaeque videt, quibus adeo typis censet innui, quod refert Dionysius, Sp. Cassium cos. V. C. 261 aedem Cereris, Liberi, Liberaeque votam bello Latino dedicasse. Sed enim Libera eadem est cum Proserpina; at vero hujus caput pampinis exornari, ut in praesente numo, nondum mihi compertum.

* * *

C. Cassius Longinus imp.

Hujus hominis, qui cum Bruto contra Caesarem dictatorem conjuravit, bellumque deinde cum IIIviris gessit, numos in monetam imperatorum differimus.

* * *

Celer.

C. CASSIVS. CELER. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis Augusti II. formae. C.

a) Tom III. p. 298.

* * *

Cassii incerti.

Caput Palladis alatum, pone X, *et quid urnae simile.*

C. CASSI. *Mulier d. pileum ostentans, s. hastam in citis quadrigis, infra* ROMA.

Perizonius numum ad C. Cassium percussorem Caesaris propter libertatis signum refert. At hic remotioris antiquitatis manifestus est partus. Ad haec in hujus Cassii denariis semper additur IMP. Acutius in speciem Havercampus C. Cassio L. Cassii, severi illius judicis filio, largitur, a quo tribuno pl., ut narrat Asconius, lex lata est, ut, quem populus damnasset, senatu moveretur, ad quod factum libertatis typum revocat. Dixi, in speciem. Sequamur enim calculum et verba Havercampi [a]). Hic C. Cassius, ait, quaestor provincialis fuit V. C. 642, ante quem annum, cum quaestor urbanus esset, credimus signatum hunc denarium. Tribunus pl. fuit V. C. 649, quo adeo dictam legem tulit. At enim quaerimus, quomodo is typo libertatis in numo V. C. 642 signato ad legem adludere potuit, quam minimum octo annis serius tulit? Verisimilius igitur typus ad celebrem illum L. Cassium libertatis populi vindicem, de quo supra, referendus lata V. C. 617 lege tabellaria, cum qua praeterea aetate melius componetur caput anticae vetustioris rationis.

* * *

Caput Vulcani, pone forceps, in area S additis tribus globulis.

C. CASSI. ROMA. *Navis, in area* S. *additis tribus globulis.* AE. RR.

Hujus semissis partim causa capitis Vulcani pro solito in semissibus capite Iovis, partim causa additorum ad S. globulorum altius mentionem feci pag. 12. 13 et 15.

* * *

Caput Iani, inter cujus capita lunula.

L. SALIN. C. CASSIVS. *Prora navis, cui inscriptum:* D. S. S. AE. I. RR.

Literarum D. S. S., quae leguntur etiam in denariis Quinctiorum, verus sensus nondum compertus. Legunt alii: D*eo* S*enoni* S*anco*, qui fuit Sabinorum deus, de qua lectione vide multa apud Vrsinum [b]), alii: D*e* S*enatus* S*ententia*, alii: D*e* S*iculis* S*ardis*. SALI*nator* est cognomen gentis Liviae, et Oppiae, ad quam posteriorem hi videntur numi pertinere, ut dicetur in Oppia. Additam Iano lunam Havercampus opinatur propterea, quod illi tributa fuerat anni dimensio, et a nonnullis creditus filius Hecates, id est: lunae. Aliam causam dabimus in denariis gentis Fonteiae.

* * *

De Cassio, qui est in Antiochenis Graecis Claudii, vide numos Antiochiae Syriae.

---

a) P. 79. b) p. 289.

CESTIA.

Gens plebeia. Ejus numi duo insignes.

C. NORBANVS. L. CESTIVS. PR. *Caput muliebre religatis diademate crinibus.*

S. C. *Cybele capite turrito in leonum bigis, s. tympano innixa.* AV. RRR.

Caput muliebre elephanti exuviis tectum.

L. CESTIVS. C. NORBA. PR. S. C. *Sella curulis, super qua galea.* AV. RRR.

Vaillantius statuit, hos numos ex S. C. fuisse percussos a L. Cestio et C. Norbano, cum essent aediles, Havercampus, cum uterque esset praetor. At quae hic antea scripserat, retractavit in gente Hirtia, deinde in numis Norbani explicatione nova inducta; nimirum I. Caesarem adversus Pompeji liberos V. C. 708 in Hispanias meditantem Romae sub Lepido reliquisse sex vel octo praefectos, ut ait Dio [a]). His monetae signandae jus permissum adserit docentibus numis; nam Munatius Plancus et Livinejus Regulus revera in numis se scribunt PRAEF. VRB., Clovius simpliciter PRAEF., Hirtius, Cestius, Norbanus, Oppius tantum PR., quod adeo legendum PR*aefectus*, non PR*aetor.* Erunt igitur sex illi, quos numi produnt, memorati a Dione praefecti, quibus ὡς ἐν παρόδῳ addit L. Rubrium Dossenum [b]). Addit, conspirare quoque typos. Caput elephanti proboscide tectum ad Africanam Caesaris victoriam adludere, in altero caput Veneris suapte ad Caesarem referri. Sellam curulem et fasces, qui insuper in numis Livineji propter sellam adstituuntur, indicare honorem praefectorum, perhibente revera Dione [c]), eos accusatos, quod *lictoribus*, *vesteque ac sella curuli uterentur.* Galeam ad virtutem Caesaris revocat, et *το* S. C., quod data esset his Caesaris praefectis potestas nomen suum monetae inserendi, denique Cybelen indicare ludos Megalesia. Hanc Havercampi sententiam latius proposui, non quod securam et legis instar tenendam putem, multa enim admodum vaga et intuta continet, verum ut, cum ipse probabile quidquam ad explicandos hos numos adferre non possim, alterius viri eruditi conjecturas, objiciam, quas lector, ut visum fuerit, adprobet vel repudiet.

* * *

Memoratur etiam Cestius in numis Antiochenis Neronis, quos vide.

a) L. XLIII. c. 28. b) in Rubria. c) L. XLIII. c. 48.

CICEREIA.

Numus Goltzianus.

CIPIA.

Gens plebeia.

M. CIPI. M. F. *Caput Palladis alatum*, *pone* X. *Victoria in citis bigis*, *infra gubernaculum et* ROMA. AR. R.

Exstat et semis eodem utrinque modo inscriptus. RR.

CLAVDIA.

Gens Sabina [a]), deinde non modo in civitatem accepta, sed etiam in patriciorum numerum [b]). Ab arrogantia et in plebem odio cognita, tum clara decemviratu legum ferundarum, dictaturis, consulatibus, censuris, triumphis. *Claudius* et *Clodius* unum idemque est, ut *Plautius* et *Plotius*, *Cauponius* et *Coponius*, unde jocus Vespasiani apud Suetonium [c]): *Mestrium Florum consularem admonitus*, *ab eo* plaustra *potius*, *quam plostra dicenda*, *die postera* Flaurum *salutavit*.

Cognomina in numis Romanis *Marcellus* et *Pulcher*, ex quibus Pulchri tantum fuere patricii, Marcelli plebeji. *Rufus* proconsul est in numis Agrigenti, et hoc nomine proconsul Bithyniae sub Claudio, de quo vide prolegomena ad numos Bithyniae. Clodii *Macri* legati Africae sub Nerone numos vide post monetam Neronis.

* * *

Marcellus.

Caput Palladis alatum, *prae quo* X, *pone modius*.

M. MARC. *Victoria in bigis*, *in imo duae spicae*, *et* ROMA. AR. C.

* * *

MARCELLINVS. *Caput virile imberbe nudum*, *pone triquetra*.

MARCELLVS. COS. QVINQ. *Templum 4 columnarum*, *ad quod vir velatus et togatus accedit tropaeum gestans*. AR. C.

Restitutus item a Trajano. AR. RRR.

Praestans hic denarius M. Claudium Marcellum, magnum in historia R. nomen, ejusque insigniores laudes persequitur. In consulatu I. adversum Gallos Insubres missus V. C. 532 relata insigni ad

---

a) Liv. L. II. c. 16. b) Liv. L. IV. c. 3. Dionys. Hal. L. V. c. 40. Plut. in Poblic. c) in Vespas. c. 22.

Clastidium victoria ipsum hostium ducem Virdomarum singulari certamine interfecit, et detracta spolia opima tertius ab Romulo Iovi Feretrio obtulit. In bello deinde Punico primus Hannibalem vinci posse experimentum dedit. In Siciliam pro consule missus Syracusas cepit V. C. 542, denique V. C. 546 consul V. adversus Hannibalem profectus Poenorum insidiis prope Venusiam circumventus nobilem mortem reperit.

Pars numi aversa bina ejus praecipua decora memorat, et quidem epigraphe fuisse CO*n*S*ulem* QVINQ*uies* jactat, typus honorificam spoliorum dedicationem, quam divina sua poesi celebravit etiam Virgilius [a]):

Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Poenos, Gallumque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

De Iove Feretrio, spoliis opimis, aliisque causis huc pertinentibus lege praeter alios Propertium [b]).

Caput anticae ipsam celebris hujus viri effigiem sistit, etsi scriptum juxta legatur MARCELLINVS, quod nomen Marcellorum aliquem ex gente Claudia in aliam gentem adoptatum manifeste docet. Fuisse hunc Marcellum a Lentulo quopiam adoptatum, ex Cicerone colligunt eruditi, de quo vide, quae in numis gentis Corneliae Lentulorum disseram. Per hanc ergo insitionem dictus Lentulus Marcellinus, veterisque suae gentis memor illustris M. Marcelli honores huic denario inseruit. Adstituta capiti triquetra tertium ejus decus, captas Syracusas eloquitur. Idem numus, sed aeneus I. formae, proponitur in museo Pembrock. P. III. tab. 6, an genuinus?

* * *

L. LENT. C. MARC. COS. Inscriptos sic numos explicatos vide in gente Cornelia Lentulorum.

* * *

Pulcher.

Caput Palladis alatum.

C. PVLCHER. *Victoria in citis bigis.* AR. R.

PVLCHER. TAVRVS. REGVLVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. in AE. III. C.

Ait Cicero in Oratore [c]): *Quin ergo ipse, cum scirem, ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut* pulcros, Cetegos, triumpos, Kartaginem *dicerem etc.* Numus ex propositis prior, quod ex typo colligere licet, multis prius annis signatus est, quam Oratorem scriberet Cicero, et tamen jam PVLCHER cum aspirata scribebatur, de quo disceptent grammatici.

* * *

AP. PVLCHER. AP. F. PROCOS. in cistophoro Laodiceno.

---

a) Aen. VI. v. 869. b) L. IV. eleg. 11. c) cap. 48.

C. PVLCHER. PROCOS. in cistophoris Trallium et Pergami.

Vide hos numos explicatos in tractatu de Cistophoris.

* * *

IMP. CAESAR. *Caput I. Caesaris laur.*

P. CLODIVS. M. F. *Mars galeatus nudus stans d. hastam, s. parazonium.* AR. R.

CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput Octaviani nudum.* In alio: M. ANTONIVS. IIIVIR, R. P. C. *Caput M. Antonii barbatum.*

P. CLODIVS. M. F. *Mars galeatus nudus stans d. hastam, s. parazonium.* In alio: *Mulier stans d. pateram, s. hastam.* AR. C.

Caput Solis radiatum, pone I.

P. CLODIVS. M. F. *Luna inter 5 astra.* AV. RR. AR. C.

Caput muliebre laureatum, pone lyra.

P. CLODIVS. M. F. *Diana stolata stans utraque manu oblongam facem tenet.* AR. R.

Ab uno omnes hos denarios P. Clodio percussos, certum, neque hactenus inter eruditos controversia exstitit. Quis fuerit hic P. Clodius, non reperit Vrsinus, unumque ajebat hoc nos scire posse, fuisse eum IIIIvirum tum, cum Octavianus esset IIIvir R. P. C. numo II. istud docente. Vaillantius censet, fuisse Clodium Bithynicum, quem, quod Octaviano pertinacius adversaretur, capta Perusia interfectum narrat Appianus [a]), quod verene, an falso adsertum sit, non decido, etsi certum sit, numos hos sub initium IIIviratus Octaviani et Antonii signatos, quod manifeste apparet ex barba Antonii, quam is circum haec tempora promisit, ac paullo post attondit, ut dicetur in ejus numis.

Vaillantius et Havercampus nullo negotio horum typos numorum ad ludos Apollinares, aliasque ejus aevi peristases trahunt. Minus ego aut perspicax aut credulus typos hos privatae Clodii religioni imputo, aut etsi publica facta ejus temporis respiciunt, non satis video loquaces, ut certum quid inde duci possit. Spanhemius eos ad ludos saeculares refert [b]). In numo IV. certum est caput muliebre, quod credere jubent crines muliebrem in morem dispositi, et manifestae inaures, quas ostentat cum pictura Morelliana, tum denarius integerrimus musei Caesarei. Lyra adstituta persuadet esse Musam, nisi caput est allegoricum. Haec monui, quoniam Vaillantius et Havercampus esse caput Apollinis confidenter statuunt, credo, ne sui sibi ludi Apollinares pessum eant.

* * *

C. CLODIVS. C. F. *Caput muliebre floribus redimitum, pone flos.*

VESTALIS. *Mulier velata sedens d. simpuvium.* AV. RRRR. (Mus. Caes.) AR. R.

Signatum in denario hoc caput Florae censent antiquarii ad indicandos magnificos ludos, quos C. Claudius Pulcher unus ex majoribus hujus Clodii IIIviri in aedilitate sua celebravit V. C. 655, quosque depraedicant Ci-

a) Bell. civ. L. V. b) T. II. p. 127.

cero, Plinius, et Val. Maximus, pertinuisse autem ad aediles celebrare ludos Cereris, Liberi, Liberae, Florae, Iovis, Iunonis, Minervae, ut docet ipse Cicero [a]). Liceat ab his diversum sentire, cum dignior alia causa, quae in gentis decus praedicetur, praesto sit. Credam potius, adludi ad C. Claudium Centhonem, quo consule, et collega Sempronio Floralia peragi coepta sunt, de quo vide, quae plura notabo in gente Servilia.

Typo Vestalis sedentis recolitur memoria Claudiae Vestalis, etsi sciri non possit, qualis intelligatur Claudia, nam duae erant in hac gente praeclaro facto insignes. Vna Quinta Claudia, quae navim cum sacris Matris Idaeae Pessinunte advectae, cum vado Tiberino adhaereret, implexo cingulo in vitae inculpatae testimonium Romam adverso flumine deduxit, quod factum V. C. 549. Vide praeter Livium hanc fabulam late describentem, et quod mirum, etiam credentem, aliosque, Iulianum Aug. [b]). Tamen sunt, demptis nonnullis poetis, non pauci ex veteribus qui eam non Vestalem, sed matronam dixere. Vide variorum notas ad Livii L. XXIX. c. 14. Altera, quae patrem contra leges triumphantem adversus tribunum pl. eum ex curru detrahere parantem religione objecti corporis defendit V. C. 611 [c]).

* * *

Claudius incertus.

Caput Dianae cum pharetra et arcu, juxta S. C.

TI. CLAVD. TI. F. AP. N. *Victoria in citis bigis d. lauream, s. palmam, in area notae arithmeticae, ut:* XXV. XXXI. CXXI., *etiam addito* A, *ut:* A. X. — A. XV. — A. CXXIII. Sunt serrati omnes, et C.

Viri eruditi Pighium secuti obvios hos denarios referunt ad Ti. Claudium, qui V. C. 504 quaestor Siciliae, cum male contra Poenos pugnatum esset, ad reparandas res perditas magnam pecuniae vim ex S. C. signaverit, et quidem in Sicilia, quod suadet Dianae typus. At vero tantam aetatem hi denarii certe non praeferunt, et potius posterior aliquis Claudius investigandus, quod operae aliis permitto.

* * *

AP. CL*audius*, T. MAL*lius*, Q VR-- de quibus vide gentes Manliam, et Marciam.

CLOVIA.

Gens plebeia.

CAESAR. DIC. TER. *Protome Victoriae, pone astrum.*

C. CLOVI. PRAEF. *Pallas gradiens d. tropaeum super humero, s. clypeum Medusae capite horrentem et sex hastilia, humi serpens.* AE. II. C.

Numum hunc cusum fuisse V. C. 708, probabimus in moneta I. Caesaris. Hic eodem hoc anno Dictator III. ad-

a) L. V. in Verr. c. 14. b) Orat. V. p. 159. c) Val. Max. L. V. c. 4.

versus Pompeji liberos in Hispaniam profectus plures Romae pro se praefectos reliquit, ut diximus in gente Cestia, ex quorum numero fuisse C. Clovium praesens numus docet. Haec Havercampus. At enim universa horum numorum ratio dubium facit, sintne moneta urbis putandi; ad haec aliorum urbis praefectorum numi argentei sunt, quin et aurei, hi nonnisi aenei. Videntur adeo ejusdem esse generis, cujus sunt numi aenei Sempronii, Bibuli, Oppii praefectorum classis M. Antonii, quorumque numi haud dubie extra urbem signati sunt. Clovium hunc ab Octaviano inter consulares relatum V. C. 725 tradit Dio [a]). Pars antica connexa simul cum aversa certam sistit Minervam Nicephoram, de qua egimus in moneta Atheniensium.

CLOVLIA.

Gens patricia, nam T. Cloelium Siculum inter tres patricios numerat Livius, qui V. C. 309 tribuni militares pro consulibus facti sunt, de quo lege disserentem Vrsinum. At Cloelii antiquitus dicti sunt Cloulii.

Caput Palladis alatum, infra ROMA.

T. CLOVLI. *Victoria in citis bigis, infra spicae.* AR. C.

Caput Iovis, in area variae alphabeti literae.

T. CLOVLI. *Victoria tropaeum coronans, infra* Q. Quin C.

Denarius veteris argumenti explicatum non desiderat, neque plus tribuendum quinario, qui utrinque offert typos quinariis imprimi solitos. Acutiores Vaillantius, et Havercampus, qui typo Victoriae ad relatam de Poenis in Sicilia victoriam, typo spicarum ad feracitatem insulae adludi censuere. Literae alphabeti aliud non sunt, quam signa monetariorum. Quam turpiter in his explicandis lapsi sint Pighius, et, quod magis mirere, Vaillantius, alibi diximus [b]). At elementum Q partis aversae, quoniam invariatum in omnibus est, Quinarium indicat.

COCCEIA.

Fueritne patricia, an plebeia, incertum. Ex hac prodiit Cocceius Nerva, qui Domitiano successit. Cognomen *Nerva.*

M. ANT. IMP. AVG. IIIVIR. R. P. C. M. NERVA. PROQ. P. *Caput M. Antonii nudum.*

L. ANTONIVS. COS. *Caput L. Antonii nudum.* AR. R.

Cusus est hic denarius V. C. 713, nam hoc anno L. Antonius consul processit. Cum in reliquis dubium non ex-

---

a) L. LII. c 42 b) p. 77.

stet, in judicium venit sola epigraphe M. NERVA. PROQ. P., quam esse legendam PROQ*uaestore* P*ropraetore*, verisimile diximus Vol. IV. p. 248. Hic Nerva favente M. Antonio processit consul V. C. 718 collega L. Gellio.

COELIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis *Caldus*, quod idem est ac *Calidus*, nam et perinde veteres dixere *valde*, et *valide*. Novi equidem, dicere Ciceronem a): *ut si dicamus, idcirco aliquem CALDVM vocari, quod temerario et repentino consilio sit*, at hoc ipsum metaphoricum est ductum a calore animi. In numo Nicaeae *Balbus*, de quo vide prolegomena ad numos Bithyniae.

* * *

Caput Palladis alatum.

CALD. *In aliis:* C. COIL. CALD. *Victoria in citis bigis, in area variae alphabeti literae.* AR. C.

Caput idem, pone X.

L. COIL. *Dioscuri equites, infra* ROMA. AR. C.

Eadem adversa.

P. CALD. *Mulier in citis bigis, quam advolans superne Victoria coronat, infra* ROMA. AR. R.

Nihil ad denarios hos animadvertendum praeterquam COIL. antiquioris rationis scriptum pro COEL., ut et ipsi hi numi per typos perantiquae sunt formae. Qui fuerint trini hi Caldi, conjectoribus lubens permitto.

* * *

C. COEL. CALDVS. COS. *Caput virile nudum imberbe, hinc vexillum, cui inscriptum:* HIS. *illinc aper. In aliis: hinc pilum hastae, illinc vexillum simile. In aliis: Aper hastili praefixus.*

C. CALDVS. IMP. A. X. (*scriptum literis perpendicularibus*) *Numen propositum in lectisternio, cui inscriptum:* L. CALDVS. VIIVIR. EPVL. *hinc et illinc tropaeum, in imo* CALDVS. IIIVIR. AR. R.

C. COEL. CALDVS. COS. *Caput virile nudum imberbe, pone tabella, cui inscriptum:* L. D.

CALDVS. IIIVIR. *Caput Solis radiatum, ante quod clypeus rotundus, pone clypeus oblongus.* AV. (Liebe p. 26.) RRRR. AR. R.

Sunt hi denarii insignis artis et elegantiae. Sistit antica non nomen modo, sed et effigiem C. Coelii Caldi, qui tribunus pl. V. C. 647 legem tabellariam a L. Cassio Longino ante sexennium latam, ut in denariis Cassiae diximus, ampliavit. Nimirum cum Cassius in judiciis publicis tabellam populo in suffragia dedisset, perduellionis tamen judicium excepit, cujus nunc in hac quoque causa potestatem nova lege fecit Coelius, ut docet Cicero b): *Vno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat, perduellionis. Dedit huic quoque judicio Coelius tabellam, docuitque, quoad vi-*

a) De Invent. L. II. c. 9. b) de Legib. L. III. c. 16.

xit, se, ut opprimeret C. Popilium, nocuisse et reip. Vidimus in denariis Cassii tabellae inscriptum A. C. id est: A*bsolvo* C*ondemno*, at in his L. D. id est: L*ibero* D*amno*, de quo vide plura apud Pighium [a]). Ea lege gratiam a populo inivit, factumque, ut in consulatus petitione V. C. 660 ipse homo novus candidatos alios facile superaret, ut iterum testatur Cicero [b]). Exinde videtur missus pro consule in Hispanias, et tum virtutem militarem comprobasse, quod tacentibus historicis docent numi, in quibus vexillum cum vocabulo truncato HIS*pania*, et arma Hispanica. Ad eandem regionem pertinet etiam aper, qui eodem modo ex hastili praefixus gestatur ab equite in numo Hispanico apud Morellium [c]). Ex numis Cluniae a Florezio vulgatis apparet, aprum fuisse hujus urbis insigne, super quo argumento vide etiam, quae a me in numis autonomis Galbae Augusti disserentur, et dicta jam sunt ad eosdem Cluniae numos, et in prolegomenis ad numos Galliae. Quare animal istud in Coelii numis signatum forte memoriam revocat Cluniae ab eodem aut captae, aut ad obsequium reductae, aut insignis facti ad eam urbem patrati, quod discutere supervacaneum tacentibus historicis.

In aversa sistitur C. CALDVS. IMP. A. X., quam inscriptionem Havercampus ad eundem Caldum cos., cujus caput anticam occupat, refert. At ego desidero exemplum nominis unius ejusdemque viri in utraque numi facie expressi. Quisquis ergo fuit hic Caldus, ex epigraphe certum fit, fuisse eum IMP*eratorem*, A*ugurem*, X*virum agris dividundis*, cumque epigraphe literis perpendicularibus secundum longitudinem tropaeorum exarata sit, apparet, ad hunc C. Caldum ipsa haec tropaea pertinere, et adludi ad victoriam, ex qua imperator est acclamatus. Neque plus constat de L. CALDO. VII. VIR*o* EPVL*onum*. Praeclaram lectisternii imaginem hi denarii exhibent. De lectisterniis et epulonibus, qui secundum Festum Iovi ceterisque diis epulum indicendi potestatem habuere, vide, quae tradunt rituum R. interpretes. In numo quoque Hadrumeti Byzacenes Fabius Maximus dicitur VII. VIR. EPVLO. In infimo numi margine notatur CALDVS. IIIVIR. monetalis, qui majorum suorum insignes honores resuscitavit.

Caput Solis in numo postremo secundum Havercampum adludit ad ejus astri cultum, in Hispania, ut ait, celebrem, quod aegre probat. Praeplacet vetus sententia Pighii [d]), quam adoptavit etiam Vaillantius, etsi auctorem dissimulet, qui in hoc typo usitatam ad nomen adlusionem videt; nam sive *Coelum* respicias, sol per *coelum* gyrat, sive *Caldum*, sol *calorem* efficit. Apposite huc Varro [e]): *Comitiis cum SOLE CALDO ego, et Q. Ascius senator tribulis suffragium tulissemus etc.*

---

a) Ann. T. III. p. 135. b) de Petit. cons. c. 3. c) Num. Hisp. num. 17. d) T. III. p. 136. e) de L. L.

COMINIA.

Plebeia. ΕΠΙ. ΚΟΜΙΝΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ. ΚΥΠΡΙΩΝ. in numo Cypri, quam vide.

CONSIDIA.

Plebeia. Cognomina *Nonianus*, et *Paetus*.

Nonianus.

C. CONSIDI. NONIANI. S. C. *Caput Veneris laureatum, et margaritis distinctum.*

Templum in vertice montis, cui inscriptum ERVC., *ipse mons moenibus cinctus.* AR. C. Quem aureum Frölichius ex museo Caes. promulgavit, certe spurius est.

Litigant antiquarii, an hoc typo templum Veneris Erycinae, quod erat in Sicilia antiquissimum, ac donis opulentum, indicetur, an unum ex binis Romae erectis, quorum unum in jugo Capitolino stetit [a]), aliud prope portam Collinam [b]). Vero propius est, designari in hoc denario Siculum, quod impositum arduo monti et propugnaculis munitum, ut ipsa numi imago exhibet, copiosa veterum testimonia docent. Fuit illud Romanis apprime charum, quoniam a Segestanis, qui Trojani domo fuere, conditum, neque alia causa fuit, cur ei reficiendae studiosius incumberent Tiberius et Claudius, ut perhibent Tacitus, et Suetonius. Sane Diodorus Siculus multum extollit senatus R. curam ditando, et exornando huic Siciliae templo impensam [c]). Videtur adeo stante adhuc rep. aliquid liberalitatis S. C. in illud collatum, ejusque reficiendi cura demandata Considio cuipiam, quod scriptores dissimulavere.

* * *

Paetus.

Hujus denarii obvii nihil observatu dignum offerunt. Epigraphe: C. CONSIDI. PAETI. vel: C. CONSIDIVS. PAETVS. Typi: *Caput Veneris laureatum*, quale in numis Noniani. ✠ *Sella curulis.* Vel: *Caput Veneris, rarius Palladis.* ✠ *Victoria in citis quadrigis.* Havercampus, qui typum Victoriae ad victoriam Africanam revocat, meras conjecturas obtrudit.

AR. C.

---

a) Liv. L. XXII. c. 10, et L. XXIII. c. 30. 31. b) Liv. XL. 33. Ovid. Fast. L. IV. 871, ubi vide notam Caroli Neapolis, et Strabo ad Ericem. c) L. IV. c. 83.

COPONIA.

Patriciane fuerit, an plebeia, non satis exploratum. Istud certum teste Cicerone [a]), T. Coponium Tibure profectum Romae consedisse. Dictos olim fuisse Cauponios, testantur marmora Tiburtina, quae recitat Havercampus. Sed et dixere veteres, et ipse Cicero, *copo* pro *caupo*, et dicebatur *copa* cauponis uxor. Vide lexicographos.

C. COPONIVS. PR. S. C. *Clava erecta cum spoliis leonis*, *hinc telum*, *illinc arcus*.

Q. SICINIVS. IIIVIR. *Caput Apollinis diadematum*, *infra astrum*. AR. RR.

Havercampus cum primum edixisset [b]), τo PR. legendum *praetor*, subinde se retractat [c]), et legendum adserit PR*imus*, sic ut Q. Sicinium, et C. Coponium Primum fuisse IIIviros monetales statuat. Nulla istud veri specie, cum literae PR. fere tantum *praetorem*, rarius *praefectum* soleant, indicare; deinde cum nullum in hoc denario curtatum sit nominis vocabulum, non erat ratio, cur nomen *Primus* curtaretur. Accedit, quod nullo monumento probari potest, fuisse Coponiis cognomen Primi. At memoratur a Cicerone C. Coponius, qui *praetorio imperio* classi Rhodiae praefuit, quo tempore bellum civile Caesarem inter et Pompejum exarsit, quique hujus partium fuit [d]), cum qua aetate numi fabrica egregie conspirat. Additum S. C. probat, ex S. C. aliquid molitum C. Coponium, ad quod perficiendum publice suppeditata et cusa pecunia curante istud Q. Sicinio IIIviro monetali. Herculis arma haud dubie ad Coponium Tibure oriundum pertinent, quo in oppido magni Herculi honores sunt habiti, unde et *Herculeum* dictum Propertio [e]), et Tibure fuisse fanum Herculis, testatur Strabo.

CORDIA.

Gens vix cognita. Cognomen *Rufus*.

RVFVS. IIIVIR. *Capita Dioscurorum*.

MAN. CORDIVS. *Mulier stans*, *cujus humero noctua insidet*, *d. bilancem*, *s. hastam transversam*. AR. R.

RVFVS. S. C. *Caput Veneris*.

MAN. CORDIVS. *Cupido delphino vectus*.

RVFVS. *Noctua galeae insistens*.

MAN. CORDIVS. *Aegis inserto Medusae capite*. AR. R.

MAN. CORDIVS. *Caput Solis radiatum*.

RVFVS. *Aquila stans expansis alis*. Quin. (Mus. Caes.) RRRR.

---

a) Pro Balbo c. 23. b) in fam. Copon. c) in fam. Sicin. d) de Divin. L. I. c. 32. ad Attic. L. VIII. ep. 12. e) L. II. eleg. 32.

MAN. CORDIVS. *Caput Veneris.*
RVFI. *Cupido saltans d. corollam, s. palmae ramum.* Sestert. (Liebe Goth. p. 228.) RRRR.

MAN. COR - - *Galea.*
RVFVS. *Idem Cupidinis saltantis typus.* Sestert. (Mus. Com. Vitzai.) RRRR.

Numi hi ut varietate typorum jucundi, ita animadversionum inopes. In denario I. finguntur Dioscuri, qui aliis dei Penates videntur, nullo certo inter utrorumque capita discrimine, ut dicetur in gente Sulpicia. In ejus aversa creditur expressa Aequitas, sed cur huic insideat noctua, causam non habeo. Cum denarius alter in Veneris typis occupetur, censet Havercampus, quem veteres conjecturarum glandes delectant, fuisse hunc Cordium IIIvirum tempore I. Caesaris, perinde quasi huic uni jus in hanc amoris praesidem fuisset. Quinarius musei Caes. istud peculiare habet, quod pro sueto quinariorum typo aquilam offert. In hoc caput anticae dixi esse Solis, nisi quis malit illud propter aquilam aversae Iovis Axuris putare, quem fuisse quoque imberbem et radiatum, docebit denarius gentis Vibiae. Postremum numum dixi sestertium fide praestantis Liebei, quam confirmat numus postremus, hic quoque sestertius, quem vidi ipse, et qui typis suis junctos Palladis, et Veneris honores testatur.

CORNELIA.

Gens cum patricia, quae clarissimos reip. viros dedit, tum plebeia. Cognomina magnopere varia, ex quibus in moneta R. habentur *Balbus*, *Blasio*, *Cethegus*, *Cinna*, *Cossus* (olim, sed in numis Lentuli praenomen), *Faustus*, *Lentulus*, *Scipio*, *Sisenna*, *Spinther*, *Sulla.* In numis Cretae argenteis *Lupus*, in Carthaginiensibus *Dolabella.*

* * *

Balbus.

Ad illustrem patriciorum gentem non pertinuere Balbi, nam horum primus L. Cornelius Balbus Gaditanus domo fuit, et quod praeclare se in bello Sertoriano gessit, a Pompejo civitate donatus est, peregrinitatis deinde accusatum defendit Cicero, cujus adhuc exstat oratio. Dictus vero est L. Cornelius, ut existimat Manutius [a]), a L. Cornelio Lentulo, qui Balbo civitatis beneficium a Pompejo impetravit, quique serius, belli civilis alterius tempore, consul fuit. Adoptatus a celebri Theophane Mytilenaeo Theophanis quoque nomen sumpsit [b]). Ad maximos subinde honores evectus, et ipsum consulatum suffectum, quem iniit V. C. 714, primo exemplo ejus honoris in hominem extra Italiam natum collati. Ejus

a) Ad Ciceron. pro Balbo c. 8. b) Capitolin. in Balbino, Cic. pro Balbo c. 25, ad Attic. L. VII. ep. 7.

etiam ex fratre nepos clarae memoriae, qui de Garamantis victis triumphavit V. C. 735. Vide numos Gadium. Balbi senioris vitam eleganter scripsit Nauzeus a).

C. CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput Octaviani nudum.*

BALBVS. PRO. PR. *Clava.* AR. R.

Ad Balbum seniorem pertinet hic denarius, quem pro praetore missum in provinciam, incertum quam, circa annum V. C. 713 docet numus, consulatum anno sequente aditurum. Neque numis suis caret junior, sed apud Gades signatis, quas vide. Clava partis aversae haud dubie adludit ad Herculem Gaditanum fama inclytum.

* * *

Blasio, gens patricia.

CN. BLASIO. CN. F. *Caput, ut videtur, Martis imberbe galeatum, superne* X, *pone spica, caduceus etc.*

Bacchus adversus nudus stans d. thyrsum, s. strophium et fascem sagittarum, quem adstans ad sinistram Pallas coronat; ad dexteram stat mulier alia d. hastam puram tenens, in area ramus palmae, spica etc. vel literae Graecae A. Θ. Π. Τ. Φ. *in imo* ROMA. AV. (B. L. T. XXX. p. 363.) RRRR. AR. C.

In aeneis: C. BLAS. — P. BLAS. — CN. BLASIO. CN. F. — BLASIO. CN. F. CN. N., suntque R.

Divinare, ad quos Blasiones varii hi numi pertineant, conjectorum opus esto, quibus huic numorum classi inde a principio liberaliter semper fuit provisum. In definiendo aversae signo medio ejusque attributis inter eruditos non satis convenit, cum tamen certum Bacchum faciant thyrsus et sagittae, quas cinnamomi aridi fruticem inconsulte admodum dixit Vaillantius. Bacchum sagittis armatum non modo comprobant numi Maroneae Thraciae, sed et Pallas his verbis eum ad fortiter dimicandum cohortata b):

Πῆ σέθεν ἄλκιμα θύρσα καὶ ἀμπελόεντες ὀϊστοί.

Vbi tui validi thyrsi, et viteae sagittae.

Coronatur a Pallade ob relatam de Titanibus victoriam, et belli gloriam ad ipsos orbis terminos propagatam. Vtrumque numen hoc cultu sive Romae, sive in Graecia publice fuisse propositum, arguit onyx musei Caesarei arte mirabili exscalptus, qui exhibet Bacchum simillimum thyrso et sagittis armatum, et ab adstante Pallade coronatum, quemque alibi copiosius explicui c). Quae sint mulieris tertiae in hoc consortio partes, ignoro.

* * *

Cethegus gentis patriciae.

EX. S. C. *Caput muliebre tectum galea superne in gryphi caput exeunte, juxta* X.

CETHEGVS. *Vir nudus tectus galea in pilei Phrygii modum formata citato hirco vectus d. ramum, infra* ROMA, *omnia intra coronam hederaceam.* AR. RRRR.

Rarissimus hic denarius ab uno an-

a) B. L. Tom. XIX. p. 327. b) Nonnus Dionys. L. XXX. v. 259. c) Choix. de pierr. grav. p. 46.

tehac Goltzio conspectus editusque, deinde repertus etiam a Morellio, eidemque probatus, et bis ostensus [a]) fecit, ut insignis hic vir aliique nostris studiis dediti mitius de reliquis Goltzii figmentis sentirent, qua in causa quale sit meum judicium, alibi ex proposito discussi [b]). Quis fuerit hic Cethegus, aeque incertum, atque quis sit mirus utriusque partis typus, et piget commemorandis inanibus aliorum conjecturis paginam implere.

* * *

Cinna gentis patriciae.

CINA inscriptum assibus, semissibus, trientibus. AE. R.

* * *

Cossus gentis patriciae. Vide infra in *Lentulus*.

* * *

Dolabella gentis patriciae. Ejus mentio in numis Carthagini tributis, quos vide.

* * *

Faustus, vide infra post Sullam.

* * *

Lentulus gentis patriciae.

Caput Iovis laureatum.

CN. LENTVLVS. *Aquila fulmini insistens.* AV. RRR.

G. P. R. *Caput barbatum diadematum, pone sceptrum.*

CN. LEN. Q. EX. S. C. In aliis: LENT. CVR. X. F. EX. S. C. *Sceptrum intexta corona, globus, gubernaculum.* AR. R.

Protome Martis galeata cum hasta tergo obverso.

CN. LENTVLI. *Victoria in citis bigis.* AR. R.

Caput Iovis.

CN. LENT. *Victoria tropaeum coronans.* Quin. R.

CN. LENT. in assibus et semissibus. AE. RR.

Ad quos numi hi omnes Cn. Lentuli nomine inscripti sint referendi, otiosum inquirere. Ex his explicandi soli:

Denarii loco II. positi, quorum antica exhibet G*enium* P*opuli* R*omani* eodem cultu, quo fingitur in denariis autonomis Augusto imperante cusis, quos recitabimus in hujus numis anni V. C. 734, et in denariis autonomis imperii Vitelliani, exhibetur etiam in numis Augusti et Galbae, sed sic, ut utriusque imperantis lineamenta distincte exprimat. Constat ex Dione, stetisse Romae sacras huic deo aedes [c]). Idem tibi genius mox infra in numis Lentuli Spintheris redibit. Ex parte aversa, componendo utriusque denarii epigraphen, palam fit, hunc Cn. Lentulum EX. S. C. fuisse constitutum CVR*atorem* X. (denariorum) FL*andorum*, de quo vide, quae diximus in Prolegomenis superioribus p. 64.

* * *

NERI. Q. VRB. *Caput barbatum, pone harpa.*

L. LENT. C. MARC. COS. *Aquila legionaria inter duo vexilla, quorum uni inscriptum* H, *alteri* P. AR. R.

L. LENT. C. MARC. COS. *Caput juvenile promissis crinibus.*

Iuppiter nudus stans d. fulmen, s. aqui-

---

a) Specim. p. 238, et in num. Famil. b) in Proleg. gen. Vol. I. p. CXLI. seq. c) L. XLVII. §. 2.

lam, in area hinc ara luculenta, illinc astrum, et Q. AR. C.

Caput nudum barbatum.

L. LENTVLVS. C. MARC. COS. *Diana Ephesia cum adminiculis.* AR. RR.

Triquetra inserto Medusae capite et spicis.

LENT. MAR. COS. *Iuppiter stans d. fulmen, s. aquilam, in area culter incurvus.* AR. R.

Annus V. C. 705 horum numorum natalis, qui consules habuit C. Claudium Marcellum, et L. Cornelium Lentulum in his numis memoratos. Enato tum Caesarem inter et Pompejum bello in Graeciam metu profugi Italiam turpiter prodidere. Consulis in magistratu numis inscripti rarum stante rep. exemplum. Verisimile esse, hos denarios signatos Apolloniae Illyrici, dixi supra capite VI.

Denarium I. explicatum vide in gente Neria. Numi II. et III. Siciliam respiciunt. Eam certe indicat triquetra notum insulae symbolum. Adsentior etiam Havercampo, qui in numo II. caput juvenile promissis capillis esse Iovis Hellenii, et Iovem partis aversae Eleutherium erudite conjicit, quo utroque nomine Iovem Syracusis eximie cultum ex harum numis constat. At quod idem literam Q esse vetus *Koph* Phoenicium conjicit, positumque in hoc numo ad indicandam Syracusarum a Corintho tractam originem, id longius arcessitum, et ab hujus aevi moribus alienum, magisque adridet sententia Vaillantii, etsi imperite prolatam dicat Havercampus, statuentis esse literam ἀρχαιεστην verbi *Quaestor*, cum toties eam in numis sic debere expleri in confesso sit. Neque etiam denarii hi, quod typos Siculos habent, necessario in Sicilia sunt signati; nam possunt adludere ad M. Marcellum Syracusarum debellatorem, qui fuit ex majoribus C. Marcelli nostri non unico hoc in sequioribus Marcellis exemplo, ut in gente Claudia vidimus. Cujus sit caput barbatum numi postremi, et quae causa insertae illi Dianae Ephesiae, dicere non habeo.

* * *

AVGVSTVS. *Caput nudum.*

L. LENTVLVS. FLAMEN. MARTIALIS. *Vir seminudus stans d. Victoriolam, s. hastam imminente capiti astro, coronatur ab adstante viro togato clypeum humi attinente.* AR. R.

Existimat Havercampus, exhiberi Lentulum flaminem, qui Augusti nomine statuam I. Caesaris, cujus capiti Iulium sidus imminet, in templo Martis Vltoris dedicat tenens d. clypeum votivum. Haec nullo certo argumento satis probata, qui volet, credat. Explicationem qua mihi satisfactum putem, praesto ipse non habeo. L. Lentulum, filium *flaminis*, hoc nostro vetustioris utique, memorat Cicero [a]).

* * *

Lentulus Spinther.

Caput nudum barbatum, pone OSCA. *In aliis:* Q. S. C.

P. LENT. P. F. L. N. *in aliis:* P. LENT. P. F. SPINT. *Vir barbatus velatus seminudus sedens in sella curuli d. cornucopiae, s. hastam et d. pede globo insistens coronatur ab advolante Victoria.* AR. R.

a) Ad Quintum fr. L. III. ep. 1. §. 5.

Serpens ex cista promicans intra coronam hederaceam.

P. LENTVLVS. IMPERATOR. *Duo serpentes exsurgentes, in area* ΑΠΑ. *vel* ΛΑΟ. Sunt cistophori. AR. RRR.

In Spintheres divisa fuit Lentulorum familia nomine tracto a quodam Spinthere histrione, cui L. Lentulus simillimus fuit, et qui, quod mirere, non dubitavit, tractum a similitudine turpicula nomen nominibus reliquis sociare, numisque inscribere. Factum lepidum iisdem paene verbis perhibent Val. Maximus a), et Plinius b). Quo tempore consules fuere Lentulus et Metellus, (fuit is annus V. C. 697.) duorum simul consulum imagines in scena spectatas, binis histrionibus productis Spinthere et Pamphilo, quorum ille Lentulum, hic Metellum referebat; ex illo Lentulum revera Spintheris nomen traxisse, ex altero Metellum quoque habiturum fuisse nomen Pamphili, nisi jam habuisset alterum cognomen Nepotis. Ceterum etsi veram esse demus eam agnominis Lentulo dati causam, certum est ex sequentibus denariis, Lentulum jam ante suum consulatum Spintheris nomine usum.

Denarii loco I. descripti offerunt caput nudum barbatum, quale occurrit in obviis drachmis Hispaniensibus, ac praeterea OSCA, quod fuit nomen praeclarae Tarraconensis urbi. Satis igitur causae, cur signati in Hispania credantur. Et vero constat, hunc Lentulum V. C. 695 Hispaniam citeriorem pro praetore sortitum, de quo vide Pighium. Quin et ipse hic Lentulus, ubi I. Caesaris maxima in se beneficia commemorat, haec deprecandae salutis causa profitetur c): *se per eum in collegium pontificum venisse, provinciam Hispanicam ex praetura habuisse, in petitione consulatus ab eo fuisse sublevatum.* Ex quo efficitur, Lentulo praetore, ejusque nomine hos in Hispania signatos numos, addito etiam OSCA, nempe urbis nomine, in qua malleum experti sunt. Pro hoc in aliis legitur: Q. S. C., nempe *Quaestor* provinciae, quiscunque is fuit Lentulo additus, eos ex S. C. feriundos curavit. Sic et in numis Cn. Lentuli supra citatis CN. LEN. Q. EX. S. C. Caput anticae verisimile est esse veteris herois indigenae. Herculis ipsius censet Havercampus Hispaniensi cultu propositi. Caput simile, adscripto item OSCA, objiciunt denarii Domitii ex eadem causa, ut dicetur. Errare illos, qui numos hos memoratum toties Livio argentum Oscense putant, dixi in Prolegomenis ad numos Hispaniae. Pars aversa sistit genium P. R. Talis nimirum comprobatur ex descriptis supra denariis Cn. Lentuli, in quibus juxta caput barbatum diadematum adstituta hasta scriptum legitur G. P. R. Eundem genium P. R. comprobat etiam cornucopiae, quod manu sinistra praefert, nam illud ei datum quoque videmus in numis Augusti, quos recitabo ad annum V. C. 734, et in numo Galbae cum aversa MARTI. VLTORI. Patet adeo ex his numis, quod supra innui, Lentulum jam ante suum consulatum Spintheris nomen sibi proprium fecisse.

a) L. IX. c. 13. 4. b) L. VII. p. 379. c) Caesar B. C. L. I. c. 22.

Numum alterum, etsi peregrinum, historiae causa connectere placuit. Idem hic P. Corn. Lentulus Spinther ex consulatu, quem gessit V. C. 697, provinciam Ciliciam sortitus eam triennio administravit, bello cum hostibus, incertum quibus praeclare gesto ab exercitu *imperator* dictus, acto etiam ex eo triumpho, ut testantur epistolae Ciceronis ad hunc Lentulum datae, et confirmat numus praesens. Praeclari hi numi cusi sunt Apameae et Laodiceae Phrygiae, ut dictum in tractatu de Cistophoris. Idem hic Lentulus V. C. 705 una cum Domitio imminenti ex Gallia Caesari resistere a Pompejo jussus desperato successu sese et Corfinium eidem dedidit [a]). Veniam a victore nactus hujus iterum hostes sectatur, irrisus merito, quod pontificatum max. contra aemulos Domitium et Scipionem inter gravissimas verborum contumelias sibi deposcere attentavit, quo tempore duces Pompeji in castris ad Pharsalum munia Caesaris velut jam victi inter se partiti sunt [b]). Quo magis mirere Havercampum adserentem, Lentulum hunc a Caesare Corfinii venia donatum deinceps Puteolis in villa sua tranquille usque ad ejusdem Caesaris mortem vixisse [c]). Post cladem ad Pharsalum in Asiam fugam intendit, exclusus a Rhodiis [d]), receptus tamen serius [e]), quam deinde fortunam habuerit, non satis constat. Fuisse ex iis unum, qui per id bellum occubuere, innuit Cicero [f]), qui eum omnibus, quibus potuit, laudibus semper extulit, appellando *parentem ac deum suae vitae*, *fortunae*, *memoriae*, *nominis* [g]), quod ejus ab exilio revocandi in consulatu princeps auctor exstitit.

* * *

CASSI. IMP. LEIBERTAS. *Caput Libertatis in aliis velatum, in aliis nimbo redimitum.*

LENTVLVS. SPINT. *Guttus et lituus.* AR. R.

BRVTVS. *Securis, capeduncula, secespita.*

LENTVLVS. SPINT. *Guttus et lituus.* AR. R.

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput nudum.*

LENTVLVS. SPINT. *Guttus et lituus.* AR. R.

Patris monetam excipiunt numi filii P. Cornelii Lentuli Spintheris. Ejus primum meminit Dio, cum datum illi in fraudem legis auguratum persequitur [h]): *Lex aperte prohibebat, ne duo quidam ex una gente idem sacerdotium haberent. Spinther autem consul filium suum Cornelium Spintherem inter augures referre cupiens, cum in eum ordinem jam ante Faustum Sullae F., qui ex gente itidem Cornelia erat, adscriptum videret, suum filium in Manlii Torquati genus adoptandum dedit, eoque modo verbis quidem observata lex, ipsa autem re dissoluta est.* Factum istud V. C. 697 in consulatu patris Spintheris. In bello civili Pompeji partes secutus his eversis impetrata venia in urbem rediit, compertoque,

a) Caes. B. C. L. I. c. 22. b) Ibid. L. III. c. 83. c) pag. 116. d) Cic. ad fam. L. XII. ep. 14. e) Cic. ad Attic. L. XI. ep. 13. f) in Bruto c. 77. g) ad Quir. post redit. c. 5. h) L. XXXIX. c. 17.

Caesarem a conjuratis interfectum, his sese impudenter miscuit, tanquam ipse caedis particeps fuisset, in cujus communionem admissus nunquam fuit [a]). Continuo post ex S. C. in Asiam pro quaestore pro praetore profectus, ut vectigalia in potestatem redigeret, et Dolabellam hostem reip. judicatum persequeretur [b]). Indicto subinde Caesaris percussoribus bello suae ipse salutis causa Bruto Cassioque adhaesit, ut docent propositi denarii.

Haec enarrata priores duos numos plene explicant. At eos Vaillantius et Havercampus cum Spintheri patri tribuunt, magno se piaculo obstringunt. Causa abnormis peccati fuit, quod credidere, patrem fuisse, qui Caesaris se percussorem ferebat, eumque item, qui ex S. C. missus in Asiam sese deinde cum Bruto et Cassio conjunxit. At enim an verisimile, non tam, virum consularem et triumphalem ex S. C. proquaestore propraetore in provinciam mitti, quam hominem provectae jam aetatis, cujus obtentu quinque retro annis sibi prae aemulis pontificatum max. deberi acriter contendit [c])? Quid vero ad patrem propositus in his denariis lituus, quem augurem fuisse non constat? Pontificem eum tantum appellat Cicero [d]), et alio loco [e]), cum ejus pontificis munia persequitur, haec ait: *te appello, Lentule, tui sacerdotii sunt thensae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeque ludorum publicorum.* Augur si fuisset, num tacuisset Cicero volatum praepetum, garritum oscinum, pullorum pastum, tripudium solistimum, quae observari augurum fuit? At vero filium augurem diserte dixit citatus supra Dio. Patrem etiam ac filium memorat Cicero, cum narrat, profligato in Thessalia Pompejo illum Rhodi, hunc Alexandriae commoratum [f]). Quid multa? patrem per bellum Pompejanum mortuum supra ex ipso Cicerone indicavi. Tamen filio negare ausi non sunt numum postremum, qui ante annum V. C. 727 propter additum Augusti titulum signari non potuit. Quo tum in munere constitutus denarium hunc ferierit, decidere vereor. At en tibi iterum Vaillantium et Havercampum, IIviros in muneribus dividundis exercitatissimos paratissimosque. Fuisse ab Augusto constitutum IIIvirum monetalem confidenter adserunt. Ergo is, qui V. C. 697 fuit augur, 710 pro praetore Asiam rexit, tandem post annum 727 admotus ab Augusto est muneri, quod principium fuit remp. adeunti, et cui aetatis annus XX. jam suffecit? Adoptatum a Manlio ex Dione vidimus, verum nulla in his denariis ex quacunque causa ejus adoptionis vestigia.

* * *

Cossus Lentulus.

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput Augusti.*

COSSVS. CN. F. LENTVLVS. *Statua equestris viri galeati paludati d. tro-*

---

a) Appian. B. C. L. II. b) Cic. ad Fam. L. XII. ep. 14. 15. c) Caes. Bell. civ. L. III. c. 83. d) de Harusp. resp. c. 6. e) ibid. c. 10. f) ad Attic. L. XI. ep. 13.

paeum tenentis, in ejus basi prora navis. AR. RR.

Restitutus etiam a Trajano. AR. RRR.

AVGVSTVS. COS. XI. *Caput laureatum.*

M. AGRIPPA. COS. TER. COSSVS. LENTVLVS. *Caput Agrippae corona turrita intextis navium rostris redimitum.* AR. RRR.

Restitutus etiam a Trajano. AR. RRR.

Fuit olim Cossus cognomen Corneliae, et memorantur stante rep. plures Cornelii Cossi praeclaris factis inclyti. At Augusti aevo divisa Lentulorum familia harum una cognomen Cossi in praenomen vertit, cujus exempla instituti plura recenset Spanhemius a), et luculentum supra vidimus in Aemilio, qui Paulli cognomen in praenomen vertit dictus Paullus Aemilius. Deinceps non in his modo numis, sed et in marmoribus, quae recitat Havercampus b), reperiuntur Cossi Lentuli, et a Dione ad annum V. C. 753 proditur consul *Cossus Cornelius Cn. F. Lentulus* c), quem fuisse eum ipsum, qui pluribus antea annis hos denarios feriundos curavit, ipsa epigraphes concordia facile persuadet. Signari non potuere ante annum V. C. 731, quo tandem Augustus consulatum XI. iniit, neque serius anno 742, quo Agrippa diem obivit.

Pars aversa numi prioris sistit insigne Cossorum decus A. Cornelium Cossum, qui V. C. 326 Lartem Tolumnium Vejentium regem in praelio ipse interfecit, et primus a Romulo detracta ei spolia opima Iovi Feretrio obtulit, quod narrat Livius p), et Propertius e). Verisimile, ei propterea statuam equestrem publice positam, quam denarius hic exhibet. Praeclare advertit Spanhemius f), recte hoc veteris Cossi factum cum capite Augusti jungi, quia hic imperator teste Livio g) aedem Iovis Feretrii refecit. Expressae in basi navis causa incerta.

* * *

Lentulus Marcellinus.

MARCELLINVS. *Caput nudum imberbe, pone triquetra.*

MARCELLVS. COS. QVINQ. *Marcellus spolia opima ad templum Iovis Feretrii gestans.* AR. C. Restitutus item a Trajano. AR. RRR.

Caput Herculis juvenis nudum cum clava et exuviis leonis, infra ROMA, *in area clypeus, et solitaria litera alphabeti jam Latini, jam Graeci.*

LENT. MAR. F. *Figura alte succincta stans capite turrito d. hastam coronatur ab adstante viro seminudo s. cornucopiae tenente, in area eadem litera, quae in antica, omnia intra coronam.* AR. C.

Marcellinos binae gentes suppeditant, Claudia et Cornelia. Priorem habemus ex Livio h) memorante praetorem M. Claudium Marcellinum ad annum V. C. 569, a quo eodem denarium priorem in quaestura sua cusum conjicit Pighius i), quae conjectura certe nimio fallit, cum similium numorum tota ratio et labor perelegans tam remo-

a) Tom. II. p. 36. b) Pag. 136. c) Epit. ad lib. LV. d) L. IV. c. 20. e) L. IV. eleg. 11. v. 23. f) Tom. II. p. 224. g) Lib. IV. c. 20. h) L. XXXIX. c. 23. i) T. II. p. 274.

tum aevum fastidiat. Quoniam in nonnullis Livii codicibus hoc loco pro *Marcellinus* legitur *Marcellus*, ac posteriorem hanc lectionem non pauci eruditi adprobant, res semper incerta erit, utrum revera exstiterint Claudii Marcellini. Certe praeter Livianum hunc Marcellinum nullus alius in gente Claudia proditur. Existimat Pighius, qui lectionem *Marcellinus* sequitur, aliquem in familiam Claudii Marcelli adoptatum denarium hunc cum honorifico Marcellorum typo feriundum curasse [a]). Stomachatur hanc sententiam Havercampus, quia, ait, si is in familiam Claudiam transivisset, non vocaretur Marcellinus ex cognomine Claudiorum, sed productum haberet nomen ejus gentis, ex qua in Claudiam migravit [b]). Verum istud, si adoptatus ex aliena gente in Claudiam transivit; sed quid, si hic adoptatus ex familia Claudia Marcellorum in aliam ejusdem gentis Claudiae migravit? Cum igitur tum Claudianus dici non potuerit, fieri poterat, ut Marcellinum se diceret ad indicandam familiam, unde processit, quod jam suspicatus est Dukerus [c]). Simili ratione habemus in eadem Postumiorum gente et A. Postumium *Album*, et A. Postumium *Albinum*, quod nomen ex similis generis adoptione natum licet suspicari.

Gens Cornelia Marcellinos habuit certos Lentulum Marcellinum, quem Pighius V. C. 696 praetorem Syriae ex Appiano constituit, et P. Cornelium Lentulum Marcellinum consulem V. C. 737, ex quo efficitur, Marcellum aliquem a Lentulo quopiam adoptatum cognomen Marcelli in Marcellinum produxisse. Marcellum a Lentulo adoptatum hausere eruditi ex Cicerone [d]): *M. Marcellus Aesernini pater non ille quidem in patronis, sed et in promptis tamen, et non inexercitatus ad dicendum fuit, ut filius ejus P. Lentulus.* Marcellus filium Lentulum habere non potuit, nisi in Lentulorum familiam per adoptionem translatum, adoptante, ut leviter conjicit Pighius [e]), P. Lentulo Sura.

Huic ergo Lentulo Marcellino, aut quod malim, hujus filio tribui vulgo solet numus ex propositis prior inscripto MARCELLINVS, cujus typos, cum ad Claudiam Marcellorum pertineant, jam in hac praecepi. Denarius alter obvius, et per varias alphabeti literas multiplex offert epigraphen: LENT. MAR. F., quam sic explet Vaillantius, et Havercampus: LENT*ulus* MAR*cellini* F*ilius*. At cui in hac sententia mirum non videatur, Lentulum filium, qui perinde ac pater dictus erat Lentulus Marcellinus, sese in numo vocare Marcellini filium? Romani, cujus essent filii, indicavere addito patris praenomine, cum idem uterque non semper habuerit, non cognomine, vel agnomine, quod utrique fuit commune. Quod si quis patrem suum per cognomen enunciavit, certum argumentum adoptionis, per quam utriusque cognomina variant. Quare nescio, an non

---

a) l. c. b) Pag. 89. c) ad cit. loc. Livii. d) in Bruto c. 36. e) Tom. III. pag. 283.

magis praeferenda lectio LENT*ulus* MAR*celli* F*ilius*, ipso Cicerone facem praeferente, qui nobis loco citato Lentulum Marcelli filium diserte commonstrat. Sententiam meam invicte stabiliunt numi inscripti ALBINVS. BRVTI. F., nimirum ut dicetur in gente Iunia, D. Brutus ab A. Postumio Albino adoptatus hujus lege adoptionis se dixit Albinum, at praeterea Bruti filium, ut cujus esset filius natura, intelligeretur. Contende cum hoc Albini numo numum Lentuli nostri, et nihil superėrit dubii. Eodem modo in marmore Reinesii legitur: P. CORNELIVS. PAVLI. F. SCIPIO. AFRICANVS [a]). Typum aversae sensus perobscuri explicare non tento. Ad cujus palatum faciunt conjecturae longe petitae, adeat notos IIviros.

* * *

Lentulus Lupus, cujus mentio in numis Cretae. Vide prolegomena ad numos hujus insulae.

* * *

Scipio gentis patriciae.

Caput laureatum, in area literae alphabeti, si non habentur in aversa.

L. SCIP. ASIAG. *Iuppiter in citis quadrigis d. fulmen vibrat, s. sceptrum, in area litera alphabeti, si non habetur in antica.* Sunt serrati omnes, et C.

Est hic L. Cornelius Scipio consul V. C. 564, cui populus tum demum Graeciam, bellumque cum Antiocho M. gerendum decrevit, cum P. Africacus frater major legatum se cum fratre consule iturum in senatu dixisset [b]). Eodem anno victo ad Magnesiam Syro et ed pacem adacto, ipse, *ne cognomini fratris cederet, Asiaticum se appellari voluit*, ut ait Livius, qui toto libro XXXVII. bellum istud ac triumphi magnificentiam describit. Partum bello cognomen hi quoque denarii confirmant, non tamen sine eruditorum dissensu. Pighius cum in suis ASIAC. legeret, dictum putavit *Asiacum* [c]). Verum alias diximus, veteres Romanos in scriptura saepe C et G permutasse. Morellii iconismi omnes habent ASIA. G. puncto elementum G praecedente, quo vero is modo epigraphen hanc expleverit, ignoro, neque magnopere moror, cum in integerrimis septem et viginti numis musei Caesarei luculentum legatur ASIAG. vel ASIAC. nullo puncti vestigio, quo adeo loco Morellii notam adcurationem desidero. Id vocabulum haud dubie ASIAG*enes* legendum; nam Livius, qui loco supra citato Scipionem hunc *Asiaticum* vocat, eundem infra *Asiagenem* dicit: *in equitatu recognoscendo L. Scipioni Asiageni ademptus equus* [d]). De quo vide plura in subjectis huic Liviano loco eruditorum notis. Sed in epitaphio mausolei Scipionum nuper Romae reperti legitur: CORNELIVS. L. F. L. N. SCIPIO. ASIAGENVS. Videntur numi hi signati ex divite praeda eo bello capta, ut in donativum militi cederent, cui magnam post triumphum erogatam pecuniam tradit Livius.

---

a) Syntagm. Tom. I. p. 409. b) Cic. Phil. XI. c) Tom. II. pag. 293. d) L. XXXIX. c. 44.

* * *

Sisenna gentis patriciae.

SISENA. *Caput Palladis alatum, in area* X *et* ROMA.

CN. CORNEL. L. F. *Iuppiter in citis quadrigis fulmen in subjectum Gigantem vibrat, per aream capita Solis, Lunae, et duo astra.* AR. R.

SISENNA. APRONIVS. A. A. A. F. F. in minutis aeneis sub Augusto signatis. C.

Monstrum quadrigis subjectum inconsulto ab antiquariis Triton vocatur, cum certus sit Gigas inferne in binos dracones abiens, de quo abunde olim disputavi in meis Numis veteribus pag. 231. De Iove Tritoni inimico nihil tenemus, at Iuppiter *clarus Giganteo triumpho* cui non dictus? Similem Iovis ex quadrigis pugnam offert insignis gemma opus Athenionis, quam vulgavit Winkelmannus [a]). Ventis igitur ferendas dedere conjecturas eruditi, quas ad explicandum hunc typum per vim huc adegere, qui ceterum symbolicus totus videtur, et notare seditionem aliquam Romae feliciter sopitam, perinde ac Iuppiter Gigantes rebelles perdomuit.

* * *

Sulla gentis patriciae.

Caput Palladis alatum, pone X. P. SVLA. *Victoria in citis bigis, infra* ROMA. AR. R.

P. SVLA in assibus. R.

Sulla dictator, et Faustus filius.

L. Cornelius Sulla virtute per bella Iugurthinum, Cimbricum, sociale insigniter comprobata consul V. C. 666, cum decretam sibi provinciam Asiam bellumque Mithridaticum agente P. Sulpicio tribuno pl. in C. Marium transferri videret, admoto ad urbem exercitu Marium vincit ejicitque, et rep. ut libuit ordinata anno proximo adversus Mithridatem proficiscitur, eumque victo in Graecia tribus praeliis legato Archelao ad pacem compellit. Cum inter haec urbs a Marii factione misere vexaretur, eo progressa impotentiae, ut Sullam hostem reip. judicaret, hic redux cruento ad ipsa urbis moenia praelio victor in adversas partes inaudita crudelitate saevit proposita publice proscriptionis tabula, creatusque dictator perpetuus V. C. 672 leges alias fert novas, alias antiquat, tribunorum potestatem evertit, et de Mithridate insignem triumphum agit. Constituta, ut visum, rep. post biennium sponte dictaturam abdicat, factusque privatus, reliqua vita in otio, ac quod mirere, impune exacta, infausto morbo, pediculis toto corpore enatis exstinguitur V. C. 676, amplissimo funere senatoribus lectum subeuntibus deportatus in campum Martium, omniumque ordinum stipatus praesentia rogo impositus. Vir ut in maximis reip. putandus, sic propter crudelitatem, quam vindictae studio post victoriam exercuit, memoriae detestandae, quique primus experimentum dedit, posse rei summam ad unius principatum devolvi. Vitam scripsit Plutarchus.

Faustus filius in bello civili Pompeji

a) Monum. ant. n. 10.

partes secutus, cujus gener fuit, post infelicem ad Pharsalum pugnam in Africam ad Scipionem elapsus, victis hic iterum Pompejanis captus in tumultu militum interfectus est, caede, ut creditum, a Caesare imperata. Alia, quae ad utriusque historiam pertinent, dicentur ad ipsos numos.

* * *

L. MANLI. PROQ. *Caput Palladis alatum.*

L. SVLLA. IMP. *Sulla in quadrigis triumphalibus d. caduceum, quem advolans Victoria coronat.* AV. RRR. AR. R.

Caput Palladis galeatum, quod a Victoria retro stante coronatur.

SVLLA. IMP. *Sulla paludatus stans s. parazonium dexteram jungit cum milite adstante, et s. hastam tenente, pone navis, e qua Sulla egressus videtur.* AR. RRR.

L. SVLLA. *Caput Veneris, ante quod Cupido stans d. oblongum palmae ramum tenet.*

IMPER. ITERVM. *Guttus et lituus inter duo tropaea.* AV. RRR. (Pembrock.) AR. C. Omnes, quot viderim, sunt operis rudis, et videntur fusi.

A. MAN - - - *Caput Palladis.*

L. SVLL. IMP. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AV. RRRR. (Pembroek tab VIII.) In alio cum simili utrinque typo, si modo certae fidei, epigraphe anticae est: A. MANLI. A. F. Q., aversae: L. SVLLA. FELIX. DIC. et hic AV. (Venuti duoden. nomism. expos.)

Sunt hi soli Sullae denarii eo vivente percussi. Primus videtur proponere insignem triumphum, quem dictator de Mithridate egit. De typo numi II. quid statuam, in incerto sum. Quae antiquarii hactenus attulere, non satisfaciunt. Numus III. magis in animadversiones patet. Caput Veneris in antica ponitur, quia teste Plutarcho [a]. Martem, Fortunam, *Venerem* tropaeo inscripsit. Cupido cum palma facile Venerem Victricem notat. Et vero hanc referente Plutarcho [b]) singulari cultu prosecutus se ex ejus nomine Επαφροδιτον, quod Latine verteres *Venustum*, appellavit. Verba ejus sunt: τοις δε Ελλησιν ὑτως ἐγραψε: Λυκιος Κορνηλιος Συλλας Επαφροδιτος, και τα παρ' ἡμιν ἐν Χαιρωνειᾳ τροπαια, και τα των Μιθριδατικων ὑτως ἐπιγεγραπται. *Ad Graecos vero sic scripsit: L. Cornelius Sulla Venustus, et tropaea, cum quae apud nos sunt Cheronaeae, tum Mithridatica sic inscripta sunt.* Adoptati hujus cognominis meminere etiam Diodorus Siculus [c]), et Appianus [d]). Addit idem, Veneri ab eodem dona missa addito epigrammate, dedicare ea Veneri Sullam imperatorem, quod illam secundum quietem viderat milites obeuntem, iisque Martiis indutam armis immixtam. Reliqua, quae ad hoc Επαφροδιτυ nomen pertinent, mox infra ad nomen *Felicis* notabo. Bina tropaea partis aversae denotant binas victorias, quas V. C. 667 de Archelao Mithridatis duce ad Thurium montem, et in campis Chaeronensibus retulit, ex quibus et bina tropaea fuisse erecta ex Plutarcho discimus [e]). Ex geminis his victoriis fuisse

---

a) In Sulla p. m. 464. b) de Fortun. Rom. pag. 318. c) L. XXXVII. eclog. 2. d) Bel. civ. c. 97. e) in Sulla p. 464.

dictum IMPER*atorem* ITERVM, ipsa hujus denarii epigraphe satis docet, quo videtur erroris convinci Dio adserens, ex Romanorum instituto de eodem bello semel tantum, non saepius imperatoris nomen adsumi, questus, eam legem a Claudio infractam [a]). Cum omnium confessione denarius hic cusus sit vivo Sulla, isque guttum et lituum, auguratus certa insignia, offerat, patet, augurem fuisse Sullam, perinde ac serius filium Faustum. Sacerdotio fuisse praeditum, tradit Appianus [b]).

Numus IV. aliis omnibus museis ignotus videtur a Cicerone lucem mutuari, qui meminit statuae equestris inauratae L. Sullae positae [c]). A. Manlius, cujus hic numus meminit, videtur is idem, qui C. Marii legatus in bello Iugurthino fuit, et ab hoc una cum Sulla nostro ad regem Bocchum pacis cum Romanis cupidum missus est [d]). Serius ergo videtur adhaesisse Sullae. Aurei hi tres numi solitum et praescriptum aureorum pondus nimio excedunt, quod ut excuset Nauzaeus, existimat, esse eos ex eorum genere, qui imperante in Graecia Sulla, et procurante Lucullo, unde et *pecunia Lucullea* dicti sunt, in Peloponneso signati fuere [e]). Forte in moneta Lucullea, de qua loquitur Plutarchus [f]), certius putandi sunt ii, quos loco III. proposui, quod, ut dixi, operis sunt hiulci, et facile castrense opus referunt.

* * *

SVLLA. COS. *Caput imberbe nudum.*

RVFVS. COS. — Q. POM. RVFI. *Caput imberbe nudum.* AR. R.

- SVLLA. COS. — Q. POMPEI. *Sella curulis, hinc lituus, inde corona.*

RVFVS. COS. — Q. POMPEI. Q. F. *hinc telum, illinc ramus.* AR. R.

Vterque hic denarius sistit par consulum, L Corn. Sullam, et Q. Pompejum Rufum, qui una processere V. C. 666, et prior ipsa etiam utriusque capita. Volupe est videre in hoc denario effigiem Sullae, cujus conspecto vultu Chalcidensis quidam φυσιογνωμων, ut refert Plutarchus [g]), fieri non posse ajebat, quin summus hic vir futurus esset, mirari etiam se, qui ferre possit, se nondum in civitate esse primum. Reliqua, quae ex numo non apparent, idem perhibet [h]), oculos glaucos, eosque amaros ac truces, faciem rubro alboque colore variam. Alibi comam auri colore rutilantem memorat [i]). Non esse numos hos vivo Sulla signatos, non modo eo certum, quod vetitum erat vivi imaginem numis inferre, sed etiam constabit eo, quod mox dicetur.

Q. Pompejus Rufus conlega, cujus caput aversa sistit, in ipso consulatu caesus est a Cn. Pompejo Strabone indignato, quod exercitum, cui per bellum sociale praefuit, eidem tradere jubebatur [k]), atque is paullo ante necem

a) L. LX. c. 21. b) Bell. civ. L. I. c) Phil. IX. c. 6. d) Sallust. Bell. Iug. Appian. Excerpt. 28. de legat. e) B. L. Tom. XXX. p. 572. f) in Lucull. p. 492. g) in Sulla p. 453. h) l. c. p. 451. i) l. c. p. 454. k) Appian. Bell. civ. L. I.

filium suum Quintum, eumque Sullae generum in C. Marii, et Sulpicii tribuni pl. turbis caesum vidit a). Hujus Quinti filius, et per matrem Sullae nepos temporibus Clodianis et ipse turbulentus tribunus pl., cum monetae praefectus esset, utrumque creditur denarium signasse, et utrumque avum, paternum, maternumque, et gestum una consulatum in eo proposuisse. In denarii primi lectione, et quod sequitur, explicatu mirus est eruditorum dissensus. Morellius legit: Q. POM. RVF. P., et Havercampus in suis ad eum commentariis b) legit: Q. POM*pejus* RV*fi* *Filius*, quin ullam addat causam aberrantis a Morellii pictura explicationis. Idem repetit in gente Pompeja c), *sed in denariis non F, sed P esse videtur, ut in pictura Morellii.* Concludit subinde: *verum non errabimus forsan, si legamus:* Q. POM*pejus* RVF*us*, P*ater*, *atque ita statuamus, Q. Pompejum nepotem universum familiae suae decus hoc denario expressisse, et avorum quidem, ut in consulatu collegarum facies et nomina, patris vero duntaxat nomen.* Haec ille contra Vaillantium, qui et in Cornelia et Pompeja legit: Q. POM. RVF. F. et quod mirere, in utraque pictura P pro F obtrudit. Vrsinus quoque, et auctor Theupoli Q. POM. RVF. F. scripsere. Harduinus legit: Q. POM. RVF. P., et tamen mox explicat: *Q. Pompejus Rufi filius* d). Lubet tantorum virorum antilogiam mirari, qui aliud scribunt, aliud legunt. Recurramus ad ipsos fontes. In duobus integerrimis musei Caesarei legitur distincte: Q. POM. RVFI, et quod sequitur, neque P, neque F. In denario altero utrum scriptum hinc Q. POMPEI. RVF, inde Q. POMPEI. Q. F. ad unum eundemque Rufum referatur, utrum diversi duo intelligantur, ambiguum. Vide in ejus explicatione misere se torquentem Havercampum. Sella curulis indicat supremum consulatus honorem, lituus Sullae auguratum, de quo ad numum praecedentem, reliqua attributa incerta.

* * *

FEELIX. *Caput regis diadematum promicante e genis lanugine, amictu leonino ad collum in nodum collecto.*

FAVSTVS. *Diana in citis bigis d. flagellum in litui formam effictum, in area tria astra.* AR. R.

FAVSTVS. *Caput Dianae imminente lunula, pone lituus.*

FELIX. *Vir togatus sedens, cui vir flexo uno genu ramum porrigit, adest vir alter eodem situ, sed manibus retro ligatis.* AR. R.

Caput Veneris, juxta globus.

Vir humi decumbens adsistentibus Diana et Victoria palmae ramum tenente. AR. RRR.

Caput Veneris laureatum, pone sceptrum, et S. C.

Monogramma constans literis FAVST. *Tria tropaea, hinc guttus, illinc lituus.* AR. R.

Caput Herculis imberbe leonis rictu tectum, pone monogramma

---

a) Ibid. et Liv. epitom L. LXXVII. b) pag. 122. c) pag. 342. d) Hist Aug. pag. 690.

FAVST. *et* S. C. (*in aliis hoc monogramma abest.*)

Quatuor corollae globum ambientes, infra acrostolium, et spica. AR. R.

En numos a Fausto filio signatos, qui fere in patris laudibus occupantur. Caput numi I. inde a Seguino esse Iugurthae creditum [a]), verius est Bocchi Numidiae regis, cujus benevolentiae multum debuit Sulla in bello Iugurthino C. Marii quaestor, dum sibi Iugurtham socerum a Mario victum, et apud generum salutem quaerentem vinctum tradidit. Eo honore elatus Sulla rei totius gestae imaginem annulo insculpi jussit, ut narrat Plutarchus primum in libro de reip. ger. praec. p. 806, deinde in vita Marii, at liberalius in Sulla p. 452. Addo verba: *ἐις τȢτο φιλοτιμιας προηλθεν, ὡςε γλυψαμενος ἐν δακτυλιῳ φορειν ἐικονα της πραξεως, και ταυτῃ γε χρωμενος ἀει διετελεσεν. ἡν δε ἡ γραφη Βοκχος μεν παραδιδȣς, Συλλας δε παραλαμβανων τον ΙȣγȣρΘαν. Eo progressus est ambitionis, ut facti hujus sculptam in annulo gestaret imaginem, qua etiam constanter deinde usus est. Exprimebatur sculptura Bocchus tradens, Sulla accipiens Iugurtham.* Idem refert Val. Maximus [b]). Praeterea Bocchus in gratiam Sullae signa victoriae (Plutarchus in Sulla *ἐικονας τροπαιοφορȣς*, et in Mario *Νικας τροπαιοφορȣς* appellat) in Capitolio dedicavit, juxtaque Iugurtham aureum, ut Sullae ab se fuerat traditus, narrante istud iterum Plutarcho [c]). Immodici hi honores graviter pupugere Marium, quod suis detrahere laudibus viderentur, cum suo tamen auspicio res gesta esset, aemulatione non multo post toti imperio fatali. Argumentum istud eleganter expressum sistit denarius sequens.

FEELIX et FELIX uterque prior denarius inscribit, nomen ad Sullam pertinens. Hanc sibi appellationem, quod perpetua omnibus in rebus usus esset felicitate, ipse sibi dedit teste Plutarcho [d]). Quare et Appiano dicitur *ἐυτυχεςατος ἀνδρων, ὡσπερ και ὠνομαζετο, felicissimus hominum, quam et appellationem tulit* [e]). Et testatur Plinius [f]), *unum hominum ad hoc aevi FELICIS sibi cognomen adseruisse L. Sullam.* Nomen istud privatim sibi datum, subinde reliquis ejus titulis publice fuisse additum Appianus auctor est, cum scribit, ei statuam equestrem auratam in rostris positam hoc epigrammate: *Cornelio Sullae imperatori Felici* [g]). Sed et Sullam adhuc vivum Cicero *felicem* dixit [h]). Et vero sic erat animo comparatus Sulla, ut factorum suorum gloriam omnem acceptam referret fortunae, nihil sibi, aut consilio, et quod in dedecus vertunt alii, de fortuna gloriaretur etiam [i]). Idem ut fortunae ac felicitati faustitatem quoque sociaret, non modo *Faustus* etiam est appellatus [k]), sed idem quoque nomen liberis, quos eodem partu uxor Metella edidit, filium Faustum, filiam Faustam vocando im-

---

a) Num. sel. p. 218. b) L. VIII. c. 14. 4. c) in Mario et Sulla. d) in Sulla p. 473. e) Bell. civ. L. I. c. 105. f) L. VII. c. 44. g) Bell. civ. L. I. c. 97. h) Pro Rosc. Amer. c. 8. i) Plut. in Sulla p. 454. k) Appian. l. c.

pertivit [a]). En tibi Sullam Felicem non modo dictum, sed etiam omnium sententia habitum, cum illustrius felicitatis exemplar anteactae reip. tempora non haberent, si tamen felicitas dicenda est, posse, quidquid velis, qua insigni et digna philosopho sententia Sullae historiam absolvit Appianus [b]). Habemus ergo tria haec nomina, *Felicis*, *Epaphroditi*, *Fausti*, quibus Sullam gloriatum fuisse tradit Appianus [c]), ipsis etiam numis confirmata. Addit, reperisse se in commentariis, qui tradant, eum ex S. C. Επαφροδιτȣ nomen abstulisse, et mox infra ait, *Fausti* nomen ad vim nominis Επαφροδιτȣ, *venusti*, proxime accedere. Praeclare utriusque vocabuli adfinitatem comprobat Spanhemius, cum ait [d]), *Epaphroditum* Graecis esse eundem, qui Latinis *Felix*, seu *Venustus*, a felicissimo *Veneris* jactu in talorum lusu. Vnde et *invenustus* et *infelix* conjungit Terentius [e]):

Adeon' hominem invenustum esse, aut infelicem quemquam, ut ego sum?

Scriptum FEELIX pro FELIX errorem monetarii facit Havercampus, quod certissimus est archaismus. Nam si istud, etiam lapsus est monetarius scribendo VAALA pro VALA in numis Numoniae. Ex Dianae typo in his denariis arguit Havercampus, eos in Sicilia signatos, quod facere solet, quotiescunque in numis Dianam videt, perinde quasi ignotum in urbe, et neglectum numen istud fuisset. Vera causa, cur in Sullae numis existat, patebit ex numo sequente. Morellium reprehendit Havercampus, quod flagellum Dianae bigis vectae figura litui expresserit, perperam, nam in numis ipsis, quod Diana dextera praefert, certissimam habet litui formam, neque hic absque causa, quaecunque ea fuit, huic deae videtur commissus, cum et in denario II. ejusdem capiti adstitutus compareat. Verisimile, eo adludi ad auguratum, quo Faustus ipse praeditus fuit teste Dione [f]).

Denarius III. sistit Venerem Sullae amicam, ut in praecedentibus docui, aversa Dianam Sullae per somnium visam, hortantemque, ne dubitaret Romam contendere facta ejus occupandae spe, quod argumentum jam habes adfatim explicatum in numis Aemilii Bucae.

Denarium IV. etsi a Fausto percussum non abnuat Havercampus, tamen typos non ad Sullam, sed Pompejum M., cujus Faustus gener erat, refert, et partem quidem anticam ad aedem Veneris Victricis a Pompejo dedicatam, tria tropaea ad annulum Pompeji, cui tria tropaea insculpta fuere teste Dione [g]). Sed non video, cur recurrendum sit ad Pompejum socerum, cum utriusque partis typus Sullae patri omni jure competat. Pietatem Sullae in Venerem satis in praecedentibus vidimus. Neque minus Sulla, quam Pompejus, annulo usus est tribus tropaeis insignito. Diserte enim Dio loquens de annulo Pompeji [h]): ἐνεγεγλυπτο δε ἐν ἀυτῳ τροπαια τρια, ὡσπερ και ἐν τῳ τȣ

---

a) Plut. in Sulla p. 473. b) Bell. civ. L. I. c. 105. c) l. c. c. 97. d) T. II. p. 74. e) Andr. Act. I. sc. 5. f) L. XXXIX. c. 17. g) L. XLII. c. 18. h) l. c.

Συλλϰ, *in eo autem insculpta fuere tria tropaea, ut in annulo Sullae.* At, inquies, secundum ea, quae supra ex Plutarcho docuimus, in hoc scalptus erat Bocchus Iugurtham tradens. Non inficior; verum idem Plutarchus etiam Pompeji tropaeis adversatur, qui annulo Pompejo exanimi detracto insculptum fuisse ait leonem, qui ensem tenet [a]). Ex quibus testimoniis, si modo non fallit alteruter auctor, istud tenemus, et Sullae, et Pompejo binos varii argumenti fuisse annulos, ut Augusto per intervalla fuere tres teste Suetonio, atque uti tria tropaea in Pompejo notare videntur ejus victorias per tres orbis partes relatas, sic eadem numero in Sulla indicare tres ejus de Archelao victorias ad Chaeroneam, Thurium, Orchomenum, quanquam etiam indicari possunt tropaea in Sullae gratiam in Capitolio dedicata, de quibus actum supra, et quae memorantur adhuc in tabula aenea honestae missionis sub Domitiano: ROMAE. IN. CAPITOLIO. POST. TROPAEA. edente cl. Cajetano Marino [b]). Guttus et lituus, qui tropaeis adstituuntur, pertinent ad Fausti auguratum supra ex Dione adsertum.

Denarii postremi argumentum iterum Havercampus Vaillantium secutus ad Pompejum revocat, et capite leonis exuviis tecto partis anticae exhiberi putat Alexandrum M. et quidem *sine dubio et collatis ejus regis numis*, cui praeeunte Plutarcho similis habitus fuit Pompejus. Quatuor coronas capit de totidem triumphis ex victoriis per tres orbis partes, et victoria praedonum actis. Quod hic tam confidenter adfirmat, rursum infra elevat [c]), ubi in hujus numi capite potius videt Augustum Alexandri vel Herculis specie, et coronas ad hunc ipsum imperatorem pertinere adserit. Vah! ubi nunc ille Alexander ex ejus ipsius numis tam confidenter adsertus? Siccine vir bonus tam facile vadimonium deserit tanto prius hiatu constitutum? Credamus ergo potius, proponi caput Herculis juvenis, quod eodem omnino cultu existit apud Morellium in numo II. gentis Voltejae, ex quacunque causa illud Faustus monetae intulerit.

CORNVFICIA.

Gens plebeia.

Caput Ammonis.

Q. CORNVFICI. AVGVR. IMP. *Vir velatus et togatus stans d. lituum coronatur ab adstante Iunone Sispita s. clypeum ancili similem, cui avicula insidet, tenente.* AV. (Baudelot Hist. B. L. T. III. p. 187.) RRRR. AR. RR.

Protome muliebris elephanti exuviis tecta, pone duo jacula.

---

a) In Pomp. sub fin. b) Giorn. di Pisa T. XIV. p. 291. c) pag. 450.

Eadem aversa. (Pembrock P. III. tab. 9.) AR. RRRR.

Caput Cereris.

Eadem aversa. AR. RRR.

Restitutus etiam a Trajano. AR. RRR.

In denarios hos prolixe commentatur Baudelotius, qui primus aureum hujus gentis vulgavit, a quo tamen in nonnullis dissentire cogor. Hic. Q. Cornuficius I. Caesaris partes secutus ab hoc anno V. C. 706 in Illyricum pro praetore missus strenue barbaros ultus est a), ac forte ex ea causa *imperatoris* dignitatem, qua in his numis gloriatur, abstulit. Missus deinde in Syriam testibus Ciceronis epistolis, quarum plures liber XII continet. Post Caesaris caedem Africam veterem pro praetore rexit. Subinde cum stare pro rep., quam parere IIIviris mallet, a Sextio, quem Octavianus Africae novae praefecit, bello petitus, victusque et interemptus est b).

Caput barbatum cornutum Baudelotius nequaquam Ammonis putat, sed Fauni, cujus sententiae ut adseclas sit habiturus, magnopere vereor. Propter Ammonem Havercampus priorem denarium in Africa percussum putat, quam sententiam esse veram, non modo comprobat illud, quod rexisse eum Africam constat, sed etiam caput elephanti pelle tectum, quod fuit alterum Africae symbolum. Ex typo Iunonis Sispitae arguunt eruditi, fuisse Cornuficium domo Lanuvinum. Augurem eum comprobat non modo inscriptum AVGVR., et quod ipse habitu augurali effictus adstat, sed etiam quod a Cicerone, qui et ipse augur fuit, in pluribus ad eum datis literis *conlega* salutatur.

COSCONIA.

Gens plebeia.

L. COSCO. M. F. *Caput Palladis alatum, pone* X.

L. LIC. CN. DOM. *Mars nudus in citis bigis d. hastam intorquet, s. clypeum et lituum militarem.* Sunt serrati, et C.

Exstant denarii copiosi iisdem utrinque typis, et serrati omnes, in quorum omnium aversa legere est L. LIC. CN. DOM. Vnum discrimen facit epigraphe anticae, quae est vel: M. AVRELI., vel: L. COSCO., vel: C. MALLE., vel: L. POMPONI. vel: L. PORCI. LICI., quos omnes potes collectos videre apud Morellium in Domitia. Verisimile adeo, M. Aurelium Scaurum, L. Cosconium, C. Poblicium Malleolum, L. Pomponium, L. Porcium Licinum fuisse IIIviros monetales, quo tempore L. Licinius, et CN. Domitius majore quodam magistratu una functi sunt, quorum adeo jussu diversi hi denarii essent signati. Habemus Cn. Domitium Ahenobarbum, et L. Licinium Crassum censores ad annum V. C. 662, ad quos ex mente Havercampi aversae inscriptio pertinet. Ta-

a) Hirt. Bell. Alex. c. 42. b) Appian. Bell. civ. L. IV.

men horum fabrica numorum, typi, literarum forma et positio, haec omnia si in variis his numis expendantur, altius haud dubie aevum exigunt.

COSSVTIA.

Gentem fuisse equestrem docemur ex Suetonio a), cognomina in numis: *Maridianus*, et *Sabula*.

* * *

Maridianus.

C. MARIDIANVS. *in aliis:* C. COSSVTIVS. MARIDIANVS. A. A. A. F. F. *cum capite I. Caesaris in antica.*

AR. C.

* * *

Sabula.

SABVLA. *Caput Medusae diadematum alatum serpentibus revinctum.*

L. COSSVTI. C. F. *Bellerophon Pegaso vectus hastam intorquet, in area variantes notae arithmeticae.* AR. C.

Cum Medusa rite componitur Pegasus, quem ex ejus defluo sanguine natum fabulatur Hesiodus b). Existimant eruditi, cum Bellerophon sit Corinthiorum argumentum notum signatos hos denarios causa Corinthi, quam V. C. 710. I. Caesar restituendam curavit, et coloniam deduxit. Verum an hujus aevi denariis adhuc notae arithmeticae inscribi sunt solitae? Aetatem certe remotiorem sibi postulant, et ignoramus caussam lecti hujus typi.

CREPEREIA.

Gens equestris teste Cicerone c). Cognomen in numis *Rocus.* Sic dictum Vaillantius putat a *rocca*, quae vox, ut ait, Calepino *colum* notat. Amplexus est conjecturam Havercampus, et promovit etiam nam inde nostrum *Spinnrocken* enatum contendit, quam rarae eruditionis doctrinam fugere lectorem nolui.

Protome muliebris obverso tergo deflua in illud caesarie, in area litera alphabeti, et variantia sigilla.

Q. CREPER. M. F. ROCVS. *Neptunus in bigis hippocamporum, in area eadem litera, quae in antica.* Sunt serrati. RR.

Si laxos Havercampi in Morellium commentarios pervolvas, miraberis, insignis virum eruditionis potuisse tantum tribuere conjecturis aut nullo nixis fundamento, aut quas levissimus halitus facile difflet. Adverte, quae ad hos Creperei numos dictet. Denarius praecedentis Cossutii Sabulae propter typum Bellerophontis certe Corinthum respicit. Atqui et Neptunus hippocampis vectus existit in moneta Corinthi, ergo et hi Crepereji denarii eandem co-

---

a) In Iulio c. 1. b) Theog. v. 280. c) in Verr. L. I. c. 10.

loniam recens a I. Caesare deductam notant. Qua edicta sententia confidenter arguit, Cossutium et Crepereium primos fuisse sub I. Caesare ejus coloniae IIviros, ac denique gloriari se posse arbitratur, huic se denario ignotam hactenus ex historicis lucem adfudisse. Haec ille. Praetereo, quae multa singulari huic doctrinae videri possunt repugnare. Sufficiat dixisse, hos Crepereii numos omnes esse serratos, cujus generis utrum numi aliqui extremo Caesaris anno exstiterint, Havercampus ante comprobet, ac tum, utrum reliquae conjecturae ferri possint, expendemus. In parte antica sisti deam aliquam marinam, propter nexum cum parte aversa nullus dubito. Havercampus certam Venerem Anadyomenen facit persuasus eo, quod hanc quoque in numis Corinthi occurrere statuit, quod ipsum nondum satis exploratum. Eruditi enarratores gemmarum ducis Aurelianensis Leandrum hac protome expressum adfirmant [a]), sed vix persuaserint, nam in parte antica numorum hujus classis vix alia videas capita praeterquam deorum, aut virorum illustrium, aut geniorum, minime vero ejus generis, cujus fuit Leander ab una amoris intemperie cognitus.

CREPVSIA.

Gens in veteribus parum cognita.

L. CENSORIN. *Caput muliebre velatum.*

D. LIMETA. P. CREPVSI. *Mulier in citis bigis.* AR. C.

L. Marcius Censorinus, C. Mamilius Limetanus, et P. Crepusius IIIviri monetales in his denariis propositi videntur.

* * *

Caput juvenile laureatum seu Apollinis, seu Vejovis, pone sceptrum, prae illo minuta sigilla variantia, pone litera alphabeti.

P. CREPVSI. *Eques citato cursu d. jaculum vibrat, in area variae notae arithmeticae.* AR. C.

Horum ratio typorum incerta.

CRITONIA.

Gens plebeia.

AED. PL. *Caput Cereris.*

M. FAN. L. CRIT. *Duo viri togati sedentes, humi spica, in area* P. A. Sunt AR. vix R.

Libera rep. quatuor fuere aediles, duo patricii, totitem plebeii. At I. Caesar in Parthos profecturus V. C. 710 plebeiis alios duos adjecit, quos *Cereales* vocavit, nimirum qui annonae urbis intentius providerent [b]). Cum Dione consentit Pomponius referens, Cae-

a) Tom. I. p. 294. b) Dio. L. XLIII. c. 51.

sarem duos aediles adjecisse, qui frumento praeessent, et a Cerere Cereales appellarentur [a]), qui confirmantur binis marmoribus ab Vrsino citatis, et inscriptis: AEDILI. PLEB. CERIAL. [b]). Fuisse Critonium eodem anno aedilem, docet Appianus, cum refert [c]), Critonium aedilem in solennibus ludis, quos parabat, obstitisse Octaviano, quo minus in iis sellam auream et coronam patri Iulio S. C. decretam proponeret. Et fuisse eum AED*ilem* PL*ebis*, satis docet denarii epigraphe, tum etiam quod sellae vulgari insidet, quando aediles curules curuli usi sunt, a quo honore nomen quoque sunt adepti, quod discrimen maxime patet collatis denariis Furii Crassipedis aedilis curulis. Vide de hoc plura in numis Sulpicii Platorini.

Pars antica exhibet caput Cereris, quod et annonae, et ludorum Cerialium procuratio penes aediles non minus plebeios, quam curules stetit [d]). Cereris etiam sacris plebeios fuisse praefectos, eruo ex Livio [e]): *institutum etiam ab iisdem consulibus* (L. Valerio et M. Horatio) *ut senatus consulto in aedem Cereris ad aediles plebis deferrentur.* Pars aversa aedilem utrumque, M. Fannium, et L. Critonium sistit eodem modo sedentes, quo Pisonem et Caepionem ad FRV*mentum* EMV*ndum* EX. S. C. designatos sedere in numis conspicimus. Literae aversae P. A. varie explicantur. Credo significare idem, quod in denariis gentis Sentiae pluribus literis: ARG. PVB., *argento publico* notatur, quo indicatur, ex argento publico sumptus in annonae procurationem factos.

CVPIENNIA.

Gens parum cognita.

Caput Palladis alatum, ante quod X, *pone cornucopiae.*

L. CVP. *Dioscuri equites, infra* ROMA. AR. C.

C. CVP. in semissibus. RR.

CVRIATIA.

Gens plebeia. Cognomen *Trigeminus.*

TRIG. *vel* TRIGE. *Caput Palladis alatum, prae quo* X.

C. CVR. F. *Mulier in citis quadrigis s. sceptrum, quam stans retro victoria coronat, in imo* ROMA. AR. R.

C. CVR. F. in semissibus, trientibus, quadrantibus. R.

C. Curiatius adoptando cognomen *Trigemini* haud dubie videri volebat a Curiatiis Albanis, qui ab Horatiis Romanis victi Albam Romae ex pacto servire fecerunt, descendere. Curiatios

---

a) De Orig. jur. b) in fam. Fann. c) Bell. civ. L. III. c. 28. d) Cic. in Verr. L. V. c. 14. Dio. L. XLVII. §. 40. e) L. III. c. 55.

hos, quod uno partu editi fuere, dictos *tergeminos*, testatur Plinius [a]). *Tergeminos nasci certum est Horatiorum Curiatiorumque exemplo.* Propius ad hos denarios Columella, memorans [b]) *Albanas Curiatiae familiae TRIGEMINORVM matres.* Si memoratus in hoc denario C. Curiatius idem fuit cum C. Curiatio tribuno pl., qui V. C. 616, quod antehac inauditum, D. Brutum et P. Scipionem consules in vincula conjecit, nihil sane in veterem illam Curiatiorum gentem juris habuit, nam a Cicerone, qui factum istud refert [c]), *homo omnium infimus et sordidissimus* appellatur. Epigraphes C. CVR. F. non satis explicata ratio. Nequaquam probare possum modum, quo ea compendia explicat Havercampus legendo: *Caius* CVR*iatii Filius*, perinde quasi filius Curiatius alium patrem, quam Curiatium habere potuisset. Sane alia fuit Romanis ratio profitendi patris. Videtur melius legendum: C. CVR*iatius Filius*, nam sic etiam habemus in Livineia: REGVLVS. F., in Procilia: L. PROCILI. F., nimirum ut inter patrem filiumque discrimen esset, quod potissimum confirmatur exemplo: MESSAL. F., de quo vide infra in Valerio Messalla.

CVRTIA.

Gens plebeia.

Q. CVRT. *Caput Palladis alatum, pone* X.

M. SILA. *Iuppiter in citis quadrigis d. fulmen intentat, s. sceptrum, superne quid instar litui, infra* ROMA.

CN. DOMI. *Caput Iovis laureatum, pone* S.

M. SILA. Q. CVRTI. *Clava.* Semis.

CN. DOMI. *Caput Herculis imberbe.*

M. SILA. Q. CVRTI. *Arcus, clava, jaculum.* AE. II.

CN. DOMIT. *Caput Apollinis laur.*

Q. CVRT. SILAN. *Lyra.* AE. III.

Verisimile, Cn. Domitium, M. Iunium Silanum, Q. Curtium fuisse una IIIviros forte coloniae deducendae, hosque numos aeneos extra urbem feriundos curasse, quia spectatis typis nihil habent cum reliqua Romanorum moneta aenea commune.

AR. et AE. minus R.

---

a) L. VII. §. 3. b) de Re rust. L. III. c. 8. c) de legib. L. III. c. 9.

DIDIA.

Gens plebeia.

Caput galeatum alatum, in area X, *et* ROMA. *in monogrammate.*

T. DEIDI. *Vir curto habitu, praecinctus parazonio, s. clypeum tenens, et d. flagellum attolens castigat virum nudum et armatum adstantem.* AR. R.

De argumento hujus numi longaeva est inter eruditos lis, et in hunc diem, ut videtur, nondum decisa. Alii ad castigatos bello servili servos, alii ad restitutam a Didio disciplinam militarem, et militem a centurione vite punitum referunt, alii aliud censent, quorum sententias tenui conjectura nixas recensuit Baro Bimardus in parergo de vita, rebus gestis, et numis T. Didii, quin tamen, quas ipse attulit, majoris esse ponderis videantur. Vide et Spanhemium a).

* * *

P. FONTEIVS. CAPITO. III-VIR. CONCORDIA. *Caput Concordiae velatum.*

T. DIDI. IMP. VIL. PVB. *Porticus duplici in altum columnarum serie conspicua.* AR. R.

Omissa antica, quae huc non pertinet, posticam inspiciemus, quae oculis objicit, et inscribit VIL*lam* PVB*licam.* Ejus usum explicat Varro comparando illam cum villa Reatina b). *Haec*, (publica) *quo succedant e campo cives*, *illa* (Reatina), *quo equae et asini. Praeterea cum ad remp. administrandam haec sic utilis, ubi cohortes ad delectum consuli adductae considant, ubi arma ostendant, ubi censores censu admittant populum.* Alium usum memorat Livius c): *Macedones deducti extra urbem in villam publicam, ibique illis locus, et lautia praebita.* Adde alibi Livium d), et Ciceronem e). Causa item hujus typi incerta, ut et illa, quam Bimardus attulit f). De T. Didio IMP*eratore* haec Sallustius apud Gellium g): *magna gloria tribunus militum* (Sertorius) *in Hispania T. Didio Imperatore.*

DOMITIA.

Cognomina in numis: *Ahenobarbus*, cujus originem nominis hanc tradit Suetonius h), et Plutarchus i), ei, qui princeps illud adoptavit, ruri juvenes geminos augustiore forma factos obvios, et imperasse, nunciaret senatui victoriam,

---

a) T. II. p. 229. b) de. R. R. L. III. c. 2. c) L. XXXIII. c. 9. d) L. IV. c. 22. e) ad Attic. L. IV. ep. 16. f) l. c. g) L. II. c. 27. h) in Neron. c. 1. i) in Aemilio.

tum in fidem majestatis adeo permulsisse malas, ut e nigro rutilum, et aeri similem capillum redderent. Mansisse etiam insigne illud in posteris, ac magnam partem rutula coma fuisse, unde eam etiam Tertullianus *barbam tactu irrufatam* dixit [a]). Horum primos fuisse plebeios, certum est ex tribunatu pl., quem gesserunt, adlectos subinde in patricios, eodem loco tradit Suetonius. *Calvini* plebeii. *Corbulo.*

* * *

Ahenobarbus.

AHENOBARBVS. *Caput nudum barbatum.*

CN. DOMITIVS. IMP. *Prora navis, supra quam tropaeum.* AR. R.

Eadem adversa.

CN. DOMITIVS. L. F. IMP. *Templum 4. col., juxta quod:* NEPT. AV. RRR. (Pembrock, Catal. d'Ennery, Comit. de Vitzai. Est etiam in museo Theupoli, sed male descriptus, et Romae in museo bibliothecae Casanatensis.)

ANT. IMP. IIIVIR. R. P. C. *Caput Antonii nudum, pone lituus.*

CN. DOMIT. AHENOBARBVS. IMP. *Prora navis, supra quam astrum.* AV. AR. (Mus. Caes.) Vtrique RRR.

Hi denarii pertinent ad Cn. Domitium ejus L. Domitii filium, qui V. C. 705 I. Caesari Rubiconem transgresso resistere ausus, mox Corfinii se dedere coactus, cumque victoris clementia libertati restitueretur, Pompejum iterum sectatus ad Pharsalum succubuit [b]). Ipse inter conscios Caesarianae necis quanquam insons damnatus lege Pedia ad Brutum se contulit, post cujus interitum commissam sibi classem retinuit tamen, et Octaviani rem maritimam per Ionium vagando, et Italiae litus infestando graviter adflixit. Partibus ubique profligatis V. C. 714 ad M. Antonium sponte transivit, solusque omnium, qui pari lege damnati fuere, restitutus in patriam amplissimos honores est adeptus. Redintegrata dissensione civili sub ipsum belli Actiaci discrimen ab Antonio ad Caesarem transmisit, sive quod sinistrum exitum praevideret, sive, quod Antonius jactabat, desiderio amicae Serviliae Naidis, non tamen diu superfuit, paucis post diebus exstinctus [c]). Fuit hic Neronis abavus [d]).

Ad denarium priorem quod attinet censebat primum Havercampus, Domitium suam ipsius effigiem exemplo Bruti in eo proposuisse. Serius rectiusque se idem retractavit adserendo [e]), caput illud pertinere ad primum Ahenobarbum auctorem stirpis, quia barbam habet, quae hujus aetati non convenit. Navis, templumque Neptuni potentiam maritimam, tropaeum exustas Octaviani triremes indicant. Quare numorum aetas facile ex supra dictis colligitur, uti et numi III., qui praeclare confirmat ea, quae Appianus de ejus ad Antonium transitione memoriae prodidit [f]). Astri, quod in altero hoc denario navi imminet, incerta significatio.

* * *

CN. DOM. PROCOS. in numis coloniae Panormi.

---

a) Apol. c. 22. b) Suet. in Ner. c. 2. c) Suet. in Ner. c. 3. Velleius L. II. c. 84. Appian. Bell. civ. L. V. d) Suet. ibid. e) p. 455. f) Bell. civ. L. V. c. 50. seq.

* * *

Calvinus.

OSCA. *Caput nudum barbatum.* DOM. COS. ITER. IMP. *Instrumenta pontificalia.* AR. RR.

Pertinet denarius ad Cn. Domitium Calvinum, qui consul primum processit V. C. 701, deinde Caesarem dictatorem secutus, eum in Graecia adversus Pompejanos, subinde in Ponto adversus Pharnacem varia fortuna juvit. Consul iterum V. C. 714 ex consulatu Hispaniam sortitus Ceretanos rebelles subegit, et de iis triumphavit [a]. Eadem adversa tam epigraphe, quam typo exstat etiam in denariis Corn. Lentuli Spintheris, quorsum lectorem revoco. Perinde ergo hi numi signati sunt apud Oscam Hispaniae citerioris a Ceretanis Pyrenaei adcolis non multum distantem. Aversa Domitium fuisse pontificatu insignem arguit.

* * *

Corbulo.

Insignis sub Nerone dux. Ejus meminit numus Dioshieritarum Lydiae, quem vide Vol. III. p. 100.

* * *

Domitii incerti.

Caput Palladis alatum additis variis nominibus.

L. LIC. CN. DOM. *Mars nudus in citis bigis d. hastam intorquet, s. clypeum et lituum militarem.* Sunt serrati omnes, et C.

De obviis his denariis egi supra in Cosconia, quo loco ajebam, posse eos referri ad Cn. Domitium Ahenobarbum, qui V. C. 662 censor fuit collega L. Licinio Crasso, etsi istud quoque dubium sit, ut ibi innui.

* * *

Caput Palladis alatum, juxta X. CN. DO. *Dioscuri equites.* — CN. DOM. *Victoria in citis bigis; infra miles leonem adversum hasta petens.* — CN. DOMI. *Iuppiter in lentis quadrigis d. ramum, s. fulmen.*

CN. DOMI. M. SILA. Q. CVRTI. Numos sic inscriptos vide supra in Curtia.

CN. DOMI. — CN. DOME. in semissibus et quadrantibus.

AR. et AE. C.

D V I L I A.

Numi Goltziani.

D V R M I A.

Gens ignota usque ad Augusti aetatem, cujus capite vel inscriptione omnes Durmii denarii insignes sunt.

---

a) Dio L. XLVIII. Velleius L. II. c. 78.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum, vel corona querna redimitum.*

M. DVRMIVS. IIIVIR. *Aper venabulo transfixus.* — *Leo cervum depascens.* — *Pagurus papilionem forficibus retinens.* Hic postremus est AV. RRR. plerique C.

HONORI. M. DVRMIVS. IIIVIR. *Caput juvenile.*

AVGVSTO. OB. C. S. *intra quernam.* AV. — CAESAR. AVGVSTVS. S. C. *Quadrigae lentae, ex quibus superne flos prominet.* — CAESAR. AVGVSTVS. SIGN. RECE. *Parthus genuflexus signum militare offert.* — AVGVSTVS. CAESAR. *Vir in bigis elephantorum d. ramum praetendit.* AV. RR. AR. C.

Aper et leo facilem habent explicatum, nam indicant venationes sumptuosas, quibus Augustum magnopere delectatum pluribus locis testantur Dio et Suetonius. At verum aenigma offert pagurus papilionem stringens. Antiquarii, quibus suum Apollo tripodem benigne indulsit, facile reperere, hoc symbolo exprimi adagium teste Suetonio ab Augusto iterari solitum: *σπευδε βραδεως, ἀσφαλης γαρ ἐστ' ἀμεινων, ἠ θρασυς στρατηλατης, festina lente, dux enim providus praestat temerario* [a]), nimirum papilione celeritatem, paguro tarditatem rati indicari. Sed eidem significatione subjecere etiam numum Octaviani, quem in ejus moneta ad annum V. C. 719 recitabo, qui Hermen fulmini impositum sistit. Quorum sententiae, qui volet, subscribat.

In denariis alteris anticam semper occupat caput HONORIS, perinde ac in numis similibus et eodem tempore signatis Aquillii Flori IIIviri sistitur caput Virtutis. Refert Dio [b]), Augustum V. C. 737 aliqua in ludis Virtuti et Honori sacris immutasse, cujus causa ab Aquillio et Durmio, qui annis annum 734 proxime consequentibus una cum Caninio et Petronio fuere IIIviri monetales, utriusque caput denariis insertum videtur. De Honore et Virtute laxius agetur in numis gentis Muciae. Aversas, quae ad unum Augustum pertinent, explicatas vide in ejus numis ad annum V. C. 734.

EGNATIA.

Gens plebeia. Cognomen in numis *Maximus.*

MAXSVMVS. *Caput Veneris, ex cujus collo pendet Cupido.*

C. EGNATIVS. CN. F. CN. N. *Mulier in lentis bigis capite laureato et velato, quam advolans Victoria coronat, retro pileus.* Sunt serrati, et C.

Quae causa fuerit, cur hic Egnatius Venerem, aut saltem ejus comitem Cupidinem in omnibus suis denariis signaverit, incompertum. Figuram bigis insistentem Havercampus marem dicit, et intrepide L. Sullam adserit. Perperam, nam aversa talis est, qualem recitavi, et mulier bigis vecta verius est Liber-

a) In Aug. c. 25. b) L. LIV. §. 18.

tas, quam exhibet etiam denarius sequens.

* * *

MAXVMVS. *Caput muliebre, pone pileus.*

C. EGNATIVS. CN. F. CN. N. *Duae mulieres galeatae et hastatae stantes, quarum dexterior s. parazonium tenet, et s. pede capiti animalis insistit, ad alteram advolat Cupido, hinc et illinc remus prorae navis infixus, in area variantes alphabeti literae.* AR. C.

Ad hos denarios, quoniam argumentum admodum implexum offerunt, animadvertere nihil lubet, conjecturis qui inhiant, ex Havercampo eas petant. Satis putabam, eos adcurate ex archetypis integerrimis musei Caesarei descripsisse, nam et in hoc video aberrare auctores nostros. Ita, quod mulier pede calcat, Vaillantio est caput bovis, Morellius caput apri pinxit, at recte observat Havercampus, esse simile capiti, in quod litui militares exeunt. Idem perperam Victoriam advolantem facit id, quod luculentus est Cupido, qui alioqui in omnibus Egnatii numis suas habet partes.

* * *

MAXVMVS. *Protome Cupidinis.*

C. EGNATIVS. CN. F. CN. N. *Templum distylum, intra quod stat vir togatus d. hastam, supra quem in epistylio fulmen, adstat mulier manibus expansis, supra quam eodem loco pileus, in area notae arithmeticae.* AR. C.

Obscurum iterum argumentum. Ne tamen dissimulem virorum praestantium oracula, existimant Vaillantius et Havercampus, proponi in aversa Iovem Gamelium, et Iunonem Zygiam, et denarios hos in urbe quapiam Graeca signatos.

EGNATVLEIA.

Gens parum cognita.

C. EGNATVLEI. C. F. *Caput Apollinis infra* Q.

Victoria inscribens clypeo ex tropaeo suspenso, in area Q, *infra* ROMA. Quinarii C.

Numi hujus sensus planus ac obvius. Victoria quinariorum typus constans, litera Q utrinque scripta Quinarium notat. Non sic Havercampus, cui omne illud visum ignavum, quod simplex, indignum adeo, quo suum sese ingenium exerceret. Ergo Q partis anticae explicat *Quaestor*, at alterius Q sensus reconditus, et sibi demum uni repertus. Illo enim in numis multis, quorum catalogum in operis sui indice sub Q adfert, nequaquam Q Latinam, sed vetus Koph Phoenicium exprimi adfirmat obvium in numis Syracusarum, quo tractam Corintho originem indicari constat. Ad eandem ergo legem hos quoque quinarios adigit, adseritque, percussos in Sicilia a C. Egnatuleio Octaviani quaestore, et quidem postquam ex insula pulsus est Sex. Pompeius, cujus causa inserta numo Victoria. Non alia magis res sic me delectat, atque cum intempestivos hos conjectores suis ipsorum possum verbis refutare.

Non uno loco sanxit Havercampus: cum vocabulum ROMA in numo legitur, eum Romae percussum puta. Qua ergo ratione eruditus hic desultor numos hos potest in Sicilia cusos adserere, quorum frons inscriptum luculentum ROMA praefert? Sed de similibus ejus dictatis parum solidis habes plura in Prolegomenis.

Denarium edidit Liebeus [a]), qui hujus Egnatuleii anticam conjungit cum aversa Man. Acilii inscripta: MAN. ACILIVS. IIIVIR. VALETV., in quo certus est monetarii lapsus, aut certa impostoris veteris fraus. Singulare tamen, quod pars una ex quinario, altera ex denario deprompta est. Alius est in museo Caesareo, qui cum adversa Egnatuleii sociat aversam obvii quinarii T. Cloulii, et subaeratus est. Sed his quisquiliis immorari piget.

EPPIA.

Gens non magnopere cognita. Eppium Cicero hominem sui ordinis appellat [b]).

EPPIVS. LEG. F. C. *Hercules Farnesius.*

Q. METEL. SCIPIO. IMP. *Caput muliebre elephanti exuviis tectum, in area spica et aratrum.* AR. R.

Docet numus, Eppium Scipionis legatum in bello Africano contra I. Caesarem stetisse, et in belli usus hos denarios feriundos curasse, quod τῷ F*aciundum*, vel F*eriundum* C*uravit* confirmatum, nisi verius F*landum* C*uravit*, ut in numis Lentuli: CVR. X. FL. Harduinus literas F. C. legit: F*rumento* C*onvehendo* [c]), quod sane minus verisimile, ut et eorum sententia, qui eas ad signum Herculis Eppii sumptibus erectum referunt. Eaedem literae sunt etiam in numis Oppii Capitonis aeneis cum capite M. Antonii, et in numis Vticae.

* * *

Caput geminum Iani media ara, super qua ovum dimidium, cui serpens circumvolvitur.

EPPIVS. *Prora navis, infra* ROMA. AE. I. RRR.

MAGNV. PIVS. IMP. *Typus, qui in praecedente.*

EPPIVS. LEG. *Prora navis.* AE. I. (Mus. Caes.) RRR.

Non pauca docent Eppii numi ab historicis praeterita. Priorem aeneum videmus signatum Romae, haud dubie antequam bellum civile cum Pompejo erumperet. Secutum partes Pompeji, satis colligitur ex citata Ciceronis epistola, qua is M. Eppium *vigilantem hominem et industrium* appellat, et in ejus belli apparatu stetisse Minturnis refert. Elapsum deinde in Africam, et fuisse legatum Scipionis, docuit denarius, at numus postremus arguit, post cladem ad Thapsum evasisse in Hispaniam ad

a) Goth. num. p. 229. b) ad Attic. L. VIII. c. 11. c) Hist. Aug. c. 688.

redintegrandum Pompejorum auspiciis bellum, atque his victis adhaesisse demum, Sex. Pompeio, cujus sese LEG*atum* in numo profitetur.

Pars adversa ob insertam Iani capiti aram cum serpente digna, cui nonnihil immoremur. Idem omnino typus est in aeneis similibus Rubrii Dosseni, et haud dubie utriusque numi eodem tempore sunt signati. Serpente indicari Aesculapium, colligunt eruditi ex numo alio Rubrii aeneo quoque, in cujus aversa similis ara, ovum, serpens, adstituta prora navis, quo typo ajunt indicari Aesculapium serpentis specie ab Epidauro navi in urbem advectum, et fuisse forte Rubriae gentis aliquem inter legatos, qui ad deportandum numen missi fuere. Istud si verum, licebit idem de Eppio quoque conjicere, quoniam utriusque numi ejusdem fere sunt rationis. Praestat interea nihil adfirmare. Inquirendum etiam, cur Aesculapii serpens ovo implexus sit. Varias conjecturas Havercampus ad hunc numum commemorat, quibus recitandis abstineo, quoniam longius arcessitae videntur. Occurrit hoc loco, quod refert Lucianus [a]), praestigiatorem Alexandrum cum persuadere Abonotichitis vellet, natum iterum apud eos Aesculapium, recens editum serpentem excavato multa arte ovo anserino inclusisse, eumque inde protractum adstanti confertae multitudini ostentasse, quo viso adclamatum: enimvero bis natum Aesculapium, idque non ex Coronide, neque ex cornice, sed ex ansere. Videtur vetus aliqua nobisque incomperta fuisse fabula, quae Aesculapii serpentem, aut forte ipsum Aesculapium cornicis ovo inclusum docuerit, nam secus aut Luciani verba, aut Alexandri fraus minus apte cohaerebunt. Vide, quae de serpente, ejusque cum ovo nexu plura ex Aegyptiorum mythologia congessit cl. Schaw [b]).

EPRIA.

Sub Vespasiano primum Eprius Marcellus memoratur, ejusque mentio tanquam proconsulis fit etiam in autonomo aeneo, utroque antehac Cypro insulae tributo, sed quem potius vindicandum Cyme Aeolidis, in hujus numis disputavi, quos vide.

FABIA.

Gens patricia, quin et divina, ducta ab Hercule, si fides Silio Italico [c]). Cognomina in numis: *Hispaniensis*, *Labeo*, *Maximus*, *Pictor.*

---

a) In Pseudomant. b) Voyage T. II. p. 116. c) Punic. L. VI. 627.

* * *

Hispaniensis.

C. ANNI. T. F. T. N. PRO. COS. EX. S. C. *Caput muliebre, prae quo bilanx, pone caduceus.*

L. FABI. L. F. HISP. Q. *Victoria in citis quadrigis.* AR. R.

Denarius hic propositus jam est in numis gentis Anniae, quo loco vide, quae de hoc Fabio Hispaniensi Annii quaestore observata sunt. Hujus familiae modica apud veteres mentio.

* * *

Labeo.

LABEO. *Caput Palladis alatum, in area* X *et* ROMA. In alio: *Caput Iovis laureatum, pone* S. C.

Q. FABI. *Iuppiter in citis quadrigis d. fulmen vibrat, s. sceptrum, infra prora navis.* AR. R.

Denarios hos referunt eruditi ad Q. Fabium Labeonem, qui V. C. 565 tempore belli cum Antiocho M. praetor classem sortitus est, verum facta interim cum Syro pace, ut aliquid tamen egisse videretur, in Cretam appulit, sparsosque per insulam captivos Romanos magnam partem redemit, ac propterea navalem triumphum meruit, de quo Livius L. XXXVII. Eam ob causam prora navis his denariis insculpta creditur.

* * *

Maximus. Pervetustum gentis Fabiae cognomen, sed non primum a Fabio Cunctatore invectum, ut dictavit Polybius homo Graecus [a]), nam fuere Fabii Maximi hoc antiquiores.

Q. MAX. *Caput Palladis alatum prae quo* X, *pone* ROMA. In aliis: Q. MAX. *Caput Apollinis laureatum, prae quo lyra, et* X, *pone* ROMA.

Cornucopiae cum transverso fulmine, omnia intra coronam ex papavere, et spicis. AR. vix R.

MAX. vel: Q. MAX. in assibus, quadrantibus, sextantibus. R.

Cognomen *Maximi* cum pluribus gentibus commune, sed Fabii Maximi saepe Quinti praenomine gavisi sunt. Quare hi numi satis tuto hujus gentis monetae inseruntur. Sed ad quem Maximum referendi sint, omnino incertum.

* * *

ΦΑΒΙΟΣ. Ο. ΜΑΞΙΜΟΣ in numo Hierapolis Phrygiae, editus a Seguino [b]), et restitutus a Morellio.

FA. MAX. COS. PROCOS. VII. VIR. EPVLO in numo Hadrumeti, quam vide.

* * *

Pictor.

Caput Palladis alatum, prae quo variae alphabeti literae, pone X.

N. FABI. N. PICTOR. *Roma galeata sedens d. apicem pontificalem, s. hastam et clypeum, cui inscriptum:* QVIRIN., *in imo* ROMA. AR. C.

Inscriptum clypeo QVIRIN. Vrsinus, Vaillantius, et Spanhemius explevere legendo QVIRIN*us*, et credidere, figurae sedentis typo exhiberi ipsum Quirinum. At vero numi adcurate inspecti non modo mulierem luculentam produnt, sed etiam constat, Quirinum promissa barba proponi solitum, ut videre

a) Hist. L. III. 88. b) Sel. num. p. 99.

est in gente Memmia. Quare, ut recte observat Havercampus, Romae potius simulacrum est, et legendum: QVIRIN*alis*, nempe *Flamen*, ut in numis gentis Corneliae plenius scribitur: L. LENTVLVS. FLAMEN. MARTIALIS. Fabiorum, qui flamines Quirinales fuere, frequens mentio apud Livium, et Val. Maximum. Tamen ad quem Fabium Pictorem denarii hi pertineant, ratio non satis expedita.

Nonnulla etiam ad hujus Fabii nomina animadvertenda. Praefixum N praenomen notat, nempe N*umerius*, de quo sic auctor incertus de Nominibus: *Numerii* (praenomine) *sola patricia familia usa est Fabia*, cujus inditi causam mox subjicit. At qua ratione explicandum sit alterum N, quod nomen FABI. consequitur, non satis adsequor. Elementum illud fugit Vrsinum, et quod magis mirum, adcuratissimum Morellium. Comparet tamen in binis musei Caesarei, et in iconismo Vaillantii, sed qui illius significationem in animadversionibus suis praeterivit. An forte subaudiendum F., sic ut sit: N*umerii* filius? Cognomen *Pictor* tractum a C. Fabio, qui aedem Salutis pinxit V. C. 450, quae pictura duravit in ipsa Claudii tempora, quo imperante fanum arsit, ut testatur Plinius a), qui istud artis experimentum Fabiae genti honorificum censet, longe dissidente Val. Maximo, qui idem factum narrans sordidum istud studium in cive nobilissimo fastidit b).

* * *

Fabii incerti.

Caput muliebre velatum turritum, *pone* EX. A. PV.

C. FABI. C. F. *Victoria in citis bigis*, *infra avis*, *et varians litera alphabeti Latini*. AR. C.

Caput muliebre velatum, *pone varians litera alphabeti jam Latini*, *jam Graeci*.

C. FABI. C. F. *Victoria in citis bigis*, *infra ales similis*. AR. C.

Denarii hi antiquariorum misere torserunt ingenia. Vrsinus eos C. Fabio Pictori consuli V. C. 484 dedicavit, quo anno primum signata moneta argentea teste Plinio, quae sententia vix jam cordato alicui adrideat. Vaillantius cum legeret in Val. Maximo, C. Pictorem legatum missum ad Ptolemaeum Philadelphum, huic denarios hos largitur, et hoc percitus opinionis suae oestro jam omnia in illis Aegyptiaca videt, et quidem in typo anticae caput Alexandreae, in aversa notam avim ibin. Praeterquam quod parum probabilia sunt haec, nituntur etiam in luxata Val. Maximi lectione; nam sana lectio nequaquam Caium, sed N. Fabium Pictorem in legatis numerat, ut docent Criticorum judicia ad hunc Valerii locum c), quod jam vidit Havercampus. Sed et hic suus expedit conjecturas. Iam primum alitem partis aversae struthiocamelum confidenter statuit. Hujus ergo observato volatu augur ipse, ut sperat, minime vanus Africam ejus

---

a) L. XXXV. §. 7. b) L. VIII. c. 14. 6. c) L. IV. c. 3. n. 9.

alitis patriam respicit, et reperit denique C. Fabium cognomento Hadrianum, qui V. C. 670 a Cinna et Carbone cos. propraetore in Africam missus est, ut Metellum Pium, qui eam tum provinciam obtinebat, ejiceret, quod et praestitit. At eum oppidani Vticenses, quod sordido ab eo imperio et incredibili saevitia vexarentur, congestis sarmentis incensisque cum omni familia vivum exussere nulla secuta senatus animadversione. Ad hunc cum praesentes denarios refert, literas EX. A. PV. non interpretatur, ut alii, EX. *Argento* PV*blico*, sed EX. A*uctoritate* PV*blica*, nempe delata a consulibus, et ne quid discordet, caput turritum illi est dea Coelestis, magna religione per eam Africae partem observata. En quanti nisus ad nihil denique solide probandum! Si avis buteo esset, numi hi referri possent ad Fabium quendam, *Buteonem* cognomine. Plinius, ubi accipitrum genera refert [a]), haec de buteone: *buteonem hunc appellant Romani, familia etiam ex eo cognominata, cum prospero auspicio in ducis navi sedisset.* Sane buteonem in his denariis agnovit Vrsinus, jurene, an injuria, aucupum esto judicium, neque lubet in re ambigua et exilis momenti novas veteribus conjecturas addere. Ceterum literas EX. A. PV. idem significare, quod in Sentia ARG. PVB., dubium non videtur.

* * *

Caput Palladis alatum, pone X. C. F. L. R. Q. M. *Victoria in citis quadrigis, infra* ROMA. AR. RR.

Hunc denarium hoc loco commemoro, ut sit aliquo loco, nam literae C. F. non solum *Caius Fabius*, sed et aliter legi possunt, ut et literae sequentes varie possunt expleri. Sed quaecunque his gentes indicantur, videntur esse nomina IIIvirorum monetalium. Vide similem in Marcio Libone.

F A B R I C I A.

Gens plebeia. Cognomen in numo *Paternus*, si fides Vaillantio, ut dicetur.

L. FABRICI. *inscriptum tabellae, supra* PR.
PATE - - *Serpens.* AE. II.

Ita numum proponit Morellius, at in simili altero Vaillantius legit plene PATERNVS, atque istud fuisse cognomen Fabricio adserit. Similis alius exstat in museo Pembrock [b]), sed in antica desunt literae PR, in aversa legitur: P. ATE - - ut adeo, nisi de numi Vaillantiani integritate certi sumus, neque cognomen istud certum praestare liceat.

Quod ad typorum explicationem attinet, refert Dio [c]), anno V. C. 692 pontem lapideum, qui in insulam Tiberinam duceret, exstructum, Fabriciumque dictum esse. Idem testatur inscriptio in utroque pontis latere hodieque exstans, quam correctiorem sic proponit Fabrettus [d]): L. FABRICIVS.

a) L. X. §. 9. b) Part. III. tab. 19. c) L. XXXVII. c. 45. d) Inscript. p. 240.

C. F. CVR. VIAR. FACIENDVM. COERAVIT. EIDEMQVE. PROBAVIT. Quod eidem epigrammati ex Smetio addit Gruterus [a]): Q. LEPIDVS. M'. F. M. LOLLIVS. M. F. COS. EX. S. C. PROBAVERVNT, non reperit Fabrettus autopta navus. Et mirum sane videatur, opus V. C. 692 constitutum tandem V. C. 734, quo Lepidus et Lollius processerunt, probatum fuisse. Ad hunc pontem in Tiberi factum adludere numi epigraphen eo verisimile, quod L. FABRICI. inscriptum legitur tabellae, quales esse solent, quae epigrammata in posteritatis memoriam continent. Amplius istud confirmatur typo serpentis, nempe Aesculapius specie serpentis Epidauro Romam deportatus in ea insula Tiberina, quae Fabricio hoc ponte cum urbe conjungitur, templum habuit, de quo auctores passim. Literarum PR. tabulae imminentium incerta significatio. Ceterum vix credam, numum hunc veram habuisse monetae rationem, eique potius in pseudomoneta adsignandum locum censeo.

* * *

CAIVS. FABRICIVS. *Caput muliebre diadematum.*
C. CONSIDI. *Victoria in quadrigis.* AV.

Numum hunc promulgavit auctor catalogi musei d'Ennery [b]). Vtinam addidisset etiam, ejus antiquitatem esse indubitatam, quae sane multis suspecta videri possit.

FABRINIA.

Gens omnibus veterum monumentis, si numos demas, ignorata.

M. FABRINI. in trientibus et quadrantibus.

FADIA.

Exstant numuli aenei inscripti: L. FAD*ius* addito altero magistratus nomine. Ait ad hunc Havercampus, demonstrari non posse, in municipiis Italicis minutam monetam signatam fuisse. Quare similes numos ad I. Caesaris tempora refert, quibus Fadius IIIIvir monetalis horum numorum auctor videretur. At vero in aliquibus Italiae coloniis signatam fuisse monetam, certum est ex numis Copiae, Valentiae, Brundusii, et Paesti, ad quam postremam certe hi Fadii numi, qui in hac IIvir fuit, sunt referendi. Vide numos Paesti.

---

a) Pag. 160. 3. b) pag. 134.

FANNIA.

Gens plebeia.

Caput Palladis alatum, prae quo X, *pone* ROMA.

M. FAN. C. F. *Victoria in citis quadrigis.* AR. C.

AED. PL. *Caput Cereris spicis redimitum.*

M. FAN. L. CRIT. *Duo viri togati sedentes, in area spica, et* P. A. Sunt AR. fere C.

Denarium alterum vide supra explicatum in gente Critonia.

* * *

C. FAN. PONT. PR. in Cistophoris Trallium, quos vide.

FARSVLEIA.

Gentis hujus non exstat memoria, nisi in aliquot marmoribus, quae recitat Vrsinus. Cognomen *Mensor.*

MENSOR. S. C. *Caput muliebre pone pileus libertatis. In aliis praeterea notae arithmeticae.*

L. FARSVLEI. *Vir galeatus paludatus s. hastam in citatis bigis vectus porrecta dextera virum togatum in currum recipit, infra equos scorpius, aut in hujus locum notae arithmeticae, quando his antica caret.* AR. C.

Vt gens obscura, sic et typi ratio. Hunc esse symbolicum conjiciunt eruditi, et indicari legem Iuliam latam V. C. 664, qua Italis civitas data, quod beneficium recepto in currum socio P. R. adumbrari autumant, favente huic conjecturae etiam dea Libertate, quam antica exhibet. Haec illi. Vt id genus numi sunt obvii, ac viles, ita nonnulli fabricae barbarae non modo per picturae modum, sed etiam per literas distortas et luxatas.

FLAMINIA.

Gens plebeia. Cognomen *Cilo*, vel *Chilo.*

Caput Palladis alatum, prae quo X, *pone* ROMA.

L. FLAMINI. CILO. *Victoria in citis bigis d. lauream.* AR. R.

IIIIVIR. PRI. FLA. *Caput Veneris.*

L. FLAMIN. CHILO. *Victoria in citis bigis d. lauream.* AR. R.

L. CONSIDI. NONIANI. S. C. *Caput Veneris laureatum.*

Eadem aversa. AR.

Caput I. Caesaris.

L. FLAMINIVS. IIIIVIR. *Mulier stans d. caduceum, s. hastam.* AR. R.

Numus ex his prior ut per fabricam et typum capitis galeati alati, ita et per scriptum CILO pro CHILO reliquos aetate praecedit. Veteres prae

aspiratis malebant tenues. Satis nota ex ipsis numis PILIPVS, TRIVMPVS, GRACCVS, quorsum et facit testimonium Ciceronis, quod supra in numis Clodii Pulchri recitavi. Ceterum non solus orthographiae modus, sed hic conjunctus cum veteris rationis typo remotiorem huic denario antiquitatem praestat; nam sub Caesare adhuc dictatore, quin et Augusto viguisse archaismos, lege nova nondum ab omnibus recepta, probant numi imperante Augusto signati, et inscripti GRACCVS. Dixeritne Tullius *Cilo*, an *Chilo*, quo loco ejus meminit [a]), incertum, nam in codicibus legitur utrumque. Appianus scriptor longe inferior habet Κιλλων geminata etiam litera [b]).

Denarius alter inscripto CHILO recentiorem legem sequitur. Fuisse hunc Chilonem sub I. Caesare IIIIvirum monetalem, numus postremus eloquitur. At nondum satis compertus sensus epigraphes IIIIVIR. PRI. FL., qua viri praestantes existimant indicari, post constitutos a I. Caesare IIIIviros monetales Flaminium hunc PRI*mum* fuisse FL*andae* monetae praefectum. Fueritne hic Cilo idem ille, quem refert Appianus [c]), cum egressus e curia intellexisset, se a IIIviris proscriptum, una cum Decio trepide fugisse per portam, et ab hac ipsa fuga facile proditum centurionibus, an forte ejus pater, non satis constat.

Ad numum III. advertit Havercampus, videri Considium et Flaminium eodem tempore fuisse Siciliae quaestores, et Veneris Erycinae templum, de quo egimus in Considia, ex S. C. refecisse. Sed mihi potius videtur facta matricis permutatio, aut numus ipse subaeratus.

FLAVIA.

Gens plebeia. Cognomen *Hemic* - - de quo mox.

Caput Palladis alatum, *pone* X. FLAVS. *Diana in citis bigis*, *infra* ROMA. AR. C.

Vtrum hic antiquae formae denarius ad gentem Flaviam pertineat, dubitari potest. Verisimilius sane, τo FLAVS esse cognomen, scriptumque pro FLAVVS, quomodo et in Grutero legitur P. RVFFIVS. FLAVS. pro FLAVVS [d]). Sic et in aureis et argenteis Vespasiani operis optimi legimus PRIN. IVEN. pro IVVEN., tum in indice Gruteri [e]) DAVS, INGENVS, IVENTIVS pro DAVVS, INGENVVS, IVVENTIVS.

* * *

Hemic - -

C. FLAV. HEMIC. LEG. PRO. PR. *Caput Appollinis*, *prae quo lyra*.
Q. CAEP. BRVT. IMP. *Victoria tropaeum coronans*. AR. R.

Magnas hic denarius excitavit lites,

---

a) Ad Fam. L. VI. ep. 20. b) Bell. civ. L. IV. c) l. c. d) pag. 755. 8. e) pag. XCV. col. 2.

cum alii THEMIS, alii HEMIS legendum censerent, sed numi integerrimi et saniores constanter HEMIC. offerunt, in quo tamen explendo multa absurda prolata sunt. Istud indubitatum, esse cognomen Flavii quomodocunque enunciandum. Fuisse Flavium Bruti legatum, veteres non prodidere. Narrat Plutarchus a), Brutum ex iis, quos acies Philippensis abstulit, maxime miseratum Labeonem et Flavium, sed is illum nequaquam cum numo legatum, sed praefectum fabrum appellat.

* * *

ΕΠΙ. ΦΛΑΟΥΙΟΥ, in numis Hierapytnae Cretae, quam vide.

FONTEIA.

Gens plebeia, nam P. Fonteio adoptandum se dedit Clodius, ut tribunus pl. esse posset. Cognomen *Capito.*

* * *

Caput Iani more geminum lanugine vestitum, in area X *et litera alphabeti.*

C. FONT. *Navis cum remigantibus et gubernatore, ex puppi defixum acrostolium, et fasciae dependentes.* AR. C.

Vaillantius in antica horum denariorum expressum geminum Iani caput vidit ad indicandam Fonteiorum originem genus suum a Fonto Iani filio deducentium docente Arnobio b): *Ianum ferunt Coelo atque Hecate procreatum in Italia regnasse primum, Ianiculi oppidi conditorem, patrem FONTI, Vulturni generum, Iuturnae maritum.* Praeclara conjectura, nimirum aliorum exemplis valide confirmata. Sic Calpurnii in numis finxere caput Numae, quia a Calpo Numae filio oriundi, Antonii leonem Herculis, quia nomen traxere ab Antone Herculis filio, iterum Numam Pomponii, quia generis auctorem credidere Pomponem Numae filium. Ergo justum fuerat, a Fonteiis monetae inseri Ianum, quia generis parentem agnovere Fontum Iani filium. Quod in his denariis Ianus proponatur imberbis, causam adfert, quod is Romanis ex illo imberbis pingi coeperit, ex quo illi barbam posuere. Si verum est, quod refert Plinius c), usum tondendae barbae jam anno V. C. 454, radendae sub Scipione Africano sequente apud Romanos invaluisse, et cum exstent numi hac aetate haud dubie posteriores, quorum unum dedimus in gente Eppia, in quibus Ianus adhuc barbatus fingi consuevit, causae suae Vaillantius hoc judicio non magnopere consuluit. Iam vero utrum in his Fonteii denariis caput anticae sit Iani putandum, videtur posse dubitari. Neque enim satis existimo validum Arnobii testimonium, qui, quod norim, unus nobis Fontum Iani filium memorat. Ad haec nimis faciles saepe video antiquarios in statuendo Iano cum tamen caput geminum junctis occipitiis multum saepe a Iano diversa significet. Operae igitur me pretium facturum existimo, atque

a) In Bruto p. 1003. b) Adv. gentes L. III. p. m. 69. c) L. VII. §. 59.

hoc quidem loco opportune, quo nobis geminatum item caput offertur, inquirere, quae sint vere Iani capita putanda, et quae jure aliter accipi possint, debeantque.

Iam primum certam Iani effigiem investigemus. Eam sine dubio manifestam offerunt asses hujus aevi domestici, in quorum parte antica effictum esse Ianum, altius gravissimis Romanorum testimoniis stabilivimus [a]), quibus addo etiam denarios gentis Furiae. Offerunt omnes hi numi caput geminum, et utrumque prolixe barbatum, illudque variis modis exornatum. Plerumque illud corona laurea ambit. Dicerem, factum istud propterea, quod coronae fuisse inventor ferebatur [b]), nisi obvium istud esset variorum numinum ornamentum. Lunulam habet utroque capite interceptam, forte ideo, quia judicio Fronteii, quem auctorem laudat Laurentius Lydus [c]), Ianus fuit *ἐφορος τȣ παντος χρονȣ*, *praeses universi temporis*, vel quia, ut idem paullo infra ex Praetextato refert, creditum, esse Ianum *δυναμιν τινα ἐφ' ἑκατερας ἀρκτȣ τεταγμενην, και τας θειοτερας ψυχας ἐπι τον σεληνιακον χορον ἀποπεμπειν*, *vim aliquam positam juxta utramque ursam, a qua diviniores animae ad lunarem coetum deducuntur.* In assibus Iunii Silani, et Titurii utriusque capitis cervici infixi pali conspiciuntur, qua imagine significari possunt aut descripti condendae urbis fines, in quorum locum serius successit sulcus aratro ductus, aut urbs palis adversus vim externam munita, quo modo Tertullianus quoque agens de Saturno dixit [d]): *Mons, quem incoluerat, Saturnius dictus, civitas, quam depalaverat, Saturnia usque nunc est.* Atqui et Ianum Arnobius loco supra indicato Ianiculi oppidi conditorem dixit. In aliis assibus ejus caput geminum tegitur pileo, velut in gente Cassia, vel protuberat quid flori, forte loto, simile, ut in Cornelia Lentulorum, vel obeli quaedam species utrumque caput dividit, quae quidem singula explicare non tento, cum constet, quam varia, et absurda de Iano suo docuerit Romana superstitio, tametsi quod obelus aliis videtur, aliud forte non est, quam nota assis, quae saepe in hoc numorum genere Iani capiti imminet. Hanc Iani effigiem ex numis, ut res palam docet, captam saepe veteribus lucernis insertam videmus, ut docent lucernae complures a Passerio vulgatae.

Eadem Iani imago, quam modo ex numis Romanis descripsimus, haud dubie etiam in nonnullos commatis peregrini numos migravit. In volumine I. hujus operis pag. 234 plures produxi numos aeneos, in quorum antica simile comparet caput duplicatum, quale modo in assibus Romanis conspeximus. Illo quoque exhiberi Ianum, dubium non videtur. Nam praeterquam quod barbatum utrumque est, Romanum numen persuadent etiam inscripta magistratuum Romanorum nomina, qui adeo domesticum suum numen in numos, quos Panormi fuisse signatos dubitari vix posse diximus, intulerint. Eandem geminati capitis formam habemus etiam

a) Pag. 14. b) l. c. c) Περι μηνων sub Ianuar. c. 2. d) in Apolog. c. 10.

in numis Amphipolis, et Thessalonicae Macedoniae urbium, neque dubitavimus, eo loco, quo eos descripsimus, signatum in illis Ianum adserere. Nimirum populi Graeciae, ex quo in Romanorum potestatem transivere, signando in moneta sua Iano, qui inde ab urbis incunabulis inter praecipua ejus numina colebatur, testati sunt, eundem se Romanis diis deferre cultum, quem privatim suis, quo modo non paucae aliae urbes Graecae Iovem Capitolinum in numis suis signaverunt.

Ab adductis his exemplis discimus, Ianum Romanorum, si modo certus Ianus sit, constanter fuisse barbatum. Neque dissident monumenta aevi serioris. Comparet enim idem barbatus in numo aeneo Antonini Pii, quem dabimus ad annum V. C. 893, tum et in denario Pertinacis inscripto IANO. CONSERVAT. At fuere, suntque etiamnum viri praeclari, qui capita imberbia monetae Romanae ad hunc modum disposita Ianum quoque dixere, neque inficiar, re nondum satis expensa in eadem me usque modo fuisse sententia, quod apparet ex iis, quae in eodem opere alibi professus sum [a]). Nimirum esse Iani illis visa sunt capita imberbia, quae sunt in numo aureo inscripto ROMA, cujus iterato a me altius facta mentio [b]), et de quo agam copiosius in numis gentis Veturiae, tum quae sunt in praesentibus C. Fonteii denariis. Vna illis istud adserendi ratio fuerit modus capitum ad Iani morem dispositorum. At vero eundem capita sic jungendi modum video etiam placuisse populis externis nullo certe ad Romanorum seu religionem, seu institutum respectu. In numis Syracusarum duae mulieres sua sic committunt occipitia. Idem in numo Atheniensium argenteo, et obviis Tenediorum praeſtant vir mulierque. Possem his addere numos Rhegii, Lemni, Atellanorum, sed quos, quia Goltziani sunt, non audio. In numis Volaterrarum Etruriae is typus frequens gemino capite imberbi coalescente. In singulari ejusdem urbis apud Arigonium caput imberbe cum barbato committitur [c]). Quid quod eodem modo in aeneis gentis Rubriae junguntur capita Herculis, et Mercurii.

Ex his apparet, alienum hunc a natura morem et a Graecis, et Etruscis, et Romanis fuisse receptum. Non vacat inquirere, quorum prodigium istud ingenio debeatur. Praestitit istud comes Caylus, sed more quodam suo fluctuavit. Nam cum olim confidenter dixisset, Etruscorum esse inventum [d]), mutata mente illud Aegyptiis acceptum tulit serius, oblato nimirum sibi sacerdotis sigillo aeneo operis Aegyptii binis capitibus ditato [e]). Omissis his conjecturis istud potius videamus, quid formis his bicipitibus a veteribus fuerit intellectum. Allegoriam iis fuisse inclusam, vel ex iis patet, quae scriptores Romani de Iano suo tradidere. Alii effictum bifrontem dixerunt, quia a Saturno praeteritorum, et futurorum scientia donatus fuit [f]). Alii, quod in medio constitutus annum incipientem

---

a) Vol. I. p. 94. b) pag. 31 et 45. c) Num. Hetrur. tab XIII. d) Rec. d'Antiq. T. II. p. 81. e) Rec. T. IV. p. 18. f) Cedrenus ex Dione.

pariter, et recedentem spectare videatur [a]). Servius uno loco [b]): *Alii dicunt Tatium, et Romulum facto foedere hoc templum aedificasse; unde et Ianus ipse duas facies habet, quasi ut ostendat duorum regum coitionem.* Idem alio [c]): *Rite hunc* (Ianum) *quoque invocat, quia ipse faciendis foederibus praeest. Namque postquam Romulus et Titus Tatius in foedera convenerunt, Iano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum.* Denique Plinius [d]): *Ianus geminus a Numa rege dicatus, qui pacis, bellique argumento colitur.* Vt caput geminum Iani, sic et geminum viri ac mulieris, quod est in numis Tenedi, ex allegoriae mysteriis explicuere veteres, ut in hujus insulae moneta dictum. Herculis et Mercurii capita eodem modo unita, et quidem causa familiaritatis, quae inter utrumque deum intercedit, videbimus infra in numis gentis Rubriae. Cum constaret de Caracallae in Alexandrum M. adfectu, factum est illud, quod narrat Herodianus [e]): *ἐσθ᾽ ὁπȣ δε και χλευης ἐιδομεν ἀξιας ἐικονας ἐν γραφαις, ἑνος σωματος ὑπο περιφερειᾳ κεφαλης μιας, ὀψεις ἡμιτομȣς δυο, Αλεξανδρȣ τε και Αντωνινȣ. Vidimus item imagines ridicule pictas, in corpore uno, uniusque capitis circumscriptione vultus duos dimidios, Alexandri, et Antonini,* sc. Caracallae. Haec allegoriarum exempla sufficere possunt, tametsi necesse non est allegorias semper respicere; nam fieri poterat, ut artifex aliquis praeter morem deorum aliquem duplici capite instrueret, quia forte sic fuerat locandus, ut, sive intus quis esset, sive foris, ejus conspicuam haberet faciem, quales secundum Lucianum fuerunt Hermae nonnulli, *διπροσωποι, και ἀμφοτερωθεν ὁμοιοι, και προς ὁποτερον ἀν ἀυτων μερος ἐπιστραφησῃ, bicipites, et utrinque similes, in utramvis te partem converteris* [f]). Et forte simili usui fuerit destinatum sigillum illud aeneum a com. Caylus vulgatum, cujus supra mentionem intuli.

Ergo cum videris capita geminata in numis seu Etruscorum, seu Syracusanorum, seu Atheniensium, certam puta subesse allegoriam, tametsi verum ejus divinare sensum saepe opis nostrae non sit. Sic cum in vase Campano, quod edidit com. Caylus [g]), facies muliebris in juventutis flore jungitur cum facie muliebri jam per aetatem deformi, verisimile est, quod et opinatur illustris is auctor, voluisse ingeniosum pictorem censorio suo penicillo exprimere, quam in ruinam forma mulierum fluxa et caduca denique desinat. Contra quis facile dabit causam duarum noctuarum in unum caput coalescentium, qui obvius est typus in numis Athenarum, et Miletopolis Mysiae? atqui et hic certa subtus allegoria latet, et forte illa mutuus partium consensus indicatur. Denique cum in numis Romanis videmus bina haec capita jam barbata, jam imberbia, nequaquam

---

a) Cyprian. de idol. vanit. sub init. b) ad Virg. Aen. I. v. 291. c) ad Aen. XII. v. 198. d) L. XXXIV. §. 16. e) L. IV. in Carac. f) in Iove tragoedo sub fin. g) Rec Tom. II. tab. XXVI.

dubitemus, si barbata sunt, iis indicari Ianum, at si imberbia, aliud, neque istud difficulter, posse indicare. Sic in numo aureo, cujus supra memini, in cujus antica est *caput geminatum imberbe*, in aversa: ROMA, *et sacrificium mactata porca peractum*, quoniam hic aversae typus certus est initi foederis ritus, atque is numus, ut alibi diximus, et dicemus infra in numis gentis Veturiae, haud dubie extra Romam sit signatus, necesse non est, in antica signatum Ianum credere, sed potest more Graecorum revocata cum Romanis unio ἀλληγορικῶς intelligi. Atque ut a longa Iani interpellatione ad praesentes C. Fonteii denarios revertar, si Ianum in his placuisset proponere, nescio cur imberbem, quem liberaliter barbatum, ut longi ejus aevi mos ferebat, omni tempore fuisse propositum, ex certis monumentis constare supra dixi, et docemur amplius verbis Ciceronis [a]): *Aliquis mihi ab inferis excitandus est, ex barbatis illis, non hac barbula, qua ista delectatur, sed illa horrida, quam in statuis antiquis, et imaginibus videmus.* Cui adde Varronem [b]), et Gellium [c]). At cum gens Fonteia deos Penates, sive Dioscuros magno in honore habuerit, atque hi, ut ex proximis videbimus, saepe capitibus jugatis sint propositi, nihil obstat, quo minus et in capitibus Iani more unitis eosdem gentis Fonteiae penates agnoscamus, cum perinde sit, utrum duorum familiarium unio hoc illove modo exprimatur.

Ad partem aversam horum denariorum quod attinet, fasciae ex puppi dependentes Havercampo diadema regium visae fecerunt, ut crederet, frequentes hos numos signatos in sumptus belli Iugurthini, et diademate indicari bellum regium. Argumenta, quibus sententiam stabiliat, valentiora desunt.

* * *

C. FONT. in semissibus et trientibus. Facile hi possunt ad eundem Fonteium pertinere, cujus sunt praecedentes denarii. AE. R.

* * *

Capita duo juvenilia jugata laureata imminentibus astris, in area X, *in aliis praeterea* P. P. MAN. FONTEI. *Navis, quam gubernator sedens moderatur, in area literae alphabeti, et praeterea in nonnullis unus, duo, tres globuli.* AR. C.

Parte antica exhiberi deos *penates*, literis P. P. indicatos, patet ex numis similibus gentis Antiae, et luculentius ex denariis Sulpiciae, ad quos prolixius in domestica haec numina commentabor, quorsum lectorem remitto. Ea autem monetae intulit Fonteius, quia, ut in Sulpicia item docebimus, summo in honore habita fuere Tusculi, qua ex urbe oriundi fuere Fonteii. Cicero [d]): *primum generis* (Fonteiorum) *antiquitas, quam Tusculo ex clarissimo municipio profectam in monumentis rerum gestarum incisam ac notatam videmus.*

* * *

MAN. FONTEI. C. F. *Caput juvenile laureatum, infra quod ful-*

a) Pro Coelio c. 14. b) de R. R. L. II. c. 11. sub fin. c) Noct. Att. L. III. c. 4.
d) pro Fonteio c. 14.

men, in horum nonnullis juxta monogramma AP.

Puer alatus in hirco equitans, in area duo pilei Dioscurorum, infra thyrsus, omnia intra coronam myrteam. AR. C. EX. A. P. *Caput simile.*

Eadem aversa. (Mus. Caes.) AR. RRRR.

Caput anticae non injuria creditur esse Apollinis Vejovis, cujus protome, etsi dispare cultu, addito etiam AP. nempe AP*ollo*, proponitur in numis gentis Caesiae. Ad illud comprobandum citavimus ibi testimonium Gellii [a]), cujus mox consequentia verba aversam hujus denarii commode explicant: *immolaturque illi* (Vejovi) *ritu humano* (legunt alii: *Cumano*) *capra, ejusque animalis figmentum juxta simulacrum stat*, quod confirmat Ovidius sic de Vejove loquens [b]); *Stat quoque capra simul.* At quod idem vates paullo altius canit:

Iuppiter est juvenis, juveniles aspice vultus,
Aspice deinde manum, fulmina nulla tenet.
Fulmina post ausos coelum adfectare Gigantas
Sumpta Iovi; primo tempore inermis erat;

istud sententiae de Vejove in praesente numo signato non parum obesse videtur, nam infra ejus caput luculentum est fulmen. Verum satis constat, variare mythologiam. Dixi ex aliorum sententia, monogramma AP. in his denariis, ut et gentis Caesiae, notare Apollinem. Quid si praeeunte numo altero musei Caesarei, quem mox citavimus, in quo est EX. A. P., monogramma illud legendum esset A*rgentum* P*ublicum*, quemadmodum in Sentia plenius legitur ARG. PVB.? Puer alatus capro insidens videtur potius esse genius ipsius Vejovis, quam quod aliis visum, Cupido, in quo sequor Passerium, qui alatos puellos, nisi cum sagittam, arcumve tenent, genios putat [c]). Pilei Dioscurorum ad deos Penates pertinent, de quibus in praecedentibus denariis. Cur signati praeterea thyrsus, et myrtea corona, ignoro, ut etiam, quis fuerit hic Man. Fonteius horum auctor denariorum.

* * *

Capito.

P. FONTEIVS. P. F. CAPITO. IIIVIR. *Caput Martis galeatum promicante e genis lanugine, et pone tropaeo.*

MAN. FONT. TR. MIL. *Eques citato cursu, inferne figurae duae in singulari certamine.* AR. R.

P. FONTEIVS. CAPITO. IIIVIR. CONCORDIA. *Caput Concordiae velatum.*

T. DIDI. IMP. VIL. PVB. *Porticus duplici in altum columnarum serie conspicua.* AR. R.

C. FONTEIVS. CAPITO. PRO-PR - - *Capita jugata M. Antonii nudum et muliebre.*

M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER.

---

a) L. V. c. 12. b) Fast. III. v. 443. c) Lucern. T. I. p. 51, et T. II. in Proleg.

ET. TERT. IIIVIR. R. P. C. *Navis.* AE. II. RR.

In denario I. incerta omnia. Neque enim cur in antica proponatur Mars tropaeophorus, et quis sit eques partis aversae, aut inscriptus MAN. FONT*eius* TR*ibunus* MIL*itum*, et qui duo infra digladiantes, satis constat, etsi Havercampo in conjecturas verba non defuerint. Neque magis exploratum, quis fuerit hic P. Fonteius Capito, et in quem circiter annum ejus IIIviratus monetalis cadat, quem hic et sequens denarius praedicant. De VIL*la* PVB*lica* numi alterius vide dicta in numis gentis Didiae. Numum postremum etsi peregrinum, quia tamen ad hanc gentem pertinet, huc vocare libuit. Haud dubie hic Fonteius Capito idem ille est, de quo Horatius [a]:

Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.

Neque vero Fonteius hic, quod ex Horatio constabat, solum fuit M. Antonii amicus, sed etiam ad res gerendas adhibitum hic numus docet, qui eum pro praetore administrasse provinciam, incertum quam, memorat. Ad suffectum etiam consulatum promotus V. C. 721. Homo, ut videtur, lautus, benignus, quemque omnis color, et status, et res decuerit. Horatio comitibusque Brundusium profectis culinam praebuit [b]), habitus etiam idoneus ad erotica, cui ab Antonio haec quoque provincia demandata, ut Cleopatram ad se in Syriam arcesseret [c]). Vide de hoc similibusque aeneis plura in moneta Antonii IIIviri.

FVFIA.

Gens plebeia. Cognomen *Calenus.*

KALENI. *Capita duo jugata, juvenile laureatum, juxta quod* HO., *et juvenile galeatum, juxta quod* VIRT.

CORDI. *Mulier, juxta quam scriptum* ITAL., *stans, et s. cornucopiae tenens dexteram jungit cum muliere alia, juxta quam scriptum* RO. *sinistra sceptrum tenente, et d. pede globo insistente.* Sunt serrati R. — Numus idem, sed *quinarius aureus*, est in museo regis Galliarum teste Barthelemyo [d]), idemque RRRR., et forte unicus.

Quo fuerit in magistratu constitutus hic Fufius Calenus, et quem aversa collegam conjungit, Mucius Cordus, divinare difficile. De capitibus *Honoris* et *Virtutis* opportunius agetur in Mucia. Typum aversae, quo Italia et Roma finguntur amice manus conserere, eruditi referunt ad concordiam Romanos inter et Italiae populos restitutam, quando his lege Iulia civitas

a) L. I. Sat. 5. v. 32. b) Horat. l. c. c) Plut. in Anton. p. 932. d) B. L. Tom. XXX. p. 372.

data est, quam communi defectione, et armis denique sibi quaesivere. Barthelemyus ad foedus a Sulla cum Italicis populis initum refert [a]), sed inter conjecturas tantum.

FVLCINIA.

Gens Romae pervetusta.

ΤΑΜΙΟΥ. ΛΕΥΚΙΟΥ. ΦΟΛΚΙΝΝΙΟΥ. in numis Macedonum in genere, quos vide.

FVLVIA.

Gens plebeia.

Caput Palladis alatum, in area X *et* ROMA.

CN. FOVL. M. CAL. Q. MET. In aliis: M. CALID. Q. MET. CN. FL. *Victoria in citis bigis.* AR. C.

Reliqui copiosi cum variis cognominibus Fulviorum numi, quos pictos sistit Morellius, coloniarum sunt, neque adeo huc pertinent.

FVNDANIA.

Gens plebeia.

Caput Palladis alatum, pone variae alphabeti literae.

C. FVNDAN. Q. *Iuppiter d. sceptrum, s. fulmen in quadrigis lentis, quas sessor d. ramum tenens moderatur.* AR. C.

Caput Iovis.

C. FVNDA. Q. *Victoria tropaeum coronans captivo juxta genuflexo.* Quin C.

Nullo certo argumento hunc Fundanium antiquarii Scipionis quaestorem in bello Numantino faciunt, et Victoriae tropaeique typos ad triumphum de Numantinis trahunt. At ego Iovem triumphantem etiam sine Romanorum triumpho saepe in denariis signatum reor, Victoria autem in quinariis fere constans typus.

FVRIA.

Gens patricia demptis Brocchis, de quorum conditione non satis constat. Cognomina in numis: *Brocchus*, *Crassipes*, *Philus*, *Purpureo.*

* * *

Brocchus.

BROCCHI IIIVIR. *Caput Cereris spicis redimitum inter spicam et granum hordei.*

---

a) L. c.

L. FOVRI. CN. F. *Sella curulis, hinc et illinc fasces securibus muniti.* AR. R.

Habes typos, quod unum numus hic certum offert. Vtrum hic Brocchus cum Vaillantio statuendus sit IIIvir ad frumentum emundum, an cum Havercampo IIIvir monetalis, non magnopere laboro. Spanhemius cum videret secures fascibus illigatas, putavit per hanc ipsam causam indicari Furii praeturam, non quidem urbanam, nam haec fasces sine securibus habuit, sed provincialem, quae adjunctas secures habuit [a]). Verum si praetor fuit, cur in his denariis dicitur IIIvir? Istud sane ad numi explicatum omittendum non fuit.

* * *

Crassipes.

AED. CVR. *Caput muliebre turritum, pone pes humanus.*

P. FOVRIVS. CRASSIPES. *Sella curulis.* AR. R.

Caput Iani gemini.

KRASSIPES. *intra lauream.* AE. II. (Arigoni Tom. IV. edito Tarvisii 1759. in Fam. tab. VI. n. 52.) RRR.

Fuisse hunc Furium aedilem curulem, docet hic denarius, neque quid praeterea. Pes adstitutus lepida est adlusio ad cognomen *Crassipes.* Alterum aeneum alias verisimile dixi esse commatis peregrini, cusumque apud Panormum Siciliae, ut videre est in hujus urbis moneta. Enimvero M. Furium Crassipedem V. C. 581 praetorem Siciliae diserte nominat Livius [b]).

* * *

Philus.

M. FVORI. L. F. *Caput Iani gemini.*

PHILI. *Pallas, vel Roma galeata stans s. hastam tropaeum coronat, in area* ROMA. AV. (B. L. T. XXX. p. 367.) RRRR. AR. R.

Aeque iterum ad historiam incerta omnia, quo vitio laborant omnes Furiorum numi.

* * *

Purpureo.

Caput Palladis alatum, pone X.

PVR. *Diana in citis bigis, superne purpura, infra* ROMA. In aliis: *Dioscuri equites.* AR. R.

PVR. in assibus. RR.

Parcam epigraphen PVR. legendam PVRPVREO, plene confirmat adstituta purpura ex concharum genere, ex qua purpura confici solita, de quo plura disputantur ad numos Tyri. Est vero et in his adlusio ad nomen. L. Furius Purpureo vir bello acer et triumphalis memoratur a Pighio ad annum V. C. 553.

FVRNIA. GABINIA.

Numi Goltziani.

---

a) Tom. II. p. 111. b) L. XLII. c. 1.

GALLIA.

Gens plebeia. Cognomen *Lupercus.*
C. GALLIVS. C. F. LVPERCVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis Augusti, qui sunt C.

GELLIA.

An patricia, an plebeia, incertum.

Caput Palladis alatum, pone X, *omnia intra lauream.*

CN. GEL. *Vir militaris citis quadrigis invectus secum mulierem, quam amplectitur, rapit, infra* ROMA. AR. R.

Ambiguus aversae sensus, et incertum etiam, quis sit hic Cn. Gellius praesentis denarii.

* * *

M. ANT. IMP. AVG. IIIVIR. R. P. C. L. GEL. Q. P. *Caput M. Antonii nudum, pone urceus.*

CAESAR. IMP. PONT. COS. IIIVIR. R. P. C. *Caput Octaviani nudum, pone lituus.* AR. C.

Iam adverterunt eruditi, hunc L. Gellium esse eundem, qui cum esset inter principes Bruti et Cassii amicos, utrique struxit insidias, quibus detectis etsi nactus delicti veniam, geminata perfidia a benefactoribus ad Caesarem et Antonium descivit narrante istud Dione [a]). Gessit deinde consulatum V. C. 718 conlega Cocceio Nerva. Adjectas nomini literas Q. P. significare verius Q*uaestor* P*ropraetore*, quam quod plerisque aliis visum, Q*uaestor* P*rovinciae*, diximus Vol. IV. p. 248.

* * *

ΓΕΛΛΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ a Vaillantio et Morellio ex numis Nicaeae perperam lectum pro ΚΑΛΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. Vide prolegomena ad numos Bithyniae.

GESSIA.

A. ΓΕΣΣΙΟΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ Smyrnae magistratus ad familias R. non pertinet.

GRANIA.

Idem esto judicium de L. GRANIO. IIVIRO. Calagurris.

---

a) L. XLVII. §. 24.

HELVIA.

Numus Goltzianus.

HERENNIA.

Gens plebeia.

PIETAS. *Caput muliebre.*

M. HERENNI. *Frater pius parentem efferens, in area litera alphabeti, quando non est in antica.* AR. C.

Cohaeret pars antica cum aversa, in utraque pietatis argumentum, et habes in aversa celebratam in antiquitate fratrum Catanensium pietatem, propositam etiam in numis Catanae, et Sex. Pompeji, cujus argumentum latius deductum vide in moneta Catanae, ubi insigne hoc pietatis exemplum domesticum. Quis fuerit hic Herennius, et quae legendi hujus typi causa, incertum.

HIRTIA.

Gens plebeia.

C. CAESAR. COS. III. *Caput muliebre velatum.*

A. HIRTIVS. PR. *Lituus, urceus, secespita.* AV. C.

Obvii, si qui alii, hi sunt numi. Fuit A. Hirtius Caesari dictatori percharus, cujus etiam commentariis supremam creditur manum imposuisse. V. C. 711 in praelio Mutinensi consul ipse periit una cum conlega Vibio Pansa. In numis his dicitur PR., quod aliis legendum videtur PRaetor, aliis PRaefectus, conjecturis vagis, quas explicatius proposui in gente Cestia. A nonnullis antiquariis caput anticae velatum, tanquam ipsius Caesaris esset, pingebatur, cum tamen constanter numi mulierem exhibeant, quod recte jam observavit Havercampus. In museo Caesareo quinque sunt similes, omnes capite muliebri, sed varia aetate, sic ut primus sistat peradolescentem, eamque reliqui per gradus in turpe senium deducant.

HORATIA.

Gens vetus patricia. Cognomen Cocles.

COCLES. *Caput Palladis alatum pone* X.

Dioscuri equites, infra ROMA. *Restitutus etiam a Trajano.* Vtrique AR. et RRRR.

Rarissimos hos denarios pertinere ad

aliquem ex gente Horatia, verisimile facit inscriptum COCLES, quod cognomen primus tulit famigeratus ille *hostium victor et fluminis*, ut ait Paulus Diaconus; sic autem vocatum ait Aurelius Victor [a]), et Dionysius Halicarnassensis [b]), quod oculum in praelio amiserit. Imaginem Coclitis sese in Tiberim praecipitantis vide in insigni numo max. mod. cum capite Antonini Pii. Quis fuerit ille ex ejus posteris, qui numum hunc feriundum curavit, divinari nequit. Denarios hos ampla dissertatione illustravit Patinus, quae exstat in commentariis Havercampi p. 194, quo loco eorum raritas immensum extollitur.

HORTENSIA.

Numi Goltziani.

HOSIDIA.

An patricia, an plebeia, incertum. Cognomen *Geta*.

GETA. IIIVIR. *Protome Dianae.* C. HOSIDI. C. F. *Aper venabulo transfixus adlatrante cane.* Ex his denariis illi, qui Dianae caput capillis retro in nodum collectis exhibent, serrati sunt, non item illi, qui ejus caput cum fascia in fronte sistunt.

Dictante Havercampo denarii hi signati sunt V. C. 734, quo anno in Augusti natalibus insignes venationes editae. At idem vir eruditus in suis ad Petronii Turpiliani numos commentariis cum videret hujus Petronii denarios eosdem habere typos cum denariis Aquilii et Durmii, et hi commode ad annum V. C. 734 possent referri, monuit, Turpilianum eodem anno fuisse IIIvirum monetalem una cum Aquillio et Durmio. Ergo si et hic Hosidius ad eundem annum accedat, habebimus IIIIviros, non IIIviros. Aliud docet judicium ex ipsis his denariis haustum. Non modo cognomen GETA in alteram numi partem trajectum, sed etiam quod serrati sunt, eos facile Augustea aetate multo antiquiores constituit, aper vero necessario venationes non arguit, cum suapte componatur cum Diana venatrice, quam Hosidius ex quacunque causa parti adversae insculpsit.

HOSTILIA.

Gens vetus et clara, ex qua fuit rex Tullus Hostilius. Qui in numis supersunt cognomine *Sasernae* et *Tubuli*, incertum, cujus ordinis fuerint.

---

a) Vir. illustr. §. 11. b) L. V. c. 25.

* * *

Saserna.

SASERNA. *Caput Palloris, pone lituus militaris.*

L. HOSTIL. (*tribus postremis literis colligatis*) *Septa cum cancellis, per quorum pontem tres figurae togatae incedunt.* AR. R.

Caput Palloris, pone lituus militaris.

L. HOSTILIVS. SASERNA. *Diana peregrino cultu stans d. cervum cornibus retinet, s. hastam.* AR. C.

Caput Pavoris.

L. HOSTILIVS. SASERN. *Bigae citato cursu, ex quibus vir nudus armatus retrorsum pugnat auriga equos flagro incitante.* AR. C.

Caput Veneris.

L. HOSTILIVS. SASERNA. *Victoria gradiens oblongum palmae ramum et caduceum gestat.* AR. R.

Sasernae in Romanis cogniti, at hos genti Hostiliae deberi, ex unis his denariis novimus. Sasernas vetustiores agriculturae deditos commendant Varro, Columella, Plinius, quorum testimonia vide apud Havercampum. Hirtius meminit P. Sasernae et fratris, sed cujus praenomen dissimulat, qui in bello Africano inter duces Caesaris fuerunt [a]. Hoc caeso horum unum accessisse Antonio docet Cicero, qui Sasernam inter praeclaros ejus senatores nominat [b]. Ex his denariis prior propter literas monogrammate ligatas, et divulsum a reliquis nominibus cognomen alterius haud dubie est Sasernae, quam cujus sunt tres sequentes. Hos facile dabimus Sasernae Publii fratri, cujus mox ex Hirtio meminimus.

Palloris et Pavoris capita insigne sunt in his denariis argumentum, petendum inde a Tullo Hostilio, qui cum in ipso praelii cum Vejentibus fervore audiret Albanos perfide desciscere, *in re trepida XII. vovit Salios, fanaque PALLORI ac PAVORI* [c]. Et praeclare ad hos numos Lactantius [d]: *Pavorem, Palloremque Tullus Hostilius figuravit, et coluit.* Fuerunt autem Pallor et Pavor a vetustissimis poetis Graecis ad belli negotium adhibiti, dicti Δειμος και Φοβος Homero [e], secundum Hesiodum [f] Martis et Veneris filii, quorum erat Martem ab bella comitari, et, ut alibi placitum Homero [g], ejus equos jungere. Eodem modo Aeschylus VII. duces, qui adversum Thebas steterunt, jurare facit per Αρην, Ενυω, και φιλαιματον Φοβον, *Martem, Bellonam, et sanguinis avidum Pavorem.* Haec vetera: recentius exemplum Spartani praebent. Teste Plutarcho [h]: ἐςι δε και Λακεδαιμονιοις ȣ̓ Φοβȣ μονον, ἀλλα και Θανατȣ και Γελωτος και τοιȣτων ἀλλων παθηματων ἱερα. *Sunt apud Lacedaemonios non Pavoris modo, sed et Mortis et Risus, et similium aliarum affectionum templa.* Pavori, Φοβῳ, Romani opposuere *Audaciam*, Τολμην, hanc quoque deam, utrique sacra facta ad avertendos terrores Panicos. Sic Africanus senior teste Appiano [i]) dum Asdrubali nocturnas insidias com-

a) Bell. Afric. c. 10. b) Phil. XIII. c. 13. c) Liv. L. I. c. 27. d) L. I. c. 20. e) Il. Δ. 440. f) Theog. 933 et Scut. Herc. 195. g) Il. O. 119. h) in Cleomene p. 808. i) Punic. c. 21.

parat, ἐθυετο Τολμῃ και Φοβῳ, μηδεν, ὡς ἐν νυκτι, πανικον οἱ γενεσθαι, ἀλλα τον ςϱατον ἀυτῳ θϱασυτατον μαλιςα ὀφθηναι, *sacrificavit Audaciae et Pavori, ne quis, ut in nocte, Panicus terror accideret suis, sed ut exercitus sibi plenus audacia obtingat.*

His ergo typis vanus hic homuncio Saserna fidem suis posterisque facere voluit, Hostilii regis sanguinem secum communicatum, cujus argumentum unicum fuit communio nominis. Eundem regem judice Havercampo respiciunt septa comitiorum numi I., nimirum quod primus legitimo civitatis suffragio rex declaratus est teste Dionysio Halic. Comitiorum forma luculentius sistitur in gente Silia. Typos numorum II. et III. mihi ignotos profiteor, quantumcunque in iis explicandis perspicaces noverim avos proavosque meos.

* * *

Tubulus.

Caput Palladis.

L. H. TVB. *intra lauream, infra.* ROMA. AE. III. RRR.

Patinus, qui primus hunc numum edidit, trunca hujus numi nomina legit: L*ucius* H*elius* TVB*ero*, at erudite ostendit Perizonius, explenda L. H*ostilius* TVB*ulus* a). C. Hostilius Tubulus saepius laudatus Livio, et L. Tubulus praetor, et judex infamis aliquoties Ciceroni. Annum, quo signatus hic numus, difficile est conjicere. Cum a modo numorum aeneorum Romae signatorum prorsus abludat, verisimile est, in provincia quapiam cusum. Similis editus etiam est in museo Pembrock b), sed in hoc vocabulum ROMA non legitur.

ITIA.

Gens prorsus ignota, saltem ut in numis scribitur.

Caput Palladis alatum, pone X.

L. ITI. *Dioscuri equites, in imo* ROMA. AR. RR.

IVLIA.

Gens illustris, et in *Caesaribus* patricia, in *Bursionibus* incerta, quae duo sola cognomina in numis occurrunt.

* * *

Bursio.

Caput juvenile alatum capillis per cincinnos dependentibus, promicante retro tridente, pone sigilla minuscula mira varietate.

L. IVLI. BVRSIO. *Victoria in citis quadrigis, in area notae arithmeticae, vel*

a) Diss. III. p. m. 250. b) P. III. tab. 19.

alphabeti, junctis etiam pluribus literis, ut: MA. CE. DT. RO. *etc.* AR. C.

Eadem adversa, pone malum Punicum.

EX. A. P. *Victoria in citis quadrigis.* (Mus. Caes.)

Caput anticae in obviis his denariis formae est insolentis, et cujus sensum aegre adsequare. Nam quod Vrsino et Vaillantio visum est esse Mercurii, istud ut crederent, aliud non impulit, quam quod adstitutas alas viderunt, perinde quasi soli in has Mercurio jus esset. Havercampus audacter caput Triumphi dixit. Habemus in gente Papia certum Triumphi caput adscripto TRIVMPVS liquido definitum. Absunt in hoc alae, et pro tridente prominet tropaeum. Cum numinum symbolicorum capita solis possint attributis, aut addita inscriptione dignosci, nescio sane, qua confidentia possit Havercampus Triumphi caput adfirmare, quod a certo ejus numinis capite tot modis differt. Si caput illud virile est, forte certius Pantheon dici posset ex Apolline, Mercurio, Neptuno conflatum. Sin muliebre, ut sane lineamenta praefert, quae mulierem non dedeceant, posset propter adjectum tridentem alasque haberi Oceanis; nam Oceanides Oceani filias alis instruxit Aeschylus [a]). Et vero multa ex fabulis etiam obscurioribus petita in hac numorum classe occurrunt. Sed nolo huic conjecturae nimium tribuere, aut longius insistere. Cujus Bursionis sint hi denarii, etiam post prolixas Vaillantii et Havercampi conjecturas me plane ignorare profiteor.

* * *

Caesar.

Caput Palladis alatum, prae quo X., *pone ancora.*

SEX. IVLI. CAISAR. *Mulier in citis bigis coronatur a Victoria retro stante, superne* ROMA. AR. R.

CAESAR. *Caput Palladis, in area litera alphabeti.*

L. IVLI. L. F. *Venus d. sceptrum in bigis Cupidinum volantium, in area lyra, et eadem litera, quae in antica.* AR. C.

Denarius prior antiquae formae cujus sit Sex. Iulii, incertum. Incertum etiam, utrum recentior alter referendus sit ad L. Iulium, qui consul fuit V. C. 690, et subinde non dubitavit ire legatus Caesari postea dictatori propinquo suo in Galliam, an ad ejus filium Lucium, qui Catoni ad Vticam pro quaestore adfuit, post cladem Africanam a dictatore per insidias, ut putatur, interemptus. Vide Hirtium. Venus ad originem gentis adludit, cui bini Amores recte tribuuntur, canente Ovidie [b]):

Alma fave, dixi, geminorum mater
Amorum.

De lyra quod dicam, non habeo.

* * *

Iulii incerti.

Caput Palladis alatum, pone XVI.

L. IVLI. *Dioscuri equites, in imo* ROMA. AR. C.

Caput Palladis alatum, pone spica.

---

a) Prometh. v. 124. seq. b) Fast. L. IV. 1.

L. IVLI. *Victoria in citis bigis.*
AR. C.

* * *

Numos Caesaris dictatoris quaere in moneta imperatorum.

IVNIA.

Gens sub regibus patricia, sed quae in numis exstat, plebeia ex tribunis pl. agnoscitur. Cognomina: *Brutus*, *Silanus*, et forte *Libo*.

* * *

Brutus.

Hoc nomine binos habemus numis insignes, *M. Iunium Brutum*, qui et *P. Caepio*, Caesaris dictatoris percussor, et *Decimum Iunium Brutum*, ambos in aevi sui historia magnum nomen adeptos. M. Bruti Caepionis denarios in monetam imperatorum differimus.

D. IVNIVS BRVTVS, qui et ALBINVS.

Caesari dictatori in paucis charus, ab eoque rebus gerendis adhibitus, praefectusque classi ad Massiliam obsidendam destinatae oppidanos pugna maritima vicit. Mirum adeo visum, et hunc inter principes exstitisse, qui in Caesaris necem conspiravere, et intendit invidiam comperta suprema Caesaris voluntas, quae eum in secundis heredibus scripserat, et quod consul etiam in annum sequentem designatus fuerat. V. C. 711 proconsul Galliae citerioris a M. Antonio jam hoste reip. judicato obsessus Mutinae, sed ab Octaviano una cum Hirtio et Pansa cos. liberatus, inito subinde inter IIIviros foedere tanquam Caesaris percussor hostis judicatus, et a suis desertus, cum ad propinquum M. Brutum in Macedoniam fugere pararet, occisus est. Vide Appianum fine L. III. de Bell. civ. aliosque.

Adoptatus ab A. Postumio Albino in omnibus se numis scripsit *Albinum Bruti F.* Vnde recte Dio a): *τον δε Βρȣτον τον Δεκιμον, ὁν και Iȣνιον, Αλβινον τε ἐπεκαλȣν*, *Decimum Brutum, quem et Iunium, et Albinum vocaverunt.* Spanhemio cum displiceret, Brutum adoptatum dici in numis *Albinum Bruti F.*, cum dicendus potius fuisset *Albinus Brutus*, maluit hos denarios ejus ipsius filio tribuere b). Verum quis quaeso fuit hic D. Bruti filius, cui in tot, ac tam insignes denarios jus esse possit?

* * *

A. POSTVMIVS. COS. *Caput A. Postumii nudum.*
ALBINVS. BRVTI. F. *intra coronam spiceam.* AR. R.

Caput Martis lanugine vestitum.
ALBINVS. BRVTI. F. *Duo litui militares decussati, superne et inferne clypeus.* AR. R.

a) L. XLIV. §. 14. b) Tom. II. p. 79.

PIETAS. *Caput Pietatis.*
ALBINVS. BRVTI. F. *Duae dexterae junctae caduceum tenent.* AR. R.

C. PANSA. *Persona Fauni barbata.*
Eadem aversa. AR. R.

De capite A. Postumii cos. clari a victoria ad lacum Regillensem agetur in gente Postumia. Illud D. Brutus numis suis intulit ad praedicandum gentis splendorem, cui insertus est. Reliqui numi ejus temporis peristases in genere notant. Signati videntur per id tempus, quo proconsul Galliae contra Antonium in armis stetit, quod verisimile efficit denarius postremus, in quo scriptus C. PANSA tum consul. De persona hujus numi agetur in gente Vibia.

* * *

Silanus.

Caput Palladis alatum, pone litera alphabeti.
D. SILANVS. L. F. ROMA. *Victoria in citis bigis, superne nota arithmetica.* AR. C.

D. SILANVS. L. F. ROMA. in assibus, in quibus caput Iani infixos superne palos offert, de quibus vide, quae diximus in gente Fonteia. R.

Denarii hi insigni sunt numero, incertum tamen, quis fuerit hic D. Silanus eorum auctor.

* * *

SALVS. *Caput Salutis, juxta plerumque alphabeti litera, omnia intra torquem.*
D. SILANVS. L. F. *Victoria in citis bigis d. flagellum, s. palmae ramum, infra cicada, vel pro his* ROMA. AR. R.

Persona barbata laureata, infra quod aratrum, vel pro hoc ROMA, *omnia intra torquem.*
Similis aversa. AR. R.

Torquis causam praeclare explicat Vrsinus. T. Manlius Torquatus filium suum adoptandum dedit D. Iunio Silano, quem subinde pater naturalis Torquatus V. C. 612 a Macedonibus repetundarum accusatum damnavit, ob quod probrum filius Silanus suspendio vitam finivit. Vide Ciceronem a), Val. Maximum b), Livium c). Ab hujus Silani posterorum quodam hos cusos denarios jure credimus suadente istud torque, qui eos ambit, et qui eodem modo denarios gentis Manliae exornat, a quo Manlii *Torquati* dicti sunt, quod decus Silanus noster, cujus majores a gente Manlia in Iuniam transivere, in numis renovatum voluit. Vide etiam numos Manliae gentis.

Salutis caput arbitris Vaillantio et Havercampo in Iuniae gentis decus his denariis insertum. Nimirum C. Iunius Bubulcus Brutus consul V. C. 443 aedem Salutis bello Samnitico vovit, quam deinde censor locavit, et dictator dicavit, ut docet Livius d). Eam paullo post a C. Fabio pictam, ex quo Pictoris cognomen abstulit, dixi supra in hujus numis. Sed neque solum istud memorabile factum in hoc Iunii consulatu contigit. Constat eodem anno tibicines cum Claudio censore collisos recessisse Tibur, lepido deinde astu reductis, placatisque permissum, ut quotannis per quinquatrus minores, quae eadem ex causa tum constituebantur,

a) De Finib. L. I. c. 7. b) L. V. c. 8. c) Epit. L. LIV. d) L. X. c. 1.

personati et stola induti per urbem vagarentur, de quo liberalius agetur infra in numis gentis Plautiae. Ad istud adludere personam alterius denarii conjicio, nam et personam exhibent denarii Plautii, qui ad idem argumentum sine dubio pertinent. Vaillantius et Havercampus esse caput Fauni diserte statuunt. Esse Fauni facile dedero, sed personam, non caput, nam deest collum certo personae criterio. Ex quo alia occurrit conjectura, intentam a Silano fuisse personam Sileni non incommoda ad nomen suum adlusione; nam pro Σιληνος Dores dixere Σιλανος, horum dialecto linguae Latinae amica. Sic et ΣΙΛΑΝΟΣ pro ΣΙΛΗΝΟΣ dicitur magistratus in drachma Dyrrhachii urbis Doricae.

* * *

ANTONIVS. AVGVR. COS. DES. ITER. ET. TER. *in aliis:* ANTON. AVG. IMP. III. COS. DES. III. IIIVIR. R. P. C. *Caput M. Antonii nudum.*

M. SILANVS. AVG. Q. PROCOS. *sine typo.* AR. C.

M. Silanus primum I. Caesaris legatus in Gallia, post hujus caedem M. Lepido adhaesit, qui ejus praecipue opera usus est in sustentandis ad Mutinam M. Antonii rebus, cum id palam non posset, quod is S. C. hostis esset judicatus [a]). Potestate subinde inter Antonium et Octavianum divisa Antonio sese adjunxit, sed Cleopatrae contumelias pertaesus ad Octavianum transiit, paullo ante quam postremum cum Cleopatra bellum erumperet [b]). Ab hoc in navatae operae praemium dictus consul V. C. 729. Fuisse eum augurem, hi denarii testantur. De titulo Q. PRO. COS. vide in Cocceia.

* * *

ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ in numis Antiochiae, sed qui est Caecilius Silanus Creticus. Vide numos Antiochiae Syriae.

* * *

Libo.

LIBO. *Caput Palladis alatum, juxta* X.

C. IVNI. C. F. *Dioscuri equites, in imo* ROMA.

Cum nullus veterum cognominis hujus Iuniae genti proprii meminerit, opinatur Havercampus, Libone, et C. Iunio IIviros monetales intelligi. At hoc repugnat legi a nobis in Prolegomenis latae, secundum quam το LIBO ad C. Iunium referendum. Nisi ergo Iunia revera Libones tulit, quod dissimulatum veteribus, credi poterit permutatam matricem ex gente Marcia; ex quo fuere Libones, et inter cujus denarios habemus obvios cum eadem antica.

* * *

Iunii incerti.

Caput Palladis alatum, pone quod X, pone caput asini.

M. IVNI. *Dioscuri equites, in imo* ROMA. AR. C.

Caput Palladis alatum, pone X.

C. IVNI. C. F. *Dioscuri equites, in imo* ROMA. AR. C.

C. IVNI. in asse. R.

a Dio L. XLVI. §. 38. 51. b) Plut. in Ant. p. 943.

IVVENTIA.

Numus Goltzianus. Iuventium magistratum habent etiam numi Caesaraugustae.

LAELIA.

Numus Goltzianus.

LAETILIA.

C. Laetilius Attalus IIvir in numis Gadium. Alius Goltzianus.

LAETORIA.

Numus Goltzianus.

LICINIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis: *Crassus*, *Macer*, *Murena*, *Nerva*, *Stolo*. Item *Mucianus* legatus in numis Antiochiae Syriae, quos vide.

* * *

Crassus.

Caput Veneris, *pone* S. C.

P. CRASSVS. M. F. *Miles stans s. hastam et clypeum*, *d. equum capistro retinet*, *intra equi pedes quid thoraci simile.* AR. R.

Videtur signatus denarius a P. Crasso Marci a Parthis occisi filio, qui et ipse in eodem bello occubuit, sed ante bellum Parthicum Caesaris castra in bello Gallico secutus est, ut istud ipse aliquoties in suis commentariis testatur. Fueritne, quod opinantur aliqui, signatus ab eo tum in Galliis quaestore, an alias, incertum. Aversa creditur exhibere transvectionem equi coram censore peragi solitam, revocato decore avito, nam et pater et avus censores fuere. Vide Spanhemium [a]).

* * *

Numulos aeneos inscriptos CRA. vel CRAS. typo crocodili, vel fascium non pertinere ad gentem Liciniam, sed Canidios Crassos, dictum in Canidia.

* * *

a) Tom. II. p. 99.

Crassus Iunianus.

Crassum Iunianum memorat Cicero hominem sibi deditum a), ex quo colligimus, Iunium quempiam in Liciniam Crassorum familiam adoptatum. Numos inscriptos: P. CRASSVS. IVNI. LEG. PROPR. jam recitavi in numis Metelli Scipionis gentis Caeciliae, quibus docemur, Crassum hunc Metello Scipioni belli Africani adversus Caesarem duci legatum pro praetore adfuisse. Morellius hos numos bis proposuit, in gente Caecilia et Licinia, at posteriore loco in horum uno pro IVNI. legit IVN. F. Quare Havercampus legendum censet: IVNI*ani* F*ilius*. Credam potius, Morellianum hunc numum in judicium revocandum, cumque in iis, quos alii ediderc, constanter legatur IVN. vel IVNI., et ipse Morellius variet, licet suspicari, Morellio legendo IVN. F. illusum fuisse. Hos Crassi Iuniani numos explicatos vide in moneta Metelli Scipionis.

* * *

Macer.

Protome juvenilis obverso tergo d. telum trisulcum vibrat.

C. LICINIVS. C. F. MACER. *Pallas in citis quadrigis d. hastam intentat.* AR. R.

Pro typo anticae, qui Apollinem Vejovem sistit, consule dicta in numis gentis Caesiae et Fonteiae. Verisimile est, pertinere hunc denarium ad C. Macrum, qui praetore Cicerone repetundarum reus omnibus suffragiis damnatus vivendi ipse finem fecit. Vide ejus facti testes apud Havercampum.

* * *

Murena.

L. MVRENA. ROMA, in assibus et quadrantibus. C.

* * *

Nerva.

NERVA. *Caput Apollinis laur.*

A. LICINI. *Eques rapido cursu.* AR. R.

NERVA. FIDES. *Caput Fidei laur.*

A. LICIN. IIIVIR. *Vir paludatus citato equo vectus barbarum nudum et barbatum crinibus prehensum rapit.* AR. R.

NERVA. FIDES. *Caput Fidei laur.*

ALBINVS. BRVTI. F. *Duae dexterae junctae caduceum sustinent.* AR. R.

A. LICINIVS. NERVA. SILIAN. IIIVIR. A. A. A. F. F. *in* AE. II. *cum capite Augusti.* R.

Quid Nervae cum Fidei capite, incertum. Typo aversae alterius numi antiquarii indicari censent A. Licinium Nervam, qui praetor Macedoniam sortitus pseudo - Perseum per quaestorem suum vicit, ex quorum ergo conjectura barbarus hic crinibus tractus falsus hic Perseus est. Iidem putant, ex numo III. Nervam posse probari D. Bruti quaestorem, at multo verisimilius, permutatas fuisse matrices. Vocabulum SILIAN., quod est in numo postremo, docet Silium aliquem a Licinio adoptatum. Ex sententia hujus numi Velleius quoque b): *et A. Licinius Nerva Silianus P. Silii filius, quem virum etc.*, qui imperante Augusto in bello Dalmatico strenue se gessit.

a) Ad fratrem L. III. ep. 8. b) L. II. c. 116.

* * *

Numos inscriptos: P. NERVA potius cum Vaillantio refero ad gentem Siliam, quam vide.

* * *

Stolo.

AVGVSTVS. TR. POT. *Caput Augusti nudum.* In aliis: *Augustus eques d. coronam praetendit.*

P. STOLO. IIIVIR. *Apex inter duo ancilia.* AR. R.

P. LICINIVS. STOLO. IIIVIR. A. A. A. F. F. *in aeneis Augusti I. et II. formae.* C.

Teste Varrone a) is Licinius, qui tribunus pl. legem tulit, ne quis civis R. plus D. jugeris haberet, dictus est *Stolo*, quod tam pertinax in colendis agris studium adhibuit, ut nullus in ejus fundo reperiri posset *stolo.* Ex hujus posteris fuit Stolo, quem numi hi sistunt sub Augusto IIIvirum monetalem. Existimat Vaillantius, his denariis exhiberi Augustum e Syria reducem, et ovantem urbem ingressum, quod sine sanguine cives et signa a Parthis recuperavit, ut perhibet Dio, quorsum etiam referri censet partem aversam; nam signa haec suspendebantur in templo Martis Vltoris, hujus flamen apicem gestabat, et ejus erat servare ancilia. De ancilibus vide, quae dicam in numis Antonini Pii ad annum V. C. 893.

* * *

Licinius incertus.

Denarii veteris rationis, et serrati, in quorum aversa: L. LIC. CN. DOM., de quibus vide, quae dixi in gente Cosconia, et Domitia.

LIVIA.

Gens plebeia.

Ejus denarii hactenus noti Goltziani sunt omnes. Exstant vero aenei inscripti: L. SALIN. C. CASSIVS, quos jam recitavi in gente Cassia. Eos nonnulli genti Liviae inserunt, quod haec *Salinatores* tulit. Sed cognomen istud fuit etiam genti Oppiae, ad quos pertinere hos numos verisimilius est, ut in hac dicetur.

Drusus, cognomen etiam gentis Liviae, sed Drusorum, aut in gentem Iuliam adoptatorum, aut huic adfinitate junctorum numos in monetam imperatorum differimus. Cl. Nauzeus copiose illustravit denarium inscriptum: M. LIVI. L. F. DRVSVS. LIBO. EX. S. C. b). Ejus praeconem citavit Vaillantium in familia Livia, parum istud adcurate pro disciplinae nostrae legibus. Citandus enim fuerat Goltzius, ex quo eum hausit Vaillantius. Neque enim ab alio aliquo conspectus unquam fuit. Ergo cum numus sit mere Goltzianus, eum pro instituto meo in hunc catalogum non recipio.

---

a) De R. R. L. I. c. 2. b) B. L. T. XXXV. p. 600.

LIVINEIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis: *Regulus*, *Gallus*.

* * *

Regulus.

L. REGVLVS. PR. *Caput nudum imberbe*, (*saepe abest epigraphe*) in alio: *Caput juvenile*, *pone sceptrum*.

L. LIVINEIVS. REGVLVS. *Sella curulis*, *hinc et illinc tres fasces sine securibus*. AV. (Pembrock.) RRRR. AR. C.

Caput idem.

L. REGVLVS. *Duo luctantes cum leone*, *tigride*, *tauro*. AR. C.

Caput idem.

L. LIVINEIVS. REGVLVS. *Modius inter duas spicas*. AR. C.

Restitutus etiam a. Trajano. (Theupoli.) RRRR.

L. REGVLVS. PR. *Caput idem*.

REGVLVS. F. PRAEF. VR. *Sella curulis*, *super qua corona*, *hinc et illinc fasces sine securibus*. AR. RR.

Caput I. Caesaris, *prae quo caduceus*, *pone ramus lauri*.

L. LIVINEIVS. REGVLVS. *Bos cornupeta*. AR. R.

Vt certum est, caput anticae, quod est in his numis, esse vetustioris cujuspiam Reguli, ita quis hic fuerit, plane ignoratur. Adjectas literas PR. Havercampus legendas censet: Pater Reguli, propterea quod in aversa legitur REGVLVS. F*ilius*. In fraudem induxere typi Morelliani, in quibus exaratum P. R. Verum in tribus integerrimis musei Caesarei est PR. sine medio puncto. Quocirca legendum potius PR*aetor*. Epigraphen aversae legendam REGVLVS. F*ilius*, et indicari L. Reguli praetoris filium, dubium non videtur. Sic et in numis gentis Valeriae legitur MESSAL. F. Hi ergo numi signati sunt ab eo L. Regulo, qui, ut additum PRAEF. VR. innuit, ex Havercampi sententia fuit unus ex praefectis urbis, quos I. Caesar in Hispanias profectus in urbe reliquerat, ut refert Dio [a]), quique jus lictorum et sellae curulis sibi sumpserunt, ut hujus quoque Reguli numi docere videntur, quam conjecturam uberius proposui supra in Cestia, nisi forte hic typus in praesentibus denariis verius ad praeturam patris Reguli pertinet, praecipue quod fasces securibus carent, quas a praetorum urbanorum fascibus abfuisse docet Spanhemius [b]). Venationis typo indicantur forte magnifica munera a I. Caesare edita. Taurum numi postremi explicat Havercampus ex Plinio docente, primum Caesarem Romae spectaculum dedisse Thessalorum tauros mira arte necantium [c]). Verum idem hic typus frequens est etiam in numis Augusti.

* * *

C. CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput Octaviani modice barbatum.*

---

a) L. XLIII. §. 28. b) T. II. p. 106. seq. c) L. VIII. c. 46.

L. LIVINEIVS. REGVLVS. *Victoria stans.* In alio: L. REGVLVS. IIIIVIR. A. P. F. *Aeneas Anchisen efferens.* AV. (Pembrock, Catal. d'Ennery p. 323 in nota.) RRR.

M. ANTONIVS. IIIVIR. R. P. C. *Caput M. Antonii.*

L. REGVLVS. IIIIVIR. A. P. F. *Vir seminudus sedens d. hastam, s. clypeum.* AV. RRR.

M. LEPIDVS. IIIVIR. R. P. C. *Caput M. Lepidi.*

L. REGVLVS. IIIIVIR. A. P. F. *Vesta stans d. simpuvium, s. hastam transversam.* AV. RRR.

Aetatem suam numi ipsi manifestant. Regulus dicitur IIIIVIR. A. P. F., quod videtur legendum A*uro* P*ublico* F*eriundo*, quia aurei sunt. De typo numi II. nihil pronuncio, quoniam eum ex numo varie exceperunt eruditi. In pictura Morelliana videtur Hercules. In numo III. est Vesta, credo, quia Lepidus anticam obtinet, qui fuit pontifex maximus. Havercampus virginem Vestalem dixit, verum an Vestales hastam praegessere.

* * *

REGVLVS. PVLCHER. TAVRVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. *in aeneis III. formae sub Augusto signatis.* C.

Teste Dione [a]) V. C. 736 Livineius quidam Regu'us (in vulgatis mendose est Licinius pro Livineius, ut jam advertit Vrsinus) deletum se ex albo patrum indignatus, cum interea ejus ipsius filius in senatum adlectus esset, in ipsa curia denudato corpore, enumeratisque stipendiis citatrices ostentabat. Verisimile, hunc senatu motum esse eum, ad quem denarii praecedentes pertinent, filium vero, qui in numis praesentibus REGVLVS dicitur.

* * *

Gallus.

C. LIVIN. GALLVS. PRO. PR. in aeneo Hadrumeti Africae signato, quem ibi vide.

LOLLIA.

Gens plebeia. Cognomen *Palikanus.*

* * *

LIBERTATIS. *Caput libertatis.* PALIKANVS. *Porticus, cujus columnis adfixa rostra navium, et cui imposita mensa.* AR. RR.

HONORIS. *Caput juvenile laur.* PALIKANVS. *Sella curulis inter duas spicas.* AR. RR.

Cum Vrsino conspirant antiquarii omnes, statuente, in aversa numi prioris exhiberi rostra P. R., quo nomine appellabatur suggestum in foro exstructum, et captarum navium Antiatium rostris adornatum, de quo vide plura apud Vrsinum, hoc vero typo spectari M. Lollium Palikanum, qui tribunus pl. V. C. 684 perfecit adnitente etiam Pompejo cos., ut tribunatui vetus potestas restitueretur, cujus Sulla imaginem sine corpore reliquerat. Vide Vrsinum, et Pighium ad hunc annum. Capite igitur

a) L. LIV. §. 14.

Libertatis facile indicatur libertas P. R. restituta, et rostris locus, quo tribuni pl. dicere pro concione sunt soliti, quo de argumento vide plura apud Spanhemium [a]). Caput Honoris numi alterius, et sella curulis lucem adhuc desiderant.

* * *

Opportune hoc loco agemus de numis Lolliorum extra urbem signatis, quoniam sine dubio sunt hujus gentis, eorumque admodum controversa est patria.

1) *Caput Ammonis.*

ΛΟΛΛΙΟΥ. *Sella curulis, cui imposita corona, intra ejus fulcra in nonnullis nota arithmetica, ut:* ΙΑ. AE. I. (Mus. Caes. Morelli.)

2) *Caput juvenile diadematum, prae quo sceptrum, et* B.

L. LOLLIVS. *Sella curulis cum corona, intra fulcra* Γ. AE. I. (Mus. Caes. Morelli.)

3) IMP. AVG. TR. POT. *intra lauream.*

PALIK. PR. *Sella curulis.* AE. II. (Pellerin Lettres p. 212.)

4) *Caput juvenile diadematum.*

ΛΟΛΛΙΟΥ. B. *Caduceus inter spicam, et papaver.* AE. II. (Morelli.)

5) *Caput Dianae.*

L. LOLLIVS. *Cervus, intra cujus pedes in nonnullis notae arithmeticae* B. Δ. ΙΒ. ΙΔ. ΙΓ. ΙΖ. K. AE. II. (Mus. Caes. Morelli, Catal. d'Ennery p. 175. Galandus apud Woltereck p. 80.)

6) *Caput Apollinis laur.*

ΛΟΛΛΙΟΥ. *Dromas, intra cujus pedes* B *vel* ΙΒ. AE. II. (Mus. Caes.) *In alio:* E. (Liebe pag. 393.)

7) L. LOLLIVS. *Clava, in area* B.

Δ *intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

In horum numorum explicatione nolo immorari commemorandis variorum conjecturis, quas in nostra hac luce inanes agnoscimus. Quae novimus probabilia, haec sunt. Priores tres numos esse Cyrenaicos, et signatos a L. Lollio Palikano praetore, docent numi collati Sex. Catonis, et A. Pupii, quos descriptos vide in moneta Cyrenaica. Liquet istud praeterea ex capite Ammonis, in numis ejus regionis autonomis obvio, et tertius Pellerinio Tripoli Barbariae adlatus est, quae stetit in eodem tractu. Caput numi II. Vaillantius esse Ptolemaei Physconis, Havercampus Ptolemaei Apionis, qui moriens eam regionem populo R. legaverat, crediderunt. Vtrumque incertum, etsi postremum verisimilius, nam signari serius potuit in memoriam regis propter cognitum ejus in Romanos adfectum. Numi reliqui eruditos nonnullos, ut Galatiam iis patriam constituerent, impulere. Ea regio mortuo V. C. 729 rege Amynta in provinciae formam redacta est imposito praefecto Lollio. Iam vero, inquiunt, numi ex citatis nonnulli per typos Galatiam palam eloquuntur. Numi Amyntae hinc caput Dianae, illinc cervum exhibent, perinde ac numus ex citatis V. Numus Galatarum, quem sistit Morellius in gente Neratia, habet caduceum cum spica et

a) T. II. p. 190.

papavere colligatum, ceu numus IV. Ad haec constat, Lollium tum primum in provinciam missum, cujus nomen in id genus numis perpetuum. Verum quidem, ait Morellius in suis ad Perizonium quaesitis, Lollium hunc a Rufino dici Marcum, quem tamen numi hi omnes Lucium diserte appellant, at putat potuisse Rufinum facile in praenomine peccare. Quocirca jure censet, posse hos numos Galaticos existimari. At Perizonius magnam in praenomine vim reponit; nam, ait, Lollium hunc non unus tantum Rufinus, sed omnes, Velleius, Eutropius, Obsequens, Cassiodorus, ipsa tabula Collotiana, et lapis Gruteri [a]) Marcum vocant. Quare mavult numos omnes, qui L. Lollium inscribunt, in Cyrenaicam revocare. Tamen in hac causa minus adcuratum video Perizonium, nam pleraque monumenta, quae citat, Lollium quidem Marcum dicunt, at non addunt omnia, fuisse eum hunc ipsum, qui Galatiae praefectus fuit, quod tamen maxime probandum fuerat. Nam non negamus, fuisse circum haec tempora Marcum aliquem Lollium, nempe eum, qui V. C. 733 processit consul, moderator deinde et comes C. Caesari in orientem profecto additus, ejusque proditor, de cujus fortuna varia congessit Norisius [b]). Tamen primum hunc Galatiae praefectum Eutropius quoque Marcum appellat, quanquam erret in nomine, cum Πολλιον appellet, pro quo certe reponendum Λολλιον. Verum in haec nunc curiosius non inquiro, quando verisimile prorsus videtur, alteros quoque hos numos deberi Cyrenaicae, et fuisse adeo Lucium Marci aut fratrem, aut propinquum. Sunt enim utrique fabricae similis, epigraphe in alteris quoque jam Graeca, jam Latina, uti et perinde notae arithmeticae. Ex typis, quorum nonnulli cum Galaticis conspirant, nihil magnopere subsidii, nam Diana, et symbolicus felicitatis typus in qualemcunque provinciam jus suum porrigunt, dromas vero numi VI. animal magis Africae proprium, quam illi Asiae tractui, in qua sita Galatia. Haec ergo argumenta conjuncta cum eo, quod tamen auctores aliqui Galatiae praefectum non Lucium, sed Marcum nominant, (nisi forte velis conjicere, Lucium Marco seu fratri, seu propinquo in Galatiae regimine sucessisse) eorum certe favent sententiae, qui numos hos perinde Africanos putant. Quod ad notas arithmeticas attinet, conjicit Havercampus, iisdem indicari annos, quibus Lollius Cyrenaicae praefuit, cumque annus in iis IZ notetur, ejus in hac provincia commorationem in annum XVII. porrectam, quin et XX., cum in simili legatur K. teste Gallando citato. At vero istud minus verisimile, et praestat horum sensum numerorum in incertis putare, non uno hoc in re numismatica exemplo. Ex numo III. docemur, hunc L. Lollium inde ab anno V. C. 727 in Cyrenaica stetisse, nam hoc demum anno Caesar Augusti titulo uti coepit.

---

a) Pag. 160. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 24.

LVCILIA.

Gens plebeia. Cognomen *Rufus*.

* * *

Caput Palladis alatum pone A. PV. *vel* PV. *tantum*, *omnia intra lauream.*

M. LVCILI. RVF. *Victoria in citis bigis.* AR. C.

Typus simplex, et incertus hic Lucilius nihil adferunt, quod observari mereatur. In omnibus ectypis hactenus editis reperio scriptum A. PV., at in archetypis musei Caesarei tantum legitur PV. Subauditur ergo litera A, sic ut sensus sit: A*rgento* PV*blico*.

LVCRETIA.

Gens patricia exstincta; quae in numis superest, plebeia. Cognomen *Trio*.

* * *

TRIO. *Caput Palladis alatum*, *juxta* X.

CN. LVCR. *Dioscuri equites*, *infra* ROMA. AR. R.

Caput Solis radiatum.

L. LVCRETI. TRIO. *Luna inter VII. triones.* AR. R.

Restitutus etiam a Trajano. RRR.

Caput Neptuni, pone notae arithmeticae.

L. LVCRETI. TRIO. *Cupido delphino vectus*, *quem freno regit.* AR. C.

Denario alteri inlatos VII. triones causa adlusionis ad nomen, inter omnes convenit. Addo, fuisse praeterea signatum solem et lunam, quod haec sidera uberiorem prae aliis *lucem* diffundunt, quo adludi puto ad nomen *Lucretii*.

Cupido in delphino eques incertum in Lucretio est argumentum. Vaillantius Phoebo plenus utriusque partis typum ad Aemilii Siciliae praetoris relatam victoriam navalem refert, quin eo suam provexit perspicaciam, ut ex numero XXXI., quem in numo suo juxta Neptuni caput vidit, ipsum captarum navium numerum colligeret. Quis haec refutabit?

LVRIA.

Gens parum cognita. Cognomen *Agrippa*.

P. LVRIVS. AGRIPPA. IIIVIR. A. A. A. F. F. *in aeneis Augusti I. et II. formae.* R.

LVTATIA.

Gens plebeia, cognomen *Cerco*.

* * *

CERCO. *Caput Palladis tectum galea, ex qua bina astra collucent, pone* X, *superne* ROMA.

Q. LVTATI. Q. *navis intra coronam quernam.* AR. C.

Non moror conjecturarum farraginem, quas antiquarii attulere, ut et hujus auctorem denarii, et causam typi reperirent. Pronissimum est credere, typo aversae indicari celebrem victoriam navalem, quam C. Lutatius Catulus ad Aegates de Poenis retulit V. C. 512, quamque serius hic Q. Lutatius Cerco in gentis suae decus in numis praedicat. Fuisse autem Catulorum, et Cerconum eandem gentem, probat Pighius [a]).

MAECIA.

M. Maecius Rufus procos, legitur in numis Bithyniae, quos vide in prolegomenis ad numos ejus provinciae.

MAECILIA.

Gens plebeia. Cognomen *Tullus.*

* * *

M. MAECILIVS. TVLLVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. *in aeneis Augusti I. et II. formae.* C.

MAENIA.

Gens plebeia. Cognomen *Antiaticus*, ut dicetur.

* * *

Caput Palladis alatum, pone X.

P. MAE. *Dioscuri equites, infra* ROMA. AR. C.

Eadem adversa.

P. MAE. ANT. *Victoria in citis quadrigis, infra* ROMA. AR. C.

Caput Herculis.

P. MAE. ANT. ME. *Prora navis.* AE. III. RR.

Hos numos explico verbis insignis Aloysii Oderici ex praeclara ejus dissertatione, quae exstat in *Saggi di Cortona* [b]). Havercampus, inquit, ex his epigraphes siglis (nam literae sunt colligatae) exsculpsit personas tres, P.

a) Annal. T. II. p. 65. b) Tom. VIII. p. 153.

Maenium, Antonium, (vel Autronium) et Metellum, cum tamen unicus indicetur *P. Maenius Antiaticus Megellus*, vel *Medullinus*, vel quocunque alio cognomine, quod a syllaba ME. incipit. Primum cognomen jure tribuitur genti Maeniae, ex quo C. Maenius V. C. 416 triumphavit de Antiatibus narrante Livio, et Fastis Capitolinis, in quibus: C. MAENIVS. P. F. P. N. COS. DE. ANTIATIBVS. Alterum cognomen, qualecunque fuit, distinguit hunc Maenium ab aliis Antiaticis, ut cognomen Spinther Cornelios Lentulos a Marcellinis distinguere debuit.

* * *

Denarius cetera similis, sed in cujus antica juxta caput legitur LAEÇA, absque dubio permutationem matricis arguit.

MAEVIA.

Aeneus III. formae cum capite Augusti: L. POL. MAEVI., quem edidit Seguinus, et gentis esse Maeviae adseruit a), est Ptolemaei Mauretaniae regis, ut docet Vaillantius in suis ad Seguinum notis pag. 404.

MAIANIA.

Caput Palladis alatum, *pone* X. C. MAIANI. *Victoria in citis bigis*, *infra* ROMA. AR. C.

C. MAIANI. in asse. C.

Vrsinus et Morellius hos numos genti Maianiae tribuerunt, at cum hujus nulla apud veteres exstet mentio, Vaillantius eos genti Maeniae accensuit. Havercampus literas has monogrammate ligatas legit MAINIA, putatque indicari *Maenianum* aliquem, qui ex gente Maenia alteri se adoptandum dederit. Sed tertia litera luculentum est AN colligatum, ut integerrimi quique exhibent, ut adeo *Maenia* legi non possit. Omnium minime ferendus Perizonius, qui Minatiam gentem indicari opinatur.

Morellius in numis Augusti tab. XXXIII. n. 4. aeneum II. formae ex museo Dron citat inscriptum: MAIANIVS. GALLVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. S. C. At cum numum hunc nusquam alibi citari videam, occurrit, perperam forte lectam epigraphen pro: C. ASINIVS. GALLVS.

---

a) Num. sel. p. 93.

MAMILIA.

Gens nobilissima Tusculo profecta, ut dicetur, sed plebeia Romae evasit. Cognomen *Limetanus*, datum, ut creditur, C. Mamilio tribuno pl., quod V. C. 589 legem de limitibus tulit. Vide Pighium a).

* * *

Protome Mercurii, pone litera alphabeti.

C. MAMIL. LIMETAN. *Vir curto habitu, tectus pileo rotundo, s. scipionem graditur; ei adblanditur canis.* Sunt serrati. AR. C.

Restitutus etiam a Trajano. RRR.

Caput Dianae, prae quo S. C. *Eadem aversa.*

Ad explicandos hos denarios plurima jam praeclare praecepit Pighius b). De Mamiliae gentis auctore haec Livius c): *Octavio Mamilio Tusculano* (*is longe princeps Latini nominis erat, si famae credimus, ab Vlixe deaque Circe oriundus*) *ei Mamilio filiam nuptum dat* Tarquinius Superbus. Hunc regno ejectum ad generum Mamilium Tusculum abiisse idem refert d), serius L. Mamilium Tusculi dictatorem propter praestitam praeclaram Romanis operam civitate donatum e). Multa etiam de Mamiliis Tusculanis vide apud Dionysium Halic. Eos per Telegonum ad Vlyssem et Circen genus suum retulisse, luculenta habemus testimonia. Verba sunt Pompeji Festi f): *Mamiliorum familia a Mamilia Telegoni filia, quam Tusculi procreaverat, quando id oppidum ipse condidisset*, quo testimonio tenemus et originem nominis gentilis Mamiliorum, et Tusculum a Telegono Vlyssis et Circes F. conditum. Quare et ab Ovidio Tusculum dicitur *Telegoni moenia* g), ab Horatio *Telegoni juga parricidae* h), alibi *Circaea moenia* i).

His praemansis facile utriusque partis typum explicamus, quorum uterque illustrem Mamiliorum prosapiam jactat. Cum pars adversa plerumque numinis alicujus caput ostentet, lectus jure Mercurius, quo Mamilii per Vlyssem descenderunt. Mercurius enim pater Autolyci, hic Anticliae, haec uxor Laertis, et mater Vlyssis, hic pater Telegoni etc. k) quod et Ovidio agnitum praedicante Vlysse l):

Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis
Altera nobilitas.

Etiam aliorsum Mercurius in Vlyssis familia non peregrinus, nempe qua Penelopen ejus uxorem spectabat. Nimirum cum vox, incertum, unde missa, Thamum navis gubernatorem propter Echinadas vectum palam compellaret, moneretque, magnum Pana mortuum,

---

a) Tom. II. p. 392. b) Ann. T. II. p. 490. c) L. I. c. 49. d) L. II. c. 15. e) L. III. c. 18. 29. f) in Mamiliorum. g) Fast. III. v. 29, Fast. IV. v. 71. h) L. III. Ode 29. i) Epod. Ode I. v. 29. k) Hygin Fab. 201. l) Met. L. XIII. v. 146.

viri docti a Tiberio, quo istud imperante contigit, consulti responderunt, videri fuisse eum ipsum, qui natus esset ex Mercurio, et Penelope. Vide istud adcurate descriptum a Plutarcho [a]), et Eusebio [b]). Etiam Herodoto Pan dicitur filius Mercurii ex Penelope [c]), ut et Luciano in lepido dialogo [d]). Recte etiam Mercurius dolosus ad Vlyssem pertinet; quare eum Vlysses sic invocat apud Sophoclem [e]):

Ερμης ὁ πεμπων δολιος ἡγησαιτο νωϊν.

Mercurius autem dolosus, ut huc duxit, porro ducat nos.

Insignius argumentum partis aversae, exhibens Vlyssem in patriam reducem mendici habitu, ne a procis agnosceretur, qualis nimirum a Homero describitur [f]):

Πτωχῳ λευγαλεῳ εναλιγκιος ἠδε γεροντι,
Σκηπτομενος, τα δε λυγρα περι χροϊ ειματα εςο.

Pauperi tristi similis et seni,
Baculo innixus, laceraque circum corpus vestimenta indutus erat.

Caput tegitur pileo hemisphaerico vel conico, quod ejus fuisse operimentum, alibi dixi [g]). Eleganter etiam adstituitur canis adblandiens, graphice iterum secundum Homerum, perhibentem [h]), fuisse Vlyssi canem, dictum Argum, qui dominum post XX. demum annos reversum agnovit tamen, et qua potuit, cauda mota, dejectisque auribus subitam testatus laetitiam. Haec de praeclaro hoc denario. Ceterum insignem errorem errant Vaillantius et Havercampus, qui Telegonum Tiburis conditorem, et Mamilios Tibure devectos dixere, quae de Tusculo singula adfirmanda fuere.

* * *

C. LIMETA. in denario alio, quem recitavi in numis gentis Crepusiae.

MANILIA.

Numi Goltziani.

MANLIA.

Gens patricia, et nobilissima. Cognomina in numis *Ser* - - et *Torquatus.*

* * *

Ser - -

SER. *Caput Palladis galeatum, juxta* ROMA.

A. MANLI. Q. F. *Sol adversus quadri-*

a) De Orac. def. p. m. 419. b) Praepar. evang. c) L. II. c. 145. 146. d) Dial. deor. 22. e) Philoctet. v. 134. f) Odyss. P. v. 337. g) Num. vet. p. 6 et 8. h) Odyss. p. 291. seq.

gis invectus, *hinc et illinc astrum*, *superne* X, *inde lunula.* AR. R.

Cognomen SER. qua ratione sit explendum, non satis expeditum. Placet Havercampo SER*ranus*, Vaillantio SER*ratus*, qui conjicit Vrsinum secutus, illum primum denarios serratos cudisse sic dictos ab impressa *serrae* circa ambitum nota. An ferenda conjectura nulla suffulta veri specie? Cognomen *Sertor* memorat Val. Maximus in opere de Nominibus sibi tributo, sed cujus gentis fuerit, non addit. Vulgavit Florezius numum aeneum a): T. MANLIVS. T. F. SERGIA. *Caput virile nudum.* ✠ *Epigraphe vitiata. Navis*, *infra quam piscis.* Certum est, vocabulo SERGIA indicari tribum Sergiam, ex qua fuit T. Manlius, atque est hoc unicum in re numismatica exemplum inscriptae tribus Romanae, etsi ejus obvia sint in marmoribus exempla. Quare quamvis invitent elementa hujus denarii SER., non tamen audeo, nullo alio in hac numorum classe exemplo, conjicere, his quoque literis indicari Manlii tribum Sergiam.

* * *

Torquatus.

L. MANLI. PRO. Q. *Caput Palladis alatum.*

L. SVLLA. IMP. *Sulla in quadrigis triumphalibus d. caduceum coronatur ab advolante Victoria.* AV. RRR. AR. R.

ROMA. *Caput Palladis alatum*, *juxta* X, *omnia intra torquem.*

Eadem aversa. AR. RR.

Eadem adversa.

L. TORQVA. Q. EX. S. C. *Vir galeatus d. hastam*, *s. clypeum rapido equo vectus.* AR. R.

SIBVLLA. *Caput Sibyllae.*

L. TORQVAT. IIIVIR. *Tripus*, *super quo diota inter duo astra*, *omnia intra torquem.* AR. R.

Torquatis denarios hos sive ipsum additum Torquati nomen, sive torques, qui in nonnullis numi oram claudit, vindicat. Cognomen istud familia abstulit virtute T. Manlii, qui V. C. 393 Gallum viribus praevalidum singulari certamine interemit, eidemque torquem detraxit. Tempus, quo ea laus parta, nec ipsi Livio satis constitit b). Egregie istud describitur apud Gellium ex Q. Claudio Quadrigario c). In facti hujus memoriam Manlii posteros torque usos docet Suetonius d): *vetera familiarum insignia nobilissimo cuique ademit, Torquato torquem*, *Cincinnato crinem*, *C. Pompejo stirpis antiquae Magni cognomen.* Et Livius, qui factum illud iterum memorat e), inter carmina, ait, militaria *Torquati cognomen auditum*, *celebratum deinde posteris etiam*, *familiaeque honori fuit.* Hoc igitur decus in suis quoque numis jactant Manlii, neque solum ii, qui in gente Manlia perstitere, sed etiam Manlius is, qui in gentem Iuniam adoptatus est, ut vidimus in Iunia Silanorum.

Fuisse Manlium Torquatum, qui in denario I. pro quaestore dicitur, unum

---

a) Medall. de Espann. Tom. III. p. 144. b) L. VI. c. 42. c) L. IX. c. 13. d) in Calig. c. 35. e) L. VII. c. 10.

ex ducibus Sullae, Plutarchus docet [a]). Alibi idem narrat Manlium virum egregium, qui sub Sulla meruerat, conspirasse cum Catilina [b]). In parte aversa numi II. verisimile est propositum T. Manlium praefervidae virtutis adolescentem, quem V. C. 414 bello Samnitico pater consul T. Manlius, idem, a quo partum Torquati cognomen mox diximus, quod injussu suo pugnaverat, etsi re bene gesta, et Gemini Metii Tusculanorum equitum magistri singulari equestri certamine victorem securi percussit, ut perhibent Livius [c]), Cicero [d]), aliique. Tres hos numos ab eodem Torquato Sullanis temporibus percussos dubium non est.

Denarius postremus Sibyllae caput objicit adscripto SIBVLLA pro SIBYLLA. Sic et in Kalendario Praenestino ad prid. non. Aprilis: EX. LIBRIS. SIBVLLINIS. Sic et AEGVPTO Romae in obelisco maximo Solis. Nimirum ut ad citata Kalendarii verba ex Velio Longo observat Fogginius [e]): *Verrio Flacco videtur eandem esse apud nos* V *literam, quae apud Graecos* T. Eruditi ad explicandam hujus typi causam nihil adhuc verisimile attulerunt.

* * *

Manlius incertus.

Caput Palladis alatum, pone O. T. MAL. AP. CL. Q. VR. *Victoria in trigis.* AR. C.

Auctores hactenus omnes colligatas literas MAL. legerunt MANL., at literae N in hoc nexu nullum vestigium. Contendit Vaillantius, a veteribus, praecipue Graecis, nonnunquam dictum Mallius pro Manlius. Quidquid erit, certum tamen etiam ex Fastis, et Grutero, fuisse quoque gentem Malliam, ad quam adeo praesentes denarii pertinere aeque possent. Quid quod etiam Poblicius Malleolus solum MAL. denariis inscripsit. De his redibit iterum mentio in sequente Marcia.

M A R C I A.

Olim patricia, sed quam numi memorant, plebeia. Cognomina in his: *Censorinus, Libo, Philippus.*

* * *

Censorinus, quod nomen primus tulit C. Marcius Rutilus bis censor, et quidem ab altera censura, ut diserte Fasti Capitolini ad annum V. C. 489.

Caput barbatum diadematum, juxta scriptum: NVMA. POMPILI. *vel:* NVMAE. POMPILI., *cum quo jugatum alterum imberbe adscripto:* ANCVS. MARCI. *vel* ANCI. MARCI.

C. MARCI. CENSO. ROMA, *vel:* C. CENSO. ROMA. *Duo arcus, in quorum uno Victoria basi insistens, in altero subducta navis, supra quam lunula.* In aliis: *Duae navium prorae varia com-*

---

a) In Sulla p. m. 470. b) in Ciceron. p. 867. c) L. VIII. c. 7. d) de Finib. L. I. c. 7. e) Fast. Verrii p. 44.

pagis lege, super quarum una Victoria basi insistens. AE. I. R.

Capita similia jugata, in nonnullis pone litera alphabeti.

C. CENSO. *Desultor capite pileato binis equis citato cursu invectus, infra equos jam notae arithmeticae, jam literae alphabeti, jam minuta sigilla.* AR. C.

Caput juvenile diadematum cincinnis in occiput recta pendentibus.

C. CENSORI. *Equus citato cursu, per aream notae arithmeticae, aut variantia minuta sigilla.* AR. C.

Caput Apollinis laur.

L. CENSOR. *Silenus stans d. elata rejecto post tergum utre, pone columella, cui simulacrum insistit.* AR. C.

C. MARCI. L. F. CENSORIN. AVG. IIIVIR. A. A. A. F. F. *in aeneis Augusti I. et II. formae.* C.

Illustres hi numi digni sane, quibus longius immoremur.

Numi I. loco positi exhibent capita Numae Pompilii et Anci Marcii regum additis ipsis nominibus. Eadem sunt in numo II., nisi quod desunt nomina. Gentem Marciam voluisse videri genus suum ab Anco Marcio IV. Romanorum rege deducere, constat primum ex oratione funebri I. Caesaris, qua is disertis verbis adserit, ut est apud Suetonium [a]): *amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum - - - nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater.* Deinde ex Val. Maximo [b]), et ex Ovidio, cujus testimonium infra in Marcio *Philippo* recitabimus, nam et Philippi, ut ibi ex ipsis etiam numis videbimus, Ancum Marcium in majoribus agnovere. Ex quo docemur, decus idem jactasse et *Censorinos*, et *Philippos*, ex oraculo scilicet numorum, et *Reges*, ex citato Suetonii loco. Mirum vero, in omnibus his numis, ut et in sequentibus Philippi, Anci caput proponi imberbe, cum capita remotioris aetatis, si homo Romanus sit, liberaliter barbata fingi consueverint. Tamen legem hanc posse fallere, docet Varro, cum ait [c]): *Olim tonsores non fuisse adsignificant antiquorum stătuae, quod pleraeque habent capillum, et barbam magnam.* Anco jungitur Numa, et jure quidem, quando et hunc Marcii per Ancum in suis numeraverant. Nam teste Livio [d]). *Numae Pompilii regis nepos, filia ortus, Ancus Marcius erat.* Idem aliquot locis docet Dionysius Halicarnassensis. Pompiliam appellat Plutarchus, qui hunc Anci cum Numa nexum uberius explicat [e]). Numae caput habent etiam numi Calpurniorum ob causam similem, ut et Pomponii Molonis. Pars aversa in his numis per navium stationem facile indicat portum Ostiae ab Anco structum, Victoria qualemcunque ejus victoriam, luna judice Havercampo annum a Numa in XII. menses distributum.

Numus II. eadem continet Numae et Anci capita. Insigne etiam thema offert pars aversa, nempe desultorum unum, quorum erat in ludis equos duos pernici cursu incitare, sic ut insidentes uni mox in alterum mira celeritate desilirent. Inde per metaphoram desul-

---

a) In Caes. c. 6. b) L. IV. c. 3. c) de R. R. L. II. c. 11. d) L. I. c. 32. e) in Numa p. 74.

tores etiam dicti leves et inconstantes, quique causam facile prodidere. Sic et Ovidius [a]).

Non mihi mille placent, non sum
desultor amoris.

Hujus typum denarii graphice describit Hyginus agens de Dioscuris alterna morte redemptis [b]), *unde et Romani servant institutum, cum desultorem mittunt, unus duos equos habet, pileum in capite, equo in equum transilit, quod ille* (Pollux) *sua et fratris* (Castoris) *vice fungatur.* Apposite ad haec verba desultor pileo tegitur, et conico quidem, nimirum ut Dioscuros proxime imitetur, quorum pileos hujus fuisse formae et monumenta innumera testantur, et diserte Lucianus, qui eos vocat τȣ ωȣ το ἡμιτομον, *ovi dimidium segmentum* [c]), quo indicaretur, fuisse ex ovo prognatos. Non possum mihi temperare, quo minus hoc loco insignes Homeri versus hunc desultorum modum eleganter describentis proponam [d]):

Ὡς δ' ὁτ' ανηρ ἱπποισι κελητιζειν ἐυ
ειδως,
Οστ' ἐπει ἐκ πολεων πισυρας συναγειρεται ἱππȣς,
Σευας ἐκ πεδιοιο μεγα προτι ἀςυ διωκει,
Λαοφορον καθ' ὁδον, πολεες τε ἑ θηησαντο
Ανερες ἠδε γυναικες, ὁ δ' ἐμπεδον ἀσφαλες ἀιει
Θρωσκων, ἀλλοτ' ἐπ' ἀλλον ἀμειβεται,
ὁι δε πετονται.

Vt vero cum vir equis desultoriis
uti peritus,
Qui postquam ex multis quatuor selegit equos,
Agitans ex campo magnam ad urbem urget
Publicam per viam, multique eum
admirantes spectant
Viri et mulieres; ille firmiter sui
securus adsidue
Saliens alias in alium alternat, illi
interim volant.

Praeclare etiam secundum hunc typum Manilius [e]):

Nec non alterno desultor sidere dorso
Quadrupedum, et stabiles poterit
defigere plantas,
Perque volabit equos, ludens per
terga volantum.

Lectum hunc a Censorino typum in memoriam celebris ex hac gente vatis Marcii, qui auctor fuit senatui, ut Apollinares ludi equestres constituerentur, jam dixi in numis Calpurniae Pisonum, qui similem typum continent ex eadem causa, ut et denarii Sepullii. Ad idem argumentum revoca typum numi III.

Numus IV. lepidum habet thema Silenum. Ejus veram causam in numis Censorini ignoro, etsi suas nobis conjecturas liberaliter propinaverunt eruditi, sed quas irritas venti abstulerunt. Iidem, quis fuerit hic Censorinus, horum praecedentiumque auctor numorum, inter se litigent.

a) Amor. L. I. eleg. 3. v. 15. b) Fab. 80. c) Dial. deor. 36. d) Il. Ο. v. 679.
e) Astron. L. V. 85.

* * *

L. CENSORIN. *Caput muliebre velatum.*

C. LIMETA. P. CREPVSI. *Mulier in citis bigis.* AR C.

Denarium hunc jam proposui in gente Crepusia, et Mamilia.

* * *

Libo.

LIBO. *Caput Palladis alatum, juxta* X.

Q. MARC. *Dioscuri equites, infra* ROMA. AR. R.

Caput Palladis alatum, pone X.

Q. MARC. C. F. L. R. *Victoria in citis quadrigis, infra* ROMA. AR. R.

Q. MARC. LIBO. in assibus, semissibus, trientibus. C.

* * *

Philippus.

Caput Palladis alatum, pone X.

Q. PILIPVS. *Eques citato cursu d. hastam, infra* ROMA. AR. C.

ANCVS. *Caput Anci Marcii diadematum, pone lituus.*

PHILIPPVS. *Arcus continui, quibus inscriptum:* AQVA. MAR. *his imposita statua equestris.* AR. C.

Restitutus etiam a Trajano. RRR.

Caput tectum galea ipsum mentum claudente, ex ea superne protuberant duo cornua hircina defluo retro diademate, ante quod Φ, *pone* ROMA *in monogrammate.*

L. PHILIPPVS. *Statua equestris d. ramum.* AR. C.

L. PHILIPPVS in quadrantibus. R.

Denarius I. reliquos antiquitate praestat cum per typi veteris modum, tum per veterem scribendi legem in voce PILIPVS neglecta aspirata, et simplice P. De typo equitis agetur in numo proximo.

Denarius II. utrinque vetera gentis Marciae decora renovat. Marcios ab Anco Marcio duxisse genus, satis supra in Censorino disputavimus. Philippis succurrit etiam oraculum Ovidii a):

clari monumenta Philippi
Adspicis, unde trahit Marcia casta genus.
Marcia sacrifico deductum nomen ab Anco.

Vocabulum *sacrifico* causam etiam litui praebet, qui Anco adstituitur, nimirum qui teste Livio, cum videret *neglectas religiones aut prave cultas, longe antiquissimum est ratus, sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facere* b). Alterum genti decus ab AQVA MAR*cia* adfluit, cujus clausum fornicibus alveum aversa objicit. De ea haec Plinius c): *Clarissima aquarum omnium in toto orbe frigoris salubritatisque palma praeconio urbis MARCIA est. --- Primus eam in urbem ducere auspicatus est Ancus Marcius unus ex regibus. Postea Q. Marcius Rex in praetura, rursusque restituit M. Agrippa.* De eadem iterum infra d). Quod ad equitem fornicibus impositum attinet, cum is in plerisque Philipporum numis recurrat, verisimile est, adludi ad cognomen *Philippi*, etsi nolim

a) Fast. VI. 801. b) L. I. c. 32. c) L. XXXI. §. 24. d) L. XXXVI. §. 24. n. 9.

inficiari, posse praeterea referri ad domesticam gentis laudem, nam Q. Marcio Tremulo victis Hernicis statuam equestrem publice positam testantur Livius [a]), et Plinius [b]). Havercampus, cui saepe in levissima numorum peristasi amplissimarum rerum indicia latere videntur, cum videret in his denariis fruticem silvestrem sub equo exsurgentem, eo putabat indicari audacem Q. Marcii Philippi expeditionem, qua is per saltus et avia in Macedoniam, ut bellum Perseo faceret, penetravit. At idem hic frutex, seu quidcunque illud est, quod sub equo conspicitur, confirmat, esse revera statuam equestrem cuidam ex gente Marcia positam, et servire fulcro, cui scitus artifex marmoream, gravemque massam equi inniti voluit, qua ratione persaepe solidiora signa sustentari videmus, cujus exemplum habeo in binis statuis equestribus aeneis musei Herculanensis [c]). Ejusmodi fulcra dicta fuere adminicula, aut etiam verua, quomodo Prudentius equestres Dioscurorum statuas describit [d]): *gemini quoque fratres - - impendent retinente veru*, nimirum quod velut in aere librati prolapsuri essent, nisi veru, seu adminiculum retineret. Ab hac deinde statua monetarium praesentem sumpsisse typum probabile est.

Denarius III. certum Philippi Demetrii F. Macedoniae regis caput sistit, quod comprobant non modo cornua hircina galeae addita, de quo Macedoniae regum cultu vide, quae ad numos Antigoni I. Gonatae disseruimus, sed etiam litera Φ, quae constanter his denariis additur, et certa *αϱχαιϐσα* nominis Φιλιππϐ est. Atqui, quod caput est, constat quoque ex Livio [e]), Q. Marcio Philippo amicitiam, hospitiumque cum hoc rege Philippo fuisse, quo adeo vetere gentis suae honore posterior hic L. Philippus in hoc numo gloriatur. Vidimus supra in numis Cornelii Fausti Sullae F. etiam regis Bocchi caput monetae Romanae illatum.

* * *

Marcius incertus.

Caput Palladis alatum, juxta astrum.

M. MARC. *Victoria in citis bigis, infra duae spicae, et* ROMA. AR. RR.

M. MARCI. M. F. in quadrante. RR.

* * *

Obvii sunt denarii, quos jam in gente Claudia, et Manlia recitavi, in quorum aversa leguntur tria nomina: AP. CL. T. MAL., de tertio litigatur, quod Vaillantius jam legit Q. MAR., jam Q. VR. In Morellii numo exprimitur Q. MAR., et sic in Vrsiniano quoque. Havercampus eandem lectionem tuetur provocando ad ipsos numos [f]). At in sex integerrimis musei Caesarei, quos partim in Claudia, partim Manlia quaeras, constanter legitur Q. VR. Ergo viri hi aut sunt decepti, aut revera tertius IIIvir alio tempore additus fuit Q. MAR*cius*, alio Q. VR - - - quisquis hic fuit ab his literis incipiens.

---

a) L. IX. c. 43. b) L. XXXIV. §. 11. c) Bronzi T. II. tab. 63. 65. d) contra Symmach. e) L. XLII. c. 38, 39. f) pag. 91.

Spanhemius, qui meam quoque lectionem probat, literas Q. VR. legit: *Quaestor* VR*rbanus*, tanquam nimirum in hoc munere fuissent constituti Appius Claudius, et T. Manlius. Ingeniose istud. Verum video, esse praeter morem, in denariis veteris rationis, in quibus gentium nomina inferius segmentum occupant, eodem iis loco adscribi magistratus vocabulum. Sunt igitur in hoc denario aeque IIIviri qualescunque intelligendi, atque vidimus in gente Fabia: C. F. L. R. Q. M., et supra in Marcio Libone: Q. MARC. C. F. L. R., ut alia exempla omittam triplicati in eodem numo magistratus.

MARIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis *Capito* et *Trogus*. Proconsul *Cordus* est in numis Apameae Prygiae.

* * *

Capito.

CAPIT. *addita continuo nota arithmetica. Caput Cereris, ante quod varia minuta sigilla.*

C. MARI. C. F. S. C. *Colonus arans, supra eadem nota arithmetica, quae in antica.* Sunt serrati omnes. AR. C.

Restituti etiam a Trajano. RRR.

C. MARI. C. F. CAPIT. *addita continuo nota arithmetica. Caput Cereris.*

Colonus arans, supra eadem nota arithmetica, quae in antica. Sunt serrati omnes, et C.

Horum denariorum ingens est vis, etsi eorum auctor incertus. Havercampus in conjecturas praeceps cusos censet a C. Mario C. Marii septies consulis nepote. Sin istud, eorum natales figendi erunt ad annos postremos saeculi V. C. septimi, vel primos octavi. At tum vir eruditus valuisse adhuc Romae numos serratos praestet.

* * *

Trogus.

Fuit C. Marius Trogus IIIvir monetalis imperante Augusto, quod probant ejus denarii, qui omnes ejus principis capite insignes sunt. Signatos verisimiliter esse circa annum V. C. 741, dicetur in numis Augusti ad annum V. C. 737. Cum denarii hi dempto nomine nihil offerant, quod ad Trogum pertineat, sed typi omnes Augustum, ejusve familiam respiciant, atque hi quoque ambigui sint explicatus, satisfactum meo instituto putabo, si eos paucis descripsero:

Epigraphe: C. MARIVS. TRO. IIIVIR. vel: C. MARIVS. C. F. TRO.

Typi: in antica, ut dixi, *Caput Augusti.* In aversa: *Caput Iuliae Augusti filiae inter capita Caii et Lucii filiorum.* Hunc typum explicatum vide in numis Augusti ad annum V. C. 737. — *Duo viri togati stantes, quorum unus capite laureato, alter turrito, s. volumen tenent, pro singulorum pedibus quid instar arae, vel basis, vel,* ut Havercampus putat, *scrinium, qualia ante pedes statuarum senatoriarum fingi consuevere,*

qui idem in his Augustum, et Agrippam agnoscit, et posteriorem quidem ex corona turrita. — *Sacerdos velatus stans d. simpuvium.* Forte is Augustus est V. C. 741 ad pontificatum max. evectus. — *Quadrigae citae, in quibus palmae ramus.* — *Caput Dianae.* X *Sacerdos aratrum junctis bobus agens.* Est AV. (Catal. d'Ennery p. 197.)

M E M M I A.

Gens plebeia. Cognomina ambigua, ut dicetur.

* * *

Gallus, vel *Galbius.*

Caput barbatum laureatum, pone quiddam instar falcis serratae, in area litera alphabeti et ROMA.

L. MEMMI. GAL. *Mulier lentis bigis vecta s. sceptrum, cui advolans Victoria coronam offert.* Sunt serrati omnes, et C.

Eadem adversa, sed pro ROMA *legitur:* EX. S. C.

L. C. MEMIES. L. F. GAL. *Idem typus.* Hi serrati non sunt, et C.

Verbum GAL., quo modo explendum videatur, litigatum. Priores antiquarii legerunt: GAL*lus*, etsi nulla istud auctoritas firmaverit. Havercampo praeplacet GAL*bius*, quia in marmore Gruteri [a]) memoratur L. MEMMIVS. L. F. PALAT. GALBIVS, quod videtur praeferendum, cum accedat auctoritas. De capite anticae, quod Saturni creditur, jam egi in gente Calpurnia Pisonum. Aversae typus incertae significationis.

Denarius, quem altero loco descripsi, nondum desinit crucem figere antiquariis. Cum is praecedenti simillimus sit, nisi quod EX. S. C. impressum offerat, et serratus non sit, et aliter exaretur gentis nomen, tamen cum reliqua omnia tam accurate conspirent, atque etiam ipsa nomina MEMIES. GAL., licet distorto priore vocabulo, dubium non est, hunc quoque eundem auctorem Memmium habere. Interpretatio Havercampi, legendum censentis: L*ucius* C*aius* MEMIES. L*ucii* F*ilii* GAL*bii*, nondum omnium suffragia abstulit. Et quid MEMIES pro MEMMIVS, vel MEMMII, ut scribendum fuerat? Contendit idem, factum istud videri vitio monetarii, quod concedere non possum propter copiam horum denariorum. Museum Caesareum horum quinque, Morellius quatuor diversarum omnes matricum exhibet. Verius igitur credam, posteriores hos denarios in provincia quapiam signatos, quod facile persuadet etiam fabrica parum scita. Etrusci verba in VS desinentia flexerunt in ES. Vide Lanzium [b]).

* * *

Quirinus, secundum aliquos cognomen.

C. MEMMI. C. F. QVIRINVS. *Caput barbatum laureatum liberaliter capillatum.*

MEMMIVS. AED. CERIALIA. PREI-

a) Pag. 26. n. 10. b) Saggio T. II. p. 553.

MVS. FECIT. *Ceres sedens d. spicas, s. facem*, (aliis colum) *pro pedibus serpens.* AR. C.

Restitutus etiam a Trajano. RRR.

Vox QVIRINVS. utrum indicet cognomen Memmii, an caput, quod esset Quirini seu Romuli, an simul utrumque, quaesitum. Qui cognomen putant, advocant exempla Calpurnii Quirini, et Sulpicii Quirini, unde verisimile putant, idem etiam cognomen fuisse quibusdam ex gente Memmia. Vt haec conjecturam non excedunt, ita certum, capite illo indicari deum Quirinum, additumque QVIRINVS eodem modo, quo NVMA vel ANCVS secundum horum capita, etsi non obstet, eam praeterea vocem notare posse cognomen, ut in gente Pomponia vox MVSA et cognomen notat, et Musam, sed quod ignoramus. Nam Memmium Quirinum nullus veterum produxit. Parum etiam valent exempla Calpurnii, et Sulpicii, quae citat Havercampus, nam Calpurnium Quirinum habemus tantum ex marmore Hispaniensi [a]), Sulpicius vero apud Tacitum non Quirinus, sed Quirinius appellatur [b]). Cur Quirini caput his denariis insertum sit, incertum. Vaillantius, eumque secutus Fogginius [c]) factum istud contendunt propterea, quod is primus teste Dionysio Lupercalia, et quae in aversa memorantur, Cerialia invexit. Perperam, nam eo loco nulla Dionysio Cerialium mentio. Aversa docet, fuisse Memmium quendam primum, qui Cerialia Romae fecit, cujus facti veteres scriptores non meminere. Vide de aetate hujus numi variorum conjecturas allatas a Bimardo [d]).

* * *

Memmii incerti.

C. MEMMI. C. F. *Caput Cereris.*

C. MEMMIVS. IMPERATOR. *Tropaeum, cujus trunco adligatus captivus flexo uno genu.* AR. R.

Caput virile imberbe corona querna redimitum, juxta X.

L. MEMMI. *Dioscuri hastati stantes cum suis singuli equis.* AR. R.

L. MEMMI. in semissibus. RR.

Denarius I. insignis est operis. Neque tamen hoc magis, quis fuerit hic Memmius imperator, aut sequentium L. Memmius, novimus.

MESCINIA.

Gens plebeia. Cognomen *Rufus.*

L. MESCINIVS. RVFVS. IIIVIR sub Augusto. Ejus nomine inscripti denarii complures exstant, quoniam nonnisi Augusti facta praedicant, recitatos, explicatosque vide in moneta hujus imperantis ad annos V. C. 737 et 738.

---

a) Grut. p. 384. 1. b) Ann. III. c. 48. c) Fast. Verrii p. 55. d) ad Iobert. T. I. p. 275.

METTIA.

Gens in historia R. parum cognita. Numos habemus *M. Mettii* nomine inscriptos, quorum plerique I. Caesaris caput praefigunt. Et vero M. Mettii ab Ariovisto in catenis vincti et mox liberati binis locis meminit Caesar [a]). Etiam Cicero Mettium nominat [b]).

CAESAR. DICT. QVART. *Caput I. Caesaris laur.*
M. METTIVS. *Iuno Sispita in citis bigis hastam intentat, s. clypeum praetendit.* AR. R.

Caput juvenile diadematum.
M. METTI. *Puella Iunonis Sispitae ad serpentem accedens.* Quin. RR.

Caput Iunonis Sispitae, pone serpens.
M. METTI. *Victoria in citis bigis.* Quin. R.

Ex typo Iunonis Sispitae colligere licet, gentem Mettiam fuisse Lanuvio oriundam, nisi forte velimus statuere, propterea hanc deam numis insertam, quod Lanuvium a I. Caesare ex municipio factum est colonia et muro circumdatum teste Frontino [c]). De typis Sispitae agetur in gente Roscia.

* * *

Reliqui M. Mettii denarii hinc caput I. Caesaris, illinc Venerem Victricem additis literis alphabeti exhibent, cujus causam typi vide in moneta I. Caesaris.

MINATIA.

Gens plebeia. Cognomen *Sabinus.*

* * *

CN. MAGNVS. IMP. *Caput Pompeji M. nudum.*
M. MINAT. SABIN. PR. Q. *Pompejus navi egressus dexteram jungit cum muliere turrita s. hastam tenente, pro cujus pedibus strues armorum Hispanicorum.* AR. RR.

CN. MAGN. IMP. *Caput idem.*
M. MINAT. SABIN. PR. Q. *Pompejus M. paludatus stans d. hastam, cui hinc adstans mulier turrita succincto habitu, et s. binas hastas tenens dexteram offert, illinc mulier tropaeophora ejus capiti coronam imponit.* — In alio: *Stans idem inter duas mulieres turritas, quarum altera flexo uno genu ei coronam offert.* AR. RR.

Iure Vrsinum carpit Havercampus, quod vivo Pompeio hos in Hispania a M. Minatio signatos denarios putavit, cum nondum permissum fuerit, viventium capita numis inferre. Cum igitur certe ab ejus morte lucem viderint, necesse est, aut signatos eo mortuo a Cn. Pompeio filio in Hispania, aut ab altero filio Sexto in Sicilia, quod curatius expendemus in Pompeia.

---

a) Bell. Gall. L. I. c. 47 et 53. b) ad Attic. L. XV. ep. 27. c) de Coloniis.

MINDIA.

L. Mindius Balbus, et *L. Mindius Pollio* proconsules praedicantur in numis urbium Bithyniae, de quibus egimus in prolegomenis Bithyniae.

MINEIA.

Huic genti Morellius tribuit numulos aeneos:

MINEIA. M. F. *Caput muliebre.* P. S. S. C. *Templum.* Consentit Havercampus, legitque MINEIA*nus* M*arci* F., censet etiam, templum in numo propositum ex S. C. erectum fuisse. Ergo is hos numos monetam R. putavit. At enim certi sunt coloniae cujuspiam numi, ut dixi in moneta Carthaginis Africae, quo loco numos omnes inscriptos P. S. S. C. protuli, etsi certum non sit, eos revera hujus esse coloniae.

MINVCIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis: *Augurinus*, *Rufus*, *Thermus.*

* * *

Augurinus.

Caput Palladis alatum, *pone* X. C. MINVCI. C. F. AVGVRINI. *Columna striata*, *cui imposita statua*, *ad columnae sinistram vir augurali habitu stans cum lituo*, *ad dexteram alia figura togata stans utraque manu incertum quid tenens*, *et pede s. incertum quid calcans*, *ex columnae basi hinc et inde exsurgit spica.* AR. C.

Caput Palladis, *prae quo* X, *pone* ROMA.

C. AVG. *Idem typus*, *sed praeterea ad columnae basin hinc et illinc leo procumbens.*

C. AVG. in semissibus, et quadrantibus. C.

C. AVG. in aureo M. Antonii IIIviri, quem vide.

Renovatur in his denariis memoria L. Minucii, qui et ipse a Plinio loco mox citando *Augurinus* dicitur, qui praefectus annonae in summa rei frumentariae caritate, quo tempore Sp. Melius frumenti largitione plebem corrumpere tentabat, ejus perniciosa consilia detexit, et ad senatum retulit, levique subinde pretio Melianum illud frumentum plebi divisit. Haec copiose apud Livium [a]), quare teste Plinio [b]) statua ei extra portam trigeminam a populo stipe conlata posita est. Haec statua in his denariis comparet imposita

a) L. IV. c. 13. b) L. XVIII. §. 4. et. XXXIV. §. 11.

columnae, ut Vaillantius dicit, *striatae*, ut Havercampus, forte nimis ingeniose, *constanti ex multis modiis sibi invicem impositis.* Apposite ad argumentum ad columnae basin exsurgunt spicae. Figura ad dexteram adstans aliquid utraque manu tenet, quod discernere difficile est. Vrsino et Begero creditum, ea exhiberi Sp. Melium panes ad inescandam plebem manu tenentem, Vaillantio, esse L. Minucium, pileum libertatis, cui pernicies intentabatur, ostentantem, Havercampo, qui totus in modiis suis est, modii visi, atque etiam modius visus illud, quod s. pede calcat. Figura altera augur ex cultu agnoscitur, indicaturque, ut recte advertit Vrsinus, M. Minucius Fessus, qui V. C. 454 inter primos fuit, qui ex plebe facti sunt augures docente Livio [a]), ex quo haec gens *Augurini* cognomen abstulerit, ut Marcii ex honore censurae *Censorini* dicti sunt.

In museo Caesareo duo sunt numi aurei, in quorum antica: IMP. SPONSIANI. *Caput imperatoris cujuscunque radiatum*; aversa prorsus eadem, quae in denario II. Sed de dubiis his numis agemus post numos Philipporum Augg.

* * *

Augurinus procos. in numis Gortynae, Hierapytnae, Polyrhenii Cretae urbium, quas vide.

* * *

Rufus.

RVF. *Caput Palladis alatum, juxta* X.

Q. MINV. *Dioscuri equites, in imo* ROMA.

* * *

Thermus.

Caput muliebre galeatum.

Q. THERM. M. F. *Duo milites strictis se gladiis petentes tertio medio in genua prolapso.* AR. C.

Typus servati civis honorem aperte indicat, sed dubium relinquit, ad quem pertineat egregii hujus facti gloria.

* * *

Minucius incertus.

Caput Palladis alatum, pone X.

L. MINVCI. *Iuppiter fulmen vibrans in citis quadrigis, infra* ROMA. AR. C.

L. MINVCI. in quadrantibus. R.

MITREIA.

Gens ex solis binis numulis cognita.

* * *

C. MITREIVS. L. F. MAG. IVVENT. *Caput virile nudum.* XI. *vel* XII. *intra lauream.* In alterius aversa: L. SEXTILI. L. F. *inscriptum aedificio columnis fulto, in imo* IIII. AE. III. (Morelli, Pembrock P. III. tab. 97.)

Hos in verae monetae usum serviisse, adduci non possum, ut credam. Plures exstant aenei III. formae his similes cum capite Augusti variis notis arithmeticis insignes, quorum etiam usus

a) L. X. c. 9.

hactenus ignotus. In praesentibus C. Mitreius vocatur *magister juventutis*, si Havercampum audias, Caio et Lucio regendis additus. Vnum illi istud opinandi argumentum, quod anticae caput Agrippam utriusque patrem exhibeat. Sed enim et istud perperam statuitur, et est potius ipsius C. Mitreii, cujus adstituitur epigraphe, servierintque hi numi in gymnasii sui usum ad eum fere modum, quo certos quosdam numulos Ephesios arti pharmaceuticae serviisse in Ephesi moneta diximus. Similis argumenti numos, sed plumbeos dabimus in tractatu de pseudomoneta. Hujus C. Mitreii nulla apud veteres mentio. Verrium Flaccum Caii et Lucii praeceptorem indicat Suetonius a).

MVCIA.

Gens plebeia. Cognomen *Cordus*.

* * *

KALENI. *Capita duo jugata, juvenile laureatum, juxta quod* HO., *et juvenile galeatum, juxta quod* VIRT.

CORDI. *Mulier, juxta quam scriptum* ITAL., *stans et s. cornucopiae tenens dexteram jungit cum muliere alia, juxta quam scriptum* RO., *s. sceptrum tenente, et d. pede globo insistente.* Sunt serrati, iique R.

Prodiit jam hic denarius in gente Fufia, ex qua fuit Kalenus, quo loco adverti, non satis constare, quis fuerit uterque hujus denarii auctor. De *Honore* et *Virtute*, quorum in antica capita proponuntur, hinc distinctius agendum, quoniam Mucia gens de utroque numine praeclare est merita. Honoris et Virtutis vetus in urbe religio, cum Marcellus in bello Gallico ad Clastidium utrique aedem vovisset, aedificassetque, ut testatur Livius b), Val. Maximus c), et Plutarchus d), de qua aede et alibi sic e): ειτα Μαρκελλος το Ουιρτυτις τε και Ονωρις προσαγορευομενον aedificavit. Alteras deinde utrique aedes C. Marius excitavit, cujus testis vetus lapis citatus a Grutero f), qui inter alia haec de Mario prodit: DE. MANVBIEIS. CIMBRICEIS. ET. TEVTONICEIS. AEDEM. HONORI. ET. VIRTVTI. VICTOR. FECIT. Ejus non modo binis locis meminit Vitruvius g): *ad Mariana Honoris et Virtutis*, idem: *aedes Honoris et Virtutis Marianae cellae*, sed etiam architectum perhibet C. Mucium, ingentes ei ab hac scientia laudes admensus. Triumphavit Marius de Cimbris V. C. 653, ac tum erecta utrique genio aedes, et non multo post a quopiam Cordo gentis Muciae hic signatus denarius, propositis in eo Honoris Virtutisque capitibus, quod C. Mucius in statuenda eorum aede scientiam suam tanta cum gloria comprobavit. Dixi, non multo post, nam cum denarii hi serrati sint, non possunt in multo recentiora tempora dimoveri.

a) De illustr. gramm. c. 17. b) L. XXVII. c. 25. c) L. I. c. 1. 8. d) in Marcell. p. m. 314. e) de Fort. Rom. p. m. 318. f) pag. 456. 3. g) L. III. et VII.

Non advertit ad hanc peristasin Begerus, qui eos sub Augusto signatos putavit, propterea quod hic narrante Dione ad annum V. C. 737 aliqua in ludis Honori et Virtuti sacris immutavit [a]). Numi Galbae: HONOS. ET. VIRTVS, uterque genius stans cum suis attributis. HONOS vero solus in numis M. Aurelii adhuc Caesaris.

De partis aversae ITAL*ia* et RO*ma* egi in gente Fufia.

MVMMIA.

Numi Goltziani.

MVNATIA.

Gens plebeia. Cognomen *Plancus.*

* * *

C. CAES. DIC. TER. *Protome Victoriae.*
L. PLANC. PR. vel PRAEF. VRB. *Guttus.* AV. C.

M. ANTON. IMP. AVG. IIIVIR. R. P. C. *Lituus et guttus.*
L. PLANCVS. PRO. COS., *in alio:* IMP. ITER. *Guttus inter fulmen et caduceum.* (Morelli in Munat. et Anton.) AR. R.

L. Munatius Plancus a Caesare dictatore stetit, et initio belli civilis in Hispania adversus L. Afranium arma tulit. Praefectus deinde urbi a Caesare constitutus mox Galliam ulteriorem proconsul rexit, quo tempore Lugdunum coloniam deduxit. Ex S. C. bellum gerere cum M. Antonio jussus, qui ad Mutinam victus in Galliam fugerat, prodita rep. una cum Lepido tum Galliae Narbonensis praeside ad Antonium transivit. Cujus causa officii permissum ei a IIIviris, ut V. C. 711 de Gallis triumpharet, et in annum sequentem consul designaretur. V. C. 714 ab Antonio regendae Asiae praeficitur [b]). Consul iterum V. C. 718, postea Syriae praefectus de Sex. Pompeji caede ab se imperata suspectus fuit [c]). Apertis inter utrumque IIIvirum inimicitiis Antonii proditor ad Octavianum transivit. V. C. 732 censuram egit [d]).

Numi priores aurei, iique obvii Plancum praefectum urbi appellant, de quo magistratu complura observavi in gente Cestia. Hos, ut et sequentes denarios, praeclare explicat marmor Gruteri [e]): *L. Munatius L. F. L. N. L. Pron. Plancus cos. cens. imp. iter. VIIvir epul. triump. ex Raetis, aedem Saturni fecit, de manubis agros divisit in Italia Beneventi, in Gallia colonias deduxit Lug-*

a) Thes. Br. T. II. p. 566. b) Dio L. XLVIII. §. 24. c) Appian. B. Civ. L. V. sub fin. d) Dio. e) p. 439. 8.

dunum et Rauricam. Argentei alterius loci haud dubie signati sunt, cum Asiam rexit.

* * *

PLANCVS. COS. *Caput nudum.* S. P. Q. R. OB. CIV. SER. *intra coronam.* AE. I. et II. (Catal. d'Ennery pag. 58.) Similis editus jam fuit a Goltzio, tum et serius in Catalogo Pembrock Part. III. tab. 6.) sed in utriusque antica deest COS.

Auctor catalogi d'Ennery utrumque suum numum vere antiquum profitetur, cusumque conjicit a Lugdunensibus in gratiam L. Munatii Planci, qui, ut diximus, Lugdunum coloniam deduxit. Quod quidem judicium, siquidem genuini sunt hi numi, magis mihi adridet prae altero Vaillantii, qui in suis ad citatum Goltzii numum observatis ejus auctorem numi facit L. Munatium Plancum, teste altero Goltzii numo IIIvirum monetalem sub Augusto, qui adeo patris imaginem jure suo in moneta spectandam obtulit.

MVSSIDIA.

Gens praeterquam in numis parum cognita. Cognomen *Longus.*

* * *

Caput I. Caesaris laureatum. — *Caput Solis radiatum.* — CONCORDIA. *Caput Concordiae velatum, ante quod astrum vel solis, vel lunae.*

L. MVSSIDIVS. LONGVS. *Comitium, in quo stans diribitor et civis suffragium ferens, comitio inscriptum:* CLOACIN. AR. C.

Hujus denarii typum jam prolixe illustravit Vrsinus. Esse comitium, indicant septa, et cancelli, et pons, quibus illud constitisse testantur veteres. Quare et observat Servius [a]): *Septa proprie sunt loca in campo Martio inclusa tabulatis, in quibus stans P. R. suffragia ferre consueverat; sed quoniam haec septa similia sunt ovilibus, duo haec invicem pro se ponuntur.* Vnde et Livius agens de comitiis consularibus [b]): *datum secreto in ovili cum his conloquendi tempus.* Et Lucanus [c]): *Concidit, et miserae maculavit ovilia Romae.* Et Ausonius agens de consulum in comitiis electione memorat ovilia [d]). Denique et Iuvenalis [e]): *Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili.* In ponte stat diribitor, cujus erat, populo diribere, seu distribuere tabellas suffragiorum, cista item, in quam tabellae mittebantur. Verbum CLOACIN. ipsum hoc comitium notat; nam T. Tatius Sabinorum rex Veneris statuam in cloaca repertam ab eventu *Cloacinam* nominavit, et in comitio dedicavit. Vide Minucium [f]), Lactantium [g]), Cyprianum [h]). Sed lege de his largius disserentem Vrsinum. Non absimilem comitii typum videre est in gente Silia. Causam lecti hujus a Mus-

a) Ad Eclog. I. v. 34. b) L. XXVI. c. 22. c) L. II. v. 197. d) Paneg. ad Gratian. c. 13. e) Sat. VI. 529. f) Octav. c. 25. g) Instit. L. I. c. 20. h) Idol. van. c. 2.

sidio typi variam conjiciunt eruditi, nullam solidam.

* * *

Caput I. Caesaris.

L. MVSSIDIVS. LONGVS. *Gubernaculum, globus, cornucopiae, caduceus.* AR. C.

Caput Octaviani — M. Antonii — Lepidi.

L. MVSSIDIVS. T. F. LONGVS. IIIIVIR. A. P. F. *Mars nudus stans d. hastam, s. parazonium, s. pede clypeo insistit.* AV. R.

Ex posterioribus apparet, fuisse Mussidium IIIIvirum monetalem sub IIIviris. At tum jure quaeritur, sitne is idem cum illo, qui denarium praecedentem, et tot alios cum capite I. Caesaris signavit? Sin istud, consequens est, si modo I. Caesaris numos eo vivo percussos statuamus, Mussidiis IIIIviratum in tertium annum prorogatum. Hanc difficultatem cum persentisceret Havercampus, diversos facit L. Mussidium Longum, et L. Mussidium T. F. Longum IIIIvirum, priorem vero, qui frequenter caput I. Caesaris numis intulit, praefectum urbis, de quo actum in Cestia. Sed haec obscura omnia, quibus investigandis operam perdimus.

Omitto numos alios aureos argenteosque inscriptos: L. MVSSIDIVS. LONGVS, quod typos obvios continent.

N A E V I A.

Gens plebeia. Cognomina: *Balbus, Capella, Surdinus.*

* * *

Balbus.

Caput Veneris, in area S. C.

C. NAE. BALB. *Victoria in citis trigis. In parte antica sunt literae alphabeti, aut cum hae absunt, in aversa notae arithmeticae.* Sunt serrati omnes, et C.

* * *

Capella.

C. NAEVIVS. CAPELLA. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis III. sub Augusto signatis. C.

* * *

Surdinus.

L. NAEVIVS. SVRDINVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis I. et II. formae sub Augusto signatis. C.

N A S I D I A.

Gens, sero nomen adepta.

NEPTVNI. *Caput Pompeji M., prae quo tridens.*

Q. NASIDIVS. *Navis expanso velo.* AV. RRRR. AR. R. In alio: *Quatuor triremes cum vectoribus.* AR. R.

Pars antica explicabitur in numis Sex. Pompeji. Aversa inscribit Q. Nasi-

dium, quem fuisse in Sicilia Sex. Pompeji classi praefectum, horum denariorum typi testantur. Ejus rebus desperatis descivisse ad M. Antonium perhibet Appianus a), a quo iterum rei maritimae praefectum ex Dione discimus b).

NERATIA.

M. Neratius Pansa in numis Graecis Galatiae et Cappadociae sub Tito signatis, quos vide.

NERIA.

Gens plebeia.

NERI. Q. VRB. *Caput Saturni prominente retro harpa.*

L. LENT. C. MARC. COS. *Aquila legionaria inter duo signa militaria, quorum uni inscriptum* H, *alteri* P. AR. C.

Hactenus ab antiquariis caput anticae esse Plutonis, sive Ditis creditum, illudque, quod pone prominet, esse uncum, pro quo in sequente Nonia apparent duo remi, nimirum, ut explicat Havercampus c), hoc unco ad inferos raptantur quasi omnes mortales, quibus cunctis *Orcus ducit pedes*, ut est apud Suetonium d), remis autem indicari cymbam Charontis, et transvectionem animarum, Plutonem vero divitiarum deum vulgo habitum, atque idcirco a Nerio quaestore, cui demandata aerarii cura jure numis insertum. At Vaillantius uncum Plutoni pro sceptro datum putat, quod divitiae ex terra unco extrahi videantur. Verum caput illud per harpam seu falcem sine dubio esse Saturni, facile intelliges, si velis consulere, quae ad numos Valeriani inscriptos AETERNITATI. AVGG. disseram. At non modo falx Saturnum probat, sed et additus Nerio *Q*uaestoris VRB*ani* titulus, et signa militaria, quae sunt in aversa. Quaestores fuisse praefectos aerario constat, sed constat etiam, fuisse aerarium in aede Saturni e). Quare et Tertullianus f): *Ab ipso* (Saturno) *primum tabulae et imagine signatus numus et inde aerario praesidet.* In eandem sententiam Cyprianus g). Aerarium a Romanis ex vetere instituto in ejus fuisse templo, praeclare docet Plutarchus h), qui cum perhiberet, quae Poplicola de quaestoribus sanxit, commemorat etiam, ab eo templum Saturni aerario tributum, atque istud in suam usque aetatem obtinere, quod et confirmat marmor Sponii, in quo P. Plotius dicitur PRAEF*ectus* AER*ario* SAT*urni* i), et sic alibi Albinius k). Quid vero ad quaestorem signa militaria? Iure istud, nam ea in templo Saturni servabantur, quaestoribus eorum

a) Bell. civ. L. V. b) L. L. §. 13. c) pag. 295. d) in Nerone c. 39. e) Ascon. ad Verr. III. 4. f) Apolog. c. 10. g) de Idolor. van. sub init. h) in Poplic. p. m. 103. i) Miscell. p. 134. k) Doni Inscr. Cl. V. p. n. 219.

custodiae praefectis. Praeclare istud docet Livius [a]). *Haec omnia adeo mature perfecta accepimus, ut signa eo ipso die a quaestoribus ex aerario prompta delataque in campum, quarta diei hora mota ex campo sint.* Et alibi [b]): *Is impigre exercitu scripto cum omnes extra portam Capenam ad Martis aedem convenire armatos juniores jussisset, signaque eodem quaestores ex aerario deferre.* En tibi perspicuam causam, propter quam quaestor Nerius caput Saturni, et signa militaria denario suo inseruit. Adde praecipuam aliam a tempore petitam. Ab inscriptis consulibus L. Lentulo, et C. Marcello patet, denarium hunc signatum anno V. C. 705, quo I. Caesar pecuniis publicis inhians aerarium per vim effregit diripuitque, L. Metello tribuno plebis, qui sacras reip. opes objectu corporis tueri perrexerat, mortis metu statione depulso. Haec Plutarchus [c]), Appianus [d]), Lucanus [e]). Placuit igitur Nerio quaestori, qui una cum consulibus metu Caesaris urbe excesserat, ut hujus invidiam augeret, Saturni caput numis inserere, cujus nempe numen per vim violatum erat. Commode locum, in quo thesaurus hic reconditus, Lucanus appellat *Saturnia templa* [f]). In haec certa solidaque inquirere, non vacavit IIviris nostris, credo, quia conjecturarum modum, quibus fere unis delectabantur, excessere. Supersunt explicandae literae H et P vexillis inscriptae. Censet Vaillantius, cum legio constaret ex Hastatis, Principibus, et Triariis, H notare hastatos, P principes, mediam vero aquilam triarios. Verum eruditus le Beau existimat, has literas esse ἀρχαιρεσίας praefecti centuriae. Causam addit, quia inde ab annis saltem L., ex quo denarii hi cusi sunt, in legione R. neque principes amplius fuere, neque hastati [g]). In re adeo incerta arbitrentur alii. Eadem aversa est etiam in denario Valerii Flacci.

NONIA.

Gens plebeia. Cognomina *Sufenas*, et *Quinctilianus*.

* * *

Sufenas.

SVFENAS. S. C. *Caput Saturni prominente retro harpa.*

SEX. NONI. PR. L. V. P. F. *Mulier d. hastam, s. gladiolum clypeis insidens coronatur a Victoria retro stante.* AR. R.

Ea, quae ad praecedentem denarium gentis Neriae de capite Saturni diximus, facile persuadent, Sex Nonium Sufenatem in quaestura sua hos denarios feriundos curasse, nisi forte gens Nonia Saturnum tutorem suum professa est. Lego apud Donium [h]): SATVRNO. AVG. SACRVM. P. NONIVS. SABINVS. Idem in aversa vetus gentis suae decus memorat, sed in epigraphes lectione discrepant eruditi. Legunt alii:

---

a) L. III. c. 69. b) L. VII. c. 23. c) in Caesare p. m. 725. d) B. C. L. II. p. 457.
e) L. III. v. 114. f) l. c. g) B. L. T. XXXV. p. 295. h) Insc. Cl. I. n. 79.

PR*imus* *Ludos* *Votivos* *Publicos* *Fecit*, alii pro PR*imus* legendum censent PR*aetor*. Posteriorem lectionem longe praefert Spanhemius, ubi et de ludis votivis late disserit [a]).

* * *

In denario, quem solus protulit Morellius, eadem pars antica hujus Sufenatis conjungitur cum aversa nota gentis Plautiae: C. YPSAE. COS. PRIV. CEPIT, ex quo nimis confidenter probare contendit Havercampus, Nonium Sufenatem una cum Hypsaeo adfuisse in Syria Aemilio Scauro Pompeji M. legato. Credam potius, matrices fuisse temere permutatas exemplo non raro, aut forte denarium hunc subaeratum, ad faciendam adeo fidem ineptum.

* * *

Quinctilianus.

SEX. NONIVS. QVINCTILIANVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis Augusti. C.

NORBANA.

Gens plebeia. Ejus nomen interiit, et cognomen *Norbanus* nominis vicem subiit. Perperam Spanhemius opinatur, Norbanos genti Iuniae subjiciendos [b]), sententiam quam suapte invalidam praeclare refutavit doctissimus Odericius [c]). Pighius Norbanos in Tigelliis numerat [d]), sed nulla adlata auctoritate.

C. NORBANVS. *Caput Veneris, pone notae arithmeticae.* *Spica, fasces cum securi, caduceus.* AR. C. Restitutus etiam a Trajano. AR. RRR.

Obvii sunt hi denarii solis numeris differentes, ad quem vero C. Norbanum pertineant, incertum.

* * *

Aureos inscriptos: C. NORBANVS. L. CESTIVS. PR. recitatos et explicatos vide in Cestia.

NOVIA.

Novii IIviri in coloniis, qui huc non pertinent.

NVMITORIA.

Gens plebeia.

Caput Palladis alatum, juxta X, *pone* ROMA.

C. NVMITORI. *Vir in quadrigis triumphalibus coronatur ab advolante Victoria.* In alio: *Victoria in citis quadrigis.* AR. C.

---

a) T. II. p. 140. b) T. II. p. 11. c) Saggi di Cort. Tom. VIII. p. 180. d) Tom. II. p. 69. 2.

C. NVMITORI. (non: L. NVMITORI., ut Morellium corrigit Liebeus in Goth. num. p. 396.) in semissibus, trientibus, quadrantibus. C.

NVMONIA.

Gens obscura. Cognomen *Vala*. Meminit Numonii Valae Velleius a), qui Varum in Germania turpiter deseruit, et Horatius ad Numonium Valam scripsit epistolam, quae est L. I. 15.

* * *

Caput Victoriae.

C. NVMONIVS. VAALA. *Miles vallum castrorum oppugnat, intus binis illud defendentibus.* AV. (Mus. Caes.) RRRR.

C. NVMONIVS. VAALA. *Caput imberbe nudum.*

VAALA. *Typus idem.* AR. R.

Restitutus etiam a Trajano. (Pellerin Mel. I. p. 192.) RRRR.

Ex numis his discimus, quod a scriptoribus praeteritum, aliquem C. Numonium in expugnando *vallo* inclaruisse, et insuper ex facto *Valae* cognomen adeptum ad posteros pro more propagatum, quo nunc eius posterorum quispiam gloriatur, praeclari etiam ejus viri imagine numo illata. VAALA pro VALA archaismus est, ut in numis Sullae FEELIX. pro FELIX. Archaismus etiam extrusum unum L. Sic et PILIPVS pro PHILIPPVS in gente Marcia. Habes in his denariis valli Romani formam; aliam vident eruditi in numis Licinii inscriptis: VIRT. EXERC.

OCTAVIA.

Numi aut Goltziani, aut IIvirorum Corinthi.

OGVLNIA.

Plebeia. Cognomen *Galbus.*

Caput juvenile laureatum, infra fulmen.

Q. OGVL. GAL. VER. CAR. In aliis: OGVL. VER. CAR. *Iuppiter fulminator in citis quadrigis.* AR. C.

OGVL. VER. CAR. in assibus. R.

De his numis actum jam est in gente Carvilia.

---

a) L. II. c. 119.

OPEIMIA.

Plebeia, celebris L. Opimio consule, a quo oppressus C. Gracchus.

Caput Palladis alatum juxta X, *pone corona.*

L. OPEIMI. *Victoria in citis quadrigis, in imo* ROMA. AR. R.

Caput Palladis alatum juxta X, *pone tripus.*

M. OPEIMI. *Apollo arcum intendens in citis bigis, infra* ROMA. AR. R.

OPEI. — L. OPEIM. — M. OPEI. in assibus, semissibus, quadrantibus. R.

OPPIA.

Gens plebeia. Cognomina *Capito* et *Salinator.*

* * *

Capito.

M. OPPIVS. CAPITO PROPR. PR. CLAS. F. C. in aeneis M. Antonii, quos vide illustratos in moneta hujus IIIviri.

* * *

Salinator.

Caput Iani gemini.

C. CASSI. L. SALIN. *Prora navis, cui inscriptum*: DSS. AE. II. RR.

Cognomen SALIN*ator* ad binas potest gentes pertinere, Liviam et Oppiam, teste Livio [a]), *praetores - - - creati C. Livius, et L. Oppius, utrique eorum SALINATOR cognomen.* Mirum adeo, tam confidenter hunc numum genti Liviae a plerisque adjudicari. His contrarius Havercampus gentem Oppiam maluit suadente typo navis. Nam perhibente Livio L. Oppius Salinator V. C. 561 missus est cum classe ad tuendam Siciliae oram, et frumentum convehendum, quae adeo, inquit, frumentatio his numis celebratur [b]). Verum an necesse est post tot exempla comprobare, stante rep. perpetuum et fere unicum in moneta R. aenea fuisse typum proram navis? nisi velimus adserere, omnibus iis, quorum numi navim sistunt, aliquid in re maritima fuisse demandatum. Quod tamen numos hos malim potius genti Oppiae tribuere, in causa est praenomen Lucius, quo saepius Oppios, nunquam Livios Salinatores usos video. Iudicia a variis de epigraphe DSS lata in Cassia proposita vide.

* * *

Oppius incertus.

Caput Veneris, in nonnullis pone capricornus.

Q. OPPIVS. PR. *Victoria gradiens d. oblongum palmae ramum super humero, s. pateram frugibus refertam tenet.* AE. II. C.

Ex Havercampi sententia literae PR. legendae sunt PR*aefectus*, fuitque adeo Q. Oppius ex octo praefectis unus,

---

a) L. XXXV. c. 24. b) pag. 245.

quos I. Caesar in Hispanias profecturus Romae constituit. Eam viri eruditi opinionem latius proposui in gente Cestia, quam tamen ut universim vagam et intutam esse monui, ita adfirmare non vereor, in his Oppii numis non parum claudicare. Capricornus enim, qui in horum nonnullis adstituitur, in tempora magis sera invitat, nimirum Augusti rerum potiti, cujus gratia, et forte unius tantum, animal istud numis insertum est. Deinde numi ipsi fabricam urbis non obscure inficiantur, ut adeo magis sit verisimile in provincia quapiam signatos, quod etiam de aeneis Clovii probabile dixi, et cujus certa alia habemus exempla in aeneis Catonis, Lollii, aliorumque.

PACVVIA vel PAQVIA.

Hujus gentis memoriam conservant numi sequentes:

A. C. I. V. *Caput M. Antonii nudum.*
Q. PAQVIVS. RVF. LEG. *Figura togata sedens in sella curuli d. chartam, in quam intuetur, humi vas, aut globus.* AE. III. R.

Hujus generis unum olim vulgavi [a]), indicatis nonnullis aliis ejus exemplaribus. Dixi ibi, verisimile videri, adversae literas legendas: A*ntonius* C*olonia* I*ulia* V*ienna*, nempe Galliae Narbonensis. Neque tamen hic Q. Paquius Rufus inter magistratus municipales ablegandus, qui in his numis manifestus est M. Antonii LEG*atus*. Gens Paquia scriptoribus, quod norim, ignota. Ejus tamen aliquoties meminere lapides. Apud Gruterum in marmore Arelatensi legitur C. PAQVIVS. [b]), sed secundum castigationem Maffeii [c]). Alios adhuc Paquios vide in indice Gruteri. Exstat marmor apud Muratorium [d]): OSSA. PAQVVIAE. PAQVVI. RVFI. L. quo loco nequaquam dubito scriptum PAQVVI. pro PACVVI. exemplis innumeris positi Q. pro C. et satis cognita Romae gente Pacuvia. Ergo si PAQVVIVS idem est, quod PACVVIVS, facile erit, numi nostri PAQVIVM cum eadem gente componere, si modo statuamus, alterum in scribendo hoc nomine V omissum, cujus plura exempla tam ex numis, quam marmoribus supra in gente Flavia dedimus. Quo permisso verisimile est, Paquium Rufum numi ex eadem esse gente, ex qua Pacuvium Rufum marmoris laudati.

Opportune hoc loco describemus numos alios ejusdem Paquii, et officinae, quos nuperrime jam cognitis addidit abbas Sestinus, subjectis nonnullis observatis. Vtar autem verbis ipsius praeconis [e]).

A. C. I. V. *ordine retrogrado circa caput Claudii nudum.*
Q. PAQVIVS. RVF. LEG. C. D. *Vir togatus in sella curuli sedens, d. elata*

a) Num. vet. p. 3. b) pag. 448. 5. c) Ant. Gall. p. m. 54. d) pag. 1616. 58.
e) Lettere Tom. V. p. 41.

ramum, pro pedibus vas lustrale. AE. III.

Satis apparet, numum hunc esse geminum illi, quem a me visum continuo descripsi, nisi quod ego caput M. Antonii àdserui, Sestinus Claudii.

A. C. I. V. *Aper jacens.*

Q. PAQVI. RVF. LEG. *in medio numi.* AE. III.

A. C. I. V. *Vas lustrale, infra.* P.

P. PAQVI. RVF. LEG. D. D. *in area numi.* AE. III.

Inquirendum primo, cujus esse videatur caput numi I. In numo ea parte integerrimo, quem ipse oculis usurpavi, tum et in alio simili, quem vidi Romae in museo Ducis Bracciani, primo conspectu agnovi effigiem Antonii IIIviri. Eandem agnovit etiam Petrus Fundi auctor eruditus Musei Theupoli a). Verum Sestinus in suis caput Ti. Claudii videt, et hanc suam sententiam confirmat eo, quod in horum uno infra caput ait scriptas literas T. C., quas legit: *Tiberius Claudius.* De hoc Claudii capite dubium non moveo, cum Sestinianos numos ipse non viderim. Interim nemo sanus dubitavit, cum in omnibus his numis legatur Q. Paquius Rufus legatus, aut omnes hos numos offerre caput Antonii, aut omnes Claudii, nisi credere malit, Paquii legationem inde a M. Antonio in Claudii tempora pertinuisse. Ceterum siglas T. C. ad Ti. Claudium referri, non mihi potest satis probari. T. solum ex lege ordinaria Titum significat, Tiberium nonnisi rarissime. At istud plane praeter morem, principis Romani nominibus nullos summi principatus titulos, seu Caesaris, seu Augusti, seu imperatoris videre adjectos.

Plus dissidii efficiunt siglae caput ambientes. Eae in omnibus his numis hoc modo notantur:

A I
C V

Eas olim sic explicandas censui: A*ntonius* C*olonia* I*ulia* V*ienna*, additis causis, quas olim scriptas non recoquo b). At Sestinus: C*olonia* V*eterana* I*nvicta* A*pros*, tribuitque adeo hos numos urbi, quae coloniae nomine a Plinio et Ptolemaeo in Thracia collocatur, dicta *Apros.* Ergo hae literae Sestino scriptae videntur eo modo, quem nos βȣστροφηδον vocamus. Nolo longius pugnare, parum commode aetati numi cum hac scribendi lege convenire. Istud observasse sufficiat, nullum in hac exstare exemplum scripturae sic positae, ut lectio incipiat a versu inferiore, et propagetur in superiorem. Majus nobis scripturae βȣστροφηδον prodigium offert ex numo postremo supra descripto, in quo literae sic exaratae comparent:

A I
C V
P

legendae adeo ex mente Sestini: C*olonia* V*eterana* I*nvicta* AP*ros*, atque adeo elemento P ex tanto intervallo cum A sociato. Praestabit adeo, dum plus lucis accedat, hoc numorum genus in incertorum numerum referre.

---

a) Pag. 646. b) Numi vet. p. 3.

PAPIA.

Gens plebeia. Cognomen *Celsus.*

TRIVMPVS. *Caput juvenile laureatum prominente pone tropaeo.* In aliis: *Caput Iunonis Sispitae.*

L. PAPIVS. CELSVS. IIIVIR. *Lupa fomitem ore stringens, et aquila expansis alis stantes ante ardentem lignorum struem.* AR. R.

Caput Iunonis Sispitae, pone varia minuta sigilla.

L. PAPI. *Gryphus currens, infra quem varia minuta sigilla.* Sunt serrati omnes, et C.

Caput Victoriae.

L. PAPIVS. CELSVS. *Virgo Lanuvina serpenti pabulum praebens.* Quin. RR.

CELSVS. *Caput Mercurii.*

L. PAPI. *Lyra.* Quin. RR.

Numi hi omnes elegantis sunt fabricae, et typi eruditi simul et non injucundi. Argumentum his maxime frequens suppeditat Lanuvium, unde gentem Papiam fuisse ortam non ab his modo numis comprobatur, sed et auctoritate Asconii, qui ad Ciceronis pro Milone orationem narrat, Milonem, qui antea C. Papius dictus est, ab Annio adoptatum, dictumque T. Annium Milonem Papianum. Ergo et Silius a):

Lanuvio generate, inquit, quem Sospito Iuno
Dat nobis, Milo.

Et in Miloniana narrat Cicero, Miloni fuisse iter necessarium Lanuvium ad prodendum Flaminem.

Denarius I. caput Triumphi exhibet adscripto etiam ἀρχαΐκως TRIVMPVS, more apud Romanos constante, qui omnia beatae honorataeque vitae subsidia imaginibus expressere. TRIVMPE quinquies repetitum legitur in antiquissimo cantico fratrum Arvalium anno 1778 Romae effosso. Triumphi instar dei culti nullus veterum meminit. Pars aversa novum argumentum objicit. Praeclare illud explicat Dionysius Halic. b). Lavinium, inquit, cum conderetur, oblata Trojanis quaedam prodigia. In nemore accenso sua sponte igne lupum ore adgessisse fomitem aridum, ibi aquilam advolasse, et alarum motu flammam excitasse, vulpem contra cauda in flumen mersa accensum ignem aspersisse, et modo praevalentibus, qui accenderant, modo vulpe, quae flammam sopiverat, hanc denique victam discessisse. Addit historicus, aereas horum animalium effigies in Laviniensium foro, ἐν τῇ Λαουινιατῶν ἀγορᾳ, in hunc usque diem adservatas. Cum fere in omnibus L. Papii numis Iuno Lanuvina recurrat, et, ut vidimus, Papia gens Lanuvio ortum debeat, censuere nonnulli, legendum in Dionysio Lanuvium, non Lavinium, quos inter Vrsinus ipse. Sed perperam, nam narrat historicus, factum istud prodigium interea temporis, cum urbs ab Aenea

a) L. XIII. v. 364. — b) L. I. p. 42.

conderetur, at ab hoc non Lanuvium, sed Lavinium conditum novimus. Si igitur mendum subest, illud non librario, sed ipsi Dionysio imputandum, qui memoriae lapsu, et adfini nomine deceptus Lavinio tribuerat, quod de Lanuvio fuit praedicandum. Non unus Dionysius utramque urbem temere confudit. Quis ignorat, Lanuvii cultam Iunonem Sispitam, atque ibi sacrum fuisse serpentem a virgine pasci solitum? de quo agam pluribus in gente Roscia. Tamen Aelianus haec item non de Lanuvio, sed Lavinio narrat a). Sed in hoc quoque absolvendus librarius, omnisque in auctore ipso culpa, nam et hic agit de urbe, quam condidit Aeneas, et de uxore Lavinium appellavit. Adde simile sphalma in Appiano, aut ejus librariis b), et quae ex uno Livio dubia collegit Drackenborchus c). At Begerus sic Dionysium cum numis conciliat, ut putet, Papium in Iunone Sispita respexisse Lanuvium, in lupa et aquila Lavinium, atque ita eleganter familiae suae origines conjunxisse cum originibus Romae d).

Denarius II. offert caput Sispitae, de qua, ut et de virgine draconis nutricia, quam quinarius sequens pingit, agam liberaliter in moneta gentis Rosciae. Quae sit causa gryphi parti aversae inserti, malo me ignorare candide profiteri, quam cum Havercampo existimare, notari curam monetae, quod hoc animal in locis in Orientem vergentibus aurum custodire credebatur. Vaillantius veterem nobis cantilenam occinit, cum grypho, quod Apollini sacer est habitus, indicari ludos Apollinares putat.

Dixi, in his denariis utrinque exstare minuta sigilla, quae sane, ut lepida sunt, ita infinita varietate, ex quo matricum monetae R. stupendam copiam colligas. Neglectis reliquis adiaphoris commemorandus denarius a Morellio propositus, qui juxta Sispitae caput tabellam exhibet, cui inscriptum PAPI. Duae libera rep. memorantur leges Papiae, una de Vestalibus lata, altera de peregrinis urbe pellendis, de quibus vide rerum R. scriptores.

Numus IV. Mercurium lyrae inventorem praedicat, de quo Horatius, aliique passim.

Quo tempore signati fuerint hi numi, nihil certi posse definiri, dicetur in Roscia.

PAPIRIA.

Plebeia. Cognomina in numis *Carbo* et *Turdus.*

* * *

Carbo.

Caput Palladis alatum, prae quo X, *pone ramus.*

CARB. *vel* M. CARB. *Iuppiter fulmina-*

a) Nat. anim. L. XI. c. 16. b) Bell. civ. L. II. c. 20. c) ad L. III. cap. 29. d) Observ. in num. ant. p. 19.

tor in citis quadrigis, in imo ROMA. AR. C.

CARBO in semissibus, et quadrantibus. R.

ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΠΑΠΙΡΙΟΥ. ΚΑΡΒΩΝΟΣ, de quo vide prolegomena ad numos Bithyniae.

* * *

Turdus.

TVRD. in assibus et quadrantibus. R.

PASIDIENVS.

Gentis incertae. ΕΠΙ. ΦΡ. ΠΑΣΙΔΙΗΝΟΥ. ΦΙΡΜΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. Vide prolegomena ad numos Bithyniae.

PASSIENVS.

Numus Goltzianus.

PEDANIA.

Gens obscura. Cognomen *Costa.*

COSTA. LEG. *Caput muliebre laur.*

BRVTVS. IMP. *Tropaeum.* AR. R.

Aliud ex hoc denario non eruimus, quam Costam hunc Bruto in bello civili adhaesisse.

PEDIA, PERPERNA.

Numi Goltziani.

PETILLIA.

Plebeia. Cognomen *Capitolinus.*

CAPITOLINVS. *Caput Iovis.*

PETILIVS. *Templum sex columnarum. In nonnullis hinc* S, *inde* F. AR. R.

PETILLIVS. CAPITOLINVS. *Aquila expansis alis fulmini insistens.*

Templum sex columnarum fastigio multis statuis exornato. In nonnullis hinc S, *illinc* F, *vel hinc* F, *illinc* S. (Mus. Caes.) AR. R.

Quaecunque ratio fuerit, cur Capitolini cognomen abstulerint Petillii, istud certum, typum tam Iovis Capitolini,

quam templi ad cognomen istud adludere. Serius quispiam ex eadem gente templi Capitolini curator pretiosa varia ex eodem suffuratus dicitur Horatio a):

Mentio si qua
De Capitolini furtis injecta Petilli
Te coram fuerit.

Literas S. F. Vaillantius legit *Sacris Faciundis*, Havercampus mavult, *Sexti Filius*. Vtramque sententiam vexant numi musei Caesarei, in quibus promiscue S. F. et F. S. scribitur. Hactenus ergo ignotus earum sensus.

PETRONIA.

Plebeia et antiquissima. Cognomen *Turpilianus*. Fuit P. Petronius Turpilianus IIIvir monetalis sub Augusto, cujus aut caput, aut epigraphen numi ejus omnes offerunt. Typi aut ad ipsum Petronium pertinent, aut in laudibus Augusti occupantur, commemorando, quod et praestant denarii Aquillii, Durmii, Caninii, signa a Parthis recepta, Armeniam captam, aliaque, quae fuere Augusti decora V. C. 734 parta. Ex quo intelligimus, Petronium hunc inde ab hoc anno fuisse IIIvirum monetalem.

* * *

CAESAR. AVGVSTVS. *Hujus caput nudum.*
IIIVIR. TVRPILIANVS. *Virgo Tarpeia clypeorum congerie obruta.* AR. R.

FERON. TVRPILIANVS. IIIVIR. *Caput deae Feroniae.*
CAESAR. AVGVSTVS. SIGN. RECE. *Parthus genuflexus signum offert.* AR. R.

Typos Sabinos jure monetae suae intulit Petronius, cujus gens et ipsa Sabina fuit; nam Petronios ipso etiam cognomine *Sabinos*, nimirum capto ex regione, e qua Romam commigraverunt, ex Val. Maximo, Fastis, et marmoribus praeclare comprobat Vrsinus. Prioris denarii argumentum insigne Tarpeia virgo, filia Sp. Tarpeii, qui per bellum a Sabinis raptarum virginum causa illatum Romanae arci praeerat. Ea armillarum, quas aureas Sabini gestaverunt, cupiditate illecta prodituram se illis arcem pacta est ea lege, ut darent, quod in sinistris manibus (armillas intelligebat) haberent. Et stetere promissis Sabini, sed pro armillis clypeos, quos sinistrae etiam manus tulere, in eam conjecerunt, dum obrueretur. Haec praeter Varronem et Servium Livius b). At Dionysio Halic. proditionis absolvenda videtur, quod eam Romani in eo loco, ubi ceciderat, sepulchri honore dignati sunt, eique inferias quotannis faciunt c). Admonet me imago hujus numi, quae Tarpeiam scutis paene obrutam sistit, ejus convicii, quod apud Homerum in Paridem torsit Hector d):

ἤ τε κεν ἤδη
Λαϊνον ἕσσο χιτωνα κακων ἕνεχ, ὅσσα
ἔοργας.

a) L. I. Sat. IV. v. 93. b) L. I. c. 11. c) L. II. c. 40. d) Il Γ. 56.

jam enim vero
Lapideam indutus fuisses tunicam
ob mala, quae patrasti,

id est: *lapidibus obrutus fuisses.* Denarius alter caput Feroniae sistit, quam a Sabinis cultam, dictamque a Graecis Ανθηφορον, Φιλοςεφανον, Φερσεφονην tradidit Dionysius Halic. a). Feroniam urbem, quae eodem nomine deam magna religione coluit, sub monte Soracte positam refert Strabo. Argumenta Sabina, nempe eandem iterum Tarpeiam, et Sabinarum raptum, vide in numis Titurii, qui Sabinus et ipse fuit, et appellatus est aeque ac Petronius.

* * *

CAESAR. AVGVSTVS. *Hujus caput nudum.*

P. PETRON. TVRPILIAN. IIIVIR. *Siren stans singulis manibus singulas tubas tenet.* AR. R.

En Sirenum unam, earumque secundum veterum figmenta verum habitum, quas Acheloo et Terpsichore, secundum alios Calliope Musa progenitas ut propter cantus illecebras amabiles, ita propter collocatas incautis insidias inimicas finxit antiquitas. Stat ore virgineo, nexis humero alis, inferne in volucrem desinens, et tubas in cantum praeferens, nimirum, ut ait Servius b), Sirenes tres fuere, harum una voce, altera tibiis, alia lyra canebat, et primo juxta Pelorum, post in Capreis insula habitaverunt Revera, ait, fuisse meretrices, quae quia transeuntes ad incitas redegerunt, his fictae sunt inferre naufragia. Stantes in concentu tres, et cum iisdem artis instrumentis videre saepe est in veterum anaglyphis, ac praecipue Etruscorum sarcophagis, sociato plerumque Vlysse navi vecto religatis ad malum manibus. Vide de Sirenibus plura ad numos Apterae Cretae, et Neapolis Campaniae, et apud Apollonium c), ejusque scholiastem. Anaxilaus apud Athenaeum d), dum Theano meretricem Sireni comparat, sic eam lepide describit: ἡ Θεανω δ' ȣχι Σειρην ἐςιν ἀποτετιλμενη; βλεμμα και φωνη γυναικος, τα σκελη δε κοψιχȣ. *Theano vero an non Siren vulsa est? aspectus et vox mulieris, crura merulae.* Cur typus Sirenis in Petronii numis compareat, ignoro. Qui eo indicari putant seu deductam ab Augusto Cumas coloniam, seu instauratam Neapolin, incertis conjecturis nituntur.

* * *

Numi, in quibus *Armenia genuflexa* — *Parthus signa reddens* — *Imperator bigis elephantorum vectus*, similesque alii exstant, cum Augusti acta eloquantur, explicabuntur ad annum V. C. 734. Argumenta alia dubia: *Pegasus* — *Astra solis et lunae* — *Caput Bacchi* — *Vir nudus humi sedens* — *Lyra*, quae omnia incertum, utrum Augustum, an Petronium respiciant.

* * *

Petronium proconsulem Asiae sub Tiberio vide in numis Smyrnae, Petronium proconsulem Syriae sub Claudio in numis Antiochiae Syriae.

a) L. III. p. 173. b) ad Aen. V. 864. c) L. IV. v. 892. d) L. XIII. p. m. 558.

PINARIA.

Gens patricia et antiquissima, Pinariis jam ab Evandro una cum Potitiis ad sacrorum Herculis ministerium designatis [a]). Cognomina in numis *Natta* et *Scarpus*.

* * *

Natta.

Caput Palladis alatum, *pone* X. NAT. *vel* NATTA. *Victoria in citis bigis*, vel: *Dioscuri equites*, *in imo* ROMA. AR. C.

NAT. in assibus et quadrantibus. R.

* * *

Scarpus.

M. ANTO. COS. III. IMP. IIII. *Caput Iovis Ammonis.*

ANTONIVS. AVG. SCARPVS. IMP. *Victoria gradiens.* In alio: SCARPVS. IMP. *Aquila legionaria inter duo signa militaria adscripto* LEG. VIII. (Pembrock Part. III. tab. 13.) AR. RR.

* * *

Hos ordine sequuntur numi Octaviani nondum Augusti, qui, etsi Scarpi nomen non adjiciant, tamen propter typum Ammonis ab eodem in Africa videntur signati. Eos vide descriptos inter numos Octaviani ab anno V. C. 719 usque 726.

* * *

CAESAR. DIVI. F. AVG. PONT. *Victoria stans super globo coronam porrigit.*

IMP. CAESARI. SCARPVS. IMP. *Manus aperta.* AR. R.

AVGVSTVS. DIVI. F. *Victoria stans super globo coronam porrigit.*

IMP. CAESARI. SCARPVS. IMP. *Manus aperta.* AR. R.

M. ANTON. IMP. COS. DES. ITER. ET. TER. IIIVIR. R. P. C. *Caput Antonii jugatum cum capite Cleopatrae.*

L. PINAR. SCARPVS. IMP. AF. *Navis expanso velo.* AE. I. (Angeloni post pag. 19 num. 10.)

Denarius I. causa COS. III., qui honos Antonio tribuitur, signatus est inde ab anno V. C. 723, quo consul III. processit. Praeclare ad explicandum hunc numum servit, quod narrat Dio [b]): victum ad Actium Antonium cursum in Africam direxisse ad Pinarium Scarpum, qui ibi cum exercitu ad tuendam Aegyptum haerebat, sed ab hoc non receptum infectis rebus discedere coactum. Hunc ipsum esse hujus denarii Scarpum, dubium non est: nam primum signatus est sub exitum rerum Antonii, deinde ipse etiam typus Ammonis Africanam ejus praefecturam eloquitur. Necesse ergo est, hunc numum in ea provincia signatum. Conjunctus denarius Pembrockianus per signa militaria delatum ei exercitus imperium indicat, de quo Dio. Et hactenus dicta liberaliter comprobat aeneus Angelonianus, cujus epigraphe si rite excepta est, habemus etiam certum Pinarii praenomen *Lucius*, quod reticuerunt et numi alii, et Dio,

---

a) Liv. L. I. c. 7. b) L. LI. §. 5.

ct praeterea literis AF. Africanum ejus imperium. Quae alia ad aenei hujus numi explicatum pertinent, vide in ejus conlegis, in moneta M. Antonii lustratis.

Denarii Scarpi reliqui, ex quo is prodito Antonio ad Octavianum transivit, deinceps per vices sunt signati, et tertius quidem propter titulum CAESAR. DIVI. F. usque ad annum V. C. 727 cusus agnoscitur, quo demum Caesar Augusti nomen admisit, inde ab hoc anno signatus est numus, qui sequitur, cum Augusti appellatione. Qua is in provincia, incertum. Perhibet iterum Dio [a]), Scarpum vivo adhuc Antonio Octaviani jussu exercitum suum Cornelio Gallo tradidisse, quod et confirmat Orosius [b]). Fieri tamen poterat, ut paullo post ad priorem stationem redire juberetur, nam Octavianus non multo post eundem Gallum captae Aegypto praefecit.

Typum manus sic apertae, ut interiorem ejus partem, seu volam, oculis objiciat, Vrsinus refert ad cognomen *Scarpi*, quasi illud ducatur a Graeco καρπος, quod *manus volam* significat. Addit continuo: *S literam, quae detrahendi vim habet, Graecae voci* καρπος *adjectam opinor, quod qui primus Scarpi cognomine usus est, aliquam in ea manus parte, quae* καρπος *dicitur, vel a natura, vel a fortuna labem acceperit, cum contra, qui nullum in ea incommodum passi fuerint,* ἐυκαρποι *dicti sunt.* Graviter in hoc judicio adversus linguae Graecae indolem peccari a viro praestantissimo video, etsi facile in eo acquieverint Vaillantius et Havercampus. Quis enim unquam grammaticorum adseruit elementum S in Graecis habere detrahendi vim? Satis apparet, homini Italo, ut fit, linguam patriam imposuisse, in qua saepe praefixum S detrahit, ut in vocabulis: *sconoscere*, *sconfortare*, *sconcertare*, et similibus. Novi, Atticos nonnunquam elemento K vel M praefixisse Σ, at novi etiam, praefixum hunc sibilum nihil in significatione mutasse, et fuisse perinde κνιψ, μικρος scripserint, an σκνιψ, σμικρος. Nova etiam vox, et lexicographis ignota ἐυκαρπος, sic ut ea significetur is qui sano est carpo. Tamen facile puto concedendum, Scarpum typo volae adlusisse ad vocem καρπος, nimirum quod suum cognomen Scarpus non magnopere a καρπος differt. Sic et Accoleius larices in numis suis signavit quod cognomen suum Lariscolae aliquam cum laricibus adfinitatem habet.

PLAETORIA.

Gens plebeia. Cognomen *Cestianus*.

Caput muliebre, pone varia sigilla.

M. PLAETOR. CEST. S. C. *Protome juvenilis imposita basi, cui inscriptum:* SORS. AR. R.

---

a) L. LI. c. 9. b) L. VI. c. 19.

Caput muliebre crinibus in occipite reticulo colligatis, pone varia sigilla.

M. PLAETORI. CEST. S. C. *Fastigium templi trigonum.* AR. R.

Prior denarius Sortis habet effigiem. Est vero Sors teste Cicerone [a]) *idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras, quibus in rebus temeritas et casus, non ratio, nec consilium valet.* Tamen etsi totum sortis negotium a fortuna pendebat, vetus illi superstitio, perinde atque nostra, oraculi vim addidit, quin et religione consecravit, sic ut teste Plinio pro deo esset [b]). Iunctam semper cum Fortuna declarant sortes Antiaticae et Praenestinae olim insignis nominis, nam apud Antium et Praeneste celeberrima fuere Fortunae templa. Cujus generis, locive sit Sors in hoc denario proposita, et templum denarii alterius, (nam illud esse Sortis, videtur verisimile) incertum est. Illud non omittendum, Fortunas Antiates non absimili modo proponi in denario gentis Rustiae.

* * *

CESTIANVS. S. C. *Protome muliebris galeata, humero alato, prominente pone pharetra, juxta cornucopiae.*

M. PLAETORIVS. M. F. AED. CVR. *Aquila fulmini insistens.* AR. R.

CESTIANVS. *Caput muliebre turritum, ante quod globus.*

M. PLAETORIVS. AED. CVR. *Sella curulis, juxta varia minuta sigilla.* AR. C.

Caput juvenile prolixis crinibus, pone varia minuta sigilla.

M. PLAETORI. CEST. EX. S. C. *Caduceus.* AR. C.

Caput muliebre crinibus in occipite reticulo colligatis. In aliis: MONETA. S. C. *Caput Monetae.*

M. PLAETORI. CEST. EX. S. C. *Guttus et fax ardens.* AR. C.

Denarii priores Plaetorium aedilem curulem faciunt, et revera Cicero M. Plaetorium hoc magistratu insignem memorat [c]), et ad hunc videntur adludere typi. De sella curuli istud extra controversiam. Aquila, et caput turritum Cybeles sacros Iovi et Matri Magnae ludos, et ab aedilibus curulibus peragi solitos haud dubie indicant. At protome numi I., nisi Pantheon est, quod congesta attributa videntur suadere, aenigmatis rationem habet. Neque etiam typi numorum sequentium sensum satis aperiunt, nullo operae pretio ei indagando longius immorari.

* * *

MONETA. S. C. *Caput Monetae.*

L. PLAETORI. L. F. Q. S. C. *Vir nudus currens d. et s. incertum quid tenet, infra varia minuta sigilla.* AR. C.

BRVT. IMP. L. PLAET. CEST. *Caput Bruti nudum.*

EID. MAR. *Pileus libertatis inter duos pugiones.* AR. RRR.

Taedet commemorare, qua ratione Vaillantius et Havercampus ambiguum aversae typum, qui est in denario priore, explicare sint aggressi. Rem

a) De Divin. L. II. c. 41. b) L. II. §. 5. p. 73. c) pro Cluent. c. 45.

satius in incerto reliquendam puto. Denarius alter, quem in moneta Bruti latius explicabimus, L. Plaetorium sistit, qui in bello civili a Bruto stetit.

PLANCIA.

Gens plebeia.

CN. PLANCIVS. AED. CVR. S. C. *Caput muliebre tectum pileo.*

Capra silvestris, pone arcus et pharetra. AR. C.

Praetereo iterum, quae de numi hujus auctore, et typis multa, sed incerta omnia hactenus prolata sunt. Caput simili pileo tectum exstat quoque in numis C. Antonii. Praeplacet nupera sententia cl. Ennii Visconti, adserentis, hoc typo expressum caput Dianae, quod praeclare stabilit ex vetere marmore, in quo mentio fit DIANAE PLANCIANAE, ex quo conjici potest, fuisse in Planciorum aedibus cultam Dianam, atque ab his illi nomen inditum [a]). Et vero partis aversae attributa plane Diania sunt.

* * *

M. Plancius Varus proconsul in numis urbium Bithyniae imperante Vespasiano, quos descripsimus in prolegomenis ad numos Bithyniae. Idem proconsul Asiae eodem imperante. Vide monetam Apameae Phrygiae.

PLAVTIA, PLVTIA.

Gens plebeia. Cognomina: *Hypsaeus*, et *Plancus*.

* * *

Hypsaeus.

P. YPSAE. S. C. *Caput muliebre latiore fascia redimitum, pone delphinus.* In aliis: *Caput Neptuni, pone tridens.*

C. YPSAE. COS. PRIV. CEPIT. *Iuppiter fulminator in citis quadrigis.* AR. C.

P. HVPSAEVS. AED. CVR. C. HVPSAE. COS. PREIVER. CAPT. *vel* CAPTV. *vel* CAPTVM. *Iuppiter fulminator in citis quadrigis, infra quas in nonnullis scorpius.*

M. SCAVR. AED. CVR. EX. S. C. REX. ARETAS. *Aretas juxta camelum genuflexus oleae ramum offert.* AR. C.

Vterque denarius decorum genti Plautiae argumentum sistit. Nimirum C. Plautius V. C. 425 consul Privernum cepit, et de urbe victa triumphavit, de quo vide Pighium ad hunc annum. Dicitur hic in Fastis triumphalibus *C. Plautius Decianus*, ex quo, numorumque praesentium testimonio conficitur, Decium quendam a Plautio Hypsaeo ad-

a) Mus. Pio-Clem. Tom. II. p. 21. nota a.

optatum, dictumque adeo C. Plautium Hypsaeum Decianum. At Pighius in hujus denarii C. Hypsaeo non ejus, quem diximus, anni consulem C. Plautium indicari putat, sed C. Plautium consulem anni V. C. 413, cui ex ipsis his denariis fuisse cognomen Hypsaei conjicit. Enimvero bis a quodam C. Plautio consule intra annos XII. Privernum captum refert Livius, anno V. C. 413 a), et V. C. 425 b). Res obscura. Crederem lectum Iovis fulminatoris typum cum adlusione ad nomen *Hypsaei*, nempe qui ἀπο τȣ ὕψȣς, *ex alto*, tonat fulguratque, nisi idem typus in consulibus esset perfrequens. Notandum in praecedente denario scriptum YPSAE pro HYPSAE., omissa Graecorum more aspirata. Cujus sit caput numi prioris, decidere vereor, forte Veneris marinae propter adjectum delphinum; neque etiam certa ratio capitis Neptuni, et qui saepe per aversae aream repit, scorpii. Aversam denarii alterius jam explicavimus in numis Aemilii Scauri, quo loco et verisimile diximus, P. Hypsaei nostri, et M. Scauri aedilitatem incidere in annum V. C. 696. Vterque V. C. 702 Pompeio sine conlega consule propter ambitum, et vim damnatus est c).

* * *

Plancus.

L. PLAVTIVS. *Persona muliebris intextis capillitio serpentibus, qui in nonnullis absunt.*

PLANCVS. *Aurora alata quatuor equos junctos ducens.* AR. C.

Lubet hujus argumenti hactenus non rite intellecti explicationem, quam olim dederam d), huc transferre. Vaillantius faciem partis adversae caput Solis plenum dicit, et argumentum solito suo more ad ludos Apollinares refert. Idem sentit Havercampus addito altero errore, numum potuisse in Oriente signari, Aurora eam orbis partem designante. At vero denarii hujus typos dilucide explicat Ovidius e). Narrat, tibicines Romae a censorum altero (Appius Claudius is erat) irritatos urbem exilio mutasse, et Tibur recessisse. At mox Romanos profugorum desiderium tenuit, quod iis absentibus et scena, et sacrificia, et supremae naeniae conticuere. Id aegre ferens C. Plautius in censura conlega astu rem aggressus, homines noctu vino madidos plaustris impositos mane sub Aurorae tempus Romam Tibure devehi, et ne a magistratu agnoscerentur, eorum vultus personis tegi jussit. Restituta pax, et in facti memoriam quinquatrus minusculae institutae, quibus permissum tibicinibus, *vestitu, quo vellent, personatis, temulentisque urbem pervagari*, ut ait Censorinus f). Omissis reliquis eos versus, qui praecipue huc faciunt, exscribam:

Iamque per Esquilias Romanam intraverat urbem,
Et MANE in medio plaustra fuere foro.
PLAVTIVS, ut possent specie numeroque senatum
Fallere, personis imperat ora tegi.

---

a) L. VIII. c. 1. b) L. VIII. c. 20. c) Appian. B. C. L. II. Dio L. XL. §. 53. Val. Max. L. IX. c. 5. d) Numi veteres pag. 13. e) Fast. VI. 651. f) de die natali c. XII.

Nemo non videt, factum istud per se leve quidem, ac leporis plane rustici, sed quod Romanis instituendi novi festi, nempe quinquatruum minorum, occasionem dedit, a posterorum quodam Plautii, qui hic ab Ovidio fabulae, et restitutae pacis auctor dicitur, in numo esse signatum. In aversa typo Aurorae tempus designatur, quo revera lepida fabulae catastrophe peracta fuit, quodque vates vocabulo *mane* innuit, et apertius Livius, qui factum istud facete narrat [a]): *nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis plenos crapulae eos LVX oppressit. Tunc concursus populi factus etc.* Vide etiam Val. Maximum [b]).

Iam igitur facies partis adversae persona est ab Ovidio memorata, quae caput Medusae esse nequit, nisi improprie, quatenus Medusae crines serpentibus horrentes propter aspectus atrocitatem personis Gorgoneis nomen fecere, ut Hesychio *γοργεια* dicuntur *προσωπεια*, nempe in quibus effictum sit Gorgonis caput. Personam, licet ab hac diversam, exhibet etiam denarius gentis Iuniae, eadem, ut opinor, de causa; nam annus, quo istud contigit, scilicet V. C. 443, consulem habuit C. Iunium Bubulcum, ut diximus in numis gentis Iuniae Silanorum. Aversa sistit certam Auroram alatam, et quatuor suos equos freno cohibentem. Causa alarum eam Euripides vocat λευκοπτερον, *albis alis instructam* [c]), eidemque quadrigas tribuit [d]), etsi idem, aliique in equorum numero varient. Binos ei largitur Homerus expressis praeterea nominibus [e]):

Λαμπον και Φαεθονθ', οιτ' Ηω πωλοι αγουσι.
Lampum et Phaethonta, qui Auroram equi ducunt,

tum et bigis vectam sinuato per caput peplo saepe propositam videmus in gemmis veteribus. Alibi unicum illi indulget Euripides, cum *μονοπωλον* illam, id est: *uno equo vectam*, appellat (in Oreste v. 1004.), et uno equo contenta est in numo Aegyptio, quem olim ex museo Caesareo edidi, adjecto praeterea Aurorae nomine ΗΩ. (Sylloge I. p. 72.) Lycophron Pegaso vectam contendit. (in Alexandra v. 17.) Idem Aurorae argumentum, eodemque, ut in his numis, modo propositum, exstat in insigni gemma, quae fuit olim ducis Aurelianensis: Rufi artificis nomine insuper notata. (Descript. des pierr. grav. T. I. p. 195.) Alia praeterea Aurorae in numis permissa attributa vide in laudato numo Aegyptio, et in numo divi Trajani, quem in moneta Trajani proponemus.

Hujus denarii aliud adhuc est meritum, quod veram Pighii lectionem confirmat, qui in Ovidii Fast. VI. v. 685 legendum recte censet *Plautius*, cum in hoc vocabulo varient codices, quorum alii jam *Callidus*, jam *Cautius*, jam *Claudius* praeferunt. Verba *Callidus*, et *Cautius* sensum corrumpunt. Vox *Claudius* veritati historicae adversatur,

---

a) L. IX. c. 30. b) L. II. c. 5. §. 4. c) in Troad. v. 848. d) ibid. v. 855. Odyss. Ψ. v. 246.

nam Claudius censor tibicinum conlegio inimicus fuit, et auctor, cur Tibur discedere maluerint.

* * *

Commemorandi hoc loco numi sequentes:

PLAVTIVS. *Persona similis. Sine epigraphe. Aurora alata d. hastam unum, in alio numo duos Solis equos freno ducit.* AV. (Mus. Caes.)

Horum tres sunt in museo Caesareo, aliis, quod norim, museis ignoti, et una cum pluribus aliis numis barbaris anno 1713 in Transilvania effossi in hunc thesaurum translati sunt. Hae peristases, ac praeterea, quod nonnihil barbarae sunt fabricae a Romanae monetae modo multum abludentis, suspicari jure faciunt, esse ex eorum numorum genere, quos cuderunt barbari adhibitis cultiorum populorum archetypis, de quo more alibi ex proposito egimus. (Vol. IV. p. 176.)

* * *

Plautii incerti.

A. PLAVTIVS. AED. CVR. S. C. *Caput muliebre turritum.*
BACCHIVS. IVDAEVS. *Bacchius genuflexus s. camelum freno retinet, d. oleae ramum offert.* AR. R.

Cum ex Plautiis soli Silvani cum praenomine Auli reperiantur, jure conjicit Havercampus, horum cuipiam hunc denarium tribuendum. Caput anticae ludos Matris Magnae indicat ab aedilibus curulibus obiri solitos, ut diximus ad caput simile gentis Plaetoriae. At aversa argumentum historicis intactum offert, nempe Bacchium Iudaeum eodem modo supplicem, quo in numis M. Aemilii Scauri regem Aretam. Indubitatum igitur, quo tempore Cn. Pompejus per Scaurum ad petendam pacem Aretam compulit, per A. Plautium Bacchio Arabiae, ut videtur, dynastae, et religione Iudaeo leges dictasse, quam deinde laudem in denariis in sua aedilitate percussis restituit.

* * *

A. PLAVTIVS. PROCOS. in numo Cypri cum capite Augusti. Vide numos ejus insulae.

* * *

Plutius.

Caput Palladis alatum, pone X.
C. PLVTI. *Dioscuri equites, infra* ROMA. AR. C.

Ad gentem Plautiam hunc denarium vulgo referunt eruditi, quia *Plautius, Plotius, Plutius* eandem notare gentem existimant.

PLOTIA.

Eadem cum Plautia. Sic et Claudius, et Clodius, Cauponius, et Coponius, Faustulus, et Fostulus etc.

C. PLOTIVS. RVFVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis Augusti. C.

Forte hic est idem, quem conspirasse contra Augustum refert Suetonius [a]).

a) In Aug. c. 19.

POBLICIA.

Gens plebeia. Cognomen *Malleolus.*

C. MALLE. C. F. *Caput Palladis alatum*, *retro* X.

L. LIC. CN. DOM. *Mars nudus in citis bigis d. hastam intorquet*, *s. clypeum*, *et lituum militarem.* Sunt serrati, et C.

De denariis similibus jam egi in Cosconia.

* * *

Caput muliebre tectum galea, *cui superne malleolus imminet*, *juxta* X.

C. MAL. *Vir nudus stans ante tropaeum d. hastam dexterum pedem thoraci imponit*, *in area prora navis*, *cui in nonnullis apis insistit; in aliquibus* το C. MAL. *insculptum est cistae quadratae.* AR. C.

Caput Apollinis laureatum, *in nonnullis juxta scriptum:* L. METEL. A. ALB. S. F.

C. MAL. *Figura seminuda clypeis insidens d. hastam pendente ad latus parazonio coronatur a Victoria retro stante*, *in imo* ROMA. AR. C.

In priore denario observandus malleolus manifeste ad cognomen Malleoli adludens. Quam dixi cistam quadratam, incudem statuit Havercampus, nempe cum qua opportune jungas malleum. Denarius alter videtur offerre tres monetales L. Metellum, A. Albinum, et C. Malleolum. Quis fuerit hic C. Malleolus, et quis reliquorum typorum sensus, incertum. Vis conjecturas? pasce te ex Havercampo.

* * *

Poblicii incerti.

Caput muliebre galeatum, *pone* ROMA, *superne litera alphabeti.*

C. POBLICI. Q. F. *Hercules stans leonem suffocat*, *in area arcus et pharetra*, *et eadem litera*, *quae in antica.* Sunt serrati, et C.

M. POBLICI. LEG. PRO. PR. *Caput Palladis.*

CN. MAGNVS. IMP. *Pompejus M. paludatus ex navi egrediens palmam accipit*, *quam ei accedens genius muliebris Hispaniae duo jacula et clypeolum rotundum gestans offert.* AE. R.

De priore item denario certa adferri non possunt. Alter secundum receptam opinionem sistit M. Poblicium legatum propraetore sub Pompejo M., et indicat typus eundem Pompejum a genio Hispaniae benigne exceptum, cum is ad debellandum Sertorium eo profectus est, sed quam sententiam uberius expendemus in Pompeja. Simile fere argumentum habet aversa numorum M. Minatii Sabini.

POMPEIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis: *Faustulus*, *Magnus*, *Pius*, *Rufus.*

* * *

Faustulus.

Caput Palladis alatum, *prae quo* X, *pone urceus.*

SEX. POM. FOSTLVS. *Romulus et Remus lactentes sub ficu Ruminali, cui picus insidet, quem adstans pastor Faustulus extenta manu indicat.* AR. C.

Gemini a lupa nutriti, ficus Ruminalis, picus avis, pastor Faustulus, nimirum urbis aeternae incunabula, notiora sunt, quam ut iis enarrandis inhaeream. Sex. Pompejus hujus auctor denarii hunc selegit aversae typum, seu quod idem haberet cum geminorum nutricio cognomen, seu quod revera genus suum ab hoc pastore duci credidit, aut credi voluit. Scribitur FOSTLVS pro FAVSTVLVS. Paullo supra in Plotia vidimus AV et O permutata, etiam V saepius extrusum, sic *vincula* et *vincla*, *Proculus* et *Proclus*, *Alcumena* et *Alcmena*.

* * *

Magnus.

Cn. Pompejus natus eodem, quo M. Tullius anno V. C. 648 patre Cn. Pompejo Strabone, cujus eximia virtus bello sociali enituit. In dissensu civili Sullae et Marii, illius partes amplexus praeclaram Sullae operam navavit, adeo hoc adolescentis virtutem mirante, ut annos natum XXIII. *imperatorem* ipse salutaret. Ab eodem paullo post in Africam missus, ut Cn. Domitium Ahenobarbum ad obsequium revocaret, qui unus ex proscriptis armis sese tueri intenderat, confecto feliciter bello redux maximis a Sulla et universo populo laudibus elatus est. Longum esset referre, quantis subinde accessionibus has famae meritorumque primitias auxerit, Sertorio, piratis, Mithridate, Tigrane incredibili virtute devictis, prolatisque imperii finibus, felix undequaque cum propria virtute, morumque commendatione, tum singulari totius imperii in eum adfectu, at eo infelix, quod gloriae aemulum nactus est Caesarem, cum quo minus reip., quam occultae ambitionis causa collisus post cladem Pharsalicam exitum in Aegypto, quo confugerat, reperit ipsis victoribus indignum visum, et seriis lacrimis decoratum V. C. 706, relictis binis filiis Cnaeo et Sexto calamitatis paternae haeredibus, de quibus mox. Vide haec passim in rei R. scriptoribus, at praecipue Plutarchum.

MAGNI cognomen, si Plutarcho credimus, adeptus est mature admodum praecone ipso Sulla, hoc eum nomine compellante, cum victo in Africa Domitio Romam reversus est [a]). In eadem sententia fuit Plinius [b]). Alii serius sic compellatum tradunt, ut dicetur ad proximos numos. Vtut erit, in cognomen certe deinde abiit omisso patrio Strabonis, duravitque in hac familia, dum a Caligula, quem aviti et illustres civium tituli usserant, aboleretur [c]), non diuturna jactura, nam restituit successor Claudius, qui suam insuper filiam Cn. Pompejo Magno uxorem dedit [d]).

* * *

CN. PISO. PRO. Q. *Caput Numae barbatum cinctum diademate, cui inscriptum* NVMA.

MAGN. PRO. COS. *Prora navis.* AR. R.

---

a) In Pomp. p. m. 625. b) L. VII. §. 27. c) Sueton. in Calig. c. 35. d) Dio L. LX. §. 5.

VARRO. PROQ. *Caput barbatum diadematum instar termini.*
MAGN. PROCOS. *Aquila et delphinus medio inter hos sceptro erecto.* AR. R.
MAGNVS. *Caput muliebre elephanti exuviis tectum lituum inter et urceum, omnia intra coronam.*
PROCOS. *Pompejus in quadrigis adstante Victoria.* AV. (Catal. d'Ennery p. 195.) RRRR.

Omnium confessione numi hi signati sunt tum, cum Pompejus bello praedonum intentus esset, proquaestoribus Cn. Pisone, et Varrone, de quibus, ut et de partibus horum numorum anticis agitur in Calpurnia, et Terentia. Facile istud colligitur ex typis aversarum maritimis. Pompejus in his dicitur *proconsul*, nimirum decreto, uti toto mari, et ad quinquagesimum a mari milliarium eo in bello proconsularem potestatem haberet. Additum *Magni* nomen aliquam de tempore collati ejus honoris lucem adfundit. Appianus binis locis, (Bell. Mithr. c. 97. 118. 121.) sed dubitantis modo innuit, post bellum Mithridaticum, aut saltem post victos praedones istud ei elogium datum. Alexander Severus apud Lampridium adserit, Pompejum illud post magnos triumphos accepisse. Quoniam ergo in praesentibus denariis, qui certe per bellum praedonum signati sunt, jam *Magni* nomine gloriatur, plus fidei meretur oratio Plutarchi et Plinii supra citata, collatum a Sulla adfirmantium. Vide et numos sequentes.

* * *

M. POBLICI. LEG. PRO. PR. *Caput Palladis.*

CN. MAGNVS. IMP. *Imperator paludatus e navi egrediens palmam accipit, quam ei accedens muliebris Hispaniae genius duo jacula, et clypeolum rotundum gestans offert.* AR. R.
CN. MAGNVS. IMP. *Caput Pompeji M. nudum.*
M. MINAT. SABIN. PR. Q. *Imperator paludatus navi egressus dexteram jungit cum muliere turrita s. hastam tenente, pro cujus pedibus strues armorum Hispanicorum.* AR. RR.

Adde similes alios in gente Minatia descriptos.

Denarium priorem statuunt antiquarii signatum tum, cum Pompejus M. in Hispania proconsule bellum cum Sertorio gessit M. Poblicio legato numos hos feriundos curante. Istud si verum, jam tum Pompejus Magni nomine insignis fuit, de quo actum in numis praecedentibus. Ab his abit Havercampus, cum censet signatos serius, nimirum quando Pompejus duas Hispanias proconsulari potestate in quinquennium obtinuit, de quo vide Pighium ad annum V. C. 699. Quare, ait, adventum Pompeji laeta excipit Hispania, illique victorias suas gratulatur, cum paullo supra adseruisset, tum iterum Pompejum in Hispaniam proconsulari potestate profectum. Istud luculente falsum, nam certum est ex scriptoribus omnibus, Pompejum, ex quo decreta illi tum Hispania fuit, nunquam toto eo quinquennio pedem in eam tulisse, Afranio, Petreio, Varrone legatis eam pro se administrantibus, ipsum vero rei frumentariae causa ex S. C. in urbe substitisse. Quare cum Pompejus secundum typum hujus dena-

rii vere in Hispaniam videatur appulsus, nullo pacto in alterum hoc tempus denarius hic potest moveri.

Quo minus antiquarii denarium alterum in Pompeji vivi tempora vocarent, etsi typorum similitudo aetatem priori synchronam suaderet, obstitit religio capitis Pompeji in eo signati, cum illa aetate nondum licuisset hominis vivi caput monetae inferre. Ergo a Sex. Pompejo in Sicilia cusus vulgo creditur. Quid si statuamus, utrumque denarium signatum in Hispania, quo tempore Cnaeus Magni F. bellum adversus Caesarem apparavit? Sane in hac sententia typi nihil obturbant. Proponitur enim Cnaeus in Hispaniam appulsus, et ab ejus urbibus propter patris memoriam benigne exceptus. Ejusdem memoriae, et in filio pietatis causa insertum numo Pompeji mortui caput. Non obstat epigraphe CN. MAGNVS. IMP., quae ad filium Cnaeum aeque potest pertinere; nam nomen *Magni* perinde ac Sextus habuit haereditarium, dictum autem fuisse imperatorem, etsi istud a nemine veterum proditum norim, tamen pronum est credere, quod rei summa in eo bello ad Cnaeum delata is titulus auctoritatem in castris addidit, ac vel ideo ambitiosius est quaesitus, neque multo labore partus. Sic et M. Brutum, cum bellum adversus Octavianum pararet, hunc sibi honorem promereri studuisse, ut majore dignitate rebus praeesset, in ejus numis dicetur. Adverto etiam, minus videri verisimile, alterum hunc denarium a Sex. Pompejo cusum, nam hic in certis suis numis sua semper nomina capiti patris adscripsit, quae lex in hoc M. Minatii Sabini denario observata non est. Auctor belli Hispaniensis meminit L. Minatii, qui in Hispania desperatis ducis sui Cnaei rebus ad Caesarem deficere parabat [a]. Praeclare istud conjecturam meam juvaret, sed Minatius in numo dicitur Marcus, non Lucius.

* * *

Numum Γ. ΠΟΜΠΗΙΟϹ. cum capite Pompeji M. vide in numis Pompejopolitarum Ciliciae.

* * *

Sex. Pompeji numos nexus historici causa in monetam imperatorum differo.

* * *

Rufus.

Denarios Q. Pompeji Rufi vide recitatos in numis Cornelii Sullae.

* * *

Pompeji incerti.

POMP. — L. POMP. — SEX. POM. — P. POM. — T. POM. SEX. F. in aeneis cum unciarum notis, incertum tamen, an non horum aliqui sint gentis Pomponiae.

a) Cap. 19.

POMPONIA.

Gens plebeia. Cognomina in numis Romanis: *Molo*, *Musa*, *Rufus*, in externis, *Bassus*, *Flaccus*.

* * *

L. POMPON. MOLO. *Caput Apollinis laureatum.*

NVMA. POMPIL. *Numa s. lituum tenens stat ante aram luculentam, camillo caprum admovente.* AR. RR.

Molones in historia R. ignoti. Gentem Pomponiam ad Numam retulisse genus, disertum testem habemus Plutarchum (in Numa p. 73.). Cum enim enarrasset, fuisse Numae filios quatuor, Pomponem, Pinum, Calpum et Mamercum, subdit: *ἐιναι γαρ ἀπο μεν τȣ Πομπωνος τȣς Πομπωνιȣς*, *a Pompone enim derivari Pomponios.* Ejus causa in aversa proponitur Numa occupatus sacro munere, cujus ipse praecipuus auctor exstitit. Eodem titulo Calpurnii quoque, Calpi nepotes, et Marcii Censorini Numam denariis intulere, ut vidimus.

* * *

Musa.

Q. POMPONI. MVSA. *Caput juvenile diadematum crinibus per cincinnos dependentibus.*

HERCVLES. MVSARVM. *Hercules stans cum attributis lyra canit.* AR. R.

Caput muliebre laureatum, pone varia minuta sigilla.

Q. POMPONI. MVSA. *Musarum una stans cum attributo sui muneris, quod in singulis variat.* AR. C.

Dubitatum a nonnullis, utrum MVSA in his denariis cognomen Pomponii indicet, an ad ipsas in illis propositas Musas, ut habemus in numis Aciliae VALETV*do* scriptum juxta Valetudinem stantem, sit referendum. Verum tota scripturae ratio satis comprobat, esse putandum cognomen. Nequaquam obest, nullum a veteribus memorari Pomponium Musam, nam neque Pomponium Molonem, ut diximus, habemus. Et fuit cum hoc Musae cognomine Antonius, notus Romae sub Augusto medicus.

Offerunt hi denarii primum Herculem Musarum, dein ipsum earum chorum. Fuisse Romae templum Herculis Musarum, seu Musagetae, veteres docuere. Liberalissime de hoc Eumenius [a]): *Aedem Herculis Musarum in circo Flaminio Fulvius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit -- quod in Graecia cum esset imperator, acceperat Herculem Musageten esse, id est: comitem ducemque Musarum, idemque primus novem signa, hoc est: omnium Camenarum ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi numinis consecravit, ut res est, quia mutuis opibus et praemiis juvari ornarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, et virtus Herculis voce Musarum.* Transvectae sunt hae ab

a) Orat. pro restaur. schol. c. 7.

Ambracia opes V. C. 568, quo Fulvius de Aetolis triumphavit. Facti hujus meminit quoque Servius [a]). Teste Suetonio [b]) inter praeclara opera, quae a privatis hortante Augusto aedificata sunt, fuit etiam aedes Herculis Musarum a Marcio Philippo Augusti vitrico exstructa, idemque confirmat Ovidius [c]), qui et alibi docet, ficticios crines, quos mulierculae in nativorum deficientium locum suffecere, Romae fuisse venales

Herculis ante oculos, virgineumque chorum [d]).

At cum constet ex Eumenio, aedes has jam olim conditas a Fulvio, apparet, eas a Philippo solum refectas, aut sic novis accessionibus auctas, ut earum velut conditor dici meruerit. Quae alia de Hercule Musageta dici possunt, pete ex praeclara dissertatione abbatis Fontenu [e]). Proponitur in hoc numo lyra canens, atque eo cultu videtur fuisse archetypon in denarium translatum. Ita et Ovidius de hoc Hercule Musageta loquens ait [f]):

Adnuit Alcides, increpuitque lyram.

Herculem citharoedum dixit etiam Theocritus [g]):

Αυταρ ἀοιδον ἐθηκε και ἀμφω χειρας ἐπλαξε
Πυξινα ἐν φορμιγγι Φιλαμμονιδας Ευμολπος.

Sed cantorem eum (Herculem) *fecit, et ambas manus formavit*
In buxea cithara Philammonides Eumolpus.

Habemus ergo invidum Herculem bis in Apollinis jura involantem, olim, cum Delphicum illi tripodem per vim abstulit, et modo primum inter Musas subsellium, cum ex vetere lege Apollo esset Μȣσηγετης, et sic etiam compellaretur a Strabone [h]).

Denarii altero loco descripti novem Musarum agmen seorsim exhibent, quas, ut dixi, sua singulas attributa distinguunt, et dubium non est, ipso hoc cultu fuisse novem illa Musarum signa, quae a Fulvio Ambracia translata ex Eumenio narravimus. Difficile tamen, sua singulis ex cultu, quem in numis praeferunt, nomina imponere. Tentarunt istud Vrsinus, Vaillantius, Havercampus, quo successu, arbitretur lector. Pluribus additur lyra, vel tibia, ambiguo adeo criterio. Eadem difficultas in discriminandis Musis, quae sunt exculptae in celebri sarcophago, quem vulgavit Sponius [i]). Confer etiam picturas Herculanenses sub initium tomi II., in quibus videre est non solum sua singulis Musis adscripta nomina, sed et adpicta attributa. Vide etiam statuas musei Pio-Clementini tomo I. et ibidem tomo IV. tabulas XIV. XV., et museum Capitolinum tomo IV. p. 141. In re numismatica unicam habemus Musam nomen suum professam, nempe

a) Ad Aen. I. 8. b) in Aug. c. 29. c) Fast. L. VI. v. 797. d) Art. amat. L. III. 168. e) B. L. Mem. T. VII. p. 51. f) in Fast. l. c. g) Id. 24. v. 127. h) L. X. p. m. 717. i) Misc. p. 44.

CALLIOPE. AVG. in numo Probi. Vraniam satis distinguit globus coelestis tripodi impositus, quem ipsa radio contingit. Quae dextera clavam, sinistra personam Sileni tenet, capite leonis exuviis tecto, Euterpe est, secundum alios Melpomene, habita tragoediae inventrix; Herculis enim cultus ad facta heroica adludit, quae sunt tragoediae argumentum, et fuit tragoedia sacra Baccho, cujus comes Silenus. Terpsichore binas tibias manu tenet, quas invenisse ferebatur, et iis animasse choreas, parum pudicae ipsa vitae, quae sectata fluvios ex Acheloo Sirenes, ex Strymone Rhesum peperit [a]). Horum pars antica constanter praefert caput muliebre laureatum, quod esse Musae plerique censent. At mihi videtur indicari communis Musarum mater. Hanc plerique statuunt Mnemosynen, at sunt etiam, quos inter Hyginus, qui eas Ioye, et Moneta natas adserunt, de quo vide Hyginum in prooemio ad fabulas, et ibi observata Munckeri. Monetae igitur caput per adlusionem cum ipsa moneta recte componitur, ac praeterea tanquam Musarum mater cum partibus aversis horum numorum.

* * *

Rufus.

RVFVS. S. C. *Caput Iovis.*

Q. POMPONI. *Aquila d. pede lauream stringens, in area serpens, scorpius etc.* AR. C.

Quis fuerit hic Pomponius Rufus, non liquet. In numo Morelliano eadem antica jungitur cum aversa Q. Pomponii Musae, quod tribuendum aut falsario, aut monetario indiligenti.

* * *

Pomponius incertus.

L. POMPONI. CN. F. *Caput Palladis alatum, pone* X.

L. LIC. CN. DOM. *Mars nudus in citis bigis d. hastam intorquet, s. clypeum et lituum militarem.* Est serratus et C.

De numis similibus egi in gente Cosconia.

* * *

Bassus, Flaccus.

T. Pomponius Bassus legatus Nervae et Trajani in numis Graecis Galatiae, et Cappadociae, quas vide.

ΕΠΙ. ΦΛΑΚΚΟΥ, in numo Antiochiae Syriae cum capite Tiberii. Vide ejus urbis numos.

PONTINIA, POPILIA, POPPAEA.

Numi Goltziani.

P O R C I A.

Gens plebeia. Cognomina in numis: *Cato, Laeca, Licinus.*

* * *

Cato.

Caput Palladis alatum, pone X.

---

a) Euripid. in Rheso.

C. CATO. *Victoria in citis bigis, in imo* ROMA. AR. C.

M. CATO., *addito in nonnullis* PRO. PR. *Caput muliebre pone* ROMA, *in nonnullis sine hoc.*

VICTRIX. *Victoria sedens d. pateram protendit, s. palmae ramum, in aliquibus intra sellae fulcra* ST. AR. C.

M. CATO, *addito in nonnullis* PRO. PR. *aut pro hoc literis alphabeti Latini, rarius Graeci, vel minutis sigillis. Caput juvenile hedera redimitum.*

Eadem aversa. Quin. C.

Denarium I. nihil nisi longius aevum commendat. Denarii et quinarii sequentes ut idem habent argumentum, ita et eundem auctorem, et quidem M. Porcium Catonem Vticensem, ut plerique existimant, quanquam eo differunt, quod alii percussos putant tum, cum ad redigendas Ptolemaei opes pro praetore in Cyprum missus est, alii, cum bellum in Africa adversus Caesarem duce Scipione gereretur. Res incerta. Havercampus utriusque partis epigraphen conjungit, sic ut legendum sit: ROMA. VICTRIX. Verius videtur, quod opinatur Vrsinus, a Catone renovari vetus gentis suae decus narrante Livio ad annum V. C. 561 a): *Iisdem diebus aediculam Victoriae virginis prope aedem Victoriae M. Porcius Cato dedicavit.*

* * *

CATO inscriptum numis aeneis, quos Panormo Siciliae tribuimus, ut in hac dictum. Item S. CATO. PR. vel PROCOS. in Cyrenaicis.

* * *

Laeca.

LAECA. *Caput Palladis alatum, juxta* X.

M. PORC. *Mulier in citis quadrigis d. pileum praefert, et ab advolante Victoria coronatur.* AR. C.

P. LAECA. *Caput Palladis alatum, in area* X *et* ROMA.

PROVOCO. *Vir paludatus stans dexteram imponit capiti adstantis civis togati, illinc stans lictor cum virgis.* AR. R.

Insignis denarius alter revocat memoriam legis Porciae de provocatione latae pro tergo civium, qua gravis poena irrogabatur, si quis verberasset, necassetve civem Romanum, ut ait Livius b). Ejus saepe meminere Cicero, aliique. A quo tamen Porcio lata sit, ignoratur. Lege Pighium de ea fuse disserentem c). Ad eam legem videtur adludere mulier denarii prioris, quae pileum libertatis ostentat.

* * *

Licinus.

L. PORCI. LICI. *Caput Palladis alatum, pone* X.

L. LIC. CN. DOM. *Mars nudus in citis bigis d. hastam intorquet, s. clypeum, et lituum militarem.* Est serratus.

Vide, quae de denariis similibus dixi in gente Cosconia.

---

a) L. XXXV. c. 9. b) L. X. c. 9. c). Tom. II. p. 255.

POSTVMIA.

Gens patricia, et talis semper permansit a nullo plebeio adoptata. Cognomen *Albinus*, quae familia fuit clarissima, et ad quam verisimile est pertinere sequentes denarios omnes, etiam in quibus Albini nomen non additur.

* * *

A. POSTVMIVS. COS. *Caput Postumii nudum.*

ALBINVS. BRVTI. F. *scriptum intra coronam spiceam.* AR. R.

Diximus in numis gentis Iuniae Brutorum, signatum hunc denarium a D. Iunio Bruto, qui adoptatus ab A. Postumio Albino deinde *Albinus Bruti F.* dictus est, quique ad indicandam gentis claritatem, in quam transiit, A. Postumium Album numis inscripsit, qui V. C. 258 in ipsis reip. incunabulis insignem de Latinis ad lacum Regillensem victoriam retulit, a qua et Regillensis dictus est, caesis in acie Tito et Sexto Tarquiniis regis Superbi filiis, praecipuis belli auctoribus, de quo late egere rei Romanae scriptores.

* * *

Caput Apollinis laureatum, prae quo X, *pone astrum, infra* ROMA.

A. ALBINVS. S. F. *Dioscuri stantes equos suos ad fontem potant, in area lunula.* AR. C.

Caput Dianae, pone ROMA.

A. ALBINVS. S.F. *Tres equites armati citato cursu, quos miles pedestris effugere nititur.* AR. C.

L. METEL. A. ALB. S. F. *Caput Apollinis.*

C. MAL. *Vide reliqua in gente Poblicia.*

Aversam denarii I. luculente explicant scriptores Romani, ac praecipue Plinius, Dionysius, Livius. Refertur nimirum ad eandem A. Postumii ad lacum Regillensem victoriam, quo eodem tempore visi sunt Romae in foro duo adolescentes pulcherrimi militari cultu equos sudore manantes ad fontem lavare, qui cum circumstantibus incompertam hactenus victoriam narrassent, deinceps amplius conspecti non sunt. Visi etiam in ipsa acie duo juvenes ex candidis equis summa virtute pro Romanis pugnare. Hi cum passim Dioscuri crederentur, eorum in urbe cultus coepit inclarescere dicata iis publice aede. Eodem etiam haud dubie pertinet argumentum denarii II. Nam cum in eodem praelio nutaret victoria, magister equitum equis frenos demi jussit, ut tanto acrius in hostem ferrentur, quo facto aciem hostium perruperunt, et castra ceperunt. Similem Dioscurorum ἐπιφανειων pro Locris adversus Crotoniatas dimicantium habes apud Iustinum [a]), et Simonidem poetam a camerae ruina illaesum servantium, ut narrat Phaedrus [b]).

In Postumiorum numis praenomen *Spurius*, nunquam scribitur SP., sed S

a) L. XX. c. 3. b) L. IV. fab. 24.

simplice, quod quo minus legatur *Sextus*, vetat, quod Postumiorum gens Sextos non tulit. Eodem modo et in S. C. de Bacchanalibus scribitur: S. POSTVMIVS. L. F.

* * *

Caput Dianae, cui superne caput bovis imminet.

A. POST. A. F. S. N. ALBIN. *Mons, super quo stans vir togatus dexteram super bovem victimam extendit, media inter utrumque ara ignita.* Sunt serrati, et C.

HISPAN. *Caput muliebre velatum sparsis crinibus.*

A. POST. A. F. S. N. ALBIN. *Vir togatus stans dexteram extendit versus aquilam legionariam juxta defixam, pone fasces cum securi.* Sunt serrati, et R.

Narrat Livius a), A. Postumium Albinum in locum L. Cornelii Lentuli Xvirum sacris faciundis creatum. Xvirorum cum esset procurare ludos saeculares, existimant antiquarii, ab hoc, aut ejus filio in eodem munere constituto eos celebratos, et hunc honorem serius ab Aulo his denariis insculptum. Acti enim fuere in honorem Apollinis et Dianae, cujus imago in antica proponitur. Praeterea in monte Aventino ejus templum et ara steterunt, et immolatae in his ludis Dianae boves teste horum omnium Horatio in carmine saeculari:

Quique vos bobus veneratur albis - - -
Quaeque Aventinum tenet, Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet - -

De quo vide plura apud Vrsinum ad hunc denarium. Certius forte adludit typus ad templum Πιςιϐ Διος, *Iovis Fidii*, a Tarquinio votum, a Sp. Postumio dedicatum, quod stetit in colle Quirinali b).

Denarii II. typis putat Vrsinus adludi ad triumphum, quem L. Postumius Albinus V. C. 576 de Lusitanis et Vaccaeis ex Hispania ulteriore egit, ut testantur Livius, et fasti triumphales.

Iuvat inquirere in auctores primum, deinde verisimilem aetatem numorum, qui A. ALBINVS. S. F. et A. POST. A. F. S. N. ALBIN. inscribuntur. Recte me judice conjicit Vrsinus, A. Albinum priorem fuisse filium ejus Spurii, qui consul fuit V. C. 606. Filius vero Aulus idem forte est, qui V. C. 655 processit consul, quique in fastis dicitur SP. F. SP. N. Hujus deinde A. Albini filius fuerit A. Albinus posterior, dictus in numis Auli F. Spurii N. Ex quo colligitur, posterioris hujus numos signatos circa annum V. C. 650, quod propter aetatem numorum serratorum indagare placuit, cujus rationis sunt denarii omnes A. Albini Auli F. Spurii N.

* * *

Caput Palladis alatum, prae quo X, *pone apex.*

L. POST. A. F. *Mars tropaeophorus in citis quadrigis, infra* ROMA. AR. C.

Caput Dianae.

C. POSTVMI. *Canis currens, infra quem hasta, in imo monogramma* AT. AR. C.

De utroque hoc numo, quod ad cer-

a) L. XLII. c. 10. b) Dion. Halic. L. IX. c. 60.

tum, aut dignum memorem, non habeo. Satis liberales de iis conjectores fuerunt, qui me praecessere. In numo priore Mars proponitur, qualis a Marone describitur [a]):

Parte alia Marti currumque, rotasque volucres
Instabant, quibus ille viros, quibus excitat urbes.

PROCILIA.

Gens plebeia.

Caput Iovis laureatum, pone S. C.

L. PROCILI. F. *Sispita cum calceolis repandis gradiens d. hastam vibrat, s. scutulum praetendit, pro pedibus serpens.* AR. R.

Capui Iunonis Sispitae, pone S. C.

L. PROCILI. F. *Iuno Sispita in citis bigis d. hastam vibrat, s. scutulum praetendit, infra serpens.* Sunt serrati. AR. C.

Ex typis Iunonis Sispitae apparet, gentem Prociliam fuisse Lanuvio oriundam. Eos hic explicare non aggredior, cum istud ex instituto facturus sim in moneta gentis Rosciae. Animadvertenda litera F nomini subjecta. Existimat Havercampus, indicare F*laminem* Iunonis Sispitae cujus ordinis sacerdotem apud Lanuvium sacra ejus deae procurasse ex Ciceronis pro Milone oratione constat. Cum haec scriberet vir eruditus, non advertit animum, perinde etiam scribi in numis REGVLVS. F. — MESSAL. F. — C. CVR. F. Eodem igitur modo explicandum etiam L. PROCILI. F., et verisimiliter *το* F. legendum F*ilius*, ut dixi in Curiatia. Quis fuerit hic L. Procilius, incertum. Secundi loci denarii omnes sunt serrati, etsi tales non sint, quos priore loco stiti, et tamen satis apparet, utrosque eundem habere auctorem de quo vide, quae in Prolegomenis capite de numis serratis dixi.

PROCVLEIA.

Gens primum sub Augusto cognita.

Caput laureatum barbatum, pone monogramma, quod ex O *et* K *conflatum videtur.*

C. PROCVLEI. L. F. *Bipennis*, in aliis: *Raia piscis.* AE. III. Vaillantius male argenteos facit. AE. R.

Numi similes jam pridem editi, ac praecipue ab iis, qui in imagines virorum illustrium inquisivere, Fulvio Vrsino, ejusque commentatore Fabro, Bellorio, Haymio, cumque horum nonnulli sub pisce legerent scriptum ΤΑΡΑΣ, alii monogrammatis literas resolverent in

a) Aen. VIII. 433.

ΑΡΚ., numos credidere Tarentinos, et a Tarentinis in antica propositum Archytam philosophum celebrem apud se natum. Sed haec adserta jam fastidiuntur. Morellius et Havercampus esse numos Corcyrenses edixere, quod simile monogramma in moneta Corcyrae frequenter comparet. Verum an unquam in hac insula signati numi Latine inscripti? Nihil igitur aliud certum suppeditant hi numi praeter nomen gentis Proculeiae, reliqua incerta.

PVBLILIA.

ΤΑΜΙΟΥ. ΓΑΙΟΥ. ΠΟΠΛΙΛΙΟΥ., de quo vide, quae notavi in numis Macedoniae in genere.

PVPIA.

Numos A. Pupii Rufi Graece inscriptos vide in moneta Cyrenaica.

QVINCTIA.

Olim patricia, subinde plebeia. Cognomen *Crispinus* addito agnomine *Sulpiciani* per adoptionem.

* * *

Caput Palladis alatum, prae quo X, *pone apex.*
T. Q. *Dioscuri equites infra quos clypeus instar Macedonici, in imo* ROMA. AR. R.

Caput Iovis, pone S.
T. Q. ROMA. *Prora navis.* AE. III. (Mus. Caes.) RR.

Caput Palladis alatum, pone X.
SX. Q. *Dioscuri equites, infra* ROMA AR. R.

Priorem denarium ad aliquem Quinctium Flaminium pertinere propter adstitutum apicem eruditis verisimile visum, quia verisimile quoque, a Flamine, cujus insigne apex, Quinctiorum quampiam familiam Flaminini cognomen tulisse, et videtur hoc loco apex pro ipso Flaminini cognomine positus, pro recepto nimirum in hujus aevi denariis more, quo cognomen in partem anticam trajici est solitum. Cl. Paciaudus arguit, typo clypei Macedonici adludi ad victoriam a T. Quinctio Flaminino de Philippo Macedonum rege relatam [a]). Nequaquam repugnavero, quod videam in denario quoque M. Caecilii Metelli typo scutorum Macedonicorum jactari Q. Metelli victoriam de Macedonum rege Philippo partam. At vero quod idem contendit, hunc T. Quinctium Philippi victorem fuisse pri-

a) Monum. Pelop. Vol. II. p. 109.

mum, qui illato in domum suam flaminatu Flaminini cognomen abstulerit, et in posteros propagaverit, istud certe fallit, cum jam multis ante annis Livius quemdam L. Quinctium Flamininum prodiderit [a]).

* * *

Protome Herculis laureata pendentibus ab humero leonis exuviis, et eminente sursum clava.

TI. Q. *Desultor cum binis equis citato cursu, humi repit mus, superne variantes alphabeti literae, inferne basis, in qua literae introrsum sculptae* D. S. S. AR. R.

Denarios hos Morellius inter incertos reposuit. Havercampus non vane conjectat, eos collatis numis praecedentibus ad quendam TI*berium Quinctium* pertinere, qui forte *Muris* cognomen habuit, ut Decii [b]). Minus placet, quod literas D. S. S. legit: D*edit* S*umptibus* S*uis*. Hae literae, quae leguntur etiam in aeneis Cassii, et Oppii Salinatoris insculptae navi, idoneum interpretem adhuc exspectant, ut dixi in gente Cassia.

* * *

Crispinus Sulpicianus.

T. QVINCTIVS. CRISPINVS. SVLPICIANVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis I. et II. formae sub Augusto signatis. C.

QVINCTILIA.

Gens patricia. Cognomen *Varus.*

ΕΠΙ. ΟΥΑΡΟΥ. in numis Antiochiae Syriae, quos vide.

P. QVINCTILI. VARI in numis Achullae Byzacenes, quos vide.

RABIRIA.

Gens plebeia.

In argenteo Chiorum numo cum obvio typo Sphingis et diotae legitur ΡΑΒΙΡΙΟΣ. ΧΙΟΣ. Fuit igitur Rabirius quidam hujus insulae magistratus, sed vix credam, fuisse hominem Romanum, et adeo gentem Rabiriam ex iis, quae in numis leguntur, expungendam censeo.

RENIA.

Gens ex historicis ignota.

Caput Palladis alatum, pone X.

C. RENI. *Mulier in citis hircorum bigis.* AR. C.

Ad hujus denarii aversam haec Vrsinus; *alii non hircos, sed renos esse, qui currum ducant, opinantur, affirmantque ex veteris scriptoris auctoritate,*

a) L. XXV. 1. b) p. 460.

animal id esse hirco perquam simile, *a quo fortasse Renius nomen familiae deductum fuisse indicare voluerit.* Quis sit hic vetus scriptor, non additur. Quae Vrsinus ex aliorum sententia attulit, cupide amplexi sunt Vaillantius, et Havercampus. Addit praeterea Vaillantius, eorum adhuc usum esse in Finlandia supra nivem ad trahendos currus, quod sunt veloces. Ex quo patet, ab eo intelligi animal, quod *Rennthier* appellamus, Galli *rennes*. At viris praestantibus inquirendum ante omnia fuerat, utrum Romanis cognitum unquam fuerit animal istud, quod suapte domicilia sua nonnisi frigidissimo Septentrionis tractui admovet. Ejus natura cum adeo adversetur calori, ut in Germaniam, Galliamve vi migrare jussum post paucos plerumque dies exspiret, quo pacto Italici coeli aestum ferret, quando teporem Germanicum perferre non potest? Sunt, quibus habitasse olim inter Germaniae Galliaeque nives verisimile videtur, quo tempore utraque haec regio propter saltuum paludumque inculta frigore concreta jacuit, at horum conjectura in dubia Iulii Caesaris, ac Plinii descriptione nititur. Cum ergo Romanis fuerit plane ignotum, ac praecipue remota illa aetate, qua praesens denarius signatus fuit, quo pacto illi ex lingua sua nomen *reni* imponere poterant? aut quo pacto animal istud *reni* nomine fuisse signatum poterunt contendere, quando vocabulum istud omni retro Latinorum antiquitati fuit ignotum? Cum deficeret vetus, verumque nomen Latinum, nostra, ut fit, aetas aliquod reperit, et est nobis nomine *renonis* vel *rangiferi* cognitum. At multo magis mirandum, cum bina denarii nostri animalia tam perfecte hircos referant, quam unquam hircos fabricavit natura, posse dici renones, qui sunt ex cervorum genere, et formae plane disparis, et cum in hoc denario nolint agnoscere hircum, mirum iterum, cur animal simillimum in numis gentis Fonteiae malint dicere hircum, quam renonem. Vrsino, qui ante duo et amplius saecula suum Familiarum Romanarum opus scripsit, veniam damus, si renonum naturam minus habuit perspectam. An possumus pari indulgentia excusare Vaillantium, ac praecipue Havercampum? Ceterum cur C. Renio hircorum bigae placuerint, ignoramus.

R O S C I A.

Gens plebeia. Cognomen *Fabatus.*

L. ROSCI. *Caput Iunonis Sispitae*, *pone variantia minuta sigilla.*

FABATI. *Virgo adsurgentem serpentem ex sinu pascit*, *in area variantia minuta sigilla.* Sunt serrati, et C.

Qui Lanuvio oriundi fuere, Iunonem Sispitam, maxima religione hoc in oppido cultam, numis suis inseruerunt. Luculentum ejus exemplum in Papia, et Thoria habemus, et eadem de causa Antoninus Pius, et Commodus eam quoque numis insculpserunt, quia uter-

que Lanuvii natus fuit. De Roscio in eadem urbe nato haec Cicero [a]): *Quid amores, ac deliciae tuae Roscius? num aut ipse, aut pro eo Lanuvium totum mentiebatur? qui cum esset in cunabulis, educareturque in Solonio, qui est campus agri Lanuvini, noctu lumine adposito experrecta nutrix animadvertit puerum dormientem circumplicatum serpentis amplexu. Quo aspectu exterrita clamorem sustulit. Pater autem Roscii ad haruspices retulit, qui responderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore.* Video eruditos omnes, qui in hos Roscii Fabati numos sunt commentati, haec Ciceronis verba ad gentem nostram Rosciam muneribus publicis in urbe conspicuam referre, atque ex iis probare, Roscios fuisse Lanuvio oriundos, et satis mirari non possum, qua ratione potuerit adserere Vrsinus, memoratum istud serpentum prodigium in Roscio Fabato, cujus sunt praesentes denarii, contigisse. Etenim cum Cicero magis infra stultum istud prodigium, haruspicumque responsum his verbis irrideat: *nam quod haruspices responderunt, nihil illo clarius, nihil nobilius fore, miror, deos immortales HISTRIONI futuro claritatem ostendisse, nullam ostendisse Africano* [b]), quis non videt, non agi hic de nostro L. Roscio Fabato, sed Q. Roscio histrione in paucis claro, cui ex facto *Comoedi* cognomen inditum, quemque Cicero reum oratione, cujus pars exstat, defendit? Tamen horum typi denariorum, qui Lanuvini toti sunt, persuadent, etiam Rosciam Fabatorum gentem Lanuvio fuisse oriundam. Dio legatos a Pompejo ad Caesarem missos perhibet L. Caesarem, et L. Roscium [c]), at Cicero L. Caesarem, et Fabatum [d]), habemus ergo legatorum alterum L. Roscium Fabatum, forte filium ejus L. Roscii Fabati, a quo praesentes denarii cusi.

Ad hunc locum distuli, quae de Iunone hac, non Lanuvii modo, sed et in urbe magni nominis, jam ad varios gentium praecedentium numos animadvertenda fuere. Innumera sunt veterum auctorum, aut monumentorum testimonia, quae stabilitum Lanuvii ejus deae cultum memoriae prodidere. Sed fecit adfinitas nominum *Lanuvii*, et *Lavinii*, ut non librarii modo, sed ipsi quoque auctores Lavinium pro Lanuvio sive per imprudentiam, sive ignorantiam scriberent. Lapsus a Dionysio Halicarnassensi et Aeliano admissos supra in gente Papia perstrinximus Librariorum peccata jam ab aliis observata reperio apud Ovidium [e]): *Laviniumque meum*, et apud Silium [f]): *Lavinio generate*, cui lectioni praeter argumenta alia satis cognita reclamat etiam lex metri, cum in vocabulo *Lavinium* secunda syllaba certo producatur.

Quam auctores passim dixere *Sospitam*, numi Antonini, et Commodi appellant *Sispitam*. Certum tamen, valuisse utramque appellationem. Ita nempe Festus [g]): *Sispitem Iunonem, quam vulgo Sospitem appellant, cum ea vox ex*

a) De Divinat. L. I. c. 36. b) de Divinat. L. II. c. 31. c) L. XLI. §. 5. d) ad Attic. L. VIII. ep. 12. e) Fast. VI. v. 60. f) L. XIII. v. 364. g) in Sispitem.

Graeco videatur sumpta, quod est σωζειν. Vide de hoc plura apud Spanhemium [a]).

Species hujus Iunonis, aliaeque peristases, quoniam ea frequenter in numis cum familiarum, tum imperatoriis recurrit, adcuratius hoc loco pertractanda. Graphice eam secundum numos describit Tullius [b]): *Quid igitur censes? Apim illum, sanctum Aegyptiorum bovem, nonne deum videri Aegyptiis? tam hercle, quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu nunquam neque in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis.* Pelle caprina tegitur in numis omnibus. At unde hic cultus Iunoni? An quod Lacedaemone colebatur Iuno αἰγοφαγος, *caprivora*, et ei immolabantur caprae institutore ejus sacrificii Hercule, ut narrat Pausanias [c])? fuitque forte hic Iunonis Spartanae cultus traductus Lanuvium, ut Iunonis Argivae ad vicinos Faliscos? Non inhaereo his incertis. Lubet tantum commemorare Iunonem huic Sispitae adfinem ex vetere marmore edito a principe Turris Muciae [d]):

IVNONI. DORCADI. S.

quae forte Graecis eadem fuit cum Sispita nostra; nam δορκας Graecis *capra.* Hasta et scutulum habentur in omnibus iis numis, in quibus ea toto corpore fingitur, ut in numis Mettiae, et Prociliae. Calceoli vero repandi, seu recurvi manifeste agnoscuntur in denariis Prociliae.

In variis id genus numis pars aversa puellam in consortio cum serpente arrecto sistit. In gente Mettia ea velut colloquens cum serpente proponitur. At in Papia et Roscia ei pabulum ex sinu offert. Sacrum hunc ritum praeclare describit Propertius [e]):

Lanuvium anosi vetus est tutela draconis,
Hic ubi tam rarae non perit hora morae.
Qua sacer abripitur caeco descensus hiatu,
Qua penetrat virgo, tale iter omne cave.
Iejuni serpentis honos cum pabula poscit
Annua, et ex ima sibila torquet humo.
Talia demissae pallent ad sacra puellae,
Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas a virgine corripit escas,
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castae, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolae, fertilis annus erit.

Idem refert Aelianus [f]) verbis Latine redditis: *Ceterum apud Lanuvium sacer est lucus magnus et opacus, juxtaque ipsum aedes Iunonis Argolidis. In luco autem latibulum est amplum ac profundum, draconis cubile. In hunc*

---

a) Tom. I. p. 124. b) de Nat. deor. L. I. c. 29. c) L. III. c. 15. d) Inscript. Sicil. p. 3. e) L. IV. eleg. 8. f) de Nat. anim. L. XI. c. 16.

lucum sacrae virgines statis diebus ingrediuntur offam gestantes manibus, oculis fascia revinctis. Eas recta ad latibulum divinus quidam spiritus deducit, sensimque ac pedetentim progrediuntur sine offensione, ac si apertis oculis viderent. Quod si virgines fuerint, admittit cibos draco, tanquam puros, et convenientes animali diis amico; sin minus, fastidit, intelligens, divinansque, esse corruptos. Idem auctor paullo supra [a]) similem superstitionis ritum, qui apud Epirotas valuerat, exposuit. Eodem modo draconem velleris aurei custodem a Medea saginatum canit Valerius Flaccus [b]):

multifidas regis quem filia linguas
Vibrantem ex adytis cantu dapibusque vocabat,
Et dabat hesterno liventia mella veneno.

Ajebam, in ipsa urbe magnam fuisse ejus deae religionem. Nam cum primum civitas Lanuvinis data fuit, sancitum, ut aedes lucusque Sospitae Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano esset [c]). Duae etiam ejus aedes in urbe stabant, altera in foro Olitorio, quam C. Cornelius Cethegus vovit, dedicavitque [d]), altera in regione X. referente P. Victore: *aedis matris deum; huic fuit conterminum delubrum Sospitae Iunonis*, quod et confirmat Ovidius [e]). Et testatur Cicero, omnes consules huic deae ex lege sacrificasse [f]), et forte ab hac diversa non est *Iuno Caprotina*, quam in urbe cultam fuisse narrat Varro [g]).

Ad Roscii nostri denarios ut revertar, pleraque cum denariis L. Papii habent communia, elegantiam operis, typum Sispitae, copiam insignem, miram minutorum sigillorum varietatem, oram serratam. De tempore, quo utriusque hi numi signati sunt, nihil potest adfirmari. Opinatur Havercampus, Papii numos signatos a filio C. Papii, qui fuit tribunus pl. V. C. 698, Roscianos vero cusos in Gallia V. C. 698 a Roscio I. Caesaris quaestore. Verum an ea adhuc aetate numi serrati valuere?

RVBELLIA.

Gens equestris Tibure profecta, ut docet Tacitus [h]). Cognomen *Blandus*.

C. RVBELLIVS. BLANDVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. in minutis aeneis sub Augusto signatis. C.

---

a) Cap. II. b) Argon. I. 61. c) Liv. L. VIII. c. 14. d) Liv. L. XXXIV. c. 53. e) Fast. II. v. 55. f) pro Murena cap. ult. g) de L. L. Lib. V. h) Ann. L. VI. c. 27.

R V B R I A.

Gens plebeia. Cognomen *Dossenus.*

DOSSEN. *Caput Iovis, pone sceptrum.*

L. RVBRI. *Lentae quadrigae, ex quibus superne avolat Victoriola.* AR. C.

Restitutus a Trajano. RRR.

DOS. *Caput Iunonis velatum, pone sceptrum.*

L. RVBRI. *Idem typus.* AR. C.

Restitutus a Trajano. RRR.

DOS. *Caput Palladis.*

L. RVBRI. *Lentae quadrigae, ex quibus superne defixa Victoria in citis bigis vecta.* AR. C.

Restitutus a Trajano. RRR.

Existimat Vrsinus, quem sequuntur reliqui, his quadrigis indicari thensas, quibus deorum signa ludis Circensibus in Circum vehi solebant, easque his denariis insertas, vel quod inter pontifices esset Rubrius, ad quos pertinuere thensae, vel alias ob causas nobis ignotas. At qui ipsas numi imagines volet inspicere, videbit, currus hos esse ejus formae, qua triumphales fingi sunt soliti, et multum abludere a thensis, quas superne compages arcuata clausit, clausis etiam lateribus, patente solo anteriore, per quod condita intus deorum signa poterant conspici, quam formam passim offerunt numi Augustarum consecratarum, quin et numi Graeci Ephesii addito ΑΠΗΝΗ. Verisimilius ergo hi denarii victoriam aliquam respiciunt. Solitis suis conjecturis indulget Havercampus, dum ex his ipsis, ut putabat, thensis Rubrium nostrum praefectum urbis sub I. Caesare facit. Quo tempore sint signati, conjecturas aliquas dictabo in sequentibus.

* * *

DOSSEN. *Caput Neptuni cum tridente.*

L. RVBRI. *Victoria gradiens s. oblongum palmae ramum super humero tenet, pro pedibus ara, super qua ovum dimidiatum, cui serpens obvolvitur.* Quin. R.

Caput Iani geminum intermedia ara cum ovo et serpente, ut in praecedente.

L. RVBRI. DOSSEN. *Navis prora, infra* ROMA. AE. I. R.

Capita Herculis juvenis, et Mercurii instar Iani conjuncta cum suis attributis clava et caduceo.

L. RVBRI. DOSSEN. *Prora navis, juxta templum distylum intra quod ara cum ovo et serpente, ut in praecedentibus.* AE. I. R.

Aram, serpentem ovo implexum, et navim eruditi ad Aesculapium Epidauro Romam vectum referunt, de quo prolixe egi in numis gentis Eppiae, qui similis sunt rationis. Sed quaecunque adferuntur, una nituntur conjectura. Istud unum ex Eppiae numis satis liquido colligitur, tam Eppii, quam Rubrii numos eadem aetate fuisse cusos, et ut credibile est, cum uterque in eodem magistratu, qualis esse poterat IIIviratus monetalis, esset constitutus. Quo admisso irrita sunt, quae Havercampus inaniter conjecit statuendo Rubrium ex octo praefectis unum, quos Iulius Caesar in Hispanias adversus Pompeji liberos profecturus

Romae reliquit, ac tum ab eo hos numos signatos. Enimvero Eppium Caesari inimicum Pompejanis fideliter adhaesisse ex ejus numis videmus. Vnde ergo in hoc animorum dissensu is consensus, quem testantur numi? Scimus ergo, utriusque numos in eandem aetatem, nimirum saeculum urbis conditae octavum, incidere, quae alia ad Rubrium pertinent, ignoramus.

Pars adversa numi postremi videtur explicare, quod scribit Cicero ad Atticum a): *Signa nostra, et HERMERACLAS, ut scribis, cum commodissime poteris, velim imponas.* Signa juncta Mercurii, et Herculis passim in gymnasiis, et palaestris erigi solebant, cujus causam adfert Athenaeus b), quod Mercurius orationis, et facundiae est praeses, Hercules roboris ac virium, quo utroque conjuncto vigent in republica amicitia, et consensio, quibus libertas invalescit. Ex simili causa natum Herculem Musarum, in Pomponia diximus. Idem utriusque consortium memorat Aristides quoque c): *ἀλλα μην Ερμȣ γε και Ηρακλεȣς ἐςι νυν ἀγαλματα κοινα· προς τοσȣτον ἡκȣσι της ἑταιριας, jam inter Mercurium, et Herculem tanta intercedit familiaritas, ut eorum statuae conjungantur.* Novi, ab aliquibus, quos inter Sponius d), Hermeraclas dici capita Herculis lapidibus quadratis imposita, nempe in Hermarum morem, et secundum hoc explicant Hermathenam Ciceronis, et Hermerotas Plinii. At qua tum ratione explicabimus Ζηνοποσειδωνα Athenaei e)? Capita bina sic a veteribus jungi solita docent obvia exempla Iani, et in numis Tenedi capita Tennis, et Hemitheae. Vide, quae de hoc argumento plura dixi ad denarios gentis Fonteiae.

RVPILIA.

Numi Goltziani.

RVSTIA.

Gens stante rep. vix cognita.

Caput Martis imberbe, prae quo X, *pone* S. C.

L. RVSTI. *Aries.* AR. C.

Audi ingeniosam Vaillantii, et Havercampi explicationem in compendium redactam. Marti, a quo Martius mensis nomen habet, ex zodiaci signis respondet aries. Martius Romae ante Numam annum aperuit. Pronum igitur credere, typis Martis, et arietis respici annum a Iulio Caesare correctum.

a) L. I. ep. 10. b) L. XIII. p. m. 561. c) Orat. Tom. I. p. 35. d) Miscell. p. 9. seq. e) L. VIII. p. m. 337.

Haec illi. Miseret me male collocatae operae. Vniversa hujus denarii ratio luculente arguit, antiquiorem eum esse anno V. C. 708, quo fastos correxit Caesar. In certis ejus aetatis denariis non amplius reperiri notam X, omnes norunt, etsi commode hunc ictum declinasse visi sint illustres IIviri, dum adserunt, *sub mento esse Martis astrum sex radiis constans, ne quis denarii notam literam* X *esse existimet.* Verum adeo similis est numi hujus nota illi, quae passim in denariis occurrit, nimirum τῳ X linea horizontali bissecto, ut necesse sit, aut in omnibus aliis notari astrum, sin contra, hujus quoque numi nota indicari denarium. Accedit, satis esse ambiguum, sitne in adversa caput Martis potius, quam Palladis. Vultus certe est ambiguus inter marem juvenem et feminam, quod idem dubium urget etiam in denariis Satrieni fatente ipso Havercampo.

* * *

Q. RVSTIVS. FORTVNAE. ANTIAT. *Duae protomae muliebres impositae cippo utrinque in caput arietis excurrenti.*

CAESARI. AVGVSTO. EX. S. C. *Ara, cui inscriptum:* FOR. RE. Est AR. R.

Fortúnae Antiates, dictae ab urbe Antio, ubi illustre templum habuere, magni fuere apud veteres nominis, et a multis commendatae scriptoribus. Fortunae etiam Antiati commendat Augustum Horatius: *o diva, gratum quae regis Antium* [a]). Forte, quod cippum dixi, vehiculum est, quo, admonente Macrobio [b]), *apud Antium promovebantur simulacra Fortunarum ad danda responsa.* Simili fere typo est SORS in numis Plaetoriae. Aversa ad Augustum pertinet, quae docet, denarium signatum V. C. 735, ut dicetur in ejus numis ad hunc annum.

RVSTICELIA.

Numos coloniae incertae binos cum capite Tiberii edidit Pellerinius [c]), in quorum uno legitur: L. RVSTICELIVS. CORDVS. IIVIR. QVINQ. D. D., in altero: C. BAEBIVS. P. L. RVSTICELIVS. BASTERNA. IIVIR. QVINQ. D. D. qua vera lectione lis omnis tollitur, quae hactenus eruditos distraxit, quamque fuse enarratam videre potes in commentariis Havercampi [d]). Reliqua non moror, cum Rusticelii hi sint magistratus municipales.

RVTILIA.

Gens plebeia. Cognomen *Flaccus.*

FLAC. *Caput Palladis alatum.* L. RVTILI. *Victoria in citis bigis* AR. C.

---

a) L. I. ode 35. b) Sat. L. I. c. 23. c) Mel. I. p. 257. d) pag. 359.

SALVIA.

Gens plebeia. Cognomen *Otho*.

C. CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput Octaviani modice barbatum.*

Q. SALVIVS. IMP. COS. DESIG. *Fulmen.* AR. R.

Cum non reperirent eruditi Q. Salvium, cui omnia, quae in hoc denario praedicantur, convenirent, conversi sunt ad Q. Salvidienum Rufum, de quo ad annum V. C. 714 haec perhibet Dio: fuisse obscuro genere natum, pascentique gregem flammam e capite emicuisse, postea a Caesare ad id dignitatis evectum, ut CONSVL, cum senator nunquam fuisset, DESIGNARETVR, postea rerum novarum suspectum Caesaris jussu interfectum. De eo Dio pluribus locis. Ad hunc ergo pertinere denarios hos existimat, etsi rationem non reperiant, cur pro Salvidieno, ut eum constanter vocant Dio et Appianus, in numo dicatur Salvius. Ex quo praeclaro facto *imperatoris* titulum abstulerit, non satis liquet.

* * *

Otho.

M. SALVIVS. OTHO. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis I. et II. formae cum capite Augusti. C.

Fuit hic avus Othonis Augusti, ut dicetur in hujus numis.

SALVSTIA.

Ex qua gente fuit *primus Romana Crispus in historia*, ut canit Martialis. Ejus imaginem conservant numi aliquot inscripti: SALVSTIVS. AVTOR, sed de quibus, quod contorniati sunt, agitur alibi.

SANQVINIA.

Gentis Sanquiniae praeter hos numos, Tacitum et Dionem, qui Sanquinii Maximi consularis meminere sub Tiberio, et Caligula, monumenta deficiunt.

M. SANQVINIVS. IIIVIR. *Caput laureatum, cujus vertici astrum imminet.*

AVGVST. DIVI. F. LVDOS. SAE. *Vir togatus stans capite galeato d. caduceum, s. clypeum rotundum gestat.* AR. R.

Astrum vertici imminens facit, ut dictum caput credatur esse Iulii Caesaris, quod olim astro coruscum passim fingebatur propter causam, quam in numis D. Iulii copiose persequar. Quanquam, ut verum fatear, lineamenta in his denariis parum I. Caesari respondeant.

Pars aversa praedicat ludos saeculares ab Augusto celebratos, de quibus agetur in hujus numis ad annum V. C. 737, quo acti fuere. Fuit ergo Sanquinius noster illo anno IIIvir monetalis. Hoc tamen loco agendum est de insolentiore aversae typo. Virum eo cultu, qualem descripsimus, plerique sacerdotem Salium esse adfirmant sacerdotii sui clypeum ancile gestantem. At ancilia multum diversa fuere forma, ut constat ex denariis Licinii Stolonis, aliisque monumentis. Ad haec Saliorum non erat curare ludos saeculares, sed XVvirorum sacris faciundis. Alii Fecialem maluere. Sed neque ad Feciales saecularium apparatus pertinuit. Verior multo eorum sententia, existimantium, esse praeconem sacro indutum habitu, denunciantem populo ludorum saecularium solennia. Narrat Suetonius a), *fecit et saeculares - - quare vox PRAECONIS irrisa est invitantis more solenni ad ludos etc.* Similia refert Herodianus agens de ludis saecularibus a Severo factis; nimirum per urbem ac Italiam ivisse praecones, hortantes, venirent, viderent, quae nec vidissent hactenus, nec visuri essent. Similis praeco occurrit etiam in denariis Domitiani inscriptis: COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC., praeterquam quod pro caduceo sceptrum, aut baculum gestat.

* * *

M. SANQVINIVS. Q. F. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis I. et II. formae cum capite Augusti. C.

SATRIENVS.

Ex solis numis cognitus, noti tamen Satrii, a quibus videtur ductus Satrienus, ut a Nasidio Nasidienus, ab Allio Allienus etc.

Caput juvenile galeatum, pone variantes notae arithmeticae.

P. SATRIENVS. *Lupa gradiens.* AR. C.

Caput anticae alii Martis, alii Palladis putant. Certe Palladi magis favent lineamenta delicata. Sin Mars est, facile cum hoc conciliabis lupam partis aversae. Teste Albrico b) *ante Martem lupus ovem portans pingebatur, quia illud animal ab antiquis gentilibus ipsi Marti specialiter consecratum erat.* Propius huc pertinet, quod refertur in *Origine gentis R.* Aurelio Victori vulgo tributa, *lupam Martiae esse tutelae*, Marte insigne illud beneficium rependente, quod ea suis ex Rhea gemellis lac praebuit. Eam esse causam puto, cur lupus Virgilio dicatur *Martius* c), et apud Livium d): *hinc victor Martius lupus gentis nos Martiae, et conditoris nostri admonuit.* Recte igitur dixit Laurentius Lydus e) Διος συμβολον αετος, Ηλιȣ λεοντες, Αρεως λυκος, Ερμȣ δρακοντες, *Iovis symbolum est aquila, Solis leones, Martis lupus, Mercurii serpentes.*

---

a) In Claud. c. 21. b) deor. imag. n. 3. c) Aen. IX. 566. d) L. X. c. 27. e) de Mensib. P. I. c. 7.

SAVFEIA.

Gens plebeia.

Caput Palladis alatum, pone X. L. SAVF. *Victoria in citis bigis, infra* ROMA. AR. C.

L. SAVF. in assibus. — C. SA. in aeneis varii ponderis, sed posterior haec ratio an Saufeiam indicet, dubium. C.

SCRIBONIA.

Gens plebeia. Cognomen *Libo.*

Caput Palladis alatum, pone X. C. SCR. *Dioscuri equites, infra* ROMA. AR. C.

C. SCR. in assibus, et trientibus. R.

* * *

PAVLVS. LEPIDVS. CONCORD. *Caput Concordiae velatum.*

PVTEAL. SCRIBON. *infra:* LIBO. *Puteal, ex quo pendent duae lyrae, et encarpi.* AV. (Mus. Caes.) RRRR. AR. R.

LIBO. BON. EVENT. *Caput muliebre, cujus frons fascia redimitur.*

PVTEAL. SCRIBON. *Idem typus.* AR. C.

Restitutus item a Trajano. (Pembrock Part. III. tab. 93.) RRRR.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput Augusti nudum.*

Eadem aversa. (Haym. T. II. tab. 25.) AR. RRRR.

Quis fuerit Paulus Lepidus partis anticae, et cur in eodem numo conjunctus cum Scribonio Libone, copiose disserui in Paulo Lepido gentis Aemiliae. Ibidem actum etiam de capite Concordiae. Aversa utriusque denarii sistit celebratum puteal Scribonii. Est autem puteal, ductum a *puteus*, septum cujuscunque materiae impositum puteo, ne incautius accedentes in praeceps ruant. Fecit rei similitudo, ut vocabulum istud transferretur ad significandum septum loco sacro circumjectum, ne humus consecrata irreligiosius pedibus conculcaretur. In altero hoc sensu bina fuere in urbe putealia insignis famae. Horum unius meminit Cicero, cum Attii Navii miraculum cotem novacula discindentis enarrasset. *Cotem autem illam,* addit [a]), *et novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal accepimus.* De altero, et quod nostri est argumenti, haec Pompejus Festus, sed loco lacunis turpiter hiante, quas aliqui sic explent [b]): *SCRIBONII PVTEAL ante atrium Minervae, quod Scribonius, cui negotium datum fuerat, ut conquireret sacella, id ponendum curavit, quia in eo loco olim sacellum fuit, quod ignorabatur. Tradunt qui-*

a) Divinat. L. I. c. 17. b) in: Sceleratus campus.

dam, fulgur conditum eo loco, quod nefas est integi, sed super foramine aperto coelum patet. Sed et locus de coelo tactus, et eodem modo septus *bidental* appellabatur. Vetus scholiastes ad Persii Sat. II. v. 27. *Bidental locus sacro percussus fulmine, qui bidente ab aruspicibus consecratur, quem calcare nefas est.* Et Sidonius Apollinaris a):

Nec quae fulmine Tuscus expiato
SEPTVM numina quaerit ad BIDENTAL.

Quoniam in ea populi Romani ruditate non ex naturae legibus cadere fulmina videbantur, sed in ostentis habita, non defuit aegris mortalibus ea procurandi votum, ac desiderium. Eam scientiam cum sibi parare cuperet omnis superstitionis Romanae architectus Numa, deae Egeriae monitu collocatis opportune insidiis Faunum et Martium Picum fateri coegit, quibus ad terras modis Iuppiter posset sacrificiis elici. Hac arte superum regem coelo detractum novis iterum fraudibus circumvenit Numa, et sancitum denique, ut fulgurita capite cepitio, capillo, pisce procurarentur, expiarenturque. Vide haec humanae mentis opprobria, quae se divinae particulam aurae credi voluit, curate enarrata apud Ovidium b), Plutarchum c), Arnobium ex Antiate d), Livium e). Memoriae praeterea proditum, Tullum Hostilium volventem commentarios Numae, cum ibi quaedam occulta sacrificia Iovi Elicio facta invenisset, his quoque fuisse operatum, sed cum haec non rite inita curatave essent, non solum nullam ei oblatam coelestium speciem, sed ira Iovis, sollicitati prava religione, fulmine ictum cum domo conflagrasse f).

Si fato Hostiliano absteriti posteri ausi amplius non sunt Iovem coelo elicere, perrexere tamen, quod periculo vacabat, fulgurita praescriptis caerimoniis condere, ac procurare. Earum nos partem edocuit Lucanus g), quo teste vocatus in urbem Tuscus

Arruns dispersos fulminis ignes
Colligit, et terrae moesto cum murmure condit,
Datque locis numen sacris; tunc admovet aris
Electa cervice marem etc.

Vetus scholiastes ad versum Iuvenalis h):

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit,

haec observat: *Condi fulgura dicuntur, quotiescunque pontifex dispersos ignes in unum redigit, et tacita ignorataque prece locum aggestione consecratum it.* Alter scholiastes ad versum Persii i):

Triste jaces lucis, evitandumque bidental,

a) Carm. IX. 188. b) Fast. L. III. 285. seq. c) in Numa p. 70. d) adv. gent. L. V. sub. init. e) L. I. c. 20. f) Livius L. I. c. 31. Plinius L. XXVIII. §. 4. et L. II. §. 54. g) Phars. L. I. 606. h) Sat. VI. 586. i) Sat. II. 26.

haec memorat: *In usu fuit, ut augures, vel aruspices adducti de Etruria certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram absconderent.*

His occupatis facilis est partis aversae horum numorum explicatio. Dicitur puteal, quia veri putealis puteo impositi habet formam, serviitque, ne locus sacer, in quo fulgurita condita essent, accessu profanaretur, ut principio dictum. Sed et arae formam his in denariis exhibet. Quo factum, ut Dionysius Halicarnassensis, qui Attii Navii prodigium copiose describit [a]), hujus puteal jam φρεαρ, *puteum*, jam βωμον, *aram* dixerit. Ornatur lyris et encarpis, quibus arae etiam ornari saepe extrinsecus consuevere. Scriboniani hujus putealis saepe meminere poetae. Ei vicinum fuit tribunal, unde Horatius [b]): *Forum, putealque Libonis mandabo siccis.* Vide testimonia alia apud eruditos lexicographos. Vtrumque istud puteal, et Attii Navii, et Scribonii ab eruditis fuisse confusum, post Salmasium advertit Spanhemius [c]).

In denario altero occurrit *Bonus Eventus*, consecrantibus nimirum Romanis, quidquid boni, malive inferendi capax exstitit, ut Fortunam, Spem, Genium etc., ita et Eventum, secundum quae Lucretio in Eventis ponuntur servitium, libertas, divitiae, paupertas, bellum, concordia [d]). Est vero Eventus definiente Cicerone [e]): *alicujus exitus negotii, in quo quaeri solet, quid ex quaque re evenerit, eveniat, eventurumque sit.* Ergo si quid bene evenit, id Bono Eventui acceptum ferebatur. Fuisse eum ejusdem naturae cum Felicitate habitum, probat denarius, quem proponit Morellius [f]), in quo juxta caput muliebre scriptum: BON. EVENT. ET. FELICITAS. Credo, hunc Romanorum genium eundem esse cum Αυτοματια Graecorum. Refert de Timoleonte Plutarchus [g]): επι δε της οικιας ιερον ιδρυσαμενος Αυτοματιας εθυσεν, αυτην δε την οικιαν Ιερω Δαιμονι καθιερωσεν, *domi exstructo sacello* Αυτοματιας *ei sacrificavit, ipsam vero domum sacro Genio dedicavit.* Et Nepos in ejus vita: *itaque suae domi sacellum* Αυτοματιας *constituerat, idque sanctissime colebat.* Causa fuit, quod, quidquid tentaverat, etiam praeter spem feliciter caderet. Ergo Αυτοματια aliud non est, quam spontanea Fortunae actio, seu Eventus, et quidem Bonus, quia grates illi rependebantur, et cui praeesse credebatur Bonus, vel Sacer Genius, Graecis αγαθος, vel ιερος δαιμων. Habuit Bonus Eventus teste P. Victore in urbe templum in regione IX, cujus meminit quoque Ammianus [h]). In his denariis muliebris sexus Eventui datur, ut et in numis Galbae Aug., at in aliorum Augustorum numis usque ad Gallienum est vir nudus stans ad aram, d. pateram, s. spicas cum papavere tenens. Hanc ejus formam graphice proponit Plinius [i]), cum laudat *simulacrum Boni Eventus d. pateram, s. spicam, ac papaver tenens*, opus Euphranoris. Atqui et Bonum Eventum in

---

a) Ant. Rom. L. III. p. 204. b) L. I. epist. 19. v. 8. c) Tom. II. p. 189. d) L. II. v. 456. e) de Invent. L. I. c. 28. f) in incertis tab. II. A. g) in ejus vita cap. 36. h) L. XXIX. i) L. XXXIV. p. 655.

numinibus rusticis posuit Varro [a]), quia *sine successu, ac Bono Eventu frustratio est non cultura.* Et Festus [b]): *Panibus redimibant caput equi immolati idib. Octobris, in campo Martio, quia sacrificium fiebat ob frugum eventum.* Vide de Bono Eventu praeclaram dissertationem cl. Moreau de Mautour [c]).

SEMPRONIA.

Cognomina in numis *Atratinus Graccus, Pitio*, ex quibus Atratini patricii, ut constat ex Livio [d]), Gracchi plebeji, Pitionum ordo incertus.

* * *

Atratinus.

Caput Iani gemini.

ATRA. *Prora navis, infra* ROMA. AE. I. RR.

Denarium antiquae formae per monogramma ATR. Atratinis tribuit Morellius; verum illud resolvendum potius in AVTR. videtur, et esse familiae Autroniae, ut in hac diximus.

L. ATRATINVS. AVGVR. *Caput imberbe in Iani morem.*

ANTONIVS. IMP. *Prora navis.* AE. II. (Liebe p. 398.) RRRR.

L. ATRATINVS. AVGVR. PRAEF. CLAS. F. C. in aeneis I. formae cum capite M. Antonii, de quibus agetur in moneta hujus IIIviri.

In numis Lilybaei et Entellae Siciliae legitur magistratus ATRATIN., verum an is ad hanc gentem pertineat, incertum.

* * *

Graccus.

CAESAR. (*etiam sine epigraphe*) *Caput Iulii Caesaris laureatum, in nonnullis juxta* S. C. *vel lituus.*

TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. Q. DESIG. *Signum militare, aquila legionaria, aratrum, decempeda, in area* S. C. AR. R.

DIVI. IVLI. F. *Caput Octaviani modice barbatum.*

TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. IIIIVIR. Q. DESIG. *Typus idem sine* S. C. AR. R. In alio: *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AV. RRR.

TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis Augusti I. et II. formae. C.

Havercampus ad definiendam aetatem numorum, quos I. et II. loco recensui, adoptat regulam Vaillantii: Octavianum non dici Divi filium, nisi post victum Antonium et triumphum de Aegypto; deinceps cessasse appellationem IIIviri R. P. C., et dictum DIVI Filium, donec Augusti titulum admitteret. Quo constituto arguit eos signatos ab anno V. C. 725 usque 727, cumque Dio in actis ad annum 725 narret, ab Octaviano coloniam Carthaginem deductam [e]), quod is alio loco copiosius persequitur [f]), ideo a IIIIviro Ti. Gracco coloniae typum lectum.

---

a) De R. R. L. I. c. 1. b) in Panibus. c) B. L. Tom. II. p. 418. d) L. IV. c. 6 et 7. e) L. LII. f) L. XLIII.

In hac dissertatione bis altum dormitat Havercampus, primum, quod de titulo DIVI. IVLI. F. memorat, quem multo ante ab Octaviano adscitum, in hujus moneta liquido docebitur. Deinde quae Dio L. XLIII. de deducta colonia Carthagine perhibet, ad Octavianum non pertinent, sed I. Caesarem. Lege prolixos eruditorum in haec numismata commentarios apud Havercampum in Sempronia, et Schlegelium in Morellii Impp. T. I. p. 43, si lubet conjecturis te implere. Istud certum, numos hos multo ante signatos, quam istud Havercampo creditum, nimirum eo tempore, quo barbam adhuc aluit Octavianus, de qua peristasi agam ex instituto in hujus numis, et est verisimile, Graccum hunc fuisse IIIIvirum monetalem, et una quaestorem designatum. Eodem modo in numis Q. Voconii eadem occurrunt Iulii, et Octaviani capita cum eadem inscriptione: DIVI. IVLI. F. et Q. VOCONIVS. VITVLVS. Q. DESIGN., et quod mirere, eos ipsos Havercampus paullo post Iulii Caesaris mortem signatos adserit, qui similes hos Gracchi numos, etsi eadem eorum sit ratio, multis serius annis cusos statuere non dubitavit.

* * *

Pitio.

PITIO. *Caput Palladis alatum, juxta* X.

L. SEMP. *Dioscuri equites, in imo* ROMA. AR. C.

L. SEMP. PITIO in assibus. R.

Pitionum familiae scriptores veteres non meminerunt.

S E N T I A.

Gens plebeia. Cognomen *Saturninus.*

ARG. PVB. *Caput Palladis alatum.*

L. SENTI. C. F. *Iuppiter in citis quadrigis d. hastam, s. fulmen, in area varians litera alphabeti.* AR. C.

Caput Palladis alatum.

L. SATVRN. *Vir nudus in citis quadrigis d. elata cultrum incurvum, in area varians alphabeti litera.* Noti id genus argentei, sed in catalogo d'Ennery citatur similis aureus, an genuinus? AR. C.

Caput Palladis alatum, pone litera alphabeti.

L. SAT. *in monogrammate. Caput simile Palladis.* AR. C.

Quis fuerit hic L. Sentius, qui priores denarios ex ARG*ento* PVB*lico* feriundos curavit, non liquet. Quod vir nudus denarii alterius dextera gestat, et Vaillantio lituus est visum, verius Havercampus falcem dixit, atque ex hac agnoscendum Saturnum, tanto lubentius a Sentio in numos suos lectum, quod deus hic ad suum Saturnini cognomen adludit. Vide falcem non absimilem Saturno additam in numis gentis Memmiae, et Calpurnii Pisonis. Denarius III. sitne hujus gentis, minus expeditum, nam monogramma literis SAT. conflatum perinde in STA*tius* resolvi potest.

SEPVLLIA.

Gens ex unis numis cognita. Cognomen *Macer.*

Caput Iulii Caesaris vārio cultu et inscriptione.

P. SEPVLLIVS. MACER. *Venus stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. C.

Caput M. Antonii barbatum velatum, hinc lituus, illinc guttus. In aliis: CLEMENTIAE. CAESARIS. *Templum quatuor columnarum.*

P. SEPVLLIVS. MACER. *Eques desultor binos equos incitans, in area corona, et palmae ramus.*

Ex barba M. Antonio addita, quam is aliquanto tempore causa luctus ob Caesaris necem aluit, apparet, hos Sepullii denarios haud multo post dictatoris caedem fuisse percussos, inserto horum nonnullis Iulii capite ob memoriam tanti viri dominantibus tum IIIviris gratam. De Venere Victrice in Iulii Caesaris numis obvia et Clementia agetur in hujus numis. Desultoris typum explicavimus in gente Marcia.

* * *

Caput Mercurii, pone HS, *quae nota in aliis abest.*

P. SEPVLLIVS. *Caduceus.* Sestertius RRRR.

Vt rari sunt sestertii omnes, ita rarissimi, qui gentis nomen adscribunt. Praesentem vero unicum novi, qui praeter gentis nomen ipsam etiam sestertii notam offert. Idem sestertius est etiam in Caesareo, sed absque nota HS.

SERGIA.

Gens patricia, quam ad Aeneae ūsque tempora promovet Virgilius [a]):

Sergestusque, domus tenet a quo
Sergia nomen.

Ex ea fuit Catilina in Ciceronis gloriam perduellis. In numis cognomen *Silus.*

* * *

EX. S. C. *Caput Palladis alatum, pone* ROMA.

M. SERGI. SILVS. *Eques galeatus paludatus citato cursu s. gladium, et amputatum caput humanum gestans, in area* Q.

Aversa hujus denarii sistit veterem M. Sergium, fortitudinis, animique ad bella nati prodigium, per bella Gallica, et Hannibalica spectatum. De eo insignis locus Plinii [b]), ex quo, etsi totus legi meretur, pauca tantum huc facientia excerpam. *M. Sergio, ut quidem arbitror, nemo quemquam hominum jure praetulerit, licet pronepos Catilina gratiam nomini deroget. Secundo stipendio dexteram manum perdidit, stipendiis-*

a) Aen. V. 121. b) L. VII. §. 29.

que duobus ter et vicies vulneratus est - - - Sinistra manu sola quater pugnavit - - dexteram sibi ferream fecit, eaque religata praeliatus etc. Quare cum in his denariis videamus, equitem hunc ensem, et hostile caput tenere sinistra, quod dexterae competit, eundem hunc M. Sergium eo typo adumbratum dubitari nequit, cui probabile est ob haec virtutis documenta statuam equestrem ea specie, quam numus exhibet, positam fuisse.

SERVILIA.

Haec gens excisa Alba Romam traducta, et in patriciorum numerum lecta est testibus Livio a), et Dionysio Halic. b). In multas divisa familias, sed in numis memorantur tantum *Ahala*, *Caepio*, *Casca*, *Rullus*. Posteriores duo fuere plebeji. De Rullo istud satis constat, et Cascam tribunum plebis facit Dio c).

* * *

Ahala.

AHALA. *Caput Ahalae nudum barbatum.*

BRVTVS. *Caput Bruti nudum barbatum.* AV. (Mus. Caes.) RRRR. AR. C.

Vide, quae ad hunc denarium commentabimur in numis Iunii Bruti.

* * *

Caepio.

Denarios inscriptos PISO. CAEPIO. Q. vide in numis Calpurnii Pisonis.

Alios inscriptos: Q. CAEPIO. BRVTVS. IMP., quae sunt nomina M. Bruti ejus, qui Caesarem percussit, vide in numis hujus Iunii Bruti.

* * *

Casca.

CASCA. LONGVS. *Tropaeum erectum inter duas navium proras, in medio numi* L.

BRVTVS. IMP. *Caput M. Bruti nudum intra coronam quernam.* AV. (Mus. Caes.) RRRR.

CASCA. LONGVS. *Caput Neptuni.*

BRVTVS. IMP. *Victoria stans s. palmae ramum, et simul utraque manu coronam lemniscatam.* AR. RR.

Duos Servilios Cascas fratres fuisse inter percussores Caesaris, tradit Plutarchus d). Ex his P. Casca, quem fuisse tribunum plebis adserit Dio e), primum Caesari ictum tulit f). Moto deinde in parricidas bello eum sese Bruto sociasse docemur primum a Plutarcho g), a quo P. Casca in eo bello inter amicos Bruti recensetur, tum a numis, quos hic recensui. Alteri Cascae fuisse praenomen Caji, docet Appianus h). Ceterum longum, et taediosum apud Havercampum examen, sintne *Casca* et *Longus* diversarum familiarum cognomina, an Longus agnomen Cascae, an aliud i). Typi ad victoriam maritimam adludunt, incertum quam.

a) L. I. c. 30. b) Ant. L. III. p. 170. c) L. XLIV. §. 52. d) in Caes. p. 739. e) L. XLIV. §. 52, et L. XLVI. §. 49. f) Plut. l. c. g) in Bruto p. 1005. h) Bell. civ. L. II. i) in fam. Iunia p. 226.

* * *

Rullus.

RVLLI. *Protome Palladis.*

P. SERVILI. M. F. *Victoria in citis bigis, in area.* AR. C.

Notus P. Servilius Rullus tribunus plebis, cujus legem agrariam Cicero consul oratione, quae adhuc exstat, solide impugnavit. Ejus pater fuit P. Servilius Rullus, quem fuisse Romanorum primum ait Plinius, qui solidum aprum in epulis adposuit [a]). Vtrius sit hic denarius, incertum.

* * *

Servilii incerti.

ROMA. *Caput Palladis alatum, prae quo* X, *pone lituus.*

C. SERVEIL. *Eques galeatus cum hasta et clypeo, cui inscriptum* M, *citato cursu invehitur in equitem alium fugientem, et sese adducto gladio retrorsum defendentem.* AR. C.

ROMA. *Caput muliebre laureatum, prae quo* X, *pone lituus et variantes alphabeti literae.*

Eadem aversa. AR. C.

FLORAL. PRIMVS. *Caput muliebre floribus ornatum, pone lituus.*

C. SERVEILI. C. F. *Duo milites armati, et adversi stantes pugiones eductos conferunt.* AR. C.

Cum in omnibus his numis compareat lituus, verisimile visum eruditis, tribuendos Servilio Auguri, quem narrat Plutarchus [b]), a Lucullo adolescente publico crimine accusatum, quod sui patris is antea accusatorem egerat. Possunt tamen praecedentes duo denarii esse ejus filii, qui sese typo litui patre augure fuisse natum potuit profiteri. Tertius tam vetusti operis non est, de quo postea. In typo aversae, quem priores duo denarii exhibent, non morabor, quia ad eum explicandum verisimile nihil adferre possum.

Antica denarii III. illustre argumentum continet, et deae Florae proprium. Havercampus, qui in id genus numis, ectypon Morellianum secutus, non FLORAL. legit, quod ab aliis factum, sed FLORA, receptam hactenus eorum sententiam repudiat, qui legendum censuere: FLORAL*ia* PRIMVS *fecit*, cumque certum putet, praetensum FLORA referri ad propositum caput Florae, et *το* PRIMVS esse cognomen gentis Serviliae, utriusque partis inscriptionem conjungendo legit: FLORA. C. SERVEILI. C. F. PRIMVS. Perperam. Nam, quod ait, inauditum esse morem loquendi: *Floralia primus* subintellecto *fecit*, falsum est, et miror sane, non advertisse animum ad numos gentis Mesciniae, et Sanquiniae, in quibus post verba LVDOS SAEC. etiam subaudire oportet: *fecit*, ut et ipse subintelligi debere docuit. Deinde non satis commode cuidam familiae hujus gentis fuisse cognomen *Primi* ex numo coloniae Corinthi conficit, quem ibidem pictum sistit Morellius, et in quo scriptum: C. SERVILIO. PRIMO. II-VIR., nam dubitari jure potest, utrum hi coloniarum magistratus revera ad familias Romanas cognomines pertineant. Ceterum quidquid in rem suam adferre

a) L. VIII. 78. b) in Lucullo sub init.

possit Havercampus, illud omne eo corruit, quod in numis his non legatur FLORA, sed FLORAL, literis A et L manifeste colligatis, ut istud denarii integerrimi musei Caesarei aperte docent.

Retinenda igitur vetus sententia, qua docemur, C. Servilium Floralia primum fecisse. Quo anno ea primum fieri coeperint, variare videntur auctores. De iis sic Velleius [a]): *proximoque anno, Torquato, Sempronioque cos., Brundisium, et post triennium Spoletium, quo anno Floralium ludorum factum est initium.* Torquati, et Sempronii consulatus incidit in annum V. C. 510, ergo Floralium initium in annum V. C. 514. Aliud videtur docere Ovidius [b]):

Convenere patres, et, si bene floreat annus,
Numinibus nostris (Florae) *annua festa vovent.*
Adnuimus voto. Consul cum consule ludos
Postumio Laenas persoluere mihi.

L. Postumii, et Popilii Laenatis consulatus incidit in annum V. C. 581. Pugnantes in speciem sententiae facile conciliantur. Idem Ovidius paullo supra [c]) narrat, Floralia aedilibus Publiciis fieri coepta rursum intermissa esse. Quod aegre ferens Flora segetes herbasque passa est aeris injuriis corrumpi. Quare demum anno V. C. 581 patrum decreto annua, et constantia festa vota sunt. Locum Plinii anno V. C. 516 Florales institutos scribentis [d]) in mendo cubare jam suspicati sunt Pighius [e]), et Harduinus. Lege de hoc argumento copiose disserentem Spanhemium [f]).

Si Lactantium audimus [g]), fuit Flora nobile Romae scortum, quae ingentes opes meretriciis artibus partas supremis tabulis populo reliquerat ea lege, ut quotannis ejus dies natalis editione ludorum celebraretur, quos appellabant Floralia. Pudendae rei ut dignitas adderetur, Floram Romani deam dixerunt, floribusque praesidere jusserunt. At vero hoc Lactantii testimonium, qui vadem neminem citat, suspectum videri potest, cum Varro testetur [h]), jam Romuli aetate a rege Tatio Sabino Florae cultum inductum. Ovidio Flora nympha fuisse dicitur nupta Zephyro, florumque ac hortorum praeses. Lege eum omnia, quae ad hanc deam pertinent, fuse ac eleganter persequentem [i]). Habuit aedem juxta Circum maximum a L. et M. Publiciis aedilibus constitutam, ut narrat Tacitus [k]) innuitque Ovidius [l]). Ejus ludi Floralia bis celebrabantur, exeunte Aprili, et ineunte Majo, ut testatur Ovidius [m]):

Incipis Aprili, transis in tempora Maji.

et Kalendaria, etsi in his, si dies spectes, nonnullus sit dissensus, de quo vide disserentem Fogginium [n]). Liberam per

a) L. I. c. 14. b) Fast. V. 327. c) v. 287. d) L. XVIII. §. 69. e) ad ann. 515. f) Tom. II. p. 246. g) de fals. relig. L. I. h) de L. L. i) Fast. L. V. 183. seq. k) Annal. II. 49. l) l. c. v. 287. m) Fast. L. IV. 947. n) Fast. Verrii p. 67.

hos ludos obscoenitatem non modo profitentur scriptores Christiani Lactantius [a], Augustinus [b], et Arnobius [c], sed neque veteres licentiam tum permissam inficiantur. In his enim ait Ovidius [d]: *Scena joci morem liberioris habet.* Et auctores sunt Val. Maximus [e], et Seneca [f], cum per ludos Florales mos obtineret, ut meretrices nudarentur, idque populus praesentis Catonis reverentia postulare erubesceret, Catonem ejus rei ab amico admonitum e theatro discessisse, quo ejus consilio publice collaudato mox solitum jocorum morem in scenam revocatum. Quod factum lepide perstringit Martialis [g]:

Nosses jocosae dulce cum sacrum Florae,
Festosque lusus, et licentiam vulgi,
Cur in theatrum Cato severe venisti?
An ideo tantum veneras, ut exires?

Atqui idem jam supra dixerat [h]: *Epigrammata illis scribuntur, qui solent spectare Florales. Non intret Cato theatrum nostrum, aut si intraverit, spectet.* Ad quod haud dubie adlusit Ausonius, cum canit [i]:

Nec non lascivi Floralia laeta theatri,
Quae spectare volunt, qui voluisse negant.

Typum partis aversae in eodem hoc denario plerique ad duos Servilios Cascas, de quibus egi supra, referunt, qui nimirum gladio elato proponerentur, tanquam qui de Caesare ab se interfecto palam gloriarentur. Ei sententiae accessit quoque Spanhemius [k], etsi dubium illi moveat habitus militaris, quo certe tum induti non fuerunt, cum Caesarem percussere. Iustum viri eruditi dubium. Enim vero cum in numo aeneo, qui certo est Acerrarum Campaniae, sed quem ex iniqua inscriptionis Oscae lectione perperam gentis Serviliae numis intulere Vaillantius [l], et Morellius [m], simillimus sit typus duorum militum pugiones conferentium, communis utrique numo explicatus, certe a Caesaris caede alienus, est investigandus. Sine dubio vetus aliquod, illustriusque foedus a quopiam ex gente Servilia procuratum in his C. Servilii denariis renovatur. Accedit, denarios praesentes antiquioris videri fabricae, quam ut verisimile sit post Caesaris mortem signatos, ac denique, ut principio dixi, denarii Serviliorum omnes, qui lituum praeferunt, verius videntur ad Servilios Augures, quam Cascas pertinere.

* * *

Caput Palladis alatum, retro litera varians alphabeti Graeci.

M. SERVEILI. C. F. *Duo equites omissis equis pedestrem pugnam ineunt, in imo litera varians alphabeti Latini.* AR. C.

Caput Palladis alatam, retro X. *et corona, infra* ROMA.

---

a) De falsa rel. L. I. c. 12. b) de civ. dei L. II. c. 27. c) adv. gentes L. III. et VII. d) Fast. L. IV. v. 946. e) L. II. c. 10. §. 8. f) Epist. 97. g) L. I. epigr. 3. h) in epist. ad libr. I. i) Carm. 385. v. 25. k) Tom. II. p. 148. l) num. 12. m) tab. II. lit. A.

C. SERVEILI. M. F. *Castor et Pollux in diversum equitantes.* AV. (Pembrock P. I. tab. 7.) RRRR. AR. C.

C. SERVEILI. M. F. in quadrantibus. RR.

Ambiguum in his denariis argumentum. In priore haud dubie ad illustre aliquod Servilii cujuspiam factum adluditur. Secundum Morellii picturam ex unius equitis fronte protuberant duo cornua. Quo viso continuo ariolatur Havercampus, indicari hoc typo Macedonum quempiam ducem a M. Servilio Pulice devictum, quia testibus numis gentis Marciae ex galea regis Philippi hircina cornua prominent. Verum conjectura haec non sat firmo stat talo, nam dubitare licet, utrum praetensa haec a Morellio cornua in ipsis archetypis existant. Sane ea absunt in numis id genus omnibus, qui sunt in museo Caesareo. Quod ad denarium alterum attinet, ingeniosa est eruditorum conjectura, qui propter typum Castoris et Pollucis geminorum denarios similes ad quemdam Servilium cognomine *Geminum* referendos putant. Quod vero in diversas partes tendunt, eo videtur adludi ad notum eorum fatum, quo decretum erat, ut alternis viveret alter, alter moreretur secundum illud Maronis a):

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque, reditque viam toties.

Eodem modo explicamus capita duo in diversum spectantia in numis Istri Moesiae inferioris, quos vide. Hic denarius spectatis utriusque partis typis simillimus est numis C. Papii Mutili, qui recensentur in numis Samniticis.

* * *

M. SERVILIVS. LEG. *Caput muliebre laureatum.*
Q. CAEPIO. BRVTVS. IMP. *Tropaeum.* AV. (Mus. Caes.) RRRR.

C. CASSI. IMP. *Caput simile.*
M. SERVILIVS. LEG. *Acrostolium.* AV. RRR.

C. CASSEI. IMP. *Caput simile.*
M. SERVILIVS. LEG. *Pagurus forficulis acrostolium stringens, inferne diadema solutum, et balaustium.* AR. R.

Ad quem M. Servilium Bruti et Cassii legatum hi numi pertineant, multis disputatum, nullo hactenus emolumento. Videtur is idem esse, quem Cicero tribunum plebis vocat b), et pro libertate stetisse c), sed cognomen non prodit. Priores duo typos habent temporibus Bruti, et Cassii adcommodatos. Postremus in aenigmata patet, quae cum explicare nituntur Vaillantius, et Havercampus, mira nobis et incredibilia occinunt. Cum typus plane est allegoricus, veniam nobis dabunt ipsi veterum manes, si griphos, quibus saepe verum occuluere, nonnunquam explicare recusemus. Id unum forte verisimile, balaustium, quoniam is obvius est Rhodiorum typus, adludere ad victoriam a Cassio de his νησιώταις relatam, quam perhibent Dio, et Appianus. Ajebam, inferne comparere diadema solutum, atque istud adsero confidenter ex numis nitidissimis musei Caesarei, cum tamen illud in iconismis passim fingatur, tan-

a) Aen. VI. 121. b) ad Famil. L. XII. ep. 7. c) Phil. IV. cap. 6.

quam esset stolo ex balaustii caudice prognatus. Arduum divinare, quis hujus sit diadematis sensus, nisi forte adludit ad solutam, quam Iulius Caesar adfectavit, regiam potestatem.

SESTIA.

Eadem cum Sextia esse putatur. Olim patricia, serius plebeia.

L. SESTI. PRO. Q. *Caput muliebre velatum.*

Q. CAEPIO. BRVTVS. PRO. COS. *Tripus, hinc secespita, inde simpuvium.* AR. R.

Eadem adversa.

Eadem epigraphe. Victoria gradiens. Quin. (Mus. Caes.) RRR.

L. SESTI. PRO. Q. *Sedile cum hasta inclinata, infra quid modio simile.*

Aversa similis. Quin. RRR.

Narrat Appianus a) *Publius Bruti quaestor ab Antonianis de proditione frustra solicitatus, ac propterea proscriptus, tandem in patriam reversus in Caesaris amicitiam receptus est, cui aliquando domi suae imagines etiam Bruti spectandas praebuit, id quoque probanti.* At quis hic Publius Bruti quaestor, cujus solum hic praenomen ponitur? Ergo Vrsinus pro *Publius* legendum censet *L. Sestius*, motus eo, quod simillima facta a Dione de L. Sestio praedicari vidit. Sic enim ille ad annum V. C. 731 agens de Augusto b): *subrogavit in locum suum* (consulatum) *L. Sestium, qui vir semper Bruti rebus faverat, omnibusque in bellis ei adfuerat, ac adhuc ejus memoriam colebat, imagines ejus habebat, eumque laudare solebat. Amicitiae vero observantiam, fidemque Sestii non modo non odio, sed honori etiam habebat Augustus.* Sedile et hasta jus quaestorium indicant, de quo agam copiosius in denariis Sulpitii Platorini. Aversas explicatas vide in numis M. Iunii Bruti, qui et Caepio.

Notandus Vrsini lapsus, qui bina mensae fulcra binos putavit pugiones, et quod modio simile diximus, pileum libertatis, numumque adeo suum secundum notum illum Plaetorii Cestiani, inscriptum EID. MAR. explicavit. Vnde apparet, cimelium suum ea parte labem traxisse.

Alium adhuc quinarium protulit Morellius:

Caput Iovis, pone A.

L. SESTI. PRO. Q. *Mensa cum hasta.*

Ea aetate, qua L. Sestii numi cusi sunt, vix amplius alphabeti literae numis insertae sunt. Quare arguere licet, numum esse hybridam, et anticam monetarii vitio captam ex similibus quinariis Titurii Sabini.

SEXTIA.

Numi Goltziani.

---

a) Bel. civ. L. IV. cap. 51. b) L. LIII. c. 32.

SEXTILIA.

Binos aeneos proponit Morellius, quorum unus inscribitur - - - SEXTILIVS, alter: L. SEXTILI. L. F.; sed qui aut numi Romani non sunt, aut monetae rationem non habuerunt. Vide etiam, quae ad gentem Mitreiam advertimus.

SICINIA.

Gens plebeia, sed et olim patricia.

FORT. P. R. *Caput muliebre.*
SICINIVS. IIIVIR. *Caduceus*, *ramus palmae*, *corona laurea.* AR. R.

Primum denarii hujus vocabulum Vrsinus explet: FORT*itudo*, sed rectius alii: FORT*una*. Fortitudinem a Romanis cultam non constat, sed pro hac Virtutem, etsi utrumque fere aequivaleat. At Fortunae apud Romanos ingens honos, cui templa splendida, antiqua, ac nomine multiplici, et tantum non cum primis urbis fundamentis posita sunt, ut ait Plutarchus [a]), qui praeterea adfirmare non dubitat, plus Romanos fortunae, quam virtuti suae debuisse incrementa, quae postquam primum Assyrios et Persas, deinde Macedones, mox Syriam, Aegyptum, tum et Carthaginienses in sinu gestasset, tandem transmisso Tiberi abjectis continuo alis talaribusque, et relicto versatili globo Romam ut mansura intravit. In numis gentis Arriae est item F. P. R. Pars aversa symbolis occupatur.

* * *

Denarium alium hujus Q. Sicinii vide in gente Coponia.

SILIA.

Gens plebeia. Cognomina *Nerva*, et *Italicus.*

* * *

Nerva.

ROMA. *Protome muliebris galeata d. hastam super humero, s. clypeum, supra galeam lunula, juxta* X.
P. NERVA. *Septa comitiorum, intra quae stans civis tabellam urnae immittit accedente altero tabellas a diribitore accepturo, aream numi superiorem secat linea, ex qua defixa tabula, quam animal quoddam censuit Havercampus.* AV. (Pembrock P. I. tab. 10. RRRR.) AR. C.

Denarium hunc Vrsinus, et Morel-

a) De Fortuna Rom.

lius gentis Liciniae numis inseruere, cui etiam cognomen Nervae proprium. Melius Vaillantius Siliam respexit, quia nullum Licinium Nervam cum praenomine Publii novimus, quo tamen plures Silii Nervae praediti fuere. Cujus sit statuenda protome anticae, non satis liquere puto. Esse imaginem Romae putat Havercampus, forte quod juxta scriptum ROMA vidit. Verum istud saepe scribitur propter imagines, quae certe Romae non sunt. Clypeo, qui Romae deae addi consuevit, insculpti esse solent gemini a lupa nutriti, at clypeo denarii praesentis insculptus eques. Denique quid adstituta capiti lunula ad Romam faciat, rationem non reperio. Quare caput illud in incertorum numero puto. Similis typus comitiorum est etiam in Mussidia, ex qua hujus aversae explicationem pete.

* * *

SILIVS. ANNIVS. LAMIA. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis III. formae imperante Augusto signatis. C.

* * *

Italicus.

C. Silius Italicus poeta consularis memoratur in numis Smyrnae, quos adi.

SOSIA.

Gens plebeia.

Caput M. Antonii.

C. SOSIVS. IMP. *Tropaeum, ad cujus imum mulier moesta sedens, et vir nudus revinctis manibus.* AE. III. Editus etiam a Seguino p. 95. RRR.

IMP. *Caput M. Antonii.*

C. SOSIVS. Q. *Aquila insistens fulmini, ante quam caduceus, in area* ΣA. AE. II. (Liebe p. 400.) RRRR.

Caput juvenile forte Bacchi.

C. SOSIVS. COS. DESIG. *Tripus.* AE. III. RRRR.

Numus prior insigne monumentum est victi a M. Antonio V. C. 716 regis Iudaeae Antigoni, ultimi ex Hasamonaeorum stirpe, quae annos CXX. regnum obtinuit, quem captis Hierosolymis dediditium virgis primum caesum, quod regibus hactenus a Romanis non contigit, securi percussit, Herode in regno confirmato. Ei bello pro Antonio praefuit C. Sosius Syriae, et Ciliciae praefectus. Vide haec late descripta a Iosepho variis locis, qui et graviter insignem Sosii morum asperitatem perstringit, tum et Dione [a]).

Numum alterum jam edidere Goltzius [b]), Vaillantius, et Morellius. Omnibus his visum, in area scriptum ZA. At Liebeus in integerrimo suo legit ΣA, putatque signatum Salamine Cypri, vel Saite Aegypti, judicium istud stabiliente etiam typo aquilae. Sed haec multum ambigua.

Numus tertius hactenus in ineditis putandus. Ejus duplex exemplar ex Dalmatia allatum est excell. Ascanio Molin patricio Veneto, quorum alterum, sed scriptura minus integra, et

a) L. XLIX. §. 22. b) in Fast. ad V. C. 721.

quod vidi ipse, in museum ill. Com. Vitzai fuit derivatum. Praeclari hi numuli C. Sosium CO*n*S*ulem* DESIG*natum* appellant. Constat vero etiam ex Appiano a), C. Sosium anno V. C. 715 designatum fuisse consulem in annum V. C. 722 conlega Cn. Domitio Ahenobarbo, eoque utrumque processisse, fasti docent. De horum quoque patria numorum incerti sumus, etsi certum plane sit, omnes hos Sosii numos, quos dedimus, peregre fuisse signatos.

*
* *

Plumbeum edidit Ficoronus b):

Caput M. Antonii.

CѠCIOΥ. *sine typo*, sed quod numorum genus rationem monetae non habet.

SPVRILIA.

Gentem Spuriliam ex veterum scriptis certa fide non habemus, nam Spurilium tribunum pl. apud Livium c) alii in Sp. Icilium refingunt. Vrsinus ex Appiano M. Spurilium inter percussores Caesaris numerat. Nescio, ex quo is codice, aut editione nomen istud exceperit. In mea editione Henrici Stephani d), tum et in novissima Shweighäuseri e) lego Μαρκον Σπορίον. Reperio tamen in Gruteri indice C. Spurilios. Interea το SPVRI. sequentis denarii potest aeque legi *Spurius*, vel *Spurinus*, vel aliter.

*
* *

Caput Palladis alatum, *pone* X. A. SPVRI. *Luna in citis bigis*, *infra* ROMA. AR. R.

STATIA.

Gens plebeia. Cognomen *Murcus.*

Caput Neptuni.

MVRCVS. IMP. *Tropaeum*, *ante quod vir togatus stans dexteram offert mulieri genuflexae.* AR. RR.

L. Statius Murcus Iulii Caesaris per bellum civile legatus f), ab eodem ipso caedis suae anno pro consule in Syriam missus, illo interfecto Octaviani res in Syria adjuvit primum, mox sese Cassio contra sese adventanti non difficulter dedidit, qui homini non modo dignitatem, quam antea tenuerat, intactam reliquit, sed classem praeterea commisit g), unde Neptuni caput in denario. Eum *imperatorem* appellat Cassius ipse in epistola ad Ciceronem data h), et a Velleio dicitur vir praetorius, et *imperator* i). Causa ejus honoris ignoratur. Ex quo in numis titulus IMP. Eum

a) Bell. civ. L. V. c. 73. b) Piombi. ant p. 89. c) L. IV. c. 42. d) Bell. civ. L. II. p. 499. e) ibid. cap. 113. f) Caes. Bell. civ. L. III. c. 15. 16. g) Dio. L. XLVII. §. 27. 28. h) Fam. L. XII. ep. 12. i) L. II. c. 69.

Cicero proconsulem publice appellat [a]). In portum Laodicensem classe invectus obvium Dolabellam praelio vicit, et ad pacem adegit [b]). Paullo post Cassii nomine Rhodios mari profligavit [c]), et qua pollebat rei navalis peritia, III-virorum res mari graviter adflixit. Victis Bruto et Cassio in Siciliam profugus a Sex. Pompejo benigne primum exceptus, deinde quod majores spiritus gerere videretur, proditionis obtentu occisus est [d]). In aversa denarii videtur proponi Asia Cassii opem suppliciter exposcens.

* * *

Caput Vulcani, pone forceps.
STATI. TREBO. *Victoria in lentis quadrigis.* AE. III. RRR.

Seguinus, qui numum prior edidit, epigraphen explet: STATI*us* TREBO*nius.* Haud dubie in provincia quapiam est signatus. Reliqua omnia incerta.

STATILIA.

Gens fuit sub Caesaribus primum cognita. Vide Vrsinum. Cognomina *Taurus*, et forte *Libo.*

* * *

Taurus.

TAVRVS. REGVLVS. PVLCHER. IIIVIR. A. A. A. F. F. in aeneis III. formae sub Augusto cusis. C.

* * *

Libo.

CN. STATI. LIBO. PRAEF.
Caput virile nudum.
SACERDOS. *Patera, et guttus.* AE. II. (Florez. tab. LVII. n. 12.) RRR.

Primus numum hunc edidit Patinus in Vrsino suo restituto. Restituit deinde Morellius. Similis alter est in museo Pembrock [e]). Alium similem Havercampus in suo ad hunc numum commentario se possidere testatur, nisi quod in ejus antica legitur: CN. STATI. PRAEF. Ceterum ignoratur, sitne *Statio* cuipiam, an *Statilio* tribuendus, nam utroque modo *το* STATI. legi potest, neque aliud quidquam de hoc Libone sacerdote constat. Numus certe est partus peregrini. Sane Florezius ex addito PRAEF. eum Hispaniensem putat, et caput Agrippae in antica videtur agnoscere, et sive Celsae, sive Caesaraugustae signatum conjicit [f]).

SVILLIA.

M. Suillius Nerulinus procos. memoratur in numis Smyrnae sub Vespasiano cusis, item in moneta Hierapolis Phrygiae. Vide utriusque urbis numos.

---

a) Phil. XI. c. 12. b) Dio L. XLVII. §. 30. c) Dio ibid. §. 33. d) Dio L. XLVIII. §. 19 e) Part. III. tab. 9. f) l. c.

SVLPICIA.

Gens illustris et pervetusta. Cognomina in numis *Galba*, *Platorinus*, *Proclus*, *Rufus*, Ex his Galbae patricii, Rufi plebeji, de reliquis non constat.

* * *

Galba.

Caput Palladis alatum, pone X. P. GALB. *Mulier in citis bigis coronatur ab advolante Victoria.* AR. C.

Caput muliebre velatum, pone S. C.

P. GALB. AE. CVR. In aliis: AED. CVR. *Culter, simpuvium, secespita.* AR. R.

P. Galb. in aeneis variis. R.

Minus certum, ad quos P. Galbas varii hi, et parum conspicui numi pertineant. Ex hac familia fuit Galba Aug.

* * *

Platorinus.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

PLATORINVS. IIIVIR. M. AGRIPPA. *Caput M. Agrippae nudum.* AR. RRR.

Eadem adversa.

C. SVLPICIVS. PLATORIN. *Duo viri togati insidentes mensae humili, ex cujus basi tria navium rostra defixa sunt; mensae inclinatur hasta.* AR. R.

Platorini nulla in vetere historia mentio. Typus partis aversae in denario altero admodum ambiguus. Vrsinus eo rostra nova, sive Iulia videt a Caesare constituta, in cujus sententiam facile concessere Spanhemius a), Vaillantius, et Havercampus, qui praeterea de suo addunt, proponi Augustum, et Agrippam consules in his rostris sedentes. Verum quid humile subsellium forma longiore instar mensae effictum ad consules, et tantae dignitatis viros, quos decet sedere in sella curuli? Adverto, hujus formae sedile tribui magistratibus inferioribus, qui jus sellae curulis non habuerunt, cujus plura exempla suppeditant numi. Tali insident Piso et Caepio quaestores ad frumentum emundum, M. Fannius et L. Critonius aediles plebeji; tale tribuitur Aesillae quaestori Macedoniae in Macedonum tetradrachmis obviis, et Pupio Rufo quaestori (TAMIAI) in numis Cyrenaicis, denique et L. Sestio proquaestori; praeterea hasta ad sellam acclinis, ut in praesente, exstat in iisdem numis Sestii proquaestoris, Pupii Rufi quaestoris, et L. Caninii Galli. En igitur tibi istud sedilis genus tributum quaestoribus, proquaestoribus, aedilibus plebejis, quod nullus dubito esse illud ipsum, cujus usum describit Asconius b): *Subsellia sunt tribunorum, triumvirorum, quaestorum, et hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant.* Facile utriusque sedilis discrimen reperies, si conferas sedilia haec vulgaria in numis hic citatis proposita cum certis sellis curulibus, quales exstant v. g.

a) Tom. II. p. 199. b) in Cicer. divinationem c. 15.

in denariis Cornelii Sullae, Cestii, Norbani, Lollii, aliorumque, et poteris indicata haec ab Asconio subsellia oculis usurpare. Certissimum discrimen suppeditant collati denarii Furii Crassipedis aedilis curulis, et L. Critonii aedilis plebeji, atque ipsum istud discrimen praeclare explicat Plutarchus [a]), *δυο γαρ*, inquit, *ἐισι ταξεις ἀγορανομων, ἡ μεν ἀπο των διφρων των ἀγκυλοποδων, ἐφ' ὧν καθεζομενοι χρηματιζουσιν, ἐχουσα τ'ουνομα της ἀρχης, την δ' ὑποδεεστεραν δημοτικην καλουσιν*, *duo enim sunt ordines aedilium, quorum unus a sellis, quarum incurva sunt fulcra, quibus insidentes jus dicunt, potestatis nomen accepit, alter inferior plebis appellatur.* En ut Plutarchus utrorumque aedilium sellas ex forma distinguit, dum aedilium curulium sellas ait esse pedibus incurvis, et quod sequitur, sellas aedilium plebejorum pedibus rectis, praeclare ad citata hic monumenta. Nullo igitur pacto sedentes in hoc denario IIviri togati Augustus, et Agrippa sunt putandi reclamante vel una sedilis forma, suntque haud dubie quaestores duo urgente annonae caritate, quod saepe sub Augusto factum, ad frumenti negotium destinati, ceu Piso et Caepio quaestores, defixa vero navium rostra indicare possunt naves ad frumentarium hoc negotium destinatas. Malim vero quaestores prae aedilibus plebis propter hastam sedili acclinem, quam saepius quaestoribus in numis tribui modo vidimus. Atque eodem modo explicandum puto simile sedile cum hasta in denariis citatis Caninii, etsi reliquae peristases, quae similis typi causa fuerunt, tacentibus historicis maneant ignotae.

* * *

Proclus.

M. Sulpicius Proclus procos. Bithyniae, quem vide in prolegomenis ad numos Bithyniae.

* * *

Rufus.

L. SERVIVS. RVFVS. *Caput nudum modice barbatum.*

Viri duo nudi hastati stantes, imminente astro singulorum capiti laureato pileato. AR. RR.

Restitutus etiam a Trajano. RRR.

L. SERVIVS. RVFVS. *Duo capita juvenilia jugata pileata laureata astro singulis imminente.*

Moenia civitatis, cujus portae inscriptum TVSCVL. Est AV. RRRR.

D. PP. *Capita duo juvenilia jugata laureata.*

C. SVLPICI. C. F. *Duo viri paludati et hastati stantes jacentem in medio scrofam dextera commonstrant, superne varians litera alphabeti.* Sunt serrati omnes. AR. C.

Erudite ad denarium I. notat Vrsinus, Sulpiciam Ruforum familiam duobus simul praenominibus usam fuisse, Servii, quod etiam cum aliis, v. g. Sulpiciis Galbis, fuit commune, et vel Lucii, vel Publii, vel Marci, vel Quinti, quod pluribus is argumentis comprobat. Servii vero praenomen adeo invaluit, ut eo solo Sulpicia gens jam satis notaretur, unde apud Tacitum [b]) ait Otho: *post Iulios, Claudios, SERVIOS se primum in familiam novam im-*

a) In Mario cap. 5. b) Hist. L. XI. c. 5.

perium intulisse. Intelligit autem Servium Sulpicium Galbam. Atque haec ratio est, cur in his denariis praenomen SERVIVS plene scribatur, cum alias praenomina paucioribus literis finiri consueverint, et diserte testetur Plutarchus a), praenomen *Servii* tribus primis literis fuisse exaratum. Quis fuerit hic L. Servius Rufus, non satis constat. Existimant eruditi, fuisse filium Ser. Sulpicii Rufi celebris jurisconsulti, et Ciceronis amici, cujus cum eo literarum commercium notum, qui consul V. C. 703 subinde Caesaris partes amplexus in legatione ad M. Antonium tempore belli Mutinensis obiit, ex quo Cicerone perorante tota Philippica IX. statua ei pedestris aenea posita est, quo loco a Cicerone vocatur: *Ser. Sulpicius Q. filius Lemonia Rufus.*

Censuere plerique, caput denarii prioris esse hujus ipsius Ser. Sulpicii jurisconsulti a filio L. Servio memoriae causa numo illati. Reclamat Havercampus propter barbam, quam Romani pridem alere desivere; referendum adeo potius ad perantiquum Ser. Sulpicium Rufum tribunum militum Tusculo servato celebratum, de quo mox. Perperam, nam veteres illi Romani, quorum non raro effigies in hac numorum classe proponuntur, ut L. Bruti primi consulis, Ahalae, aliorumque, multo liberaliorem barbam promittunt, quam quae in hoc denario tenuis ac parca genas vestit. Putarem Octavianum, quod jam aliquibus visum, sed non satis hunc comprobant lineamenta. Litem ergo injudicatam relinquere satius puto, quod feci etiam in simili causa numi Arrii Secundi.

Pars aversa jam in judicium vocanda. Geminos stantes esse Dioscuros eorum cultus et attributa palam eloquuntur. Atque iidem agnoscendi etiam ex iisdem causis in antica denarii II. Causa lecti hujus typi fuit, quod Servius Sulpicius tribunus militum consulari potestate V. C. 378 Tusculum a Latinis infensis arcta obsidione pressum cum exercitu ex urbe adcurrens liberavit b). At constat ex Cicerone c), stetisse Tusculi aedes Castoris, et Pollucis, et Castorem in hoc oppido cultum docet etiam Festus d). Hujus ergo aviti honoris causa non modo numina Tusculanis praecipua religione sacra, sed et ipsa urbs Tusculum in praestantissimo altero aureo proponuntur. Ad idem argumentum revocamus etiam capita in numo III. exstantia, etsi juxta scriptum sit D. P. P. id est: D*ei* P*enates*. Similia capita jugata laureata imminentibus astris sunt etiam in denariis Fonteiae addito PP., id est: P*enates*. At apertius in gentis Antiae numis juxta capita itidem jugata legitur DEI. PENATES. Diversa in speciem numina, quia aliter in numis enunciantur, reipsa tamen eadem sunt cum Dioscuris. Fuerunt dei Penates dicti secundum Ciceronem e) *sive a* penu *ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines, penus) sive ab eo, quod* penitus *insident, ex quo etiam penetrales a poetis vocantur.* Secundum Macrobium f). *Penates sunt,*

a) Quaest. Rom. b) Liv. L. VI. c. 33. c) de Divinat. L. I. c. 43. d) in Stroppus. e) de Nat. deor. L. II. c. 27. f) Saturn. L. III. c. 4.

per quos penitus *spiramus*, *per quos habemus corpus*, *per quos rationem animi possidemus.* Eodem is loco docet ex Varrone, deos Penates ex Samothrace in Phrygiam a Dardano, et ex Phrygia in Italiam ab Aenea esse delatos; et mox infra ex Cassio Hemina, Samothracas deos, eosdemque Romanorum Penates proprie dici θεȣς μεγαλȣς, θεȣς χρηςȣς, θεȣς δυνατȣς, *deos magnos*, *deos salutares*, *deos potentes.* Simile memorat Servius a) citato Varrone: *Varro quidem unum esse dicit Penates*, *et Magnos deos*, praeterea: *idem Varro*, *et alii complures Magnos deos adfirmant simulacra duo virilia Castoris et Pollucis.* Penates etiam hastatos proponi alibi prodit b), ut et Dionysius Halic. c), qui cum de Penatibus prolixe disserit, tum quae huc faciunt, praecipua haec: ἐισι δε νεανιαι δυο, δορατα διειληφοτες--- πολλα δε και ἀλλα ἐν ἱεροις ἀρχαιοις ἐιδωλα των θεων τȣτων ἐθεασαμεθα, και ἐν ἁπασι νεανισκοι δυο ςρατιοτικα σχηματα φαινονται ἐχοντες. *Sunt autem duo juvenes sedentes cum hastis - - - multas etiam alias horum deorum imagines in antiquis templis conspeximus*, *et in omnibus apparent duo juvenes habitu militari.* Eos vero dictos fuisse *Penates*, continuo supra adseruit. At constat etiam ex iis, quae ad numos Tripolis Phoeniciae diximus, Cabiros eosdem fuisse cum Dioscuris, eadem cum his forma propositos, et eorum cultum ex Phoenicia, ut multi censent, in Samothraciam delatum, et late ibi inter mysteria, et caerimonias fuisse conspicuum. Ergo cum praeeunte Varrone, quo nemo alius patrii deorum cultus fuit scientior, creditum sit, deos Penates ex Phrygia in Italiam traductos, iidem etiam Dioscuri sint habiti, et perinde atque hi cum hastis propositi, ac denique in postremo ex numis hic descriptis ipsum Penatium nomen notetur, dubium sane non est, in praecedentibus quoque, sive capita spectes, sive in aversa binos cum hastis stantes, Penates esse intelligendos, etsi in iis horum nomen non addatur, atque hos ipsos a Sulpiciis ad resuscitandum vetus decus apud Tusculum partum fuisse intentos, etsi eos Cicero, et Festus Castorem, et Pollucem dixere, quod absque errore facere poterant, cum, ut vidimus, qui Penates, iidem et Dioscuri fuerint. Ceterum quam confusa, male cohaerentia, et ἀσυςατα nobis veteres ipsi de his sive Cabiris, sive Penatibus, sive Dioscuris memoriae prodita reliquerint, cujus dissensus principes causae fuerunt, sive quod haec mysteria revelare nefas fuit, sive quod ea vel ideo ipsis veteribus partim ignorata, partim male percepta fuerunt, paucis attigi in numis Tripolis Phoeniciae, et videri potest apud Pellerinium d).

Typus aversae numi III. in dissensus patet. Putant alii, exhiberi duos Aeneae comites, qui primi scrofam albam triginta sub ilice foetus enixam viderint, et monstrarint, de quo Varro e), et Virgilius f), quorum unus ex *sue specta* deinde *Suispicius*, ac tandem *Sulpicius* vocatus esset, et gentis auctor habitus. Alii ad foedus inter Tullum

a) Ad Virg. Aen. III. 12. b) ad Virg. Aen. II. 325. c) Ant. L. I. p. 54. d) Mel. I. p. 77. e) L. IV. de L. L. f) Aen. VIII. 81.

Hostilium, et Mettium Fuffetium mactata porca initum referunt. Tertia sententia omnium vero proxima, quae jam fuit Ericii, exhiberi iterum deos Penates, quos hastis fuisse armatos, et militari cultu propositos supra docuimus. Probat istud ex Varrone narrante [a]), Lavinii esse deos Penates, ac praeterea fuisse Lavinium, quorsum sus alba ex Aeneae navi profugit, quae deinde triginta generis sui foetus ibi enixa est. Addo auctorem libri *de origine gentis Rom.* docentem ex Caesare, et Lucatio, Aeneam in Italiam appulsum cum scrofam immolare parasset, atque haec e ministrorum se manibus eripuisset, fugientem illam cum simulacris deorum Penatium prosecutum, et ubi illa procubuit, et triginta porculos enixa est, ibidem auspicatum, locumque dixisse Lavinium; et paullo infra ex Catone in origine generis Rom. *suem triginta porculos peperisse in eo loco, ubi nunc est Lavinium, cumque Aeneas ibi urbem condere constituisset, propterque agri sterilitatem metueret, per quietem ei visa deorum Penatum simulacra adhortantium, ut perseveraret in condenda urbe, quam coeperat; nam post annos totidem, quot foetus illius suis essent, Trojanos in loca fertilia atque uberiorem agrum transmigraturos, et urbem clarissimi nominis in Italia condituros.* In eandem etiam sententiam auctor gravis Dionysius Halic. [b]) qui praeterea addit, ab Aenea triginta foetus una cum matre diis Penatibus immolatos. Haec apud Lavinium deorum Penatium sacra ut rite semper celebrarentur, magna religio Romanos tenuit. Nam M. Aemilius Scaurus princeps senatus, cum crimini datum esset, sacra publica P. R. deorum Penatium, quae Lavinii fierent, opera ejus minus recte casteque fieri, judicium populi aegre evasit, ut refert Asconius ad orationem Ciceronis pro Scauro. Haec testimonia cum tam nitide cum typo numi conspirent, et in Sulpiciorum numis obvii sint dii Penates, dubium certe non est, praesentis numi typo ad ea, quae diximus, adludi. Ceterum non adfirmo, denarium hunc ad Sulpicium aliquem cognomine Rufum pertinere. Conjunxi cum certis Ruforum propter idem Penatium argumentum.

* * *

Sulpicius incertus.

SER. SVLP. *Caput juvenile laureatum.*

Vniversus rei nauticae apparatus in modum tropaei compositus; adstat hinc vir togatus obvolutis toga manibus, illinc vir nudus manibus post tergum revinctis. AR. R.

Pars antica Honoris caput sistit. Aversa hactenus nonnisi per conjecturas leves explicata, quas odi.

TADIA.

Tadii IIviri Corinthi et Vticae, quos in hanc numorum classem non admitto.

a) l. c. b) L. I. c. 56. 57.

TARIA.

Numus Goltzianus.

TARQVITIA.

Gens familias patricias et plebeias complexa. Cognomen in numo peregrino *Priscus*.

C. ANNIVS. T. F. T. N. PRO. COS. EX. S. C. *Caput muliebre.*
Q. TARQVITI. P. F. Q. *Victoria in citis bigis, superne variantes notae arithmeticae* AR. C.

Denarium hunc jam stitimus in numis Anniae, qui docent, Q. Tarquitium, et L. Fabium C. Annio procos. quaestores fuisse additos. Reliqua, quae ad hunc denarium pertinent, pete ex Annia.

* * *

Priscus.

M. Tarquitius Priscus procos. in numis Nicaeae, cujus numos vide in prolegomenis ad monetam urbium Bithyniae.

TERENTIA.

Plebeia. Cognomina in numis Romanis: *Lucanus*, *Varro*, in peregrinis: *Culleo*.

* * *

Lucanus.

Caput Palladis alatum, quod stans pone Victoriola coronat, pone X.
C. TER. LVC. *Dioscuri equites, in imo* ROMA. AR. C.

C. TER. LVC. in assibus, semissibus, quadrantibus, in quibus item navis partis aversae constanter a Victoria supervolante coronatur. R.

Vetus jam est inde ab Vrsino doctrina, explendam epigraphen legendo: C. TER*entius* LVC*anus*. Verum pro sana hac absurdam parturivit Havercampus, dum legit: C. TER*entius*, LVC*retius*, tanquam totidem IIIviros monetales. Habemus P. Terentium Lucanum patronum P. Terentii Afri celeberrimi comoediarum scriptoris. Vide Pighium a). C. Terentii Lucani pictoris meminit Plinius b).

Idem TERENTIVS poeta exstat in numo, sed contorniato, quem quaere in hac numorum classe.

* * *

Varro.

VARRO. PRO. Q. *Caput barbatum diadematum instar termini.*
MAGN. PRO. COS. *Aquila, et delphi-*

a) Annal. T. II. p. 347. b) L. XXXV. §. 33.

nus medio inter hos sceptro erecto. AR. R.

M. Terentius Varro, cujus unius viventis propter singulare ingenium, et multiplicem rerum scientiam ab Asinio Pollione imago in bibliotheca posita est [a]), Pompeji M. dux in bello piratico fuit, jussus mare Ionium classe tueri, quod nos docuit ipse [b]), et Appianus [c]), quo tempore cogitavit, fretum, quod est inter Hydruntum Italiae, et Apolloniam Illyrici, ponte jungere [d]). Propter praeclara facta eo bello praestita a Pompejo corona navali donatus [e]). Denarius Varronem per id bellum proquaestorem Pompeji fuisse docet, quo etiam tempore eum cusum diximus in numis Pompeji M. In bello civili ejus legatus fuit conlegis Afranio et Petreio [f]), sed Caesari se denique dedere est coactus. Caput anticae alii Quirinum, alii Iovem Terminalem faciunt, utrumque incertum.

* * *

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

Q. TERENTIO. CVLLEONE. PROCOS. *Caput Apollinis laureatum.* AE. I. (Morelli in Terentia, et in Impp. tab. 33. n. 19.) RR.

ΕΠΙ. ΚΟΤΛΛΕΩΝΟΣ. ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΔΗΜΟΤ, *scriptum intra lauream*, in numo Tiberii. (Vaillant. num. Graec.) RRR.

Priorem numum ediderunt Patinus et Vaillantius, sed vice PROCOS. legerunt IIVIR - - - - Havercampus in primo suo ad Morellii familiam Terentiam commentario utramque lectionem tuetur; nam exstare ait in museo suo numum, in quo:

Caput Augusti.

Q. TERENTIO. CVLLEONE. PROCOS. IIV., sic tamen, ut in numo ultimae literae sint scriptae sic: IΓ. Ex quo arguit, hunc Culleonem fuisse una proconsulem, una IIvirum honorarium, rem non rari exempli. Statuit vero, fuisse eum proconsulem Macedoniae, atque eodem tempore IIvirum Corinthi. Idem Havercampus altero loco in eundem numum commentatus [g]) priorum, quae scripserat, velut oblitus, ait legi in suo numo: PROCOS. III., additque, singularem suo numo dignitatem accedere, utpote tertio proconsulatus ejusdem anno signato. Ceterum ubi hic numus cusus sit, hoc loco nihil decidit; nam lectorem ad Morellii familias ablegat, ubi testatur, sese ad numi hujus explicationem non poenitenda protulisse. Ex variantibus his de numi lectione testimoniis certa videtur illa, quam postremam adfert Havercampus, nempe: PROCOS. III., nam nonnunquam proconsulatus annum addi solitum docent numi Vticae, et quos in moneta Carthaginis descripsi. Quare videtur hic Culleo fuisse proconsul Africae, in qua hic mos obtinuit.

Numum alterum Aegis Ciliciae tribuit Vaillantius, et Harduinus, at Havercampus commentator, qui in hoc Culleone priorem suum proconsulem vi-

a) Plin. L. VII. §. 31.
b) in Prooem. ad L. II. de R. R.
c) Bell. Mithr. c. 95.
d) Plin. L. III. p. 166.
e) Plin. L. XVI. §. 3., et L. VII. §. 31.
f) Caesar. B. C. L. I. c. 38. Dio. L. XLI. §. 23.
g) Morelli Impp. T. I. p. 374.

det, eum apud Aegas Macedoniae signatum adserit [a]). Fuisse adeo eum Macedoniae proconsulem statuit exeunte Augusti, et incipiente Tiberii imperio. Quod ut facilius persuadeat, prolixum Iosephi testimonium Graece et Latine recitat, quo comprobet, Augustum provinciarum magistratus prorogasse. Quam facile est, ampla volumina conscribere, si quidquid temere mens parturit, illud nullo discrimine tolli jubeas. At si omnia, quae scripsit, virgae censoriae subjecisset, neque cum legentium fastidio tot veterum utraque lingua testimonia nulla necessitate conglobasset, an haberemus hodie Havercampiana, cum quibus artis numismaticae studiosi misere conflictamur? Docentibus tot numis, quos Vaillantius, aliique edidere, ignorare non debuerat Havercampus, hujus Macedoniae urbis incolas jam inde ab Augusto non amplius *Aegarum* nomine usos, sed vetus *Edessae* recepisse. Inania ergo sunt, quaecunque de hoc suo Macedoniae proconsule secundum quietem vidit. Ceterum hic numus causa gentilis ΑΙΓΕΑΙΩΝ apud Aegas Ciliciae videtur signatus. Quis vero sit Culleo in numo memoratus, an homo Romanus, an Graecus, an proconsul, an magistratus eponymus, aliusve, decidere nequeo.

* * *

Terentius incertus.

Caput Iani.

P. TE. (*in monogrammate.*) *Lupa gemellos pascens.* AE. I. R.

P. Terentio assem hunc tribuunt eruditi, incertum cui, quanquam et monogramma TE. aliter legi potest, numusque alteri genti applicari.

THORIA.

Gens plebeia. Cognomen *Balbus*, in peregrinis *Flaccus.*

* * *

Balbus.

I. S. M. R. *Caput Iunonis Sispitae.*

L. THORIVS. BALBVS. *Bos irruens, superne varians alphabeti litera.* AR. R.

Causam illatae his numis *Iunonis Sispite Magnae Reginae* (sic enim hae literae explendae testibus copiosis marmoribus) suppeditat Cicero loco memorabili [b]): *L. Thorius Balbus fuit Lanuvinus, quem meminisse tu non potes. Is ita vivebat, ut nulla tam exquisita posset inveniri voluptas, qua non abundaret. Erat et cupidus voluptatum, et cujusvis generis ejus intelligens, et copiosus; ita non superstitiosus, ut plurima in sua patria sacrificia et fana contemneret, ita non timidus ad mortem, ut in acie sit ob remp. interfectus.* Lege reliqua elegantia sane. Quae ad Iunonem Lanuvinam pertinent, pete ex gente Roscia. Fuerunt, qui typo tauri adlusionem ad legem agrariam a Sp. Thorio Balbo tribuno pl. latam censuere, de qua vide Pighium [c]). Verius credo, esse

---

a) Fam. Morell. p. 414. b) L. II. de fin. c 20. c) Annal. T. III. p. 136.

adlusionem ad nomen Thorii, nam θȣϱιος, vel θοϱιος significat *impetuosus*, et impetuose in hoc numo bos fertur, ex qua causa et Thurios Italiae bovem cum impetu ruentem in numis signasse puto. Vide dicta ad horum numos.

* * *

Flaccus.

Thorius Flaccus proconsul Bithyniae sub Augusto, cujus numos vide in prolegomenis ad numos Bithyniae.

TITIA.

Gens plebeia.

Caput diadematum alatum cum barba prolixa. In aliis: *Caput Bacchi hedera redimitum.*

Q. TITI. *Pegasus volans.* AR. C. *Restitutus item a Trajano.* RRR. In alio: *Eques togatus citato cursu.*

Protome Victoriae.

Q. TITI. *Pegasus volans.* Quin. R.

Q. TITI. in assibus. C.

Capite alato barbato alii insignem poetam, cui Titio nomen fuerit, alii Bacchum proponi arbitrantur. Neutra sententia satisfacit, et utraque parum idoneis argumentis probatur. Vereor etiam, ut eruditis probetur sententia cl. Visconti, in hoc capite Somni effigiem videntis [a]). Neque Pegasi ratio certa, aut viri equitis.

Simillima aversa, qualis est in his denariis, et quinariis, Pegasum intelligo, est etiam in copiosis aureis IV. formae fabricae barbarae, quos dubium non est, a barbaris ad superiorum exemplar signatos. Auctor operis: *Catalogue raisonné* eos cuipiam ex Celtarum regibus tribuit [b]). Quis fuerit horum numorum Q. Titius, si leves conjecturas aspernare, cum omnibus ignoro.

TITINIA.

Gens cum patricia, tum plebeia.

Caput Palladis alatum, pone XVI.

C. TITINI. *Victoria in citis bigis.* AR. C.

M. TITINI. in assibus, et sextantibus. C.

TITVRIA.

An patricia, an plebeia incertum. Cognomen *Sabinus.*

SABIN. *Caput nudum barbatum.*

L. TITVRI. *Victoria in citis bigis d.*

a) Mus. Pio-Clem. T. I. p. 59. b) p. 15.

coronam, in imo vel literae alphabeti, vel notae arithmeticae, vel minuta sigilla. AR. C.

SABIN. *Caput nudum barbatum, juxta.* A. PV., *in aliis ramus palmae.*

L. TITVRI. *Tarpeia virgo passis crinibus et extentis brachiis sedens in scutorum congerie, utrinqae accedit Sabinus et ipse clypei jactum intentans, superne sol et luna.* AR. C.

SABIN. *Caput nudum barbatum, juxta* TA. *in monogrammate, vel* A. PV., *vel ramus palmae.*

L. TITVRI. *Duo Romani suam singuli Sabinam rapiunt.* AR. C.

L. TITVRI. L. F. SABINVS, in assibus, in quibus caput Iani defixos superne habet palos, de cujus significatione egi in numis gentis Fonteiae. R.

Et nomen *Sabinus*, et typi ex Sabinorum historia petiti satis arguunt, Titurìam gentem ex Sabinis fuisse ortam. Tarpeiam scutis obrutam a Sabinis perfidiae ultoribus, sed et ipsis perfidis, jam vidimus in Petronia. At novus typus raptae a Romanis Sabinae, fabula in vulgus nota, quam et sistunt nonnulli contorniati inscripto: SABINAE. Modum, quo in his denariis Sabinas rapi a militibus videmus, graphice exprimit Naso [a]):

Si qua repugnarat nimium, comitemque negarat,
Sublatam cupido vir tulit ipse sinu.

Causa hujus typi verisimile est, caput anticae esse Tatii Sabinorum eo ipso tempore regis quo facta in his numis proposita contigere, quod comprobare etiam videtur monogramma TA. in horum pluribus obvium. Idem caput addito eodem monogrammate est etiam in denariis Vettii Sabini. Literae A. PV. idem certe significant, quod in numis Sentiae ARG. PVB.

* * *

Caput Iovis, pone variantes alphabeti literae.

P. SABIN. Q. *Victoria tropaeum coronans, in area eadem litera, quae in antica.* Quin. C.

TREBANIA.

Ordinis incerti.

Caput Palladis alatum, pone X.

L. TREBANI. *Iuppiter fulminator in citis quadrigis, infra* ROMA. AR. C.

L. TREBANI. in variis aeneis. R.

TREBONIA.

Numus Goltzianus. In aeneo apud Seguinum legitur STATI. TREBO., quem vide in Statia.

---

a) Art. amat. L. I. v. 127.

TVLLIA.

Gens partim patricia, partim plebeia.

ROMA. *Caput Palladis alatum.* M. TVLLI. *Victoria in citis quadrigis s. palmae ramum, in area corona, et* X. AR. C. *Restitutus etiam a Trajano.* RRR.

Ad quem Tullium, et quo cognomine denarium hunc referas, incertum, nam haec gens late patuit per multa, et varia cognomina. Forma ipsa numi altiorem antiquitatem sapit, quam ut possit esse oratoris Ciceronis, quod nonnulli credidere.

*
* *

Cista mystica semiaperta, ex qua provolvitur serpens, inter coronam ex hedera et corymbis contextam. M. TVLL. IMP. ΛΑΒΑΣ. ΠΥΡΡΟΥ. ΛΑΟ. *Serpentes duo intortis caudis.* AR. m. m. RRR.

Si priorem denarium Ciceroni, oratorum, philosophorumque Romanorum principi eripui, hunc certe elegantissimum, rarissimumque cistophorum ei jure vindicabimus, quem primus edidit Seguinus, et erudito commentario illustravit [a]). Cistophoros in una provincia Asia signatos constat. Cicero V. C. 703 proconsule in Ciliciam missus est, ad cujus regimen pertinuere tum etiam Pamphylia, Lycaonia, et Phrygiae majoris pars, et quidem ea, in qua sita Laodicea, quae numum hunc signavit, ut docet additum ΛΑΟ. In hac frequenter celebrasse conventus, ex ejus epistolis passim constat, et quidem ex idib. Febr. ad Kal. Majas omnium dioecesium Asiaticarum forum egit [b]). Additur IMPerator, quem sese honorem adeptum ipse scribit M. Coelio Rufo [c]): *Ita victoria justa IMPERATOR appellatus apud Issum, quo in loco, saepe ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro esse superatum.* De cistophoris alibi egimus. (Vol. IV. p. 352.)

*
* *

Cum genuinum M. Tullii Ciceronis numum protulimus, opportunum videtur, hoc ipso loco commemorare adulterinos partus, quos pinguioris quaestus spes concepit, quae fallere sane non potuit, cum nemo non gestiat, ejus viri, quem inter praestantissimos veteris aevi jure numeramus, praesentem vultum cernere. At non propositum est, eos omnes commemorare, quorum mala fides jam primo conspectu facile offendit, sed ex omni numero unum proferre, quem multorum judicia in hunc usque diem γνησιοτητος jure donaverunt. Eccum!

ΜΑΡΚΟΣ. ΤΟΥΛΛΙΟΣ. ΚΙΚΕΡΩΝ. *Caput Ciceronis nudum.* ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΠΟ. ΣΙΠΥΛΟΥ. ΘΕΟΔΩΡΟΣ. *Dextera tenens coronam, ramum, et palmitem.* AE. II.

Vulgati hujus pridem numi non mo-

a) Sel. num. pag. 82. ep. 10.

b) ad Attic. L. VI. ep. 1 et 2. L. V. ep. 21.

c) Famil. L. II.

do historiam scripsit, sed fidem etiam in examen vocavit cl. Paciaudus [a]). Refert is ex autographis Fulvii Vrsini epistolis, quae servantur in bibliotheca Vaticana, numum hunc ineunte anno post Christum 1598 Vrsino Bononia a quodam veteris mercis propola ostentatum, et ut in antiqua cimelia toto impetu ferebatur, quin oculis antea ejus fidem exploraret, eminus cupide emptum numerato C. florenorum argenteorum pretio. Eum subinde probaverunt, et operibus suis inseruerunt non pauci spectatae eruditionis viri, quos inter numerandus in primis Tristanus [b]). Editus iterum, et summis laudibus mactatus est a Pedrusio Tomo VIII. concinnati a se musei Farnesiani, quorsum cimelium istud supremis Vrsini tabulis migravit. Non tamen unicum istud numisma duxeris. Ita enim Antonius Faber in suis ad Vrsini illustrium imagines commentariis, postquam de hoc Vrsini numo disseruisset, *triginta*, inquit, *et plus abhinc annis numisma prorsus huic simile, et ab eodem monetario cusum in agro Romano erutum esse, sed ita aerugine consumptum, et deformatum, ut vix ac ne vix quidem agnosci possit.* At ne nostram aetatem sive invidam, sive tantarum sterilem opum dicamus, en tibi similem tertium a Winkelmanno in urbe conspectum. En ejus verba in epistola scripta XXVIII. Decembris 1765, quae exstat in parte I. ejus epistolarum, quae editae sunt Dresdae anno 1777, pag. 172, *en tibi*, ait, *unum ex recentissimis et maxime memorabilibus inventis. Graecum intelligo numum aeneum, ab urbe Magnesia M. Ciceronis honori signatum. Repertus a rustico in agro Romano, et a quodam veterum numorum propola, homine magni in hoc negotio usus, quia limus adhuc inhaeserat, pro numo Augusti in Graeca quapiam colonia cuso emptus est. Eum subinde nactus eruditus abbas Sartius monachus Camaldulensis detexit scriptum juxta caput:* M. TTΛ. KI - - - *etc.* Ejus ipsius numi meminit etiam Christophorus Amadutius in editis nuper *Monumentis Mathaeianis* classe I. tab. XI. testatus et ipse, emptum a Mauro Sartio, et nunc adservari Ravennae in Museo Classensi fratrum Camaldulensium, ut vero numum ipse describit, apparet, esse Vrsiniano, ut guttam guttae, simillimum. Alium id genus sibi oblatum ad me scripsit eruditus Cousineryus Gallicus Thessalonicae consul, in quo hinc: ΜΑΡΚΟΣ. ΤΟΥΛΛΙΟΣ. ΚΙΚΕΡΩΝ, illinc: ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΤΩΝ. ΑΠΟ. ΣΙΠΥΛΟΥ. ΘΕΟΔΩΡΟΣ, typis utrinque iisdem.

Similium historiam numorum enarravi. Iam et eorum γνησιοτης investiganda. Satis constat ex ipsius Vrsini literis, quas testes adhibet Paciaudus [c]), numum in urbem delatum continuo in suspectis habuisse Vrsinum, persensisse technas, odoratumque fallaciae signa, et venditorem in malae fraudis judicium vocasse. Addit idem, viros artis nostrae peritos, qui olim Parmae, et nuper Neapoli numum inspexere, detexisse adscititium aeruginis colorem, et alicubi limae indicia. Inter variantes has autoptarum sententias quorum

a) Animadv. philol. p. 50. b) Comm. hist. T. II. p. 429. c) l. c.

denique judicio standum? Ego, qui numum non viderim, neque condemnare ab ea parte, neque recipere possum. Omissis igitur auctoritatibus una mihi argumenta extrinseca permissa video, quibus secundum artis nostrae praecepta admotis facile est numorum similium omnium spurios natales detegere. Ac primum quidem quid ad Ciceronem nostrum Magnesia Sipyli? Fuit is proconsul Ciliciae, ad quam jurisdictionem tum pertinuere quoque Cyprus, Pisidia, Pamphylia, Lycaonia, et tres dioeceses Asiaticae, Cibyratica, Synnadensis, Apamensis. At Magnesia in Lydia sita eodem tempore Q. Minutio Thermo propraetori Asiae paruit. Qua ergo de causa tam diligentem in observando homine alieno Magnesiam statuemus? Advertit ad hunc lapidem Antonius Faber [a]), quem adeo ut declinaret, adserit, *esse cusum numisma a Magnesianis sub Quinti fratris imperio, sub quo omnes Asiani complura, maximaque beneficia a Cicerone acceperunt, ob quae publicos honores illi decreverunt, quorum Cicero ipse meminit epistola I. ad Quintum fratrem lib. I. et ad Atticum L. V. ep. ult.* Enimvero reperio in priore ex citatis epistola, quo tempore Q. Cicero propraetore Asiam rexit, (fuit autem in ea inde ab anno V. C. 693) civitates Asiae pro magnis Marci meritis, et maximis Quinti beneficiis ad commune utriusque templum, et monumentum pecunias decrevisse, quem tamen honorem non accipiendum putaverunt. In epistola altera refert Cicero loquens de civitatibus suae jurisdictionis: *nullos honores nisi verborum decerni sino, statuas, fana, τεϑϱιππα prohibeo, nec sum ulla re alia molestus civitatibus.* Qui prohibuerat, ne sibi ponerentur statuae, et templa, quos tamen honores in proconsules collatos non his modo testimoniis docemur, sed etiam a Suetonio [b]), an is permissurus fuisset, ut sua imagine signaretur numus? an istud ausura Asia? an in tanto numero hominum Romanorum de provinciis praeclare meritorum vel unicum exstat exemplum, quod doceret, stante rep. viventis caput etsi amplissime de se meriti monetae publicae illatum? Praesidum, patronorumque frequenter legimus nomina, at ignoramus vultum. T. Quinctio Flaminino Chalcidenses Euboeae ob praeclara sua adversum se merita honores divinos habuere [c]), at caput ejus inserere monetae ausi non sunt. Nimirum urbis in hoc exemplum secutae sunt provinciae, cum caput in numis propositum semper summi fastigii, et inimicum libertatis sit habitum. Huic gravissimo argumento si addas insolentem aversae typum nullo pacto ad veterem modum comparatum, ac praeterea tria ejus exemplaria reperta in uno fere agro Romano, tanto a Magnesia intervallo distante, quando hactenus ex ipsa Lydia, cujus civitatum numis musea nostra abundant, alter similis allatus non est, satis credo apparet, numos hos esse opus obscurae officinae, et ubi repertos, ibi et natos. Tamen

a) l. c. p. m. 378. b) in Aug. c. 52. c) Reines. Synt. inscr. T. I. p. 292. Plut. in Flamin.

numum musei Classensis, de quo egi supra, suffragio suo genuinum appellat cl. Iacobus Blancanius [a]).

Ergo ex numis nihil habemus subsidii, ad veram summi hujus oratoris, ac philosophi capiendam imaginem. Neque multo plus solatii cupidis nobis offerunt monumenta alia. Vetus fama nobilitavit protomen marmoream, quae est Romae in aedibus Mathaeorum, et credita referre Ciceronem tanto certiore fiducia, quod ejus nomen inscriptum offert. At mihi, qui monumentum adcurate inspexi, literae nequaquam vetus opus visae sunt, sed novicium, qua in sententia fuere alii quoque. Atque ut scripturam vere antiquam demus, ipsa facies quam misere ab aetatis injuriis vexata fuit! lacerae nares, labia, mentum. Quibus conspectis vulneribus venit mihi in mentem ejus, quod Maro apud inferos accidisse Aeneae memorat, qui cum forte vidisset hominem *lacerum crudeliter ora, et truncas inhonesto vulnere nares*, in hac formae conversione *vix adeo agnovit* Deiphobum Trojanum, longo sibi in vita usu cognitum. At recens manus, quae vulnera sanavit, quo quaeso duce effecit, ne in partibus laesis restituendis aut addendo peccaret, aut minuendo? Plures alias Ciceronis effigies severior crisis expunxit, ne quidem satis ad fidem valido ciceris in gena argumento. Restat tamen credulis, quorum se aspectu delectent, non vulgaris Ciceronum copia, quos recitat cl. Amadutius [b]), una iis cupiditate fidem faciente, nimirum quod ait Caesar [c]), *quae volumus, et credimus libenter, et quae sentimus ipsi, reliquos sentire speramus.*

* * *

M. ΤΥΛΛΙ. inscriptum numis Temenothyrarum Lydiae, quos edidere Morellius, aliique, non pertinere ad Ciceronem nostrum, disputavi in moneta hujus urbis.

TVRILLIA.

Huic forte tribuendus denarius cum epigraphe: D. TVR., quem vide recitatum in moneta Antonii IIIviri ad annum V. C. 723.

VALERIA.

Gens ex Sabinis profecta, in patriciam et plebeiam distincta. Cognomina: *Aciscului*, *Catullus*, *Flaccus*, *Messalla*, et *Barbatus* forte.

* * *

Aciscului.

ACISCVLVS. *Caput juvenile diadematum imminente astro, crinibus per cincinnos pendentibus, pone malleus in cuspitem desinens, omnia intra coronam.*

a) Orat. de antiq. stud. p. XX. b) l. c. c) Bell. civ. L. II. c. 27.

L. VALERIVS. *Caput muliebre colligatis filo crinibus, intra coronam.* AR. R.

Eadem adversa.

L. VALERIVS. *Volucris capite virgineo galeato, cujus sinistro lateri adhaerent clypeus, et duae hastae intra coronam.* AR. R.

Eadem adversa, sed abest corona.

L. VALERIVS. *Europa tauro lente gradiente vecta utraque manu velum explicat.* AR. R.

Restitutus etiam a Trajano. (Mus. Caes.) RRRR.

ACISCVLVS. *Caput Solis radiatum, pone malleus similis.*

L. VALERIVS. *Luna in citis bigis.* AR. R.

Restitutus etiam a Trajano, sed scripto ACISCOLVS, *saltem juxta Morellii picturam.* RRRR.

ACISCVLVS. *Caput Iovis, pone malleus similis, omnia intra coronam.*

L. VALERIVS. *Mulier in duas piscium caudas desinens.* AR. R.

Protome Victoriae.

ACISCVLVS. *Malleus similis.* Quin. RR.

In omnibus his, ut videmus, numis comparet malleus, cujus una transversa pars in cuspidem abit. Glossarium vetus sic: *Acisculus* λατομος, *et Aciculum* σκαφιον, ὀρυξ. Fuit ergo instrumentum in latomiis adhiberi solitum, ipsumque adlusio ad cognomen *Acisculi*, ut in Poblicia vidimus adstitui malleolum ad indicandum *Malleoli* cognomen. Vide simile instrumentum, et ad eosdem usus in numo Damastii Epiri a). Ceterum de Valeriis cognomine Acisculi nihil proditum reliquere veteres. Ignoramus adeo, quis fuerit hic Aciscul, qui tam copiosos, et elegantes, et multiplicis argumenti numos signavit.

Denarii I. antica proponit caput Solis, at cujus sit caput muliebre partis aversae, ignoro. Havercampus caput Sibyllae statuit, sed non probat.

Denarii II. argumentum mirum, de quo copiose disputatum. Monstrum istud Vrsinus Sirenen dixit, ut et Montfauconus b), quae sententia jure repudiata est, cum Sirenum longe aliam esse formam ex Petronii Turpiliani denariis constet. Causeus illud in gemma repertum jam Chimaeram dixit c), jam amuletum d). Chimaera, nisi sensu latiore, dici nequit, amuleti vero modum vel propterea non habet, quod typus hic in moneta ipsa exstat. Spanhemius e), Vaillantius, Havercampus, Winckelmannus f) avem Stymphaliden dixere, quos aeque falli, quod tantorum virorum pace dictum sit, certus sum. Constat de Stymphalidum figura cum ex descriptione veterum, tum monumentis ipsis, quae cum avis in his denariis propositae forma nullatenus conspirant. Pausanias g) eas sic describit: *magnitudine sunt gruibus pares, similes vero ibidibus, rostrum autem validius habent, neque ita curvatum, ut ibides.* Nullum in

a) Vol. II. pag. 164. b) Diar. Ital. pag. 191. c) Gemm. ant. fig. Part. II. n. 180. d) Mus. Rom. Tom. I. tab. 46. e) Tom. I. pag. 256. f) in Stosch pierr. grav. p. 279. g) in Arcad. c. 22.

nostra volucre rostrum, merus vultus virgineus. Auctores reliqui, qui Stymphalidum meminere, nihil de facie muliebri adferunt, quod utique omnium minime dissimulandum fuerat. At neque monumenta Spanhemio, et sequacibus favent. In numo Nicaeensium cum capite Maximi Caesaris edito a Frölichio [a]), et in altero Perinthiorum cum capite Gordiani [b]) fingitur Hercules Stymphalidas telis configens. In numo Stymphali Pelleriniano luculentum est avis caput cum collo longiore. Cum rostro finguntur etiam in marmore anaglypho Herculis labores sistente, quod edidit Winckelmannus. (Mon. antichi scop. num. 65.) Nulla in omnibus his facies muliebris. Alii Harpyiam credidere, et adsentirem his, si certum esset, hoc typo mythologicum aliquod animal proponi. Sane in nonnullis prorsus conspirat cum verbis Virgilii [c]):

Virginei volucrum vultus, turpissima ventris
Proluvies, uncaeque manus, et pallida semper
Ora fame.

Tzetzes eas hoc ritu pingit [d]): *αι Αρπυιαι ἐν Θρακῃ ὠτα ἀρκτων, σωματα γυπων, προσωπα κορων ἐχουσαι*, *Harpyiae in Thracia aures ursorum, corpora vulturum, facies virginum habentes.* Hinc videmus, in Harpyiis spectato volucrum vultu mythologis convenire, quare et Hesiodus eas vocat *ἠΰκομους*, *bene comatas* [e]).

Variorum igitur eruditorum sententias si audias, habebis in hoc typo Sirenen, Chimaeram, Stymphalida, Harpyiam, amuletum, et quid non? Sed enim cum harum quamlibet verae, justaeque difficultates impugnent, avertendum a fabularum monstris animum, et typi explicatum, ut saepe alias, a symbolis petendum plane existimo. Persuadet istud gemma proposita in museo Odescalcho [f]), et apud Causeum [g]), in qua sistitur eadem volucris capite virgineo galeato cum hasta et clypeo, praeterea (sed quod abest in numis nostris) insistit ramo oleae, et Medusae capiti. Videmus ergo, in utriusque generis monumentis aliud artificibus propositum non fuisse, quam lepido quodam modo omnia Palladis attributa in unum conferre, atque, si ita loqui fas est, his quoddam Palladis tropaeum statuere. Sed cum ad noctuae caput minus apte quadrare videretur galea, eo a trunco avulso ipsius deae caput imponere placuit. En tibi alteram Minervam, non qualis e Iovis, sed artificum cerebro prosiluit. Scripseram haec, quum serius viderem, istud ipsum jam fuisse animadversum erudito Rodulphino Venuto [h]).

Denarii V. monstrum Vaillantius, et Havercampus Amphitriten adserunt: utinam vadem citassent, qui eam inferne piscem pronunciet. Hesiodus eam *εὔσφυρον*, *pulchros talos habentem* vocat. Similem figuram Spanhemius Nereiden vocat [i]). At laudati semper Nereidum pedes, ut de Thetide Ovidius [k]).

a) IV. Tent. b) Mus. Albani. c) Aen. L. III. v. 216. d) ad Cassandr. v. 653. e) Theog. v. 267. f) Tom. II. n. 30. g) Mus. Rom. l. c. h) Mus. Albani Vol. II. p. 21. i) Tom. I. p. 253. k) Epist. heroid. XX. 61.

Et Thetidi quales vix rear esse pedes.

Psamathen Hesiodus χαριεσσαν δεμας, *corpore gratioso insignem* vocat a). Simili forma, qualis in hoc numo proponitur, fuit Derceto, de qua vide dicta in numis Ascalonis Iudaeae.

Denarii reliqui obvios habent typos.

* * *

Catullus.

L. VALERIVS. CATVLLVS. III-VIR. A. A. A. F. F. in aeneis parvis sub Augusto signatis. R.

* * *

Flaccus.

Caput Palladis alatum pone X, *in aliis:* XVI.

C. VAL. C. F. FLAC. *Victoria in citis bigis*, *infra.* ROMA. AR. C.

Protome Victoriae, *pone varians litera alphabeti*, *aut minutum aliquod sigillum.*

C. VAL. FLA. IMPERAT. EX. S. C. *Aquila legionaria inter duo signa militaria*, *quorum uni inscriptum* H, *alteri* P. AR. C.

Protome Victoriae, *prae qua* X.

L. VALERI. FLACCI. *Mars stans d. hastam s. tropaeum*, *hinc apex*, *inde spica.*

Incertum, quis fuerit C. Valerius Flaccus imperator, quem prodit denarius alter, cum fuerint his nominibus plures viri illustres. C. Flaccum imperatorem nominat Cicero b). Aversam explicatam vide in gente Neria, nam utrobique eadem est, sed ex causa diversa. Nerius signa denariis suis intulit, quia quaestor fuit, cujus curae ea commissa fuere, ut in ejus numis diximus, at Valerius noster, quia imperator fuit, et talis in hoc denario dicitur. Verisimile enim est, hunc C. Valerium Flaccum conscripsisse legiones, quae ab auctore dictae sunt *Valerianae*, et quarum mentio in Luculli bello Mithridatico apud Livium c), Sallustium, et aliquoties apud Dionem, quo etiam auctore legio XX. dicta fuit *Valeria* d), et quod epitheton confirmant numi Victorini Aug.

L. Valerium Flaccum, quem denarius III. sistit, fuisse flaminem, persuadet adpositus apex. Bini memorantur Lucii Flacci flamines, vetustior flamen Martialis, et consul V. C. 623, de quo Cicero e). Alter flamen item Martialis, ut testatur idem f), qui praetor Ciceroni consuli in detegendis Catilinae insidiis praesto fuit, quemque serius Cicero oratione, quae exstat, defendit. Eruditi alii denarium hunc priori, alii posteriori tribuunt. Mallem cum Havercampo posteriorem suadente istud recentiore ejus forma.

* * *

Messalla.

MESSAL. F. *Protome Palladis galeata obverso tergo*, *s. hastam*

PATER. COS. S. C. *Sella curulis.* AR. RRR.

VOLVSVS. VALER. MESSAL. III-VIR. A. A. A. F. F. in aeneis Augusti II. formae. C.

---

a) Theog. v. 260. b) pro Quinctio c. 7. c) Epit. L. XCVIII. d) L. LV. §. 23.
e) Phil. XI. c. 8. f) de divinat. L. I. c. 46.

MESSALLA. IIIVIR. A. A. A. F. F. *conjunctus cum* GALLVS. APRONIVS. SISENNA. in aeneis III. formae sub Augusto cusis. C.

Insignis numus prior, idemque rarissimus satis per se eloquitur, ei inscriptum MESSAL*lam* F*ilium* eo ipso anno sese feriundum curasse, quo *pater consul* erat. Anno V. C. 701 fasti habent consulem M. Valerium Messallam, rursus anno 723 celebrem M. Valerium Messallam Corvinum. At disputatur, cujus consulis filius hoc denario notetur. In priorem propendet Vrsinus, in posteriorem Havercampus. Vtriusque rationes ejus momenti sunt, ut incertum denique lectorem relinquant. Sella curulis refertur ad honorem consulatus, ut in numis Sullae, et Pompeji Rufi cos.

Numus II. propter praenomen Volusi observari meretur. Diximus principio, gentem Valeriam fuisse ex Sabinis oriundam. Nimirum Valerius fuit Sabinus, qui popularibus suis propter virgines raptas irritatis, ut cum Romanis in foedus coirent, persuasit, ut testatur Plutarchus a). Eum Dionysius Halic. Ουαλεσσον Ουαλεριον vocat b). Ex hujus posteris fuisse oriundum P. Valerium cognomine Poplicolam, qui primus Romae consul fuit, eodem loco docet Plutarchus, et ab hoc derivari suae aetatis Valerios, testatur Cicero c). Videntur ergo Valerii Messallae praenomen Volusi rursum adoptasse ad jactandam generis antiquitatem. Idem Volusi nomen in agnomen cessit. Sic in fastis ad V. C. 344 legitur consul C. Valerius Potitus Volusus, et ad V. C. 758 L. Valerius Potiti F. Messalla Volusus, et ad quem verisimile est, numum, de quo agimus, pertinere. Is subinde proconsul Asiae perhibetur a Seneca d), cum trecentos una die securi percussisset, incedens inter cadavera vultu superbo proclamasse Graece: *o rem regiam! quis haec rex fecisset?*

* * *

Barbatus forte.

M. ANT. IMP. AVG. IIIVIR. R. P. C. M. BARBAT. Q. P. *Caput Antonii nudum.*

Caput et epigraphe Octaviani. AV. (Pembrock tab. XII.) RRRR. AR. C.

Appianus in haec verba e): Βαρβατιος δε ὁ Αντωνιυ ταμιας etc. quem locum corrigendum suadet Vrsinus, et restituendum ex hoc denario Βαρβατος. Verum ut Barbati Messallae ex auctoribus priscis cognoscuntur, quibus adde et Quinctios, et Horatios Barbatos ex Livio, sic etiam Barbatii, nam praeter Appianum Cicero quoque Barbatios habet f), et numus coloniae Corinthi cum capite Augusti M. Barbatium, et το BARBAT., quod in numo legitur, aeque Barbatium, quam Barbatum indicare potest. Non igitur, saltem quod ad hunc numum attinet, solicitanda Appiani lectio. Vide plura apud Havercampum p. 432. Additas literas Q. P. verisimiliter legendas Q*uaestor* P*ropraetore*, diximus alibi g).

---

a) In Poplic. sub init. b) L. II. p. 111. c) pro Flaco cap. 11. d) de ira L. II. c. 5. e) Bell. civ. L. V. c. 31. f) Phil. XIII. c. 2. g) Vol. IV. p. 248.

VALGIA.

Numus Goltzianus.

VARGVNTEIA.

De ordine non constat. Ipsa etiam gens parum memorata.

M. VARG. *Caput Palladis alatum, juxta* X.

Iupiter in lentis quadrigis s. fulmen, d. palmae ramum, in imo ROMA. AR. C.

M. VARG. in semissibus, trientibus, quadrantibus. C.

VATINIA.

Numi Goltziani.

VENTIDIA.

Gens ignobilis, ut dicetur.

M. ANT. - - - R. P. C. *Caput M. Antonii nudum barbatum.*

P. VENTIDI. PONT. IMP. *Vir nudus stans d. hastam, s. ramum.* (Mus. Caes., sed in Morelliano est: P. VENT.) AR. RRR.

P. Ventidius Bassus in Piceno natus genere humili capto a Pompejo Strabone Asculo puer adhuc in triumpho Romae circumductus postea sordido mulorum commercio vitam toleravit. A Iulio Caesare in Gallias ductus per ejus amicitiam remp. capessere coepit, factusque tribunus plebis, pontifex, et V. C. 711 eodem anno, quo praetor erat, in locum mortui Pedii suffectus consul, quod adeo non ferendum visum populo, ut vulgo per compita cantarentur versiculi, quos servavit Gellius [a]):

Concurrite omnes augures, haruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens.
Nam mulos qui fricabat, consul factus est.

At idem V. C. 715 a M. Antonio legatus in Syriam missus Labienum, qui, ut in gente Atia diximus, a Romanis palam defecit, et Orientis provincias a Parthis adjutus vexavit, vivum cepit, ac paullo post Crassi manium vindex

a) L. XV. c. 4.

Parthos ingenti clade adfecit caeso Pacoro Orodis filio, primusque de Parthis triumphavit V. C. 716 a), quam miram fortunae conversionem his versibus notavit Iuvenalis b):

Ventidius quid enim, quid Tullius? anne aliud quam
Sidus, et occulti miranda potentia fati?
Servis regna dabant, captivis fata triumphos.

Reliqua, quae ad novum hunc hominem pertinent, vide apud Dionem, Plinium, Gellium, Val. Maximum, Vellejum.

VERGINIA, vel VERGILIA.

Ad alterutram ex his referuntur numi inscripti: VER. CAR. OGVL., quos dedi in Carvilia, et Ogulnia.

VERRIA.

T. Verrius IIvir in numis Caesaraugustae, sed qui huc non pertinet.

VETTIA.

Gens antiqua: Cognomina *Iudex Sabinus*, *Bolanus*, *Niger*.

* * *

Iudex Sabinus.

SABINVS. S. C. *Caput nudum barbatum*; *juxta monogramma* TA.

T. VETTIVS. IVDEX. *Vir togatus vectus lentis bigis, s. hastam.* Sunt serrati. AR. R.

T. Vettius Iudex praetor urbanus a Pighio ad annum V. C. 695 eruitur. Sed verisimile est, denarium hunc ad vetustiorem aliquem Vettium pertinere, quod numi hi omnes serrati sunt. Praeeunte hoc numo Vrsinus, et Patinus c) contendunt, quoties apud Ciceronem, vel Suetonium ad nomen L. Vettii, qui conjurationis Catilinariae indicium fecit, additur *Index*, pro hoc reponendum *Iudex*. Audax oratio. Vettius ab his auctoribus dicitur *index*, quia revera index fuit, ut idem Cicero alibi *Nerius index* d), et multis locis aliis, atque ut ab auctoribus dicitur *Vettius index*, ita etiam *Vettii indicio* e). Deni-

a) Plut. in Anton. pag. 931. Fragm. Capitol. apud Gruter. pag. 297. b) Sat. VII. v. 199. c) ad Sueton. c. 17. in Caes. d) ad Quint. fratr. L. II. ep. 3. e) Cic. in Vatin. c. 10.

que Cicero ad Atticum L. II. ep. 24, quae tota de Vettii indiciis agit, *Vettius ille, ille noster index.* Auctorum igitur verba, quae manu medica non egent, intacta relinquenda.

Commentatores nostri nomen SABINVS, quod est in horum denariorum antica, in nominibus Vettii non agnoscunt, sed ad ipsum regis Tatii, qui Sabinus fuit, adstitutum caput referunt. At cur iidem in gente Tituria idem illud nomen eidem Tatii capiti adjectum esse cognomen Titurii admittunt, in Vettia non ferunt? Absterruerit viros eruditos, quod Vettio jam est cognomen IVDEX. Verum an non saepe Romanis praeter cognomen fuit agnomen, ut: *Cornelius Lentulus* Spinther? Praeivit sententiae meae Norisius [a]), qui mihi ex Capitolino Vettium Sabinum indicavit, tum et marmor Gruteri [b]), in quo habes: P. VETTIO. P. F. CAM. SABINO, in quibus *Sabinus* certum est cognomen. Vettius ergo dicitur Sabinus ex eadem causa, ex qua Titurius, et vero videtur simile, fuisse Vettium ex iis, qui regnante Romulo composita Romanos inter et Sabinos pace Romae restitere, quorum aliquot memoriae prodidit Dionysius Halic. [c]). Enimvero Plutarchus Sp. Vettium diserte nominat mortuo Romulo interregem, dum Numa succederet [d]).

Typum partis aversae, quia praeter conjecturas nihil adferre possum, prudens praetereo.

* * *

Bolanus.

Proconsul Asiae in numis Smyrnae, quam adi.

* * *

Niger.

Proconsul Asiae in numis Apameae Phrygiae.

VETVRIA.

Gens vetus et patricia.

TI. VET. *Caput galeatum lanugine vestitum, pone* X.

ROMA. *Vir ingeniculatus porcam tenet, quam adstantes duo milites hastati bacillis contingunt.*

Dubitatum Vrsino et Perizonio, sitne denarius hic Veturiis potius, an Vettiis tribuendus, cum monogramma VET. utrinque possit accipi. Verum cum de Vettiis non constet, eos Tiberii praenomine usos, habeamus autem Ti. Veturium Philonem flaminem [e]), gens Veturia haud dubie praeferenda. Caput anticae Havercampus censet esse Virtutis. In definienda aversa variant eruditi. Suspicatur Vrsinus, indicari foedus inter Romulum, et Tatium ictum, cui feriundo forte Veturius aliquis interfuerit, praecipue cum Veturium Mamurium ancilium opificem jam regnante Numa Romae exstitisse constet.

a) Cenot. Piss. Diss. I. c. 5. b) pag. 486. n. 7. c) Ant. L. II. p. 111. d) in Numa pag. 64. e) Pighius Annal. T. II. p. 120.

Aliis foedus Tullum Hostilium inter et Albanos initum praeplacet, at Havercampo foedus Romanorum cum sociis Italiae, quo his denique post pertinax bellum jus civitatis datum est. Quidquid erit, istud certum, typum foedus aliquod respicere. Nam ejus ritus a feciali porco saxo silice percusso peragebatur, quem liberaliter describit Livius [a]), et magis apposite ad numi hujus typum Virgilius [b]):

Post iidem inter se posito certamine reges
Armati Iovis ante aras, paterasque tenentes
Stabant, et caesa jungebant foedera porca.

Ejusdem modi ritum describit alibi Virgilius [c]). Similis typus, atque eodem sensu exstat etiam in numis Antistiae, Acerrarum Campaniae, ac praecipue in Samniticis.

Huic Veturii denario Vrsinus, et Morellius subjecerunt insignem aureum sequentem:

Capita duo imberbia in Iani morem.

ROMA. *Similis typus.* AV. RRR.

Numus idem operis elegantissimi est etiam in museo Caesareo. Cum is nihil in se contineat, quo se gentis Veturiae numum profiteretur, haud dubie eum viri praeclari propter typi similitudinem huc adegere. Verum dixi continuo, typum similem in aliis quoque numis exstare. Omitto foederis typum, qui est in aversa, de quo egi continuo, et copiosius in numis gentis Antistiae. De sola antica sunt nonnulla observanda Geminatum in hac caput Ianum plerique dixere. Non diffiteor, foederis ritum cum Iano recte posse componi. Enimvero apud Virgilium narrantem, quo pacto Latinus et Aeneas mactata sue in pacis conditiones iverint, Latinus praeter terram, mare, et fidera testatur quoque

Latonaeque genus duplex, Ianumque bifrontem [d]).

Ad quem versum ita Servius: *Rite hunc* (Ianum) *quoque invocat, quia ipse faciendis foederibus praeest. Namque postquam Romulus, et Titus Tatius in foedera convenerunt, Iano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum.* Similia alibi idem commemorat [e]). Verum late disputavi in numis gentis Fonteiae, in Romanis Ianum semper liberaliter barbatum proponi fuisse solitum, binis vero capitibus saepe restitutam inter duos populos concordiam fuisse indicatam. Accedit, non videri praeclarum hunc numum Romae fuisse signatum propter causas, quas alibi hoc ipso in volumine indicavi [f]), unde minor propensionis in Ianum causa.

---

a) L. I. c. 24. b) Aen. VIII. 639. c) Aen. XII. 169. d) Aen. XII. 198. e) ad Aen. I. 291. f) pag. 31 et 35.

VIBIA.

Gens plebeia. Cognomina in Romanis *Pansa*, *Varus*, in externis *Marsus*.

* * *

Pansa.

PANSA. *Caput Appollinis, prae quo variantes literae, vel minuta sigilla variantia.*

C. VIBIVS. C. F. *Pallas citis quadrigis vecta d., ut videtur, minutum tropaeum, s. hastam.* AR. C.

PANSA. *Pallas eodem modo vecta.*

C. VIBIVS. C. F. *Pallas eodem modo vecta.* AR. C.

C. PANSA. — C. VIBI. PANS. in assibus, in quibus *tres navium prorae.* C.

Havercampus citatos denarios C. Vibio Pansae consuli tribuit, et signatos tanta copia ad conducendos milites, quos consul ipse V. C. 711 adversus M. Antonium Mutinam duxit, apud quam urbem, etsi praelio victor, saucius ex vulneribus obiit. At saltem denarius is, quem primo loco descripsi, altius aevum postulat, nam illa aetate, cui eum Havercampus infert, vix amplius video aut alphabeti literas, aut notas arithmeticas numis insertas, quid quod et ipsum horum denariorum opus, quorum numerus est ingens, majorem haud dubie antiquitatem prodit. Tutius ergo hic denarius tribuetur C. Vibio seu patri, seu avo, cum in his numis, et quos mox proferemus, habeamus C. F. C. N. Denarius II., qui etiam est in museo Caesareo, et alibi passim, istud habet praeter morem, quod eundem offerat utrinque typum careatque eo, quo partes anticae insigniri solent. Cur in his numis exstent effigies Apollinis, et Cereris, mihi ignotum, at non Havercampo, qui perspexit, indicari honores, quibus ante consulatum insignis fuit, nimirum praetor cum esset, edidit ludos Apollinares, et aedilis curulis Ceriales. Nihil sane hac in re dixit a se alienum.

* * *

PANSA. *Caput Bacchi.*

C. VIBIVS. C. F. C. N. *Ceres vecta in draconum bigis s. ardentem taedam praefert.* In aliis: *Ceres gradiens capite spicis coronato singulis manibus singulas taedas praefert ante eam aratrum.* AR. C.

PANSA. *Caput juvenile laureatum, prae quo variantia sigilla.*

C. VIBIVS. C. F. *Ceres gradiens singulis manibus singulas taedas praefert comite porca, omnia intra lauream.* AR. C.

PANSA. *Persona Panos, pone pedum.*

C. VIBIVS. C. F. C. N. IOVIS. AXVR. *Iuppiter Axur capite imberbi, et radiato seminudus sedens d. pateram, s. hastam.* AR. R.

PANSA. *Persona Panos, hedera, et corymbis redimita.*

C. VIBIVS. C. F. *Persona Panos, prae qua tibia, vel aliud.* AR. C.

Liber et alma Ceres in denariis numero I. descriptis typos faciunt. Vtrumque numum simili ferre cultu conjun-

ctum habes etiam in Volteia. Porcam Cereri sociatam jam vidimus in numis Eleusinis Atticae, cujus causam diximus, quod animal istud propter illata agris damna Cereris gratissima victima est habitum. At quo modo illud in praesente denario Cererem placide praecedere fingitur, istud amicam potius societatem indicat, quam confirmat Plutarchus, cum refert [a]), primam fuisse suem, quae cum rostro terram finderet, arationem, ac vomeris usum docuit, quem et dictum ὑνιν adfirmat ἀπο της ὑος, *a porca*. Aegyptios quoque jacta super Nili limum semente induxisse porcorum greges, qui calcanda, fodiendaque terra semen occulerent.

IOVIS. AXVR. in denario II. novus typus. Dicitur IOVIS in nominandi casu, ut in numis Domitiani IOVIS CVSTOS. Iovis Anxuris meminit quoque Virgilius [b]):

Circaeumque jugum, queis IVPPITER ANXVRVS arvis
Praesidet.

Ad quem versum notat Servius: *circa tractum Campaniae colebatur puer Iuppiter, qui Anxurus dicebatur, quasi ἀνευ ξυρȣ, id est: sine novacula, quia barbam nunquam rasisset.* Hunc tractum Campaniae propius indicat Plinius [c]): *Terrania oppidum lingua Volscorum* Anxur *dictum.* Et Festus [d]): *Anxur vocabatur, quae nunc Terracina dicitur Volscae gentis.* Haec si vera, valeat Servii fabula, et etymon Graecum ἀνευ ξυρȣ, dicamusque, sic dictum Iovem a loco, ut Dianam ab Epheso. Denarius ipse veram nobis Iovis Axuris formam sistit, videturque per caput radiatum, et imberbe esse idem cum Apolline, seu Sole, ut Vejuppiter gentis Caesiae, et Iuppiter Heliopolitanus, de quo egimus in moneta Heliopolis Coelesyriae. De Iove, eodem cum Sole, vide etiam Macrobium [e]).

Antica denarii III. et IV. personam offert. Eam Sileni dixere eruditi, et referendam ad Liberalia a Pansa aedile celebrata existimant. At non satis in ea Silenum video. Deus hic fere recalvaster est, at personae hujus frons probe comata. Iuxta plerumque adstituitur pedum, aut organum musicum, at Silenus in uno fere suo utre acquievit. Quis vero negabit, haec omnia aptius convenire Pani contentis veterum monumentis? Fuere haec instrumenta propria non pastorum modo, sed ipsius Panos, quod manifeste docent numi Arcadum, et, quae in his sita, Megalopoleos. Apud Theocritum formosus pastor Daphnis ἀνθετο Πανι ταδε. Τȣς τρισσȣς δονακας, το λαγωβολον κ. τ. λ. *haec Pani dedicavit: tres tibias, pedum etc.* Confer quaeso horum personas denariorum cum certis Panos capitibus, quae sunt in numis Panticapaei Tauricae, atque ut in his diximus, illatum in ejus monetam hujus dei caput propter adlusionem ad urbis nomen, cujus prima syllaba illud numen enunciat, ita idem placuisse Pansae jure possum conjicere. Ad quem Pansam videantur

a) Sympos. L. IV. probl. 5. b) Aen. VII. 799. c) L. III. p. 153. d) in Anxur. e) Saturn. L. I. c. 23.

pertinere hi denarii, ad proximos numos monebo.

* * *

LIBERTATIS. *Caput muliebre laureatum.*

C. PANSA. C. F. C. N. *Roma galeata clypeis insidens d. hastae innixa, s. pede globum premit, et ab advolante Victoriola coronatur.* AR. R.

C. PANSA. *Persona Panos.*

ALBINVS. BRVTI. F. *Duae dexterae junctae caduceum sustinent.*

Iudicio Havercampi numi omnes C. Vibii Pansae hactenus citati cusi sunt a Pansa consule, et eo quidem ipso anno, quo consul fuit, nempe V. C. 711. Dixi supra, horum alios vetustioris videri fabricae, quam ut possint huic anno adcommodari. Accedit, mirum sane esse, denarios tanto numero (nam incredibilis est eorum vis) Pansae consulis unius nomine fuisse signatos, quando conlegae Hirtii, et pari potestate praediti ne unum quidem ad hunc annum habemus. Verius credam, hunc posse statui ordinem numorum Pansae. Praecedunt haud dubie ii, quos priore loco descripsi. Suadet istud cum fabrica, ut dixi, vetustior, tum simplex C. F. omisso C. N. Hi ergo ad vetustiorem quendam Pansam referendi, ac forte patrem Pansae consulis. Quos altero loco proposui, inscriptos plerosque C. F. C. N., ei lubenter tribuo, qui consul fuit, sed nullam video causam adserendi, esse eo etiam consule signatos, cum antea in aliquo ejus magistratu feriri potuerint. At binos denarios, quos tertio hoc loco proposui, in ipsum ejus consulatum cadere non inficior, cum ejus anni historiam palam eloquantur. In prioris enim antica sistitur effigies libertatis, in aversa Romae; nimirum Pansa movit arma in M. Antonium, qui, quod omnia arbitratu suo et inimica libertati agere videretur, hostis reipublicae ex S. C. dictus est. In denario altero jungitur Pansa cos. cum Albino Bruti F., quem eundem cum D. Bruto fuisse in Iuniis Brutis diximus. Fuit is eodem anno proconsul Galliae citerioris, sed a M. Antonio, qui eam provinciam per vim occupaverat, Mutinae obsessus, ab adcurrentibus deinde Hirtio et Pansa cos. relata insigni victoria, sed quae utrique consuli fatalis fuit, in libertatem adsertus. Vide historiae Rom. scriptores passim.

* * *

ΕΠΙ. Γ. ΟΥΙΒΙΟΥ. ΠΑΝΣΑ. in numis urbium Bithyniae, quem fuisse ejus proconsulem, eundemque cum illo, qui postea V. C. 711 consul fuit, diximus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

M. Vibius Pansa proconsul in numo Ephesi.

* * *

Varus.

Caput muliebre laureatum.

C. VIBIVS. VARVS. *Venus seminuda aversa stans propter columnam in speculum intuetur.* AV. (Mus. Caes.) RRRR. AR. R.

Protome Palladis d. hastam, s. clypeum.

C. VIBIVS. VARVS. *Mulier alata stans d. vestis sinum a pectore faciem versus adducit.* AV. (Mus. Caes.) RRRR.

Caput Palladis. ✠ *Hercules stans.* — *Caput Herculis barbatum laureatum.*

Ⅹ *Pallas Nicephora stans.* — *Caput Bacchi.* Ⅹ *Pantheriscus ad aram adsiliens, super qua persona, et juxta thyrsus. In omnibus eadem epigraphe.* AR. R.

Caput M. Antonii barbatum.

C. VIBIVS. VARVS. *Venus stans d. Victoriolam, s. cornucopiae.* AR. R.

Caput Octaviani nudum.

C. VIBIVS. VARVS. *Pallas Nicephora stans.* AR. R.

Quis fuerit C. Vibius Varus, obstinato veterum ad eum prodendum silentio usque modo ignoramus. Quare satis mirari non possum, eum ab Havercampo dici filium C. Vibii Pansae consulis [a]), de quo supra egimus, quin vel levissimo argumento sententiam stabiliat. Ex numis duobus postremis elucet, fuisse eum IIIIvirum monetalem, aut alio quopiam in magistratu constitutum paullo post dictatoris caedem, et initum IIIviratum, quod docet adhaerens Antonii mento barba, quam is sub IIIviratus primordia aluit, ut in hujus moneta dicetur.

Numus primus aureus ignotus Morellio in hoc metallo, et omnibus, qui praecessere, exstat in museo Caesareo, et editus etiam est a Liebeo ex museo Saxo-gothano [b]). Recte is quidem Vrsini et Vaillantii judicia corrigit, qui, quod Venus sinistra tenet, capsulam, aut bacillum seu pinxerunt, seu dixerunt. Verum hic quoque me judice fallitur, quando deam manu praeferre concham adserit. In integerrimo musei Caesarei luculentum video speculum, gratissimas Veneris ejusque discipularum delicias, ad quod illa frequenter in veterum monumentis illecebras suas explorat. Quare sic de illa Callimachus [c]):

- - - - Κυπρις δε διαυγεα χαλκον ἑλοισα
Πολλακι ταν αυταν δις μετεθηκε κομαν.

At Venus nitidum aes (speculum) *capiens*
Saepe eandem bis aliter disposuit comam.

Numum II. in solo, quod norim, museo Caesareo reperias. Esse deam Nemesin, patet ex typo non multum abludente, qui obvius est in numis Claudii Aug. inscriptis PACI. AVGVSTAE, quos vide.

Numi reliqui nihil dignum nostris studiis sufficiunt.

* * *

Marsus.

C. Vibius Marsus procos. in numis municipii Vticensis.

VILLIA.

Numus Goltzianus.

---

a) Pag. 442. b) pag. 30. c) in Pallad. v. 21.

VINICIA.

Gens plebeia

CONCORDIAE, (*in uno musei Caes. ἀρχαΐκως*: CONCORDIAI.) *Caput Concordiae laureatum.*

L. VINICI. *Victoria propere gradiens s. oblongum palmae ramum tenet, cui illigatae quatuor laureae.* AR. R.

L. VINICIVS. L. F. IIIVIR. in denariis cum capite Augusti, cujus in horum uno memoratur trib. potestas VIII., quae coepit V. C. 738, quo anno hos numos recensebimus, quorum typi in Augusti laudibus, viis munitis et honoribus Parthicis versantur. Videtur hic L. Vinicius fuisse filius Lucii, quem fasti V. C. 721 in consulibus suffectis memorant. Gens Vinicia sub Tiberio clarissima exstitit, ex qua fuit M. Vinicius, qui Iuliam Livillam Germanici filiam Tiberii neptem uxorem duxit, et cui Velleius libros suos dedicavit.

VIPSANIA.

M. Vipsanii Agrippae numos vide in moneta imperatorum.

VISELLIA.

Numus Goltzianus.

VITELLIA.

P. Vitellius procos. in numo Nicomediae cum capite Germanici, de quo egimus in prolegomenis ad numos Bithyniae.

VMMIDIA.

An patricia, an plebeia, non satis constat. Cognomen *Quadratus.*

ΕΠΙ. ΚΟΥΑΔΡΑΤΟΥ, in numis Antiochiae Syriae, quos vide.

VOCONIA.

Gens plebeia. Cognomen *Vitulus.*

Caput I. Caesaris laureatum.

Q. VOCONIVS. VITVLVS, *addito in aliis:* Q. DESIGN. S. C. *Vitulus stans.* AR. R.

DIVI. IVLI. F. *Caput Octaviani barbatulum.*

Similis aversa. AV. RR.

Typus vituli adlusionem ad nomen facit, etsi animal in denariis his propositum magis videam ad taurum accedere. Apparet, Q. Voconium fuisse IIIIvirum monetalem paullo post Caesaris violentam mortem, et talis cum esset, fuisse *Quaestorem* DESIGN*atum.* Apertius istud loquuntur numi Ti. Sempronii Gracchi addito IIIIVIR. Q. DESIG., cujus numi cum aurei quoque sint, et perinde capita cum I. Caesaris, tum Octaviani barbati praeferant, patet, utrumque una in eodem magistratu fuisse constitutum.

VOLCATIA.

Numus Goltzianus.

Alius VOLC. in museo Pembrock [a]) est Volcarum Arecomicorum Galliae.

VOLTEIA.

Incerti ordinis. Cognomen *Strabo.*

Caput Iovis.

M. VOLTEI. M. F. *Templum quatuor columnarum.* AR. R.

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum.

M. VOLTEI. M. F. *Aper Erymanthius.* AR. R.

Caput Bacchi vel Bacchae hedera et corymbis redimitum.

M. VOLTEI. M. F. *Ceres ardentes taedas praetendens in draconum bigis, pone variantia minuta sigilla.* AR. C.

Caput Palladis, (nisi forte est Martis juvenis) pone variantia minuta sigilla.

M. VOLTEI. M. F. *Cybele leonum bigis vecta, superne notae arithmeticae Graecae:* C. ΚΓ. ΚC. ΞΔ. ΟΘ. etc. AR. C.

Havercampus repudiatis omnibus eorum sententiis, qui praecessere, audacter hos denarios in tempora IIIvirorum confert, et in his a M. Volteio IIIIviro monetali laudes Iulii Caesaris extolli. Vt saepe alias, ita etiam hoc loco parum commode numorum aetatem discrevit. Cum tot suppetant denarii inde a I. Caesare, de quorum aetate certo

a) Part. III. tab. 19.

constat, velim mihi vel unum eorum genus proferat, in quo variantia haec sigilla, aut notae arithmeticae exstarent. Ex quo apparet, morem hunc jam pridem antiquatum, numosque omnes, qui ea praeferunt, remotiori aetati deberi. Quis sit hic M. Volteius, cum exigua sit hujus gentis inter veteres mentio, incertum. Typi explicationem non desiderant. Singulares sunt notae Graecae in denario postremo. Alphabeti Graeci literas in aliorum quidem denariis jam vidimus, at in nullo alio numeros Graecos.

* * *

Caput muliebre laureatum.

M. VOLTEI. M. F. *Tripus, cui serpens obvolvitur, juxta:* S. C. D. T. Sunt AR. R.

Additas has literas alii explicant: S. C. D*ie* T*ertio*, alii: D*edicato* T*ripode* Inanes conjecturae.

* * *

Strabo.

Caput Iovis, pone varians litera alphabeti.

L. VOL. L. F. STRAB. *Europa tauro vecta, pone fulmen, infra folium hederae.* Sunt serrati. AR. C.

Nihil de Volteio Strabone apud veteres reperias.

VOLVMNIA.

L. Volumnius IIvir in numis coloniae incertae cum capitibus Neronis, et Octaviae, quorum ille cultu solis, haec lunae proponitur.

VOLVSIA.

Volusius Saturninus praeses Syriae, et Africae, cujus numos vide in moneta Antiochiae Syriae, et Achullae Byzacenes.

NVMI INCERTI FAMILIARVM.

Vrsinus, Vaillantius, Morellius huic classi, quae familiarum numos complectitur, subjecere numos alios, quos *incertos* dixere, non optimo sane, ut videtur, consilio. Nam familiarum numos non alia de causa appellamus, quam quod gentis, vel familiae R. nomen sistunt. Hoc si absit, cur ad hanc seriem referantur, non video, praecipue cum fere horum omnibus alia facile, iisque propria statio possit adsignari. Sic, ut Morellii solum incertis immorer, qui id genus numos majore numero vulgavit, I. qui typos continent in familiarum numis obvios, ut: caput galeatum alatum, Dioscuros equi-

tes, Victoriam in bigis etc. cujus generis habemus denarios, quinarios, sestertios, ad eam classem pertinent, quae monetam stante rep. signatam, quam consularem dicimus, continet, quare et nos eam supra Sectione I. recensuimus. II. Ii, qui VRBS. ROMA, vel INVICTA. ROMA inscriptum habent, in saecula Constantini M., vel Gothorum Italiae regum sunt dimovendi. III. Multi sunt, qui neque familiae nomen, neque imperantis caput produnt, quos tamen ex certis indiciis constat, Augustorum aetati deberi. Horum plures descriptos videbis in numis Augusti ad annum V. C. 734, tum in moneta Galbae, et Vitellii. In nonnullis tamen id genus denariis imperium minus tuto potest definiri. IV. Qui inscribuntur ITALIA, vel literis Oscis nomine Papii Mutili, vel Vitellii, signatos credimus tempore belli socialis, et referri solent inter numos Samniticos, inter quos etiam a me describuntur.

His ergo in suas classes rite tributis vix jam supersunt, quos inter incertos familiarum reponas. Alii, qui per decurtata vocabula variis possent familiis adplicari, jam per ipsum hoc opus certae cuidam familiae probabili conjectura sunt illigati, ut denarii, in quibus T. Q. vel TI. Q. familiae Quinctiae. In aliis epigraphe barbara non quidem familiam incertam efficit, sed numum barbarum, de quo genere, quod copiosum est in hac serie, egimus alibi. Alii vitio, ut videtur, monetarii, de familia incertos nos relinquunt. Hujus generis videtur esse quinarius musei Caesarei, in quo legitur: CROT.

FINIS VOLVMINIS V.

INDICES III.

IN VOLVMEN V.

QVORVM

I. est: Cognominum.

II. Inscriptionum.

III. Rerum.

INDEX I.

COGNOMINVM.

Acisculus - Valeriae.
Agrippa - Luriae, Vipsaniae.
Ahala - Serviliae.
Ahenobarbus - Domitiae.
Albinus - Postumiae.
Antiaticus - Maeniae.
Aquinus - Caeciliae.
Asiagenes - Corneliae.
Atratinus - Semproniae.
Augurinus - Minuciae.
Aviola - Aciliae.
Bala - Aeliae.
Balbus - Aciliae, Antoniae, Attiae, Coeliae, Corneliae, Mindiae, Naeviae, Thoriae.
Barbatus forte - Valeriae.
Bassus Betilieni, Pomponiae.

X x 2

Bibulus - Calpurniae.
Blandus - Rubelliae.
Blasio - Corneliae.
Bolanus - Vettiae.
Brocchus - Furiae.
Brutus - Iuniae.
Buca - Aemiliae.
Bursio - Iuliae.
Caeicianus - Cassiae.
Caepio - Serviliae.
Caesar - Iuliae.
Caldus - Coeliae.
Calenus - Fufiae.
Calvinus - Domitiae.
Capella - Naeviae.
Capito - Fonteiae, Mariae. Oppiae.
Capitolinus - Petilliae.
Carbo - Papiriae.
Casca - Serviliae.
Cato - Porciae.
Catullus - Valeriae.
Celer - Cassiae.
Celsus - Papiae.
Censorinus - Marciae.
Cerco - Lutatiae.
Cestianus - Plaetoriae.
Cethegus - Corneliae.
Chilo, Cilo - Flaminiae.
Cicero - Tulliae.
Cinna - Corneliae.
Cocles - Horatiae.
Corbulo - Domitiae.
Cordus - Muciae.
Cornutus - Caeciliae.
Cossus - Corneliae.
Costa - Pedaniae.
Cotta - Aureliae.
Crassipes - Furiae.
Crassus - Canidiae, Liciniae.
Crispinus - Quinctiae.
Culleo - Terentiae.
Dolabella - Corneliae.
Dossenus - Rubriae.
Fabatus - Rosciae.
Faustulus - Pompeiae.
Faustus - Corneliae.
Felix - Corneliae.
Firmus - Pasidieni.
Flaccus - Pomponiae, Rutiliae, Thoriae, Valeriae.
Florus - Aquilliae.
Frugi - Calpurniae.
Gal - - - Memmiae.
Galba - Sulpiciae.
Gallus - Asiniae, Caniniae, Livineiae, Ogulniae.
Gem - - - Aburiae.
Geta - Hosidiae.
Glabrio - Aciliae.
Grac - - - Antestiae.
Graccus - Semproniae.
Hemic - - - Flaviae.
Hispaniensis - Fabiae.
Hypsaeus - Plautiae.
Italicus - Siliae.
Iudex - Vettiae.
Iunianus - Liciniae.
Labeo - Fabiae.
Labienus - Atiae.
Lacon - Attiae.
Laeca - Porciae.
Lamia - Aeliae.
Lariscolus - Accoleiae.
Lentulus - Corneliae.
Lepidus - Aemiliae.
Libo - Marciae, Scriboniae, forte et Iuniae, et Statiliae.
Licinus - Porciae.

Limetanus	Mamiliae.
Longinus	Cassiae.
Longus	Musidiae.
Lucanus	Terentiae.
Lupercus	Galliae.
Lupus	Corneliae.
Macer	Claudiae, Liciniae, Sepulliae.
Magnus	Pompeiae.
Malleolus	Publiciae.
Marcellinus	Corneliae.
Marcellus	Claudiae.
Maridianus	Cossutiae.
Marsus	Vibiae.
Maximus	Egnatiae, Fabiae.
Mensor	Farsuleiae.
Messalla	Valeriae.
Metellus	Caeciliae.
Molo	Pomponiae.
Mucianus	Liciniae.
Murcus	Statiae.
Murena	Liciniae.
Musa	Pomponiae.
Naso	Antoniae, Axiae.
Natta	Pinariae.
Nerva	Cocceiae, Liciniae, Siliae.
Nerulinus	Suilliae.
Niger	Vettiae.
Nonianus	Considiae.
Otho	Salviae.
Paetus	Aeliae, Caesenniae, Considiae.
Palicanus	Lolliae.
Pansa	Neratiae, Vibiae.
Paternus	Fabriciae.
Paullus	Aemiliae.
Philippus	Marciae.
Philus	Furiae.
Pictor	Fabiae.
Piso	Calpurniae.
Pitio	Semproniae.
Pius	Caeciliae, Pompeiae.
Plancus	Munatiae, Plautiae.
Platorinus	Sulpiciae.
Pollio	Asiniae, Mindiae.
Priscus	Tarquitiae.
Proclus	Cominiae, Sulpiciae.
Pulcher	Claudiae.
Purpureo	Furiae.
Quadratus	Vmmidiae.
Quinctilianus	Noniae.
Reginus	Antestiae.
Regulus	Livineiae.
Restio	Antiae.
Rocus	Crepereiae.
Rufus	Aureliae, Cadiae, Claudiae, Cordiae, Luciliae, Maeciae, Mesciniae, Minuciae, Pacuviae, Plotiae, Pompeiae, Pomponiae, Pupiae, Sulpiciae.
Rullus	Serviliae.
Rus	Aufidiae.
Sabinus	Minatiae, Tituriae, Vettiae.
Sabula	Cossutiae.
Salinator	Oppiae.
Saranus	Atiliae.
Saserna	Hostiliae.
Saturninus	Sentiae, Volusiae.
Scarpus	Pinariae.
Scaurus	Aemiliae, Aureliae.
Scipio	Corneliae.
Secundus	Arriae.
Sejanus	Aeliae.

Ser - - - Manliae
Silanus - Caeciliae, Iuniae.
Silianus - Liciniae.
Silus - Sergiae.
Sisenna - Corneliae.
Spinther - Corneliae.
Stolo - Liciniae.
Strabo Volteiae.
Sufenas - Noniae.
Sulla - Corneliae.
Sulpicianus - Quinctiae.
Surdinus - Naeviae.
Tampilus - Baebiae.
Taurus - Statiliae.
Thermus - Minuciae.
Torquatus - - Manliae.
Trigeminus - - Curiatiae.
Trio - - Lucretiae.
Trogus - - Mariae.
Tubulus - - Hostiliae.
Tullus - Maeciliae.
Turdus - Papiriae.
Turpilianus - Petroniae.
Vala - - Numoniae.
Varro - Terentiae.
Varus - - Planciae, Quinctiliae, Vibiae.
Vetus - Antistiae.
Vitulus - Voconiae.

INDEX II.

INSCRIPTIONVM.

A. A. A. F. F. 64.
A. C. 166.
AD. FRV. EMV. EX. S. C. 159.
AED. CVR. 222.
AED. PL. 198.
AIMILIA. REF. 126.
ALEXANDREA. 123.
ANCVS. MARCI. 245.
A. P. F. 64.
APOLLINI. ACTIO. 137.
A. PV. 64. 239. 326.
AQVA. MAR. 248.
ARG. PVB. 64. 305.
AVGVR. 195.
AΦPA. 133.
BACCHIVS. IVDAEVS. 278.
BON. EVENT. 301.
CLEMENTIAE. 130.
CLEMENTIAE. CAESARIS. 306.
CLOACIN. 258.
CONCORDIA. 129. 219. 258.
CONCORDIAI. 343.
COS. QVINQ. 170.
CVR. X. FL. EX. S. C. 64. 181.
DEI. PENATES. 139.
D. PP. 318.
D. S. S. 168. 291. 264.
EID. MAR. 274.
EMERITA. 164.
ERVC. 177.
EX. A. P. vel EX. A. PV. 64. 209. 219. 228.

F. C. 206.
FEELIX. 194.
FERON. 270.
FIDES. 233.
FLAMEN. MARTIALIS. 182.
FLORAL. PRIMVS. 308.
FOED. P. R. CVM. GABINIS. 137.
FORT. P. R. 313.
FORTVNAE. ANTIATES. 298.
F. P. R. 143.
G. P. R. 181.
G. T. A. 153. 154.
HERCVLES. MVSARVM. 283.
HIS. 175.
HISPAN. 288.
HONORI. 204.
HONORIS. 236.
A. P. 181. 261. 333.
IIIIVIR. PRI. FLA. 212.
IOVIS. AXVR. 339.
I. S. M. R. 324.
ITAL. 220. 256.
LARE. 156.
L. D. 175.
LEG. VIII. 272.
LEIBERTAS. 184.
LIBERT. 166.
LIBERTAS. 155.
LIBERTATIS. 236. 341.
MAG. IVVENT. 255.
MEMMIVS. AED. CERIALIA. PREIMVS. FECIT. 251.
M. LEPIDVS. AN. XV. PR. H. O. C. S. 123.
MONETA. 274.
MONETA. SALVTARIS. 163.
NEPT. 202.
NVMA. 160.
NVMA. POMPILI. 245. 283.
O. C. S. 143.
OSCA. 182. 203.
P. A. 64. 198.
PATER. COS. 333.
PAXS. 123.
PIETAS. 224. 230.
P. P. 218.
PR. L. V. P. F. 262.
PREIVER. CAPTVM. 275.
PRI. FL. 64.
PRO. VALETVDINE. CAESARIS. S. P. Q. R. 137.
PROVOCO. 286.
PVTAEL. SCRIBON. 301.
Q. C. M. P. I. 152.
QVIRIN. 208.
QVIRINVS. 251.
REX. ARETAS. 131. 275.
ROma. 220. 256.
ROMANO. ROMANOM. 48. seq.
ΡΩΜΗ. ΡΩΜΑΙΩΝ. 47.
SALVS. 230.
SALVTIS. 119.
S. C. D. T. 345.
SEX. NONI. PR. L. V. P. F. 261.
SIBVLLA. 244.
SICIL. 142.
SORS. 273.
TER. PAVLLVS. 130.
TRIVMPVS. 267.
TVSCVL. 318.
TVTOR. REG. 123.
VALETV. 119.
VEST. 166.
VESTALIS. 172.
VICTRIX. 286.
VIIVIR. EPVLO. 175. 208.
VIL. PVB. 201.
VIRTVS. 141

INDEX III.

RERVM.

A. varie in numis scriptum. 73.
Acisculus, instrumentum in latomiis, adlusio ad cognomen Acisculi in denariis Valeriae. 331.
Adlusio ad nomen, ejusque exempla. 90.
Adoptione nomina adoptati mutata, et quomodo. 59.
Aediles patricii, plebeii, Cereales. 198.
Aediles curules sella curuli usi, plebeii subsellio communi. 199.
Aediles ludis Cerealibus praefuere. 199.
Aedilitas famigerata Scauri. 132.
Aemilia Basilica. 126. Phrygiis columnis nobilis. *ibid.*
Aemilius Paullus Persei victor. 130. De eo triduum triumphat. *ibid.*
Aeneas Anchisen efferens. 236.
Aerarium in aede Saturni. 260.
Aes grave Romanorum. 5.
Aesculapius specie serpentis Epidauro Romam vectus. 207. 211. Ejus templum in insula Tiberina 211.
Agnomen Romanorum. 55.
Agnomina cur a Romanis adscita, et unde petita. 58.
Ahenobarbus cognomen gentis Domitiae, ejusque origo. 201.
AI. scriptum pro AE. 74.
Alae Palladi competunt. 84.
Alexander M. et Caracalla in Iani morem conjuncti. 217.
Alphabetum Latinorum habuit literas XXI. 76.
Alphabeti literae solitariae in numis familiarum, 75. eaeque partim Latini, partim Graeci, *ibid seq.* Earum varie positarum modi. 76. Aliquot familiae integrum alphabetum offerunt. *ibid.* Alphabeti literarum denariis inscriptarum causae. 77. Errores variorum in iis explicandis. *ibid.*
Ammonis caput. 196. 272.
Anagniae signata moneta Antonii IIIviri. 68.
Anci Marcii caput in denariis gentis Marciae, et cur. 246. 248.
Ancus Marcius neglecta sacra ad morem Numae revocat. 248.
Andriscus a Metello victus. 151.
Antigonus rex Iudaeae ab Antonio IIIviro securi percussus. 314.
Antium Fortunae templo celebre. 298.
Antius Restio legem sumptuariam fert. 139.
Antonius IIIvir Anagniae monetae suae officinam habuit. 68.
Anxur, vel Axur Iovis epitheton, et unde ductum. 340.
Aper in vexillis Hispanorum. 176. Ve-

nabulo transfixus. 204. Aper Erymanthius. 344.
Apollo Actius. Ejus signum. 137.
Apollinis Vejovis caput, et attributa. 156.
Apolloniae Illyrici signata moneta Romana. 68.
Apros colonia Thraciae. Ei a Sestino tributi numi. 266.
Aqua Marcia ab Anco Marcio in urbem derivata, subinde restituta. 248. Eadem in denariis Marcii Philippi. *ibid.*
Aquillius fugitivorum in Sicilia victor. 142. In bello Aristonici fontes veneno inficit. *ibid.*
Ara maxima Herculis. 139.
Archaismi in literarum forma. 73. Eorum catalogus. *ibid.* Archaismi in scribendis verbis. 74.
Archytas Tarentinus perperam ex numo captus. 290.
Aretas Arabiae rex M. Scauro supplex. 131.
Argentum signatum, factum, infectum, et quod inter haec discrimen. 41.
Argus Vlyssis canis in denariis Mamiliae. 243.
As, ejusque partes. 4. Assis nota in numis. *ibid.* Ejus varia notio. *ibid.* As primum librae pondere. 5. Sensim deminutus, ejusque deminutionis variae epochae. 6. seq. Ejus repentina deminutio impugnatur. 8.
Asses Romani diversi ab assibus urbium Italicarum. 11. Inter utrosque discrimen. *ibid.*
Asiagenes dictus L. Cornelius Scipio, et cur. 188.
Auctores, qui numos familiarum illustrarunt. 113.
Augur dictus in numis Cornuficius. 196.
Aureae monetae peregrinae magna Romae copia. 41.
Auri ad argentum ratio. 30.
Aurora in denariis Plautiae. 277. Ejus equi, et quot. *ibid.*

Bacchius Iudaeus supplex in denariis Plautiae. 278.
Bacchus. Ejus caput in denariis Cassiae. 167. Sagittis armatus. 180. coronatur a Pallade. *ibid.*
Balaustium in denariis Serviliae. 311.
Barbam magnam habuere vetustiores Romani. 246.
Basilica. Vide *Aemilia.*
Bidental quid? 302.
Bigati numi. 19.
Bilanx capiti muliebri adstituta. 135.
Bocchus Numidiae rex in denariis Fausti Sullae filii 193. Victoriae signa in Sullae gratiam in Capitolio dedicat. 193.
Bonus Eventus in denariis Scriboniae. 303. Idem cum Felicitate, et Αυτοματια. *ibid.* Ejus imagines jam hoc, jam illo sexu. *ibid.*
Bos currens, infra quem serpens. 47.
Bucephalus quanti emptus a Philippo. 26.
Bullae a pueris nobilibus gestatae origo, et usus. 123.
Buteo, accipitris genus, et cognomen Fabiae, et cur. 137.

C literae cum G, et Graecorum Γ adfinitas. 74.
Calpus Numae filius auctor generis Calpurniorum. 160.
Camelus Arabum vectura. 132. effictus

in denariis Aemiliae, 131. et Plautiae. 278.
Camillus Iunoni Monetae templum statuit. 163.
Canes Laribus adstituti, et cur. 157.
Canis ex prora prospectans in annulo Galbae. 136.
Capita partis anticae. 80. Ea distinguendi non raro difficultas. 81. Eorum descriptio, et catalogus. *ibid.*
Capita regum domesticorum, et exterorum. 83.
Capita virorum illustrium, quamdiu vixere, inferre numis vetitum. 83. 329.
Capitum in Iani morem junctorum copiosa exempla. 216. Qui hujus monstri auctores? *ibid.* Quae ejus significatio? *ibid. seq.*
Capra Vejovis victima. 219.
Casca primum Iul. Caesari ictum tulit. 307.
CASSEI*us* scriptum pro CASSI*us*. 75.
Cassius Longinus judex severus. 166. Dictus propterea reorum scopulus. *ibid.* Ejus dictum solenne: *cui bono? ibid.*
Cato Floralibus interest, mox discedit. 310.
Centauri cum Hercule pugna. 47. Centauri Herculis jugales. 147.
Ceres in draconum bigis. 339. 344. gradiens comite porca. 339. cum taedis adstituto aratro. *ibid.*
Cerialium auctor Memmius. 252.
Chronologia numorum familiarum. 111.
Cicer pro Cicerone positum. 90.
Ciceronis numus cistophorus Laodiceae Phrygiae cusus. 327. Ejus numi alii cum epigraphe Magnesiae Sipyli dubiae fidei. 327. Eorum historia. *ibid. seq.*
Ciceronis protome marmorea Romae in aedibus Mathaeorum. De ea judicium. 330.
Cicero poculo dedicando cicer insculpsit. 136. In ejus villa fontes oculis salubres scaturiunt. 138.
Ciconia attributum Pietatis, et cur. 153.
Cingulum in Piceno condit Labienus. 145.
Circe gentis Mamiliae auctor. 242.
Civis servati typus. 255.
Claudiae feminae a praeclaris factis inclytae. 173.
Clementiae caput in clypeo. 131.
Cocles Horatius victor hostium, et fluminis. 225.
Coelestis deae simulacrum in numis Scipionis. 154.
Cognomen Romanorum. 55. Cognomina cur a Romanis adscita. 58. Vnde illa ducta. *ibid.*
Comitii forma in denariis Hostilii, 226, Mussidii, 258, Siliae, 313. Dictum etiam ovile. 258.
Compendia scripturae in numis familiarum. 71.
Consulatus homini non Italo delati primum in Balbo exemplum. 179.
Cornelia uxor Paulli Lepidi. 128. Filia Scriboniae, soror Iuliae Augusti filiae. *ibid.*
Cossus Cornelius Larti Tolumnio spolia detrahit, et Iovi Feretrio offert. 186.
Crocodilus in numis Canidiae. 161.
Cui bono, dictum Cassio judici familiare. 166.
Cupido delphino vectus, 178. 239. saltans, 179. in hirco equitans. 219. Frequens in numis Egnatiae. 204.
Curatores denariorum flandorum. 64.

Curiatii Tergemini. 199.
Cybele in leonum bigis. 169. 344.

Decusses numi. 13.
Denarius numus argenteus. 18. Causa nominis. *ibid.* Ejus pondus. *ibid.* Comparatus cum drachma Attica. *ibid. et* 22. Ejus in numis notae, 19. typi *ibid.* Denarius nonnunquam scripsere auctores pro drachma. 39.
Desultores in denariis Marcii Censorini. 246. Vnde sic vocati. *ibid.* Pileo conico tecti, et cur. 247. Fuere symbolum Dioscurorum. *ibid.*
Dianae caput in denariis Planciae. 275.
Diana comite cane in denariis Postumiae. 288. cum apro. 225. in bigis cervorum. 120. Diana Ephesia in denariis Lentuli. 182.
Diana Sullae in somnis visa. 121.
Dianae templum in Aventino, et sacrificia. 288.
Dioscuri in argenteis vetustissimis. 42. in diversum equitantes in denariis Serviliae, quo sensu? 311. equos ad fontem potant, nuncii victoriae ad lacum Regillensem. 287. Iidem cum dis Penatibus. 319. Eorum felix apparitio. 287.
Domitii Ahenobarbi varia in bellis civilibus fortuna. 202. Neronis abavus. *ibid.*
Dromas in numis Lollii. 237.
Dupondii numi. 14.

EI scriptum pro I. 75.
Elephanti in numis Metellorum testes victoriae de Asdrubale captis eorum CXX. 151. Elephanti loricati. 153.
Elephanti rictu tectum caput symbolum Africae. 154. 195.
Emerita in denariis Carisiae. 164. Nomen traxit ab emeritis militibus ab Augusto in hanc urbem traductis. *ibid.*
Epaphroditus dicitur Sulla. 190. 194. Quae hujus vocabuli significatio. 194.
Epigraphes modus in scribendis familiarum nominibus in harum numis. 70.
Equus Marti et soli sacer. 49. Equi transvectio. 232. Equis Romanorum injecta stragula. 146.
Eumolpus Herculem lyra canere docet. 284.
Europa tauro vecta. 345.

Fabius Salutis aedem pingit, et inde Pictoris cognomen tulit. 209.
Fabius Labeo in Creta rem bene gerit. 208.
Fabricius pons. 210.
Familia quid significet. 55.
Familiarum numi. Eorum chronologia. 111.
Fasces cum securi in numis Canidiae. 161.
Faustulus pastor cum geminis in denariis Pompeiae. 280.
Febris pro numine culta. 86. 87.
Felicis nomen sibi imponit Sulla, et cur. 193.
Felicitatis inauditae exemplum in Metello. 151.
Feronia Sabinorum dea. 271.
Fidei caput. 233.
Flamen Quirinalis. 208. 209.
Flora dea, quae ejus origo. 309. Ejus caput. 172. Ejus Romae cultus, et festa. 309.
Floralia ludi. 308. qui primus ea fecerit. 309. Intermissa, et renovata. *ibid.* Bis celebrata. *ibid.* In his licentia. 310.

Flos in numis Aquillii Flori. 143.
Foederis ineündi ritus et typus, 137. 310. 337. etiam in nùmis non Romanis. 34. Foederibus praeest Ianus. 217.
Fonteii a Fonto Iani filio oriundi. 214. Tusculo Romam profecti. 218.
Fonteii Capitonis character. 220.
Fontes in bello veneno inficit Aquillius. 142.
Fontus Iani filius. 214. Ab hoc gens Fonteia. *ibid.*
Fortitudo Romanis dea non fuit. 143.
Fortunae frequens Romae cultus. 313. Ei omnia se debere profitetur Sulla. 193.
Fortunae Antiates in denariis Rustiae. 298.
Frater pius parentem effert in denariis Herennii. 224.
Fulminum procurationem Numam docet Iuppiter. 302. Ea condendi ritus *ibid.*

G varie in numis scriptum. 74.
Galba a Tiberii avaritia fraude circumventus. 26.
Galea regum Macedoniae cum cornibus hircinis in denariis Marciae. 249.
Genii in numis familiarum. 85. Geniorum varia distributio, et natura. *ibid.* Genii tam virtutes, quam vitia, et mala. 86. Genii regionum, urbium, populorum. 87. Genii mali. 88. Genii deorum instar Cupidinis efficti. 219.
Genius populi Romani. 87. 181. 183. Ejus Romae templum. 181.
Gens. Inter hanc, et familiam discrimen. 55.
Gigas a Iove fulmine percussus. 189.
Globuli unciarum notae. 4. Insident etiam numos extra urbem signatos. 13. Saepe juxta literas solitarias positi. 77.
Graculus forte in numo Antestii. 136.
Gryphus in denariis Papiae. 267.

H aspirata antiquitus exclusa. 75. 171.
Harpyiarum forma. 332.
Havercampus (Sigebertus). De ejus commentariis in numos familiarum judicium. 114. Ejus ad conjecturas propensio perstringitur. 80.
Hercules Victor, seu triumphalis, sic dictus ob caesum Cacum. 139. In bigis Centaurorum. 147. Leonem suffocans. 279. Cum apro suo. 344. Ejus cum Centauro pugna. 47. Ejus insignes Tibure honores. 178.
Hercules Musarum in denariis Pomponiae. 283. Ejus aedes a Fulvio Nobiliore Romae erecta. *ibid.* Lyra canit. 284.
Hereditas instar assis. 5.
Hermae bicipites. 217.
Hermeracles in numis Rubriae. 296.
Hirco inequitans vir pileo Phrygio tectus in denario Cornelii Cethegi. 180. Puer alatus in Fonteia. 219. Hircorum bigae in denariis Reniae. 291.
Hispaniae caput in denariis Postumiae. 288.
Honoris caput. 204. 236. Ejus et Virtutis aedem statuit Marcellus, 256. alteram C. Marius. *ibid.*
Horatii Tergemini. 199.

Ianiculum a Iano conditum. 215.
Ianus universi temporis praeses. 215. faciendis foederibus praeest. 338. Ianiculi conditor. 215. Ejus caput in

assibus, et cur. 14. Aes primus signavit. *ibid.* Quo cultu a Romanis effictus. 215. Caput semper barbatum. 216. Cur biceps. *ibid.* Additam habet lunulam, vel palos, et cur. 215. Iani caput in numis etiam externis. *ibid.* Iani filius Fontus, unde Fonteii. 214.

Imperator iterum Sulla ex eodem bello dictus. 191.

Impietatis et Nequitiae ara. 87.

Index in Cicerone nequaquam in *Iudex* corrigendum. 336.

Iugurtha vinctus Sullae traditus in numis et in annulo. 193.

Iuno Moneta, cur sic dicta. 163.

Iuno Sispita. Ejus cognominis etymologia. 293. ubi culta. *ibid.* Ejus forma, et cultus externus. 294. Ejus colendae ritus. *ibid.* Cultus in urbem admissus. 295.

Iuno Sispita in denariis Cornuficiae, 195. Mettiae, 253. Papiae, 267. Prociliae, 289. Rosciae, 292. Thoriae, 324.

Iuppiter triumphator. 221. Gigantem fulminans. 189. Eleutherius, et Hellenius in denariis Lentuli. 182. Axur cum suis attributis in denariis Vibiae. 339. Iovis caput imberbe in numis Cassiae. 167. Iovi Feretrio Marcellus spolia opima offert. 171. iterum Cornelius Cossus. 186. Iovi Ορκιω in Olympicis sacrificant athletae. 138.

K scriptum pro C. 75.

L. varie in numis scriptum, praecipue cum numeri vice ponitur. 74.

Labienus Cinguli conditor. 145. Ejus filius ad Parthos transit, et provincias Romanas infestat. *ibid.* se Parthicum imperatorem appellat. *ibid.* a Ventidio vincitur. 146.

Lar Tolumnius a Cornelio Cosso in acie caesus. 186.

Lares in denariis Caesiae. 156. Eorum natura, et munus. 157.

Larices, in has mutatae Phaethontis sorores. 118.

Lavinium ab Aenea conditum, et quae ejus causa. 321. Saepe a scriptoribus cum Lanuvio permutatum. 267. *seq.* 293.

Lectisternium in denariis Coelii Caldi 176.

Lentulus Spinther pater pontificatum maximum Iul. Caesaris ambit. 184. Consul Ciceronis exulis reditum impense urget. *ibid.* Ejus in bello civili varia fortuna. *ibid.*

Lentulus Spinther filius se inter Caesaris percussores falso jactat. 184. 185.

Leo cervum depascens. 204. In annulo Pompeji M. 195.

Lepidi annorum XV. pueri nobile belli factum. 123.

Lepidus Ptolemaei regis tutor. 123.

Lex Papia in denariis Papiae. 268. Lex Porcia de provocatione in denariis Porciae. 286. Lex sumptuaria lata ab Antio Restione. 139. Lex tabellaria Cassii. 166. Eadem a Coelio Caldo ampliata. 175.

Libella numus argenteus. 17.

Libertatis caput. 184. 212. 236. 341.

Librae Romanae pondus. 6.

Licinius Nerva Pseudo-persei victor. 233.

Literae solitariae. Vide *Alphabetum.*

Lucullea pecunia. 191.

Lucullus auctor monetae Lucculeae. 69.

Ludi Apollinares celebrati causa victo-

riae. 159. Indicantur in denariis Calpurnii, et cur. 158.
Ludorum saecularium mentio in denariis Sanquiniae. 299.
Ludorum votivorum auctor Nonius. 262.
Lupae et aquilae pugna in denariis Papiae. 267.
Lupus Marti sacer, et cur. 300.

Magistratus in numis familiarum. 60. Sacri, et profani, eorumque catalogus. *ibid.*
Magnesiae ad Sipylum numi cum capite Ciceronis dubiae fidei. 327.
Malleolus in denariis Pobliciae cum adlusione ad cognomen Malleoli. 279.
Mamilia gens ab Vlysse et Circe oriunda. 242.
Manlius victo Gallo torquem detrahit. 244. Vnde Manlii Torquati. *ibid.* Filium victorem securi percutit. 245.
Manlii domus in officinam monetae mutata. 163.
Marcellus Virdomarum Gallorum ducem singulari certamine vincit. 170. Spolia opima Iovi Feretrio offert. 171. Ipse consul quinquies. *ibid.* Syracusas capit. *ibid.*
Marcia gens a Numa et Anco ducta. 246. 248.
Marcius vates ludorum Apollinarium suasor. 159.
Mars tropaeophorus in quadrigis. 220. 288.
Marti sacer equus. 49. Ejus cum lupo nexus. 300.
Medusae caput. 197.
Mercurius cum lyra in numo Papiae. 267.
Mercurius in denario Mamiliae, et cur. 242. Maritus Penelopes. *ibid.*
Metellus felix sine aemulo. 151.
Metellus Palladium ex flammis eripit. 152.
Minucius prava Sp. Melii consilia senatui indicat. 254. Ideo statua illi posita, et haec numis inserta. *ibid.*
Mnemosyne Musarum mater in denariis Pomponiae. 285.
Monetae caput in denario Plaetoriae. 274.
Moneta Iunonis cognomen. 163.
Monetae Romanae antiquitas. 2. Moneta Romana antiquissima quibus fuerit notis insignis. *ibid.* Antiquissima ex aere fuit. 3. Monetae aeneae characteres. 9 *seq.*
Moneta argentea Romana quando feriri coepta 16. Ejus partes. 17.
Moneta aurea quando feriri coepta. 28. Moneta aurea non videtur Romae constanter et certa quadam lege fuisse signata. 37. 67.
Monetae aureae et argenteae jus penes Augustos, aeneae penes senatum. 64.
Monetae signandae negotium ad quos pertinuerit. 65.
Moneta Romana etiam nonnunquam extra urbem signata. 68.
Monetae Iul. Caesar servos praeficit. 62.

Alia ad monetam pertinentia vide sub Numi.

Monetariorum instrumenta in denariis Carisiae. 163.
Monogrammata in numis familiarum, eorumque catalogus. 72.
Morellius (Andreas). De ejus iconismis familiarum judicium. 114.
Mucius insignis architectus. 256.
Mus in denariis Quinctiae. 291.

Musarum chorus in denariis Pomponiae. 284. Earum cultus, et attributa. *ibid.* Earum Romae aedes communis cum Hercule Musageta. 283.

N scriptum pro Numus. 26.
Navis in assibus, ejusque causa. 14.
Nauzei doctrina de monetae Romanorum aureae variis epochis. 30. In examen vocatur. 33.
Nemesis stans in denariis Vibiae. 342.
Neptunus hippocampis vectus. 197. Ejus templum in numis Domitiae. 202.
Nereidum forma. 332.
Nomina Romanorum. 55. Nomina gentilia in IVS exeunt. 57. Nomina per adoptionem quomodo formata. 59.
Nonius ludorum votivorum auctor. 262.
Notae in assibus, eorumque partibus. 12. Notae arithmeticae. 78.
Numa pecuniae Romanae auctor. 2. Ab eo profecti Calpurnii. 160. Ejus caput in numis Marcii Censorini, et cur. 246. item gentis Pomponiae. 283. Ab ejus filio Pompone Pomponii genus ducunt. *ibid.*
Numerius praenomen uni genti Fabiae proprium. 57. 209.
Numi aenei consulares qui antiquissimi. 9 *seq.* An horum aliqui inde a Servio supersint? 10. Eorum forma rotunda, ovalis, quadrilatera. 11. Antiquissimi aenei an fusi? *ibid.*
Numi aenei pro vario pondere varios fixosque habent typos. 11. *seq.*
Numi serrati. 94. Quae eorum sic formandorum causa. *ibid.* Eorum catalogus, 95. aetas. 96.
Numi quadrilateri. 11.
Numi familiarum. Eorum utilitas, 53. in quo deficiant. 54.
Numus aureus καταχρηστικως etiam vocatus denarius. 29. Ejus pondus. 29. 30. Valuit denarios XXV. 29. Tres aurei Martialis explicantur. 29.
Alia ad numos pertinentia vide etiam sub Moneta.

O scriptum pro AV. 75.
Oceanis Oceani filia forte in denariis Iuliae. 228.
OI pro OE. 75.
Oleae ramus pacis symbolum. 132. Ex eo pendentes vittae. *ibid.*
Orestes Apollini supplex cum ramo oleae. 132.
Oscae Hispaniae signati denarii Lentuli et Domitii. 69. 182. 203. Non tamen eorum nomine intelligendum argentum Oscensae. 183.
OV scriptum pro OE. 75.
Ovile dictum comitium. 258.

P vario modo scriptum. 74.
Pagurus cum papilione. 204.
Pali Iani capiti additi, et cur. 215.
Palladium a Metello ex flammis servatum. 152.
Pallas Nicephora in numis Clovii. 173. Bacchum coronans. 180. Ejus caput galeatum alatum in numis tam consularibus, quam familiarum diu controversum. 84. Eam alis usam exemplis probatur, *ibid.* ac tum est Minerva Victoria. *ibid.* Ejus attributa in denariis Cordiae. 178. Ejus omnia attributa lepide in unum collecta. 332.
Pallor in denariis Hostiliae. 226. Ejus numinis origo, et munus. *ibid.*
Pan magnus Mercurii et Penelopes filius 242. Panos persona. 339. 340.
Panicos terrores avertit deus Pavor. 226.

Pantheon in denariis Iuliae, 228. et Plaetoriae. 274.
Papilio cum paguro, ejusque incerta significatio. 204.
Patres, et avi numis inscripti. 59.
Pavor in denariis Hostilii, ejusque origo. 226. Panicos terrores avertit. *ibid.*
Pecudes in antiquissima Romanorum moneta signatae. 2 *seq.* Impugnatur. 10.
Pecunia unde dicta. 2.
Pegasus. 197.
Penates dii unde ducti. 319. Eorum origo, vis, munus. *ibid.* Varia nomina. 320. Iidem cum Dioscuris, et Cabiris. 319 *seq.* Eorum forma, et simulacra. 319. 321. Eorum doctrina valde confusa. 320. Penatium magna Romae religio. 321.
Perseus Macedoniae rex captivus in numis Paulli. 130.
Persona Fauni, vel potius Sileni in denariis Iunii. 231. Panos, 339. 40. Persona Gorgonea in denariis Plautiae. 277.
Pes mensura instar assis. 4.
Pes crassus humanus adlusio ad nomen Crassipedis. 222.
Phaethontis sorores in larices mutatae. 118.
Philippei aurei copiosi Romae. 41.
Philippi V. Macedoniae regis caput in denariis Marcii Philippi. 249. Tectum galea cum cornibus hircinis. *ibid.*
Pictor cognomen Fabii, quia Salutis aedem pinxit. 209.
Pietatis caput. 153. 224. 230. Ejus symbolum fratres pii. 224.
Pius dictus Q. Caecilius Metellus, et cur. 152.
Plautius apud Ovidium esse legendum, non Cautius, aut aliter, numis stabilitur. 277.
Plinii narratio de numo Victoriato impugnatur. 20.
Pompejus. (Cn.) Ejus laudes. 280. Quo tempore Magni cognomen sit adeptus. *ibid.* Illud genti Pompeiae aufert Caligula, restituit Claudius. *ibid.* Ejus annulo tria tropaea insculpta. 194. item leo. 195.
Pompo Numae filius, a quo Pomponii. 283.
Pondo, ejusque composita. 5 *seq.*
Pons Aemilius. 127. Fabricius. 210.
Pontifici maximo permissum non fuit Italia egredi. 124.
Porca Cereri et frugibus amica et inimica. 340. Inter foederis caerimonias immolata. 138.
Postumius victoria ad lacum Regillensem clarus. 287.
Praeco ludorum saecularium in denariis Sanquiniae. 300.
Praenomen Romanorum, ejusque usus. 55. 56.
Privernum a Plautio captum. 275.
Provocantis civis Romani imago in denariis Porciae. 286.
Pseudoperseum vincit Licinius Nerva. 233.
Pseudophilippum vincit Metellus. 151.
Ptolemaeus rex filio tutorem populum Romanum testamento constituit. 123.
Purpura ex concharum genere, ex qua purpura confici solita. 222. Eadem in numis ad cognomen Purpureonis adludit. *ibid.*
Puteal quid. 301. Puteal Scribonii in denariis Paulli Lepidi, et cur. 130.

Q saepe positum pro C. 75. 265.
Quadrans numus, ejusque typi. 16.
Quaestores in provinciis signavere monetam. 69. Vrbani signa militaria in aerario servabant. 260.
Quatuorviri monetales. Vide *Triumviri.*
Quinarias numus argenteus. 20. Causa nominis. *ibid.* Ejus in numis notae. *ibid.* Ejus typi in antiquissimis. *ibid.* Serius Victoriam pro typo habent, atque inde dicti Victoriati. *ibid.*
Quincunx numus. 15. Quincunces numi rarissimi. 48.
Quinquatrus minores institutae, et qua occasione. 276.
Quirini caput in denariis Memmiae. 251.
QVM pro CVM. 138.

REN. Ejus significatio in numo Hadriani. 102.
Renones male a nonnullis in denariis Reniae visi, qui re ipsa hirci sunt. 292.
Reorum scopulus propter judiciorum severitatem dictus Cassius. 166.
REST. RESTITVIT. Ejus significatio. 103.
Restitutionum numi. 97. Variae de his sententiae. 106. Qui imperatores in numis dicti restitutores? 98. Horum numorum catalogus. *ibid.*
ROMA saepe familiarum numis inscriptum, 70. etiam in monogrammate. 72. Idem nomen etiam monetae peregrinae nonnunquam inscriptum. 34. 44. Romae signum in numo consulari. 43. Romae vetusta acta Gallorum Senonum bello interiere. 89.
Roscius comoedus. Prodigium illi immissum. 293.
Rostra in denariis Lolliae. 236.

Sabinarum raptus in denariis Tituriae. 326.
Sacerdotium idem duos ex una gente eodem tempore habere permissum non fuit. 184.
Sagittae Baccho tributae. 180.
Salutio Cornelius a Iul. Caesare per ludibrium in Africa dictus imperator. 152.
Salutis caput. 119. 230. Ejus aedem vovet Iunius Bubulcus. 230.
Saturnus praeses agriculturae. 159. In denariis Sentiae adlusio ad cognomen Saturnini. 305. Ejus caput in denariis Pisonis et Caepionis, 159. Neriae, 260. Noniae. 261. In ejus aede aerarium, et signa militaria. 260.
Scaurus Aretam Arabiae regem ad pacem compellit. 131. Scauri aedilitas ludorum magnificentia nobilis. 132.
Scipio Metellus summus in Africa adversus Iul. Caesarem imperator. 152.
Scrofa cum triginta suculis Lavinii condendi causa. 321.
Scuta Macedonica victoriam de Pseudophilippo testantur. 152.
Sella curulis. 237. Inter hanc, et subsellia communia discrimen. 317. Sella curulis inter fasces, et secures. 222. Eadem cum fascibus sine securibus. 235.
Sembella numus argenteus. 17.
Semis numus aeneus, ejusque typi. 15.
Septem triones in denariis Lucretiae. 239.

Sergius fortitudinis prodigium. 306.
Serpens Aesculapii. 211. ovo implexus. 207. Iunoni Sispitae sacer. 294.
Servius rex pecuniae Romanae auctor. 2.
Servius praenomen gentis Sulpiciae. 318.
Sestertius numus argenteus. 23. Causa nominis. *ibid.* Ejus notae, *ibid.* typi, *ibid.* Romanorum in sestertiis numerandi modus, *ibid. seq.* Sestertius nomen adjectivum. 25. Sestertii valor comparate ad monetam hodiernam. 27.
Sestii in Brutum etiam mortuum adfectus non dissimulatus. 312.
Sextans numus, ejusque typi. 16.
Sextarius instar assis. 5.
Sibyllae caput in denario Manlii. 245.
Sigilla solitaria. 91.
Siglae in numis familiarum, earumque catalogus. 71.
Signa militaria in quaestorum custodia. 260.
Silenus in denariis Marcii Censorini. 247.
Siren in numis Petroniae. 271. Sirenum forma, et numerus. *ibid.*
Sol in quadrigis. 244. Soli sacer equus. 49. Ejus caput in denariis Coelii Caldi cum adlusione ad nomina. 176.
Sors dea in denariis Plaetoriae. 274.
Sphinx in denario Carisiae. 164. Sphinge Augustus libellos signat. *ibid.*
Spolia opima in denario Claudii Marcelli, 171. et Cossi Lentuli. 185.
Statua inaurata Sullae posita. 191.
Stolo cognomen gentis Liciniae, et unde. 234.
Stymphalidum forma. 332.
Subsellia communia. Eorum forma, et usus. 317.
Suffragiorum per tabellas auctor Cassius. 166.
Sullae ingentes spiritus ex ipso vultu cogniti. 191. Felix dicitur, et cur. 193. Nihil sibi, omnia Fortunae accepta refert. 193. Filium propterea Faustum, filiam Faustam appellat. *ibid.* Veneri Victrici devotus. 190. Ab ea se Epaphroditum vocat. *ibid.* Secundum quietem a Diana monitus, 121. ac propterea ejus in Dianam gratus animus. 122. Per Lucullum monetam in Peloponneso signat. 69. Eum inter, ac Marium inimicitiae, ejusque causae. 193. Sullae annulo tria tropaea insculpta. 194.
Sulpicii dicti a sue specta. 320.

Tarpeia virgo a Sabinis clypeorum injectu exstincta. 270. 326.
Tarquinii Prisci filius puer in praelio strenuus. 123.
Tatii Sabinorum regis caput in denariis Tituriae. 326.
Taurus irruens adlusio ad nomen Thorii. 324.
Telegonus Vlyssis filius Tusculum condit. 242. ex Mamilia auctor gentis Mamiliae. *ibid.*
Termini dei signum. 160.
Teruncius numus argenteus. 17.
Thensarum forma. 296.
Theophanes Mytilenaeus Corn. Balbum adoptat. 179.
Thorii Balbi mirum, et insolens ingenium. 324.
Tibicinum Roma exulum, reducumque argumentum in denariis Plautiae. 276.
Timor a Spartanis consecratus. 87.
Torquis Torquatorum decus, et gestamen. 230. Ejus causa. 244.
Trajanus pecuniam evanidam conflat. 109.

Tribunorum pl. auctoritas a Lollio restituta. 236.
Triens numus, ejusque typi. 15.
Tripondii numi. 14.
Triquetra Siciliae symbolum. 134. 171. Eadem cum inserto Medusae capite. 143. 182.
Triumphi caput in denario Papiae. 267.
Triumphus Paulli de Perseo, ejusque magnificentia. 130.
Triumviri monetales quando Romae instituti. 61. Ciceronis de his jocus. *ibid.* Quando pro IIIviris constituti IIIIviri monetales. 62. Inter XX. viros habiti. *ibid.* inde adlecti in curiam. 63. Quamdiu hic IIIviratus duraverit. *ibid.* Qua ratione notari in numis consueverit. 64. Triumviri monetales etiam dicti curatores denariorum flandorum. 64. IIIvirorum et IIIIvirorum monetalium stante rep. catalogus. 64. 65. IIIviros monetales restituit Augustus. 62. IIIvirorum monetalium nomina quando inscribi numis desiverint. 64.
Tropaea in numis Sullae. 190. Tropaea tria Pompeii M. annullo insculpta. 194. item Sullae. *ibid.*
Tusculum a Telegono conditum. 242. Ejus imago in denario Sulpiciae. 318. In ea urbe Dioscurorum cultus. 319.
Typi in numis familiarum in genere. 79. Typi permutati, eorumque specimina. 92. Typi laudum domesticarum in numis familiarum. 88.

V scriptum pro Y. 75.
V simplex pro duplice. 213. 265.
V literae forma aberrans. 74.
V inscriptum tabellae in denariis Cassiae, ejusque significatio. 167.
Vaillantius. De ejus commentariis in numos familiarum judicium. 114. In conjecturis nimius. 80.
Valerianae legiones. 333.
Valerius Messalla in Asiae proconsulatu arroganter crudelis. 334.
Valetudo a Romanis dea habita. 119. Ejus signum. *ibid.*
Valli Romani forma in denario Numoniae. 263.
Vanitas Romanorum in jactanda generis sui antiquitate. 88. *seq.*
Varroni Terentio uni viventi ab Asinio Pollione in bibliotheca statua posita. 333.
Vejuppiter in denariis Fonteii, 218, et Liciniae. 233. Ejus caput, et attributa. 156. 165.
Ventidii singulare fatum. 335.
Venus Anadyomene in numis credita. 198. Venus Erycina magno Romanis in honore. 177. Venus in bigis Cupidinum. 228. Venus gentis Iuliae auctor. *ibid.* Sullae adsistit. 190. in speculum intuens. 341.
Venustus idem, quod ἐπαφρόδιτος, seu felix, faustus, et unde. 194.
Verua, seu adminicula ad sustentandum statuarum pondus. 249.
Vestae caput, et templum in denariis Cassiae. 166. 167.
Vestalis Claudia in denario Clodii. 172.
Vestales redintegrato judicio condemnantur. 166.
Victoriae Virginis aedes a Catone dedicata. 286.
Victoriae signa a Boccho in Sullae gratiam in Capitolio dedicata. 193.
Victoriatus numus idem cum quinario. 20. Causa nominis. *ibid.*
Villae in urbe variae, earumque usus. 201.

Virdomarus Gallorum dux a Marcello in acie caesus. 170.

Virgo Lanuvina Sispitae serpentem pascens. 294.

Vlysses ex Circe pater Telegoni. 242. Auctor gentis Mamiliae. *ibid.* In patriam redux mendici habitu in denariis Mamiliae. 243.

Vncia numus aeneus, ejusque typi. 16.

Vocales geminatae pro simplicibus, et vicissim. 75.

Vola manus in denariis Pinarii Scarpi. 273.


Vrna ad excipiendas suffragiorum tabellas in denariis Cassii. 166.

Vrsinus (Fulvius). De ejus commentariis in numos familiarum judicium. 113.

Vulcani caput. 47. 147, 168. Vulcanus junctus cum Laribus, et cur. 157.

XS scriptum pro X solo. 75.

ad Vol. V. p. 72.


Monogrammata.
Archaismi.
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
CRT
A
G
L
P
V

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE
IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS II.

DE MONETA ROMANORVM.

VOLVMEN VI.

CONTINENS

NVMOS IMPERATORIOS A IVLIO CAESARE VSQVE AD HADRIANVM
EIVSQVE FAMILIAM.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXVIII.

PRAEFATIO.

Rem monetariam imperii Romani explicare aggredior, quo nullum hactenus orbis vidit augustius, nullum famae magis porrectae, et quadam nominis superstitione magis consecratum. Tamen amplissimum istud meritum parum ad institutum meum pertineret, nisi, quantum vetera imperia excessit potentia et majestate, tantum etiam monetae superstitis et copia, et praestantia, et varietate anteiret. Monetae consularis tametsi incredibilis numerus ad nostram usque aetatem duravit, tamen parum illo satisfactum nobis putamus. Principio solum aes ad incudem vocatum, argenti usu nonnisi sero invecto, auri fere ignoto, nulla tum adhuc in utroque metallo typorum varietate, donec praefectorum monetae vanitas, et jactandi generis libido veteris simplicitatis fastidium levavit. Sed neque sic impetravere, ut non alia desideraremus posteri. Gratius enim nobis accidisset, prae factis antiquis, iisque plerumque fabulosis, videre in moneta publice imperata res gestas eo tempore, quo signata ipsa fuit, et aliquam saltem fuisse adstitutam notam chronologicam, quae numi percussi aetatem, si non certam definitamque, at saltem vicinam edoceret. Alia sub imperatoribus monetae facies. Praeter promiscuum triplicis metalli usum habita etiam ratio praesentis fortunae, rei domi forisque insigniter gestae, officiorum principis in populum, et vicissim, et quaecunque in amplo imperio ad memoriam digne geri consuevere.

Qua illa laude praecedentium regnorum, etsi clarissimorum monetam longe superat, quae vix ullo ad historiam subsidio eodem fere tantum argumento occupatur, sic ut conspecto uno ejusdem regis numo te ejus omnes vidisse possis arbitrari. Confer numos Philippi II., Alexandri M., Ptolemaeorum, Lysimachi, aliorumque. Aetatem vero numorum, etsi non semper ipsum annum tenemus, sic tamen habemus definitam, ut certi esse possimus, eorum natales coërcendos intra tempus, quo is imperio praefuit, cujus in iis imago exhibetur. Sed et istud animo, qui veteris aevi recordatione suaviter adficitur, non vulgarem debet adferre voluptatem, quod haec principum Romanorum series inde a Iulio Caesare usque ad postremum Constantinum per saecula omnino XV. porrigitur, et singulorum offert imagines, et ipsa oculis fidele, incorruptumque testimonium objicit maximi olim per orbem imperii paullatim mole sua laborantis deficientisque, ac denique in extremam barbariem, artisque veteris oblivionem prolapsi.

Atque haec tam vasta, tam late patens monetae veteris classis cum non modo philologiae studiis amplissima adferat subsidia, sed etiam antiquitatis cognitione delectet animum, incredibile dictu, quanta cupiditate inde a renatis literis non principes modo, sed privati quoque comparandis his Romanae vetustatis reliquiis operam, sumptusque impenderint, et quod magis mirum, vix imminuto a tot jam saeculis in hodiernum usque diem adversum eas adfectu. Horum honestissimis studiis, atque indefesso conatui debemus locupletes, et illustres series ab eo tempore cognitas, et in literarum incrementa cum orbe erudito communicatas, ex quibus eas, quae illustrioris sunt per Europam famae, alibi enumeravi [a]). Praeclaris his cimeliis conquirendis inferendisque cum suas viri beati partes abunde implevissent, nolebant suis deesse viri

a) Vol. I. Proleg. gen. cap. XXIII.

eruditi, sive cum eorum nobis perpetuos catalogos instruerent, sive explicarent argumenta, sive probos falsosque distinguere docerent, quae quidem cura in hujus studii curriculo e praecipuis una fuit. Etenim, quod fieri consuevit, ut, ubi avidus est emptor, ibi mala fides mercem corrumpat, factum magno artis nostrae incommodo, ut jam a primis ejus incunabulis turpis quaestus ad vitiandam prae aliis omnibus Augustorum monetam omne suum studium conferret, quae labes successu temporis adeo invaluit, ut monetae hujus classis falsae non multo minor sit numerus, quam primaevae, et genuinae, tantumque fere studii impendendum illi parti, quae discernere utramque docet, quantum ipsi scientiae, et doctrinae ex ejus usu percipiendae. Quam quidem postremam partem hoc loco indicasse satis fuerit; nam varios monetae adulterandae modos alibi copiose sumus persecuti [a]). Sed necessarium omnino est, in judicium vocare cognitos hactenus monetae Augusteae catalogos, et in hanc eruditorum commentarios, ut, quantum ab iis veri, sincerique subsidii possit exspectare philologia, planissime intelligamus.

Primus fuit HVBERTVS. GOLTZIVS, qui primum in suis *Fastis magistratuum et triumphorum R.* insignem numerum numorum Iulii Caesaris, Augusti, virorumque principum, qui his coaevi fuere, vulgavit, deinde in *Thesauro rei antiquariae huberrimo* imperatorum, Caesarumque, et Augustarum titulos, nomina, et epitheta a Iulio Caesare usque ad Heraclium ex numis, ut ajebat, descripsit. Ab examinandis his ejus operibus possum nunc jure abstinere, quia istud multo adcuratius, quam hactenus a quocunque alio factum, a me alibi praestitum est [b]), cujus summa haec est: numos omnes ab uno hoc viro promulgatos aut putandos esse confictos, et saepe quidem erudite, aut vafre ac subdole descriptos, aut, si qui fraude carere videantur, saltem suspectos tamdiu, donec aliorum

a) Vol. I. Prolog. gen. cap. XIX. b) Vol. I. Prolog. gen. p. CXLI.

testium accedat auctoritas. In praesente ergo examine hominem inde ab exortu suo veritatis numismaticae sicarium, ut alibi semper, procul habebimus.

At in recensendis, ordinandisque monetae Augusteae numis inde a duobus saeculis, et amplius maxima laus fuit ADOLPHI OCCONIS medici Augustani, cujus habemus opus tenue primum, et hoc nomine editum: *Impp. Romanorum numismata a Pompejo M. ad Heraclium. Antverpiae M. D. LXXIX. in 4to.* Ab ipso auctore emendatum, locupletatumque iterum prodiit Augustae Vindelicorum anno M. DC. I. Recusum Antverpiae M. DC. XXV. testatur Fabricius [a]). Si laudanda jure est praestantis viri diligentia, et consilium, quod primus fuit, qui colligere Augustorum numos omnes tum cognitos, et in temporum rationem distribuere tentaverat, tamen nostra hac aetate, qua non modo multo habemus auctiorem ejus monetae numerum, sed hanc etiam multo adcuratius descriptam, vulgatamque, opus istud ab iis, quorum interest, vix amplius in consilium adhibetur. Nihilominus hunc industriae suae tulit fructum, ut, qui deinceps eodem in argumento versati sunt, Occonis vestigiis insistendum ducerent, atque profiterentur ipsi, nihil sibi aliud fuisse propositum, quam ut Occonis catalogum amplificarent, et si qua peccatum esset, sanitati restituerent.

Et hanc quidem provinciam post annos centum in se suscepit FRANCISCVS MEDIOBARBVS BIRAGVS S. R. I. Comes, et regiae civitatis Papiae decurio, edito justi voluminis opere, sic inscripto:

Imperatorum Romanorum numismata a Pompejo Magno ad Heraclium ab Adolfo Occone olim congesta, nunc Augustorum iconibus, perpetuis historico-chronologicis notis, pluribusque additamentis illustrata, et aucta. Mediolani. MDCLXXXIII. fol.

---

a) Ad Bibl. num. Band. p. 36.

Opus istud simul lucem vidit, simul omissis Occonis exemplaribus avide arreptum, unumque fuit in manibus eorum, qui enucleandae Augustorum historiae, et chronologiae seriam, solidamque operam impenderunt. Et vero insignia sibi ad propositum accessisse subsidia, jure sibi videbantur posse gratulari, cum viderent Occonis opus tam laeta, et copiosa numorum accessione auctum, amplificatumque, numos ipsos meliore, et magis conspicuo ordine descriptos, et per annales secundum tempora, quibus cusi videbantur, distributos. Quapropter mirum non est, perspecta ejus operis opportunitate, accedente praeterea Mediobarbi auctoritate, et nullatenus suspecta fide, jam inde a tot annis ad hoc ejus opus fuisse provocatum, numosque in hoc descriptos velut incorruptos illius aevi testes ad confirmandam rerum gestarum, temporumque fidem adsidue compellatos. Ergo cum hic Mediobarbi catalogus tam late porrecti sit usus, et unus maxime in consilium soleat adhiberi, mearum in praesente instituto partium sane est, quod meum sit de universo hoc opere judicium, longo edoctum usu candide aperire.

Quod necesse cumprimis est, cum quis operis, praeclaram ab ipsa aetate, et virorum excellentium judicio opinionem nacti, cogitur elevare auctoritatem, solicite commonere lectorem, atque indicare, quid de eo viri alii magnum ab illa arte nomen, famamque nacti, et quidem in hodierni aevi artium omnium perfectione senserint, ne is solus videatur agnitis dudum, confessisque auctoris laudibus obtrectare, istud mihi in praesentis operis crisi propter creditam diu ejus praestantiam anxie, et religiose curandum video. Et reperi ὑπερασπιςὴν virum, cujus nemo in re numismatica usum, et praestantiam, in ferendo judicio circumspectionem, et insignem candorem animi possit in dubium vocare, Bimardum intelligo baronem de la Bastie. Eruditus hic censor posteaquam edixit, Occonis catalogum propter vitia, quae commemorat, nullam jam pro-

mereri fidem, continuo subjicit [a]): „Scripsit comes Mediobarbus „illa aetate, qua antiquitatis studia magnos jam fecere progressus, „et numorum scientia voluptati vulgo fuit. Tamen ejus catalogus „non multum praestat Occoniano, quem is tantum augere instituit. „Ergo magis solicitus, ut opus suum distenderet inserendo numos „omnes, quorum potuit obtinere descriptionem, quam ut eos tan„tum vulgaret, qui certae essent fidei, omnia nullo dilectu intulit „numorum indicia, quae secum communicata fuere, et quae ex „missis sibi catalogis potuit excerpere, contentus, illa omisso omni „examine disponere secundum legem, quam sibi sequendam prae„fixerat. Ex quo factum, ut saepe propinaret numos falsos, typos „informes, et inscriptiones luxatas, sic ut ejus operis nullam possis „ostentare paginam, quae non mendis referta sit. Quapropter ex „ejus unius praeconio nullum existima numum vere antiquum, „cum hic insolentius quid offert, et antequam is ad confirmandam „historiam advocetur, certum te reddi oportet, talem, qualem descripsit, in museo quopiam existere." Hucusque Bimardus, cum cujus judicio consentit aliud multo vetustius praeclari Ioberti [b]). Sed et pridem cl. de Valois eruditam coepit ejus operis adornare censuram, qua inde ab Augusto usque ad Hadrianum multorum numorum eo contentorum aut spurios natales, aut falsam lectionem, aut alia vitia idoneis argumentis demonstrat [c]).

Haec quiquis legerit, facile ipse intelliget, cum edixero, non modo parum isto Mediobarbi catalogo consultum philologiae, sed etiam, si sequare, gravissimis te quaquaversum offensionis periculis occursurum, nihil me amplius adserere, nisi quod a praestantibus iis viris pridem fuit constitutum. Enimvero antequam Mediobarbus ad conscribendos imperatorum numos appelleret animum,

---

a) B. L. Tom. XII. Mem. p. 381. b) Science des méd. T. I. p. 109. c) B. L. Tom. XII. Hist. p. 309. Tom. XIV. Hist. p. 116. Tom. XVI. Hist. p. 145.

multa illi antea fuere providenda, magni faciendi apparatus, quibus omissis curis tantum abfuit, ut sana eruditioni alimenta, et in incrementum profutura pararet, ut etiam, cum recte ipsa valeret, morborum examen induceret, et, si opis indigeret, contrariis remediis salutem redderet impeditiorem. Oportebat primum, non recipere in catalogum, nisi numos, quorum antiquitatem verumque statum aut adprobasset ipse, aut nonnisi a viris in arte nostra praestantissimis adprobatam novisset. Atqui in horum numero non fuisse Occonem suum, intelligere ipse facile potuit. Vt enim in quavis arte prima experimenta fallacia sunt, ita non possunt Occonis commentarii, qui aliud non sunt, nisi primum artis nostrae tentamen, variis modis non frequenter, graviterque peccare, quos si cum aetatis suae opibus contendere libuisset, reperisset continuo, majorem numorum, quos ii continent, partem aut esse falsam, aut spectata epigraphe, typis, aliisque causis gravissimis a vero magnopere abludere. At vero hujus naturae non modo sunt, quos Mediobarbus in catalogum suum recipit, numi Occoniani, et qui his permixti sunt, Goltziani, sed etiam, quos ipse nullo dilectu ex communicatis secum catalogis, schedisque corrasit, et in suum Amaltheae cornu conjecit. Percurre, si lubet, fontes, unde is sua hausit, et quos ipse in fine operis sui indicavit, et reperies in his aut obsoletos illos Levinum Hulsium, Tristanum, Angelonum, Smetium, aut, quibus nulla plane habenda fides, Ligorium, numos Arscotanos etc. aut catalogos contextos ab auctoribus, quorum nomina reip. literariae ignota semper fuere. Atque ex his praeconiis cum maximam supplementorum suorum partem legeret, factum necessario, non modo ut spuriorum copiam inferret, numosque repraesentaret eo cultu, quem antiquitas inficiatur, sed etiam ea praeteriret, quae ad verum ex numis capiendum fructum praetereunda minime fuerunt. An enim toto illo opere vel semel commonitus est

lector, argenteum quempiam numum esse ex subaeratorum genere, aut praeter morem majore vilioris metalli accessione depravatum, aut cujuscunque metalli numum fabricae esse rudioris, aut saltem a solito statu abludentis, certo commatis peregrini, aut plane barbari argumento? quas quidem omnes causas penitus nosse quantum intersit, aut diximus alibi, aut deinceps, cum occasio tulerit, docebitur. Quanta sit praecipue in moneta Romana subaeratorum copia, et quam turpia in his mendacia, olim late explicavimus [a]). Ad alterum quod attinet, monendum v. c. in Augusto, aliisque fuerat, certos quosdam consecrationis numos esse argenti vilioris, et operis minus elegantis, signatos ergo inclinante imperio, neque synchronos iis, quorum exhibentur capita. Denique si numum Romanum putabimus, qui, etsi Latine inscriptus, tamen ab urbe Graeca, vel colonia, vel ipsis etiam barbaris signatus est, iniquum de eo plerumque erit nostrum judicium. Exstant aenei Othonis numi cum epigraphe Latina, et in aversa S. C. Eorum inspecta fabrica, modusque facile persuasit eruditis, fuisse extra urbem, et quidem, quod hodie satis constat, Antiochiae Syriae percussos. Hanc peristasin cum docere lectorem negligeret Mediobarbus, fecit, ut non modo id genus numi crederentur commatis Romani, sed confirmarent etiam judicium eorum, qui sibi persuasere, numos aeneos Romae cum Othonis capite fuisse signatos.

At enim variae hae causae, quas modo commemoravi, non solae sunt, quae religiosum catalogi architectum, cujusque praeconiis philologia confidenter uti possit, impellere debuerant, ne parceret utilibus monitis, indiciisque, et saepe necessariis. Exstant in omnibus museis numi certae antiquitatis, neque tamen subaerati, in quibus, sive scripturae legem spectes, sive notas chronologicas, sive anticae cum aversa societatem, sive quidquid aliud

a) Vol. I. Proleg. gen. cap. XIX.

a cognitis legibus diversum, aut peccatur, aut saltem peccari videtur. Non postulabimus tum ab auctore, ut ejus dissensus causam exponat, eumque aut incuriae monetariorum, aut permutationi matricum, aut certae rationi, sed nobis minus cognitae, imputet; at postulabimus, ut eum dissensum habeat perspectum, ac tum indicare non negligat, numum esse vere antiquum, ad haec sanum et illaesum, nihilque, in quo dissentit, anceps et ambiguum. Quo pacto obtinebimus, non modo ut rei insolentiam vocare in dubium non possimus, sed ut omnis etiam tollatur suspicio, illud, quod insolens videtur, ex typographi potius incuria fluxisse. Quam quidem cautionem ut jure in Mediobarbi catalogo desideramus, ita e converso experimur, si qui numi repugnare rationibus chronologicis videbantur, eorum illum mentione studiose abstinuisse. Exstant numi Philippi junioris inscripti: P. M. TR. P. VI. COS. P. P., iique tanto numero, ut verisimile non sit, eos viri, qui omnem suam operam conquirendae monetae R. addixit, fugere diligentiam potuisse. Tamen eorum nullum in ejus Augusti moneta descriptum reperias, haud dubie, quod monetariorum in iis feriundis lapsum est suspicatus, qui aversam, quae patris est, filio adfinxerint, aut quod eos omnes esse patris Philippi putavit, etsi facies juvenilior nullum relinquat dubium, filii in iis caput esse propositum. Addo veterem, justamque eruditorum querelam, in eo catalogo mentionem quidem metalli factam, at omissam fuisse eam, quae numorum magnitudines explicaret, quarum tamen indicium, praecipue in moneta aenea, ad varias res cognoscendas magnas adfert opportunitates.

Multa adhuc dicenda forent de sphalmatis passim obviis, quorum magna pars non poterat nisi ab auctoris festinatione, et opera perfunctoria proficisci. Ait v. c., M. Antonium dictum fuisse imperatorem *allato in urbem Catilinae capite*, citatque ejus testem Dio-

nem (Pag. 14.). Verum Dio longe aliud docet, ut dicemus in ejus IIIviri numis. Ait, (Pag. 63.) Tiberium statim mortuo Augusto dictum fuisse *patrem patriae* quod ab eo scriptum tanto magis lubet mirari, non modo quod auctores omnes conspirant, a Tiberio hunc honorem constanter fuisse repudiatum, sed etiam quod ipse nullum repraesentavit numum, in quo Tiberius P. P. appellaretur. Ait, (Pag. 64.) Tiberium V. C. 769 imperatorem VIII. ab exercitu fuisse salutatum, et tamen per plures deinceps adhuc annos profert numos inscriptos IMP. VII. Ait, (Pag. 151.) Trajanum V. C. 956 (lege 856.) dictum fuisse *Dacicum*, et tamen jam ad V. C. 853 descripsit numos, in quibus is dicitur GER. DAC. Nolo cumulare exempla, quorum justum numerum in sequentibus commentariis dabimus, atque istud ad hactenus dicta addidisse sufficiat, catalogum hunc, ut a Mediobarbo vulgatus exstat, non modo illos, qui uti volunt, in avia ducere, sed et magnopere impedire. Quod si Pagius in sua Baronii Critica non raro quaevis alia monumenta numorum auctoritati anteferenda putavit, ad istud se judicium necessitate compulsum vidit, quia alios numos in consilium non adhibuit, nisi quos ab Occone, et Mediobarbo descriptos reperit. Atqui testari ipse possum, quo tempore ad ordinandos, explicandosque Augustorum numos accessi, cum eodem Mediobarbi catalogo nondum satis explorata ejus natura uti inciperem, sensi me laqueis undique irretitum, ex quibus me antea expedire non potui, quam ego fallacia ea testimonia aspernatus unius musei Caesarei numos, aliosque, quos a viris fide dignis vulgatos noveram, sequendos, audiendosque duxi. Ergo quicunque explicandae monetae Augusteae dabit operam, tantum jubebo diffidere Mediobarbo, quantum Goltzio, cum inter utrumque aliud discrimen non reperiam, nisi quod Mediobarbus nimium saepe credulus, saepe etiam minus attentus, bona tamen fide numos aut

falsos, aut male descriptos promulgavit, at Goltzius mala fide aut numos totos, aut varias eorum peristases confinxit, quod alibi a me invicte demonstratum fuit. Qua in causa illud sane est multo molestissimum, quod uterque rara fortuna amplissimam sibi apud aequales posterosque fidem comparavit, quam deinde inolitam, inveteratamque si quis cordatus convellere cupit, tanto plus experiatur difficultatis, quanto illa altiores durando radices egit. Verissime adeo dictum Dioni Chrysostomo [a]): *cumque res sit difficilis docere, tanto est difficilior dedocere, praecipue cum qui ex longo tempore mendacia imbiberunt, neque solum decepti sunt ipsi, sed patres quoque eorum, avique, et paene majores omnes.*

At erunt haud dubie, qui sibi persuadebunt, haec Mediobarbi vitia aut penitus, aut magna sui parte sublata fuisse in postrema ejus editione, quae inscribitur:

Imperatorum Romanorum numismata etc. a Franc. Mediobarbo Birago illustrata, nunc vero ab innumeris mendis expurgata, additionibus usque hac desideratis, criticisque observationibus exornata curante Philippo Argelato Bononiensi. Mediolani MDCCXXX. fol.

Mearum partium est inquirere, quantum post ampla haec promissa ei operi castimoniae, et puritatis accesserit. Ad eam procurandam parum operae studiique fuisse collatum, argumento esto, quod eadem haec vitia, quae paullo supra tanquam exiguam totius partem ex Mediobarbo recitavi, ejusque sunt naturae, ut suapte in seduli censoris oculos incurrant, in nova hac editione prorsus intacta permansere, et totus ille numorum grex, qui aut aperte falsi sunt, aut jure suspecti, quorum copia praecipue Trajani imperium maculavit, suam adhuc stationem occupat, nulla adjecta animadversione, quae de eorum fide dubitare jubeat, aut

a) Orat. XI. p. 152.

quae veram monetam a contorniatorum sordibus discriminet. Factum etiam nonnunquam, ut adderentur observata falsa, quibus caret prima editio. Sic pag. 313 legas monitum: *Numi Elagabali cum* TR. P. V. COS. IIII. *vel mendosi, vel adulterini putantur*, de quorum dubitare numorum veritate, qui obvii sunt, auctorem arguit sane imperitum. Denique exiguam hercle a nobis editor inivit gratiam, quando intactis auctoris sui mendis non curavit inserere numos praestantissimos, qui inde a vulgato Mediobarbi catalogo lucem videre, a viris illustribus, Morellio in Specimine, Haymio, Bandurio, aliisque cum erudito orbe communicati. Ex quo apparet, quam futilia sint illa promissa, quae Argelatus in Mediobarbi sui redivivi fronte tanto cum hiatu lectori exposuit, quamque parum novo hoc apparatu promovendis scientiae nostrae commodis consultum fuerit.

Non majorem Mediobarbo fidem merentur ii, qui numos Augustorum aut ex corruptis, aut saltem valde suspectis fontibus hausere, videlicet ex Goltzio, Pyrrho Ligorio, Iacobo, et Octavio de Strada, et similibus, quos inter fuere Sebastianus Erizzus, Carolus Patinus in Suetonio suo, Ioachimus Oudaanus, et qui in hujus tabulas commentatus est, Iacobus Oiselius, quibus adde IVros Ioannem Hemelarium, Albertum Rubenium, Iacobum Biaeum, Laurentium Begerum, qui numos, ut ajunt, a Carolo duce Croyaco et Arschotanocongestos, edidere, quod adsertum mihi plane mirabile videtur, quia hos inter multos reperias mere Goltzianos. Atque horum opera tanto pronius possunt in fraudem inducere, quia omiserunt indicia, quibus possemus certiores reddi, quos numos viderint ipsi, quos aliorsum, et a quibus sint mutuati. Sic v. c. ignorarem, unde Oudaanus suos hauserit numos, nisi Oiselius eorum interpres in praefatione dejeraret, ex probatissimis illos fide dignorum antiquariorum operibus fuisse selectos, quos

inter nominat Goltzium, Aeneam Vicum, Octavium de Strada, thesaurum ducis Arschotani, Pignorium etc. omnes optimo jure suspectos. Olim vix tandem elicui, Erizzum in numos Fastorum Goltzii fuisse commentatum, de quo egi alibi [a]). Exstant praeterea opera virorum plane eruditorum, quo in numero jure censemus Franciscum Angelonum, Ioannem Tristanum, aliosque, sed quorum indicatis numis non nisi cautissime utere, etsi non vulgaverint, nisi a se conspectos. Scripserunt illi ea aetate, quae nondum tot subsidiis artis nostrae, nondum necessaria illa numos plures contendendi facultate instructa fuit; ex quo factum, ut, quae nobis dedere, numorum indicia etiam in gravioribus causis a vero frequenter longissime aberrent.

Tandem multo tutius, expeditiusque iter per vias, quas sequentis proxime aevi conatus inde ab exeunte saeculo XVII. ad nostra usque tempora munivere. Iam nunc severiorem in adprobandis numis videmus exercitam censuram, excludi, aut palam reprobari numos falsos, aut si suspecti videbantur, eorum saltem indicari praecones, ut ex horum fide arbitrari lector de numis ipsis posset, jam certiorem nobis, minusque corruptum offerri numorum statum. Ex iis, qui hanc sibi laudem jure vindicant, commemorandi sunt Ioannes Vaillantius, quo nemo hactenus sanius, purgatiusve de numorum veterum fide judicavit, hoc uno hercle culpandus, quod in describenda Augustorum moneta (de hac una mihi tantum sermo) partium adversarum indicare statum neglexit, tanquam eum novisse parum intersit, quod funestum arti nostrae institutum in numorum veterum praeconibus pridem perstrinxit Pagius. *Ex quibus intelligis*, inquit [b]), *quantum reprehensione digni sunt antiquarii, qui numismata mutilata, ac detruncata nobis obtrudunt, quasi antica eorum pars, quae ad*

a) Vol. I. Proleg. gen. p. CLIII. b) Crit. Baron. ad ann. Chr. 269 §. 6.

nundinandum non necessaria, eruditioni etiam inutilis esset, et numismatographia nonnisi ad vendendum instituta esset. Accedunt Ioannes Harduinus vir gravis et verax, cum sapere libuit, Carolus Patinus in numis, quos ipse vidit, Laurentius Begerus in Thesauro Brandenburgico, Paulus Pedrusius in Museo Farnesio, Anselmus Bandurius, et qui ejus catalogum auxit, Hieronymus Taninius, Christianus Liebe in Gotha numaria, auctor Musei Theupoli, Thomas comes Pembrock in editis insignioribus musei sui numis, Franciscus Wise in Museo Bodleiano, auctor musei reginae Christinae ab Havercampo illustrati. Nolim adfirmare, in his, quos modo recitavi, catalogis non etiam reperiri numos spurios, neque eorum auctores aliquid humani passos, cum ipse non semel coactus fuerim, nonnullorum fidem in dubium vocare. Istud tamen certum, in stabilienda numi antiquitate rarius fuisse lapsos, etsi frequentius in recitanda numorum epigraphe, aut describendis typis, praecipue cum minus integri fuere, peccaverint. Ex catalogis monetae Augusteae hucusque vulgatis haud dubie amplissimus is est, qui numos musei Caesarei Vindobonensis complectitur, in quo edendo omnem dedi operam, ut lectori nonnisi mercem sinceram offerrem, ac sedulo monerem, si qui numi aut fraudis veteris, aut noviciae ignominia notati sunt. Enarravi hactenus opera, quae aut omnes, aut plures hujus monetae classes continent. At sunt praeterea, quae certam tantum classem sistunt, ac praecipue numorum maximi moduli, inter quae commendari merentur numismata hujus classis, quae fuere in museo cardinalis Carpegna a Philippo Buonarroto immensae eruditionis viro explicata, cardinalis Albani in lucem data a Rudolphino Venuti, musei Pisani ab Alberto Mazzoleno. Cautius adhibeto numismata moduli maximi ex cimeliarchio Ludovici XIV. tabulis XLI. exhibita, quorum partem fusam, et adulterinam, par-

tem male lectam, partem per incuriam alienis imperatoribus tributam testatur Bandurius [a]. Idem fere judicium de numis ejusdem classis musei Medicei a Gorio editis, de quorum fide egi alibi [b].

Postremum mihi judicium erit de copiosis tabulis aeneis, quae monetam priorum XII. imperatorum ipsius Morellii manu delineatam complectuntur. In parandis his tabulis mirabile fuit, et, qui iis uti volunt, permolestum celebris ejus viri institutum. Praecedunt more Goltziano capita singulorum Augustorum, sequuntur partes aversae pro discrimine metallorum, et magnitudinum dispositae. Claudunt agmen numi ex Goltzio, ejusve MSS. capti. Bono quidem consilio plerisque partibus aversis adstituit notam aliquam, v. c. lilium, leonem, colubrum, coronam, etc., ut, ex quo numi essent museo petiti, continuo intelligeretur; at istud profecto mirum, quod his quoque immiscuerit numos Goltzianos, etsi hos addito signo distinguat, cum tamen, ut supra dixi, Goltzianam mercem in separatas tabulas conjecerit. Atque hanc ille curam cum impenderit partibus aversis, vituperandus sane, quod fontes, unde partes anticas hausit, adscribere plane neglexit, tanto justiore querela, quod in compluribus, utrum sincerae sint, et in numis vere existant, jure possumus dubitare. Operae pretium me facturum existimo, si capita, et adjectas iis inscriptiones, quas in probis auctoribus, sincerisque catalogis hactenus videre non licuit, et vere adeo Goltzianas suspicor, ex his Morellii tabulis indicavero.

Ex tabulis Iulii Caesaris.

CAESAR. DICT. TERT. PONT. MAX. Tab. I. n. 33.
CAESAR. DICTATOR. vel addito praenomine C. Tab. I. n. 29. 30.
CAESAR. COS. QVINT. DICT. PERP. Tab. II. n. 38.
CAESAR. IMP. AVGVR. P. M. Tab. V. n. 16.
CAESAR. IMP. SEX. DICT. QVART. Tab. V. 19. 20.
CAESAR. IMP. QVART. Tab. I. n. 31.

a) Bibl. num. sub Seguino in fine. b) Vol. I. Proleg. gen. p. CLXII.

CAESAR. AVGVR. PONT. MAX. Tab. I. n. 32.
CAESAR. AVGVR. IMP. QVIN. COS. QVAR. Tab. II. n. 37.
CAESAR. AVGVR. IMP. SEXT. COS. QVINT. Tab. II. n. 39.
C. CAESAR. COS. TER. scriptum juxta ejus caput laureatum velatum. Tab. II. n. 29.
Γ. ΚΑΙΣΑΡ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΥΠΑΤΟΣ. Β. Tab. II. 67.

Ex tabulis Augusti.

IMP. CAESAR. DIVI. F. COS. V. P. P. IMP. VII. Tab. II. n. 61.
Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΤΡΙΩΝ. ΑΝΔΡΩΝ. Tab. I. n. 5.
IMP. CAESAR. PONT. IMP. ITER. IIIVIR. ITER. R. P. C. Tab. I. n. 24.
IMP. CAESAR. DIVI. F. COS. TER. IIIVIR. TER. R. P. C. Tab. I. n. 29.
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΚΑΙCΑΡ. ΘΕΙΟΥ. ΥΙΟC. Tab. I. n. 34.
IMP. CAESAR. DIVI. F. PONT. IMP. TER. COS. ITER. ET. TER. DES. Tab. II. n. 57.
CAESAR. DIVI. F. AVGVR. PONT. IMP. QVAR. COS. TER. Tab. II. n. 57.
CAESAR. DIVI. F. IMP. V. COS. IIII. Tab. II. n. 58.
IMP. CAESAR. DIVI. F. COS. V. IMP. VI. Tab. II. n. 59.
CAESARI. DIVI. F. COS. V. IMP. VII. Tab. II. n. 60.
DIVI. F. P. P. Tab. II. n. 63.
IMP. CAESAR. AVG. P. P. Tab. II. n. 68. 69. 70.
CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. COS. VIII. P. P. IMP. VII. Tab. V. n. 174.
AVGVSTVS. COS. VIII. Tab. VI. n. 176.
AVGVSTVS. P. P. COS. X. Tab. VI. n. 177.
AVGVSTVS. DIVI. F. COS. IX. IMP. VIII. Tab. VI. n. 194.
AVGVSTVS. DIVI. F. COS. XI. TR. P. II. IMP. VIII. Tab. VI. n. 195.

Desino congerere plura exempla alia, et etiam ex sequentium imperatorum moneta, ex quibus solis jam satis perspicimus, quam periculosum sit, in consilium adhibere imagines numorum, quae tot historicis, et chronologicis mendis refertae sunt. An satis Morellius artis nostrae commodis prospexit, quando partium quidem aversarum fidem definivit, partibus interim anticis impune, et cum veritatis internecione mendacibus? Quid quod numos etiam obtulit, quos haud difficulter in spuriorum numerum referimus. Ejus exemplum dabimus in numis D. Liviae Augusti uxoris. Qui ergo tabulis his uti volet, dabit operam, ut fidem non habeat, nisi nu-

mis iis, quos additae museorum notae distinguunt, signo evidente, eos a Morellio ex archetypis ipsis captos, delineatosque, neque ex incertis, suspectisque fontibus fuisse petitos.

Hactenus de monetae Augusteae fide, praecipua sane artis numismaticae parte, disseruimus. Agendum etiam de eorum merito, quorum opera in illa illustranda, explicandaque versata est. Has quidem partes jam occupavi in generalibus ad hoc opus Prolegomenis toto capite XXII., tamen hoc loco nonnulla privatim monenda restant. Generatim non nisi caute utendum veteribus artis nostrae magistris, ut: Tristano, Spanhemio, Begero, quorum etsi incredibilis fuit eruditio, tamen nimia facilitas partim in adprobandis numis, qui spurii sunt, aut saltem jure suspecti, partim in recipiendis illis eo modo, quo ab aliis vulgatos repererunt, cum non magnopere in verum numorum statum curarent inquirere. Quae fuerint alia eorum aut vitia, aut etiam illustria merita, tum et illorum, qui hos secuti sunt, in iisdem Prolegomenis compendio dixi. In hunc tamen locum reservavi judicium de amplis commentariis, quos ad explicandas tabulas Morellii duodecim imperatorum numos complexas, de quibus paullo altius egimus, elucubrati sunt IIIviri magni ab eruditione nominis Christianus Schlegelius, Sigebertus Havercampus, et Franc. Ant. Gorius. Horum primae partes cum essent, de singulorum numorum fide certos nos reddere, neglecta ea cura amplum nobis testimoniorum apparatum, nimirum veterem cantilenam toties ad fastidium auditam, obtrudunt, et ne nescii videantur, in quorum operibus nidulentur numi singuli, primum Goltzianam mercem quater nobis obtrudunt, ex Goltzio ipso, deinde ex Nonnii collectione, tum ex Vaillantio, denique ex Morellii numis restitutis; his conjungunt artis nostrae atavos, Erizzum, Occonem, Hemelarium, Oudaanum, aliosque, quos non vades idoneos, sed serva Goltzii pecora aptius appellaveris. Verum

nisi institutum istud placuisset, quomodo enasci potuisset magnum illud volumen, magnum scilicet malum? Atque haec ut molesta sunt, ita aliud multo perniciosissimum. Dixi supra, in Morellianis his tabulis Goltzii exemplo partes anticas, sive capita ab aversis seorsim exhiberi. Ad hos ergo censores cum pertineret, cum partibus aversis nonnisi veras, probatasque partes anticas componere, parum religiosi cum illis anticas etiam mere Goltzianas junxerunt. Ita Schlegelius numum Iulii Caesaris tab. IV. num 31 sic describit: (Pag. 63.)

Caput Caesaris laureatum, vel: C. CAESAR. DICTATOR.
Caput Caesaris laureatum.

L. LIVINEIVS. REGVLVS. *Taurus cornupeta.*

Altera antica conjuncta cum hac aversa Goltziana est, religiosi antiquarii tantum priorem noverunt. Cur ergo antica suspecta jungitur cum aversa sincera in eo tractatu, in quo de genuinis tantum agitur? aut si istud placuit, cur non addito signo monetur, eam antiquam reperiri in uno Goltzio? An perinde habendum, quaecunque demum antica cum aversa sociatur? Morellius ad iconem hujus numi anticam citat aliam, sed quae item in genuinis nunquam cum hac aversa comparet.

Aliud exemplum luculentius: Ad numum M. Mettii tab. IV. n. 32 pag. 63 citat Schlegelius tres varias anticas, inter quas postrema cum epigraphe: CAESAR. COS. QVINT. DIC. PERP. Citat hujus numi indices Vrsinum, Patinum, Morellium, Vaillantium. Quis non crederet, apud eosdem auctores exstare etiam hunc numum cum dicta epigraphe? et tamen apud unum Goltzium reperias.

Plura exempla ex copiosa silva comportet, cui operae pretium visum fuerit. Ceterum ex his, quae modo exposui, intelligere quivis potest, quanta in universo hoc opere, seu tabulas spectes, numorumque ordinem, seu commentarios, regnet rerum omnium

confusio, in qua discernere verum a falso, certum ab incerto, utile a damnoso, nisi multo adhibito labore non possis, ut adeo unicum praegrandis operis meritum sint imagines numorum, quos Morellius ipse vidit, magna et cura, et veritate pro ejus viri more delineatae, quanquam et in his cautione opus sit, nam deperditis casu tabulis Morellianis, quae continent numos Titi aureos argenteosque, jacturam supplevit Gorius, qua fortuna, monebimus in ejus Augusti moneta.

Atque isto quidem modo hactenus cum nobilissima hac monetae veteris classe actum fuisse, nemo est, qui ignoret, ad quam ego explicandam cum accederem, facile intellexi, ut labor utilis evaderet, haec potissimum esse spectanda, ejus puritatem, ordinem, et commentarios, de quibus omnibus generatim a me actum jam est volumine I. in praefatione ad universum hoc opus, quibus quod addam, vix habeo. Ac puritatem quidem numorum constituit scientia, aut prudens judicium, qui numi putandi genuini, qui spurii, seu vetus eos fraus, seu moderna parturivit. Diximus, quanta in hac praecipue monetae veteris classe mercis alterutro hoc modo adulteratae sit eluvies, quae proinde nisi resecetur, aut adposito signo distinguatur, quod praecipue ob causas cognitas in subaeratis omittendum non est, non modo inutile est numorum veterum studium ad historiam, et chronologiam Augustorum, sed plane pestiferum. Quorum opera hoc contagio infecta, et aut vitanda, aut caute consulenda sint, altius indicavimus. In praesente instituto numos hujus naturae omnes negligendos duxi, nisi cum eos recitandi certa adfuit causa, placuitque istud, non modo ut consuleretur brevitati operis, verum etiam, ut aliquando hae artis nostrae vomicae elegantias nostras inquinare desinant. Interim noverit eruditus lector, si quem numum rarioris, insolentiorisve argumenti in his meis commentariis desiderari intelliget, jam vel ideo a me con-

demnatum, quia omissum. Altero modo procurare puritatem adlaboravi, revocando ad sanitatem numorum aut epigraphen, aut typorum statum, in quibus promulgandis quam graviter saepe ab antiquariis peccatum fuerit, commonere necesse non est, et sine quibus ad veritatem restitutis fieri non potest, ut ars numismatica eos rependat fructus, quos ab ea ob multiplices causas philologia potest exspectare. Qui commentarios hos pervolverit, continuo perspiciet, me in numis adprobandis, restituendisve summa cum religione, et circumspectione fuisse versatum.

Ad ordinem quod attinet, constat, in conscribendis, ordinandisque Augustorum numis alium aliis placitum fuisse. Alibi dixi [a]), omnium praestantissimum, utilissimumque videri ordinem chronologicum, attulique rationes graves, quas recoquere otiosum foret. Neque amplius addam ad ea, quae in praefatione ad praesens opus de moderandis commentariis praecepi. Nimirum quam hactenus legem sequendam duxi, eidem me deinceps quoque inhaesurum, quod istud eaedem causae exigunt, inspicienti patebit.

---

a) Vol. I. Proleg. gen. cap. XXIV

CONSPECTVS VOLVMINIS VI.

Iulius Caesar . . . . Pag. 1
M. Brutus . . . . — 19
C. Cassius . . . . — 25
Sex. Pompejus . . . . — 27
Lepidus IIIvir . . . . — 34
Antonius IIIvir . . . . — 35
Antonius IIIviri fil. . . . . . . — 68
C. et L. Antonius IIIviri fratres . . 68. 69
Augustus . . . . — 69
Livia Augusti . . . . — 146
Octavia Augusti sor. . . . . — 159
Marcellus Octaviae fil. . . . . . . — 161
M. Agrippa . . . . — 162
Iulia Augusti fil. . . . . — 167
Cajus et Lucius Agrippae filii . . — 169
Agrippa Postumus . . . . — 174
Drusus senior . . . . — 175
Antonia Drusi . . . . — 178
Tiberius Aug. . . . . — 182
Drusus jun. Ti. fil. . . . . — 202
Tiberius et N. gemelli Drusi jun. filii — 207
Germanicus . . . . — 208
Agrippina Germanici . . . . . . — 212
Nero et Drusus Germanici filii . . — 216
Caligula . . . . — 218
Drusilla Caligulae sor. . . . . . . — 231
Livilla Caligulae sor. . . . . . . Pag. 232
Claudius (Ti.) . . . . — 233
Antonia Claudii fil. . . . . — 251
Messalina Claudii . . . . — 251
Britannicus . . . . — 253
Agrippina Claudii . . . . — 255
Nero . . . . — 260
Octavia Neronis . . . . — 285
Poppaea Neronis . . . . — 286
Claudia Neronis filia . . . . — 287
Messalina Neronis . . . . — 287
Claudius Macer . . . . — 288
Galba . . . . — 290
Otho . . . . — 300
Vitellius . . . . — 308
Vespasianus . . . . — 319
Domitilla Vespasiani . . . . — 345
Domitilla Vespasiani filia . . . . — 349
Vespasia Polla Vesp. mat. . . . . — 349
Titus . . . . — 350
Iulia Titi filia . . . . — 365
Domitianus . . . . — 367
Domitia Domitiani . . . . — 399
Vespasianus junior . . . . — 402
Nerva . . . . — 403
Trajanus . . . . — 411

Plotina Trajani . . . . Pag. 465
Marciana Trajani sor. . . . . . . — 467
Matidia Marcianae fil. . . . . . . — 469
Hadrianus . . . . — 473
Sabina Hadriani . . . . Pag. 519
Aelius Caesar . . . . — 524
Antinous . . . . — 528

DOCTRINA

NVMORVM VETERVM.

MONETAE ROMANORVM

PARS II.

COMPLECTENS

NVMOS AVGVSTORVM, CAESARVM TYRANNORVM.

C. IVLIVS CAESAR.

Natus Romae patre C. Iulio Caesare, matre Aurelia. De anno litigatur. Alii natum C. Mario VI. et Flacco cos. adserunt, seu V. C. 654, quae fuit mens Petavii, et plerorumque; alii, sed quae sententia minus verisimilis, anno sequente. Mensem, quo natus est, plures prodidere, nempe Quinctilem, qui deinceps in ejus honorem *Iulius* dictus est [a]). Diem Macrobius statuit IV. Id. Quinctiles [b]), cum quo consentit vetus Kalendarium a Lambecio editum, in quo: *IV. idus I. Caesaris natalis.* Vide plura apud Norisium [c]), ac praecipue Fogginum [d]).

a) Suet. c. 76. Dio L. XLIV. c. 5. Flurus L. IV. c. 2. b) Saturn. L. I. c. 12. c) Cenot Pis. diss. II. c. 6. d) Fasti Verrii p. 123.

Exosus jam puer L. Sullae fuit cum ob necessitudinem cum C. Mario, nam ejus amita Iulia huic nupta fuit a), tum quod Corneliam Cinnae filiam, quam uxorem duxit, nullo pacto, ut repudiaret, permoveri potuit, ac denique quod multos ei Marios, nimirum multum popularis aurae inesse videret. Ejus metu Roma profectus apud Nicomedem Bithyniae regem non sine rumore, ut ait Suetonius, prostratae regi pudicitiae desedit. Magnum juvenis prompti et intrepidi animi specimen dedit, cum captus a piratis ac pecunia redemptus comparata celeriter classe eos ex improviso adortus est, captosque in crucem egit b). Romam reversus primum tribunus militum populi favore creatus, dein quaestor in Hispaniam profectus Gadibus conspecto Alexandri M. signo notas illas, atque ambitiosas lacrimas flevit. Redux creatus aedilis populum sibi ludorum magnificentia demeruit.

V. C. 691 A. X. 63. *M. Tullio Cicerone, C. Antonio cos.* mortuo Metello Pio dicitur pontifex maximus profusis in populum largitionibus, cum praedixisset matri, quo die ad comitia descenderat: *hodie filium aut pontificem maximum, aut exulem videbis* c). Fuit autem jam ante in pontificum conlegium cooptatus, cum in Asia abesset d).

V. C. 692 A. X. 62. *D. Iunio Silano, L. Licinio Murena cos.* praetor urbanus. Ex praetura proconsule in Lusitaniam abit, ibique.

V. C. 693 A. X. 61 *M. Pupio Pisone Calpurniano, M. Valerio Messalla cos.* domitis, quos quidem non reperit, sed per cupiditatem triumphi et praedae fecit, hostibus dicitur imperator e).

V. C. 694 A. X. 60. *L. Afranio, Q. Caecilio Metello Celere cos.* in urbem ad comitia reversus simul triumphum, simul consulatum petit, quod cum utrumque obtinere non posset (non enim, nisi praesens esset, candidatus esse consulatus potuit, et si urbem privatus ingressus esset, postea ex lege triumphare non licuit), abjicit triumphum, creatusque in annum.

V. C. 695 A. X. 59. *consul conlega M. Bibulo*, legem agrariam per vim perfert, obtinetque a senatu Illyricum, Galliamque citeriorem et ulteriorem proconsule in quinquennium, quo elapso adjutus opera Cn. Pompeji M., et M. Crassi aliud sibi quinquennium extorquet. Ejus per hoc tempus victoriae de Helvetis, Germanis, Gallis, Britannis cognitae.

V. C. 705 A. X. 49. *C. Claudio Marcello II. L. Cornelio Lentulo cos.* bellum civile cum Pompejo coeptum. Transito Rubicone, Pompejoque cum Marcello et Lentulo cos. in Graeciam profugo Romam adit, et aerarium perfringit. Inde in Hispaniam profectus Petreium et Afranium Pompejanarum legionum duces, ut nihil a tergo intutum haberet, ad deditionem cogit die II. Sextilis f), expugnataque Massilia in urbem redit, cum adhuc absens dictator comitiorum habendorum causa dictus es-

---

a) Plut. in Caes. b) Sueton. Plut. c) Plutarch. in Caes. d) Velleius L. II. c. 43.
e) Plutarch. f) Kal. marm. Capran.

set, quo tamen se munere post dies XI. abdicat [a]).

V. C. 706 A. X. 48. *consul II. conlega P. Servilio Vatia Isaurico* ad Dyrrhachium victus primum, mox ad Pharsalum Thessaliae adversas partes atterit V. idus Sext., qui dies in anno proleptico Iuliano cadit in mensem Iunium. Vide dicta ad aeram Caesarianam Vol. IV. p. 400. Ea victoria Romae audita creatur dictator in integrum annum, qui honos singulis deinceps annis est renovatus. Continuo fugientem Pompejum persecutus in Aegypto caesum reperit, ibique amoribus Cleopatrae irretitus temerarium pro amasia Aegypto praeficienda bellum cum ejus fratre Ptolemaeo suscipit.

V. C. 707 A. X. 47. *Q. Fufio Caleno, P. Vatinio cos.* Alexandriam capit die XXVII. Martii [b]). Caeso Ptolemaeo hujus sorori Cleopatrae Aegyptum tribuit. Militem contra Pharnacem Bospori regem rapit, eumque ad Zielam Cappadociae vincit die II. Sextil [c]). Reversus in urbem compositis in hac turbis accingit se ad bellum Africanum a Pharsali reliquiis, sed per Iubae Numidiae regis accessionem metuendis conflatum, et circa solstitium brumale, sed ante hoc, in Africam trajicit [d]).

V. C. 708 A. X. 46. *consul III. conlega M. Aemilio Lepido* Scipionem, Iubam, Petreium ad Thapsum Africae vincit VIII. id April [e]). Reversus in urbem triumphat quatuor diebus quaternis triumphis de Gallis, Aegypto, Pharnace, Iuba. Correctis anni rationibus bellum Hispaniense adversus Pompeji M. liberos apparat, idque sub ipsam hyemem gerit.

V. C. 709 A. X. 45. *consul IV, sine conlega* hostes veris tempore, et ipsis quidem Liberalibus apud Mundam difficili Marte superat [f]), victoriae nuncio pridie Parilium Romam perlato [g]). Reversus de victis civibus, quod nunquam antea, triumphat. Ostentata regni cupiditate, et admissis honoribus plusquam mortalem deceret, omnium invidiam et odium incurrit.

V. C. 710 A. X. 44. *consul V. conlega M. Antonio* bellum in Getas, et Parthos meditans idib. Martiis in senatu XXIII. vulneribus Bruto et Cassio conjurationis auctoribus conficitur.

Vir ad omnes pacis bellique artes, si quis alius, ad miraculum excultus, cui quem preferre posset, non habet antiquitas. Ingenium acre, eloquentia cum nativa, tum literarum studiis expolita, animus tam ad audendum promptus, quam in adversis praesens et intrepidus, sagacitas summa in praevidendo aeque ac explicando, cum maxime constrictus teneretur, par ad aggrediendum impetus, ad perficiendum patientia, felicitas plus quam humana, quae ei praesto semper fuit, etiam cum plurima temere, et inconsulto susciperet. Ad haec comitas singularis, mores faciles, ac praesertim in victos clemen-

a) Caesar de Bell. civ. b) Kal. marm. Maffei. c) Kal. marm. Amitern. d) Cyprian. de idol. vanit. Plut. in Caes. cap. 52. Minucius in Octavio c. 26. Cic. de Divin. L. II. e) Fast. Verrii. f) Auct. belli Hisp. c. 31. g) Dio L. XLIII. §. 42.

tia incredibilis, sic ut sanguinem nisi obsistentis non effunderet. In pugna ad Pharsalum, ut parceretur civibus, praeconis voce edixit, posita simul cum armis odia, cum victis non in gratiam modo rediit, sed opes etiam et honores communicavit. Praeter libidinis infamiam, quae tanta fuit, ut omnium virorum mulier, omnium mulierum vir diceretur, alterum habuit vitium multo pestilentius ambitionem, qua inde a teneris orbis terrarum imperium complexus est. Huic ut litaret, multa, quibus per naturam abstinuisset, agenda fuerunt injuste, faciendi sumptus ingentes, ut populi beneficio honores aut maturarentur, aut prorogarentur, solicitandae gentes etiam pacatae, ut triumphis materiam sufficerent, vexandae urbes sociae et amicae, diripienda fana, et aeraria publica, ac denique in ipsos cives arma vertenda. Sane omnium confessione princeps fuisset eo fastigio dignissimus, et omnibus, quotquot fuere, anteferendus, si imperium hereditatis jure adivisset, et non fuisset armis parandum.

Vxores duxit I. *Cossutiam* adhuc praetextatus, sed quam mox dimisit. II. *Corneliam* Cinnae quater consulis filiam, ea mortua III. *Pompejam* Q. Pompeji filiam Sullae neptem, quam repudiavit suspectam adulterii cum P. Clodio. IV. *Calpurniam* L. Pisonis filiam in consulatu a).

Filiam *Juliam* ex Cornelia genuit, quam consul Pompejo M. collocavit, quae obiit V. C. 700 b).

Ex Cleopatra *Caesarionem.*

Numi
signati usque ad annum V. C. 706.

Caput Veneris.
CAESAR. *Aeneas gradiens d. Palladium, s. Anchisen gestat.* AR. Restitutus etiam a Trajano.

Venus obvius in Caesaris numis typus. Passim creditum, Iuliam gentem ad Iulum Aeneae filium, Veneris nepotem, genus suum referre. Ipse Caesar teste Suetonio c) in laudatione funebri amitae Iuliae hoc decus palam jactavit: *Amitae meae Iuliae maternum genus a regibus ortum, paternum cum diis immortalibus conjunctum est. Nam ab Anco Marcio Marcii sunt Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Iulii, cujus gentis familia est nostra.* Quare Veneri, genitricis nomine, per omnem vitam maxime fuit devotus, cui ante pugnam Pharsalicam templum vovit, ac postea dedicavit d). Aversam obtinet Aeneas Veneris filius gentis Iuliae per Iulum filium auctor. Ovidius e):

Hinc videt Aeneam oneratum pondere charo,
Et tot Iuleae nobilitatis avos.

Reliqua innumera testimonia de Iuliorum ex Venere, et Anchise prosapia vide apud Schlegelium in Impp. Morellii Tom. I. p. 36 et 58. Aliam genealogiam struxit auctor epigrammatis, quod Ephesi reperit Pocockius; vulgavitque f).

a) Sueton. capp. 1, 6, 21. b) Dio L. XXXIX. c. 64. c) Cap. 6. d) Appian. Bell. civ. L. II. e) Fast. L. V. v. 563. f) Inscr. ant. p. 18.

αι ΠΟΛΕΙΣ. ΑΙ. ΕΝ. ΤΗΙ. ΑΣΙΑι. ΚΑΙ. Ο - - -
ΚΑΙ. ΤΑ. ΕΘΝΗ. ΓΑΙΟΝ. ΙΟΥΛΙΟΝ. ΓΑΙΟυ υιοΝ.
ΚΑΙΣΑΡΑ. ΤΟΝ. ΑΡΧΙΕΡΕ. ΚΑΙ. ΑΥτοΚΡΑΤΟΡΑ.
ΤΟ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ. ΥΠΑΤΟΝ. ΑΠΟ. ΑΡΕΩΣ. ΚΑΙ.
ΑΦΡΟΔΕιΤΗΣ. ΘΕΟΝ. ΕΠΙΦΑΝΗ. ΚΑΙ. ΚΟΙΝΟΝ.
ΤΟυ. ΑΝΘΡΩΠΙΝΟΥ. ΒΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΑ.

Vrbes Asiae, et - - - et gentes C. Iulium C. F. Caesarum pontificem maximum, et imperatorem iterum, consulem, a Marte et Venere oriundum, deum manifestum, et communem humani generis servatorem.

* * *

CAESAR. *Elephas priore pede serpentem calcans.*

Simpulum, aspergillum, secespita, apex. AR. Restitutus etiam a Trajano.

Denarius, ut praecedens, obvius. Variae sunt eruditorum de elephanti typo sententiae, quas fuse enumerat Schlegelius [a]). Alii ad devictos Iubam et Scipionem in Africa, cujus regionis id animal symbolum est, referunt. Alii, quod I. Caesaris avus prodentibus Servio [b]), Spartiano [c]) et novissime Laurentio Lydo [d]) elephantum in Africa, qui Punice *Caesar* dicitur, occiderit, ex quo genti hoc cognomen adhaeserit. Verum jam ante hunc avum apud Livium reperitur Caesaris cognomen. Si verum est, quod refert Constantinus Manasses, Καισαρες γαρ ἐλεφαντες τοις Φοινιξι καλουνται, *Caesares enim elephanti a Phoenicibus vocantur*, quod, ut diximus, confirmant quoque Servius, et Spartianus, hic elephas esset adlusio ad nomen, et cum praeterea serpentem calcet, cum quo animali teste Plinio elephantis perpetua est demicatio, constet etiam ex Artemidoro [e]), elephantum in Italia significare δεσποτην, και βασιλεα, και ἀνδρα μεγιστον, habemus faventem Caesaris ambitioni typum, quo debellatos a se barbaros, et gloriae suae invidos volebat indicari. Quidquid erit, potuit hic typus futurae potentiae omen dideri. Elephas enim apud Romanos extra belli et amphitheatrorum usum certa fuit seu honoris seu arrogantiae significatio. Teste Suetonio [f]) Cn. Domitius Neronis atavus victis in consulatu Allobrogibus elephanto per provinciam vectus est, turba militum, quasi inter solennia triumphi, prosequente. Cornuficius ob servatos in Sicilia milites tantos spiritus sumpsit, ut Romae, quoties foris coenaret, elephanto domum reveheretur [g]). Ipse Caesar noster confectis jam bellis animo elatior abscendit Capitolium ad lumina, XL. elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus [h]). Denique elephantorum nullus publice usus, nisi ad vehendas Caesarum thensas, aut eorum sive triumphantium, sive in consulatu procedentium ducendos currus. Iure igitur

---

a) L. c. pag. 60. b) ad Aen. I. 286. c) in Aelio. c. 2. d) Περι Μηνων in Iulio c. 1. e) Onirocr. L. II. c. 12. f) in Nerone c. 2. g) Dio L. XLIX. §. 7. h) Sueton. in I. Caes. c. 37.

Iuvenalis hos fervidi solis incolas vocavit a).

Caesaris armentum, nulli servire paratum
Privato.

Idem typus restitutus est in numo Augusti Hadrumeti Africae signato.

* * *

Caput Veneris adhaerente collo Cupidine.

CAESAR. *Tropaeum inter duos captivos barbaros humi sedentes.* AR. obvius.

Caput Veneris.

CAESAR. IMP. *Tropaeum inter struem armorum.* AR. (Morelli.)

IMP. ITER. *Caput Veneris.*

C. CAESAR. C. F. *Tropaeum, juxta quod captivus stans, inde currus falce serrata munitus.* AR. (Morelli.)

IIT. *Caput Veneris*, in aliis: *caput muliebre velatum.*

CAESAR. *Tropaeum, juxta secespita*, in alio: *Captivus humi sedens.* AV. (Mus. Farnes. et Barthelemy ex mus. reg. Gall. B. L. Tom. XXX. p. 374.) AR. obvii.

Typi Caesaris victorias praedicant. In numo II. Caesar nude IMP. dicitur, in III. autem IMP. ITER., de quo vario modo agemus infra sub titulo *Imperator.* Verisimile est, quod observat Vaillantius, tropaeum numi III. referendum ad victoriam Gallicam, et adstantem captivum esse Vercingetorigem regem, qui Alexia capta in Caesaris potestatem venit, a quo ad triumphum reservatus, ac post eum V. C. 708 necatus est b). Literae IIT. numi postremi aenigma offerunt. Eas Vaillantius, aliique interpretantur II. *Tropaeum*, et conjiciunt, notari id, quod narrat Dio, Caesarem victo Pharnace eo loco, quo ante annos plures Triarius a Mithridate victus erat, cum per religionem non auderet regis tropaeum, quippe Marti sacrum, loco movere, alterum Romanorum tropaeum juxta statuisse, quod adeo τῷ IIT. indicaretur. At tum hae literae potius tropaeo, non Veneris capiti fuerant adstituendae. Havercampus in hoc tropaeo arma potius Hispaniensia videt, ac propterea referendos potius hos numos ad victoriam de Hispanis relatam, cujus sententiae accedit quoque Barthelemyus c). Nihil hactenus expeditum. Forte verius significant id, quod in numo praecedente plenius scriptum est: IMP. ITER. Vide plura infra ad titulum *Imperatoris.*

V. C. 707. A. X. 47.
COS. II. DICT. I. II.

C. CAESAR. IMP. COS. ITER.

Caput Veneris.

A. ALLIENVS. PRO. COS. *Vir nudus d. pede prorae navis insistens d. triquetram tenet.* AR. (Mus. Caes.)

De parte aversa egimus in numis Alieni.

* * *

Alios hujus anni certos numos non habemus. Quos Mediobarbus huc vocat, aut Goltziani sunt, aut certum pro hoc anno criterium non suppeditant. Quem Oiselius citat inscriptum DIC. ITER. (Tab. 95 n. 7.) huc pertineret quidem, sed eum nusquam alibi descriptum invenio, et forte sic inique lecta epigraphe pro DICT. TER.

---

a) Satyra XII. v. 106. b) Plutarch. Dio. c) l. c.

V. C. 708 *A. X.* 46.
COS. III. DICT. II. III.

C. CAESAR. COS. TER. *Caput muliebre velatum.*
A. HIRTIVS. PR. *Instrumenta pontificalia.* AV. obvius.

Caput muliebre partis anticae Pietatis esse videtur. In numis musei Caesarei fingitur varia aetate, in aliis juvenili, in aliis media, in aliis decrepita. De A. Hirtio actum in gente Hirtia.

* * *

COS. TERT. DICT. ITER. *Caput Cereris.*
AVGVR. PONT. MAX. *Instrumenta pontificalia.* AR. obvius.

C. CAES. DIC. TER. *Protome Victoriae.*
L. PLANC. PR. VRB. in aliis: PRAEF. VRB. *Guttus.* AV. obvius.

Caesarem augurem probabimus infra in ejus titulis. De L. Munatio Planco PRAEF*ecto* VRB*is* egimus in gente Cestia. Numus similis, sed inscriptus IMP. QVART. videtur Goltzianus, etsi non repugnet historiae, et rationi temporum.

* * *

CAESAR. DIC. TER. *Protome Victoriae.*
C. CLOVI. PRAE. *Pallas gradiens cum tropaeo, clypeo Medusae, et gaesis Hispanicis.* AE. II. obvius.

De Clovio praefecto egi in numis gentis Cloviae, et Cestiae.

* * *

Consulem III. etiam prodit numus restitutoris Trajani, quem explicabimus infra in numis restitutionum I. Caesaris.

V. C. 709. *A. X.* 45.
Cos. IV. DICT. III. IV.

Caput I. Caesaris laureatum.
L. FLAMINIVS. IIIVIR. *Mulier stans d. caduceum, s. hastam.* AR. (Moreli.)

Iam nunc ejus caput in moneta comparere incipit. Refert Dio [a]): προς τε τουτοις τοιουτοις οὐσι, πατερα τε ἀυτον της πατριδος ἐπωνομασαν, και ἐς τα νομισματα ἐνεχαραξαν, *haec cum ita essent, patrem eum patriae appellaverunt, et in numis signaverunt.* Oratio nonnihil ambigua, quam iisdem verbis restituit Zonaras [b]), quo factum, ut ea duplici modo ab eruditis explicaretur. Alii censuere, hac sententia innui, decretum fuisse a senatu, ut I. Caesaris caput monetae inferretur, alii, ut tantum titulus patris patriae numis inscriberetur. Tamen spectatis verbis prior sententia verisimior est, et verbum ἀυτον, *illum*, procul dubio ad alteram quoque sententiae partem pertinet. Ad haec titulum semel a senatu concessum inscribi monetae insolens prorsus non est, verum quod antehac indultum nunquam fuerat, ipsum viventis caput in numis exhiberi, is honos novus exstitit, et dignus adeo, qui ab historico memoraretur. Dio istud decretum inter senatus acta anni 710 refert, at verisimilius mihi videtur eam legem hoc anno latam, nempe

a) L. XLIV. §. 4. b) L. X. c. 12.

post victoriam Mundensem, postquam constat nihil fuisse honorum, quos senatus non impertiret ei cui jam nemo qui resisteret, superfuit. Hanc sententiam nisi malimus, necesse erit statuere, numos omnes Caesaris capite insignes intra binos fere tantum menses, quibus vivere ei per hunc annum licuit, fuisse percussos, quod vix verisimile. Ceterum nullus certus exstat numus cum capite Caesaris, qui ad priorem aliquem annum possit referri. Quos Mediobarbus V. C. 708 signatos censet, aut sunt Goltziani, aut caput Caesaris non offerunt, aut post ejus omnino mortem signati sunt, ut numus cum capite hinc I. Caesaris, illinc M. Antonii, de quo pluribus agemus in numis hujus IIIviri, et alter restitutoris Trajani, de quo infra disseremus.

* * *

CAESAR. IMP. *vel* IMPER. *Caput Caesaris laur.*

M. METTIVS. *Venus Victrix stans d. Victoriolam, s. hastam transversam, et simul clypeo innititur, qui globo impositus est.* AV. AR. (Morelli, Mus. Caes).

Teste Dione [a]) Caesaris annulo insculpta fuit Venus armata, et teste Appiano [b]) Caesar ante pugnam Pharsalicam tesseram dedit *Venerem Victricem*, et iterum Venerem ante praelium Mundense, cum Pompeius Pietatem mallet [c]). Hic Veneris Victricis typus frequens est in numis M. Metii, et L. Munatii Planci IIIvirorum monetalium hujus aetatis, aliorumque.

* * *

CAESAR. DICT. QVART. *Caput I. Caesaris laur.*

M. METTIVS. *Iuno Sospita in bigis.* AR. (Morelli.)

CAES. DIC. QVAR. *Protome Victoriae.*

L. PLANC. PRAEF. VRB. *Guttus.* AV. (Morelli Impp. Tab. III. n. 13.)

Aversas vide explicatas in numis gentium Mettiae, et Munatiae.

V. C. 710. *A. X.* 44.
COS. V. DICT. IV. deinde PERPETVO. PARENS PATRIAE.

Non adfirmo, numos omnes, quos hoc articulo propono, vivo adhuc Caesare fuisse cusos. Tamen in hunc locum conferre placuit, quia nihil in se continent, quod Caesaris jam mortui tempora respiciat.

CAESAR. DIC. QVAR. *Protome Veneris.*

COS. QVINQ. *intra lauream.* AV. Mus. Caes.)

CAESAR. DICT. PERPETVO. *Caput I. Caesaris laur.*

L. BVCA. *Caduceus, et fasces decussati, in area dexterae junctae, globus, et secespita.* AV. AR. (Morelli.)

CAESAR. *Caput idem.*

L. AEMILIVS. BVCA. IIIVIR. *Duae dexterae junctae.* AR. (Morelli.)

Quamcunque alii hunc typum de concordia Caesaris cum senatu capiant, ego judico referendum eo, quod narrat Appianus [d]), *Templa multa tanquam deo ex S. C. decreta sunt, et in his unum ipsi*

---

a) L. XLIII. §. 43. b) Bell. civ. L. II. c. 76. c) ibid. c. 104. d) Bell. civ. L. II. c. 106.

et Clementiae nomine, in quo simulacra eorum jungerent dexteras.

CAESAR. IMP. P. M. *Caput laureatum, pone lunula.*

L. AEMILIVS. BVCA. *Venus Victrix stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

CAESAR. DICT. PERPETVO. *Caput laureatum velatum.*

C. MARIDIANVS. *Venus Victrix stans, ut supra in numo Mettii.* AR. (Mus. Caes.)

In simili, quem ex museo suo protulit Sanclementius a), est singularis capitis epigraphe: DICT. IN. PERPETVVM.

* * *

CAESAR. PARENS. PATRIAE. *Caput laur. velatum.*

C. COSSVTIVS. MARIDIANVS. A. A. A. F. F. *sine typo.* AR. (Mus. Caes.)

De titulo *parentis patriae* agemus infra in ejus *honoribus.*

* * *

CAESAR. IMP. *vel* IMPER. *vel* DICT. PERPETVO. *Caput simile.*

P. SEPVLLIVS. MACER. *Venus Victrix stans, ut supra in numis Mettii.* AR. (Mus. Caes.)

CLEMENTIAE. CAESARIS. *Templum 4 columnarum.*

P. SEPVLLIVS. MACER. *Desultor binos equos agens, in area palmae ramus et corona.* AR. (Mus. Caes.)

Ad annum hunc refert Dio b), decretum fuisse, ut templum Caesari, et *Clementiae Iuliae* dedicaretur, huicque sacerdotio M. Antonium velut Flaminem Dialem praefectum fuisse. Appiani locum, qui huc pertinet, continuo adduximus. Factum etiam attingit Plutarchus c), additque, decretum istud, quod hostibus suis non veniam modo, sed et honores impertivit. Fuisse autem clementem habitum non aequalium adulatione, sed posteritatis etiam praeconio, docet Plinius d): *Caesaris proprium et peculiare sit clementiae insigne, qua usque ad poenitentiam omnes superavit.* Vere istud nam statim ab ejus caede palam jactatum, *clementiam illi malo fuisse, qua si usus non esset, nihil ei tale accidere potuisse* e). Et M. Aurelius in epistola ad Faustinam uxorem, quam conservavit Vulcatius Gallicanus f): *haec* (Clementia) *Caesarem deum fecit.* Elato exemplo laus clementiae celebrata etiam fuit in Caesaribus crudelissimis. Tiberii Clementiam, et Moderationem celebrant numi, et jussit senatus sacrificari Caligulae Clementiae g). Ceterum ut factum istud ad annum praesentem pertinet, ita non consequitur, hos quoque Sepullii denarios eodem hoc anno fuisse signatos. Nam Caesaris caput etiam post ejus necem saepe denariis est illatum. Vide gentem Sepulliam.

---

a) De vulg. aera pag. 37. b) L. XLIV. §. 6. c) in Caesare. d) H. N. L. VII. §. 26. e) Cic. ad Attic. L. XIV. ep. 22. f) in vita Avid. Cassii. g) Dio L. LIX. §. 16.

Numi Iulii Caesaris
post ejus mortem signati.

C. CAESAR. DICT. PERP. PONT. MAX. *Caput laureatum I. Caesaris.*
C. CAESAR. COS. PONT. AVG. *Caput Octaviani nudum.* AV. (Mus. Caes.)

AVG. partis aversae est AVG*ur*, ut dicetur in numis Octaviani.

* * *

CAESAR. DIC. *Caput laureatum I. Caesaris, pone urceus.*
M. ANTON. IMP. *Caput nudum modice barbatum M. Antonii, pone lituus.* AR. obvius.

Alius, sed epigraphe aversae:
M. ANTON. IMP. R. P. C. *Caput idem.* AV. AR. (Morelli, Mus. Caes.)

Vaillantius et Havercampus binos hos numos signatos censent V. C. 706, sed horum sententiam refellemus proxime in numis M. Antonii ad annum V. C. 711.

* * *

Caput I. Caesaris laureatum.
L. LIVINEIVS. REGVLVS. *Bos cornupeta.* AR. (Mus. Caes.)

Hunc denarium Caesare jam mortuo signatum censeo, nam habemus quoquo numos cum capite omnium IIIvirorum, et inscripto Regulo, nisi forte hic diversus ab illo fuit. Idem senti de numis: L. MVSSIDIVS. LONGVS.

CAESAR. IMP. *Caput I. Caesaris laureatum.*
P. CLODIVS. M. F. *Mars nudus stans d. hastam, s. parazonium.* AR. (Morelli.)

Hic quoque numus mortuo Caesare lucem vidisse videtur, nam exstat numus M. Antonii cum eadem omnino aversa, aliique denarii cum capite Octaviani, et inscripto eodem P. Clodio.

Caput I. Caesaris laureatum.
T. SEMPRONIVS. GRACCVS. Q. DESIG. S. C. *Aquila legionaria, signum militare, aratrum, decempeda.* AR. (Mus. Caes.)

Exstant similes numi alii cum capite Octaviani; quare praesens in dictatoris jam mortui memoriam percussus haud dubie est. De typo aversae actum in Sempronia.

CAESAR. DIC. PER. *in aliis:*
C. CAESAR. DICT. PERPET.
EX. S. C. *inscriptum sellae curuli, supra quam laurea.*
CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *in aliis:* CAESAR. DIVI. F. IIIVIR. ITER. R. P. C. *Caput Octaviani nudum.* AR. (Morelli Fam. Iul. tab. 7.)

Typum explicat Dio, narrans [a]), inter alia decretum a senatu, *ut in theatra sella ejus aurea, et corona auro et gemmis insignis, deorumque coronis par inferretur.* Apertius Appianus [b]), paullo post Caesaris necem imminentibus ludis Octavianum *patri sellam auream et coronam parasse, id quod illi ex S. C. in perpetuum ludis omnibus decretum erat.* Istud quidem quo minus perficeret, prohibuit Antonius, ut ibi prosequitur Appianus, et confirmat Dio [c]), at quo minus hos patris honores monetae inferret, ut ex his numis perspicimus, prohibere non potuit. Fuisse sellam hanc aliquod indicium divinitatis, colligo praeterea ex Plinio juniore [d]): *Horum unum si praestitisset alius, illi jam dudum radiatum caput, et media inter*

---

a) L. XLIV. §. 6. b) Bell. civ. L. III. c. 28. c) L. XLV. §. 6. d) Panegyr. c. 52.

deos sedes auro staret, aut ebore, augustioribusque aris, et grandioribus victimis in vocaretur.

Divus Iulius.

Caesari, cui adhuc vivo teste Suetonio [a]) *thensa et ferculum Circensi pompa, templa, arae, simulacra juxta deos, pulvinar, flamen, Luperci* a senatu decreti fuere, idem veros *divi* honores post violentam ejus mortem constituit; unde Plutarchus [b]): Καισαρα μεν ὡς θεον τιμαν ἐψηφισαντο, *decretum, ut Caesari divini honores haberentur.* Plura testimonia collecta vide a Schlegelio [c]). Obvium igitur apud historicos, in marmoribus et numis *Divi* epitheton Iulio tributum.

DIVOS. IVLIVS. *Caput laur., hinc apex, illinc lituus.*
DIVI. FILIVS. *Caput Octaviani nudum.* AV. (Mus. Caes.) Sunt etiam numi similes obvii Aenei II. formae.

IMP. CAESAR. IIIVIR. ITER. R.P.C. *Caput Octaviani nudum.*
COS. ITER. ET. TER. DESIG. *Templum 4 col., cujus epystilio inscriptum:* DIVO. IVL. *Iulius intus stans, in aliis sedens, augurali habitu, in area luculenta ara.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Templum Iulio fuisse erectum praeter alios, quos a Schlegelio citatos vide [d]), testatur Appianus [e]): *quo loco deinde ara primum exstructa est, nunc templum est ipsius Caesaris, ubi divinis honoribus colitur.*

DIVVS. IVLIVS. *Cometes.*
CAESAR. AVGVSTVS. *Caput Augusti laureatum.* AV. AR. (Morelli.)

Partem adversam explicat Suetonius [f]): *In deorum numerum relatus est non ore modo decernentium, sed et persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primo consecratos ei heres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit exoriens circa undecimam horam, creditumque est, animam esse Caesaris in coelum recepti, et hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella.* Plura vide apud Schlegelium in Impp. Morellii Tom. I. p. 179.

DIVI. IVLI. *Caput laureatum, cui cometa imminet.*
CAESAR DIVI. F. *Caput Octaviani nudum.* AV. Similis antica est etiam in numis gentis Sanquiniae.

Rationem stellae Caesaris capiti imminentis paullo ante in Suetonio vidimus. Addendus Dio [g]): *Ea re* (nempe cometa exorto) *Octavianus animo confirmato statuam patris aeream cum stella supra caput in Veneris templo posuit.* Ipse Augustus de se testatur apud Plinium [h]): *Iis ipsis ludorum meorum diebus sidus crinitum per septem dies in regione coeli, quae sub septemtrionibus est conspectum. Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque et omnibus e terris conspicuum fuit. Eo sidere significari vulgus credidit, Caesaris animam inter deorum immortalium numina receptam, quo nomine id insi-*

---

a) Cap. 76. b) in Caesare. c) in Impp. Morellii T. I. pag. 26. d) Morelli Impp. T. I. pag. 181. e) Bell. civ. L. II. c. 148. f) cap. 88. g) L. XLV. c. 7. h) H. N. L. II. §. 23.

gne simulacro capitis ejus, quod mox in foro consecravimus, adjectum est. In eandem sententiam Zonaras a), et Servius ad v. 47 eclogae IX. *Ecce Dionaei processit Caesaris astrum.* Etiam in numo Antiochi II. Syriae regis, nisi quarti est, capiti imminet stella, adludendo nempe ad cognomen *Dei.*

DIVOS. IVLIVS. *intra lauream.*
DIVI. F. *Caput Octaviani nudum.* AE. II. Obvii.

DIVOS. IVLIVS. CAESAR. *Caput radiatum.*
PROVID. S. C. *Ara ignita.* AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 196.)

Providentiam fere diis solum tributam constat. Interea falsum, quod ibi adserit Pellerinius, vocem *Providentiae* conjunctam cum ara fuisse ea aetate signum consecrationis; nam utrumque conjunctum videmus etiam in numis Galbae, et Vitellii. Haec aversa in hoc tantum numo hactenus comparuit, sed obvia est in aeneis D. Augusti.

* * *

DIVO. IVLIO monetam quoque consecravere proposito ejus capite M. Antonius, et Lepidus IIIviri, M. Agrippa, Voconius Vitulus, aliique monetales.

* * *

Numi restitutionum.

Hos jam descripsi in Prolegomenis ad numos familiarum capite XVII. Ex his tamen revocandi sunt bini aurei, quia ad alios I. Caesaris numos illustrandos valent.

C. IVLIVS. CAES. IMP. COS. III. *Caput Iulii nudum.* In aliis: DIVVS. IVLIVS. *Caput laureatum, et in nonnullis juxta cometa.*
IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Venus seminuda, et aversa stans sinistro cubito columnae innixa d. galeam, s. hastam transversam, pro pedibus clypeus.* AV. (Morelli Impp. in Caes. tab. III. Mus. Caes., le Beau in B. L. Tom. XXI. Mem. p. 354. 355.)

Varia in his insolita occurrunt. Caput Caesaris, quod in aliis constanter laurea redimitur, in horum aliquibus nudum est, atque, ut re ipsa fuit, recalvastrum; ad haec lineamenta, saltem in exemplari musei Caesarei, nihil habent I. Caesaris. Etiam prior capitis epigraphe citra aliarum morem. Nullum enim certum habemus hujus dictatoris numum, qui eum ante consecrationem *Iulium* diceret. Quid quod hactenus alium numum nacti non sumus, qui doceret, Caesaris caput jam in consulatu III., seu anno V. C. 708 numis fuisse illatum. Typus etiam aversae, qui in Augusti numis obvius est, in moneta I. Caesaris hucusque conspectus non est. Quibus omnibus expensis nescio, an unicus hic numus, isque a Trajano signatus, contra legem supra a me constitutam probare satis queat, jam in consulatu III. permissum, ut Caesaris caput in moneta proponeretur.

* * *

DIVVS. IVLIVS. *Caput laureatum.*
Eadem Trajani epigraphe. Mulier alata gradiens d. vestem a pectore ad os admovet, s. caduceum, pro pedibus serpens. AV. (Mus. Caes.)

a) Ann. T. II. p. 135.

Neque hic aversae typus hactenus in Iulii numis compertus, etsi obvius sit in numis Claudii, unde ejus explicationem pete. Etiam antica quid offert a numis Caesaris omnino alienum, nimirum diadema post ejus caput defluum, quo Iulium nunquam usum infra in ejus *Attributis* monebimus.

Numi commatis peregrini.

Imperatorii.

Thessalonica Macedoniae ejus caput dedit in numis apud Vaillantium, et Morellium [a]), sed et hi post ejus mortem signati sunt, ut docet additum ΘΕΟΣ. Alterum, quem Pergamenum dixit Vaillantius, alii Nicaeensem, alii Nicomedensem statuunt, ut dixi in Prolegomenis ad numos Bithyniae Vol. II. p. 397. In museo Theupoli proponitur numus apud Mytilenen signatus, in quo etiam ejus capiti additur ΘΕΟΣ.

Coloniarum.

Hujus generis plures suppetunt cum capite I. Caesaris signati Beryti, Corinthi, Copiae seu Lugduni, Sinope, Viennae, quanquam et horum plerosque satis probabile sit in ejus memoriam signatos. Quem Vaillantius Carthaginem vocavit, est Sinopes, quem Valentiae, verius Viennae, ut in harum coloniarum numis dictum.

Numi spurii.

In horum numero, quod ad reliquorum etiam imperatorum numos valeat, eos puto, qui a viris eruditis pro genuinis editi sunt, et propter hanc ipsam eorum auctoritatem imponere minus exercitatis possunt. Eam ob causam non hic recensebo numos illos, quorum ignominiosus partus suapte in oculos incurrit, ut est notus ille Caesaris nostri: VENI. VIDI. VICI, aut eos, quos Patavinos dicimus, qui collecti, et aeri incisi exstant in Museo Genovevae, aut eos, qui a falsariis secundum iconismos Goltzianos effigiati sunt.

DIVI. IVLI. *Caput I. Caesaris nudum, pone lituus.*

S. C. *Caesar paludatus sedens dextera capiti admota, ad quem a milite deducitur captivus manibus retro ligatis.* AV.

Numum edidit Begerus in Thes. Palat. pag. 290, additque, eum electori Palatino Car. Ludovico quatuor millibus thalerorum fuisse aestimatum, qua pecunia tam male collocata, et vel sola, quam facile justum monetae genuinae agmen comparari poterat!

IVLIVS. CAESAR. *Caput laureatum, juxta lituus.*

M. BRVTVS. *Caput M. Bruti nudum, pone pugio.*

Editus a Maffeio in *Verona illustr.* Part. III. p. 235. Hujus numi malam fidem satis jam comprobavit Bimardus [b]).

MAGISTRATVS ET HONORES.

Consul.

Consul quinquies processit ea lege, quam supra descripsi. Non omnes consulatus toto anno gessit, verum ut plures sibi devinciret, aut gratiam refer-

a) In Impp. b) Ad Iobert. Tom. I. p. 122.

ret, primus contra majorum exempla intra annum aliis hunc magistratum cessit, quod mox imitati sunt IIIviri, ac deinceps Augusti. Illud risu exceptum, quod in locum Q. Fabii Maximi, qui et ipse consul suffectus postremo die anni V. C. 709 mortuus est, in residuas horas suffecit C. Caninium Rebilum. Vnde facete pro more Cicero a): *Ita Caninio consule scito neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum. Fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.*

Dictator.

Dictaturae, quam testibus historicis et numis perinde ac consulatum iteravit, ratio nonnihil implexa. Auctores veteres videntur innuere, Caesarem eodem tempore, quo consulatus renovavit, renovasse etiam dictaturas. Ita Suetonius b): *Tertium et quartum consulatum titulo tenus gessit contentus dictaturae potestate decretae cum sonsulatibus simul.* Et Dio c): *Anno insequente* (V. C. 708.) *simul dictator, simul consul fuit, tertium utrumque.* Et alio loco d): *Anno sequente* (V. C. 710.) *Caesar et dictator V. fuit, et consul V.* Quin in synopsi quoque praefixa libris XLII. et XLIII. sine restrictione dictaturas II. III. IV. V. conjungit cum consulatibus II. III. IV. V. Verum hanc sententiam evertunt marmora et numi certae fidei. Obvii sunt denarii, quos ad annum V. C. 708 dedi, inscripti: COS. TERT. DICT. ITER., qui adeo docent, serius Caesarem iterasse dictaturam, et non eodem tempore cum consulatu. Quare vel ex his numis refellitur Dio scribens de eodem hoc anno 708: *anno insequente simul dictator, simul consul fuit, tertium utrumque,* si his verbis intelligi vult, Caesarem uno eodemque tempore utrumque magistratum iterasse. Alter insignis aureus anni V. C. 710 haec ait: CAES. DIC. QVAR. COS. QVINQ. Ergo Caesar illo anno, quo consul V. processit, fuit adhuc dictator IV. Cum hoc numo conspirant etiam fragmenta Capitolina e), in quibus legitur:

C. IVLIVS. C. F. C. N. CAESAR.
VI. DICT. IIII. OVANS. EX MONTE.
ALBANO. VII. KAL.
FEBR.

Fuit haec obvatio velut triumphus Caesaris VI. post priores quinque de Gallis, Aegypto, Pharnace, Iuba, et Hispanis a senatu, nulla relata victoria, sola adulatione suadente ei decretus, cujus meminit et Dio f): *ut ipse feriis Latinis peractis ex Albano in urbem equo inveheretur,* et obiter Suetonius g). Hanc ovationem ipse Dio inter acta anni V. C. 710 memorat, et fragmentum diem ipsum prodit, nempe VII. Kal. Febr. Ergo etsi jam tum consul V., tamen fuit adhuc dictator IV. Ergo quod idem ait ad hunc eundem annum: *anno sequente Caesar et dictator V. fuit, et consul V.,* verum esse nequit in hoc sensu, quasi iisdem Kal. Ian., quibus processit consul, iteraverit etiam dictaturam. Horum igitur monumentorum testimonio indubitatum est, Caesarem ab inito

a) Ad Fam. L. VII. ep. 30. b) Cap. 76. c) L. XLIII. c. 1. d) L. XLIII. c. 49.
e) Gruter p. 297. f) L. XLIV. §. 4. g) Cap. 79.

consulatu aliquanto post tempore supremum illud munus iterasse. Quare alter repetitae dictaturae statuendus ordo quem hic proponam, et qui concordat cum numis, neque repugnat historicis, atque commode ex ratione iteratae deinceps tribuniciae potestatis illustratur. Facem praefert ipse Dio, cum narrat ad annum V. C. 706 a), decretum fuisse Romae audita pugna Pharsalica, *ut Caesar quinque annis continuis esset consul, et dictator non ad semestre tantum spatium, sed in integrum annum.* Pugna ad Pharsalum commissa fuit circa aestatem, ut probat Norisius b), ergo ex S. C. primus dictaturae annus exivit in aestate anni sequentis 707, ac tum coepit annus dictaturae alter, et sic porro. Non repugnare hanc sententiam testimoniis historicorum, ex adnexo infra canone patebit. Illustratur vero haec sententia ex lege iteratae trib. potestatis, juxta quam videmus, binas numero diversas, v. c. tertiam et quartam saepe conjungi cum eodem consulatu. Est ergo iterati hujus magistratus sequens ratio probabilis.

V. C. 705 victis in Hispania Petreio et Afranio Romam reversus iniit dictaturam comitiorum habendorum causa at eo se munere post dies XI. abdicavit c). Temporariae hujus dictaturae Caesar in ejus iteratione rationem non habuit.

V. C. 706. DICTATOR. I. COS. II. Romae percepta ad Pharsalum victoria decretum, ut Caesar *quinque annis continuis esset consul, dictator non ad semestre tantum spatium, sed in annum integrum* d).

V. C. 707. DICTATOR. I. II. COS. II. Sic Dio de Caesare post victum Pharnacem Romam reverso e): *haec a Caesare eo anno gesta sunt, quo re ipsa imperium dictator iterum gessit*, sed intellige, inde ab aestate. Et Plutarchus f): victo Pharnace *Romam profectus est circumagente se anno, in quem dictus est dictator iterum, cum hic magistratus nunquam antea annuus esset.*

V. C. 708. DICTATOR. II. III. COS. III. Dio g): *sequente anno dictaturam simul, et consulatum, utrumque tertia vice gessit*, sed ursum intellige, inde ab aestate, et mox infra h): *Dictator in decennium* victo Iuba *constitutus est.* Cum in Hispaniam contra Pompeji liberos moveret, quod accidit anno hoc inclinante, recte eum auctor incertus i) vocat dictatorem III. designatum IV. Ad hunc ergo annum, sed ejus partem priorem pertinent numi: COS. TERT. DICT. ITER.

V. C. 709. DICTATOR. III. IV. COS. IV. suadente istud analogia, etsi numi certi, qui istud confirment, deficiant.

V. C. 710. DICTATOR. IV. deinde PERPETVO. COS. V. Dictatura IV. principio hujus consulatus probatur ex numis: DIC. QVAR. COS. V., et ex fragmento Capitolino supra probavi, fuisse Caesarem dictatorem IV. adhuc VII. Kal. Febr. ejus anni. At necesse est, eum paullo post creatum dictatorem perpetuo, quod quidem tempus ad-

a) L. XLII. c. 20. b) Epoch. Syromac. p. 163. c) Dio, Plut. Appian. d) Dio L. XLII. §. 20. e) L. XLII. §. 55. f) in Caes. p. m. 731. F. g) L. XLIII. §. 1. h) §. 14. i) de bell. Hisp. c. 2.

curate non definiunt scriptores, tamen ex Ciceronis testimonio conficitur eum per proxima sequentis Februarii Lupercalia hunc honorem jam tulisse. Sic enim ille [a]): *At etiam adscribi jussit in fastis ad Lupercalia: C. Caesari dictatori perpetuo M. Antonium consulem populi jussu regnum detulisse, Caesarem uti noluisse.* Peragebantur Lupercalia XV. Kal. Mart. teste Ovidio [b]). Ergo ex Ciceronis verbis Caesar hac die dictator perpetuo jam fuit. In edicto I. Caesaris apud Iosephum legitur [c]). *Γαιος Καισαρ αὐτοκρατωρ, δικτατωρ το τεταρτον, ὑπατος τε το πεμπτον, δικτατωρ ἀποδεδειγμενος δια βιου. C. Caesar imperator dictator IV. consul V. dictator designatus perpetuo.* Numi igitur hoc honore inscripti inter postremos Caesaris locandi, etsi dubium non sit, eorum complures etiam eo jam e vivis erepto fuisse signatos.

Imperator.

In numis Caesaris et successorum duplex est ratio tituli imperatoris.

I. Natus is est ab acclamatione militari, et repetitus saepius, ut aut militibus libuit, aut duci acceptare placuit.

II. Sumendus eo modo, quo subinde iis, qui summum imperium obtinebant, tanquam nomen aliquod proprium delatum fuit, et quo revera primum huic Caesari fuisse delatum diserte testatur Dio [d]), et Suetonius: qui memorat [e]), eum acceptasse *praenomen imperatoris*, idque inter causas adornatae adversus eum conspirationis refert. Sed de hoc titulo curatius agetur in tractatu peculiari.

Ad primam rationem pertinet numus Allieni inscriptus: C. CAESAR. IMP. COS. ITER., quem dedi ad annum V. C. 707. Caesar consul II. erat annis 706 et 707, quibus Allienus pro consule Siciliam rexit, ut dixi in hujus numis. Quare *το* IMP. notare nequit supremam potestatem altero, ut dixi, modo acceptam, nam hac teste Dione donatus primum fuerat post victoriam Hispaniensem. Alium inscriptum CAESAR. IMP. protuli inter numos signatos usque ad annum 706, et eodem loco alium: IMP. ITER. Ceterum dubitari possit, utrum numi inscripti IMP. ITER. ad istud aevi, quorsum pertinere censui et non posterius aliud pertineant, cum in numo Allieni anno V. C. 706 vel 707 cuso legatur tantum IMP. sine iteratione. De modo et tempore hujus iterationis nihil eruo e veteribus. Solus Plutarchus narrat, eum ex bello, quod V. C. 693 pro consule cum Lusitanis gesserat, acclamatum imperatorem, et eundem illi honorem delatum capta Ategua XI. Kal. Mart. V. C. 709 narrat auctor incertus [f]). Multa in hac causa sunt incerta Marmor Pokockii Graecum, quod supra in numis recitavi, consulatum simplicem cum imperatore iterum conjungit. Sed constat etiam ejus viri epigrammata infinitis mendis scatere, unde parum ab his subsidii.

Alii numi certae fidei non exstant,

a) Philipp. II. c. 34. b) Fast. II. v. 267. c) Ant. Iud. L. XIV. c. X. §. 7. d) L. XLIII. §. 44. et L. LII. §. 41. e) Cap. 76. f) de bell. Hisp. c. 19.

qui iteratum saepius hunc honorem proderent. Citantur quidem etiam numi inscripti: IMP. III. IMP. IIII. IMP. QVIN. IMP. SEXT., verum tales non inveni, nisi apud Goltzium, et eos, qui Goltzii scrinia expilarunt, videnturque ab hoc conficti pro numero VI. triumphorum, quos egisse Caesarem continuo supra dixi. Vide, quae huc pertinentia indicavi in praefatione ad praesentes imperatorum, Augustorumque numos.

Ad secundam rationem videntur pertinere numi ab anno V. C. 709 signati cum epigraphe CAESAR. IMP. vel IMPER., etsi *το* IMP. praenominis modo non praeponatur, sed sequatur, de quo lege, quae disputabimus in tractatu de titulo *Imperatoris*, quem in volumine VIII. hujus operis dabimus.

Pontifex Maximus.

De hoc magistratu egi supra in annalibus. Legitur etiam aliquoties in numis, scripto P. M. vel PONT. MAX. deinceps in principum numis obvio.

Augur.

Fuisse Caesarem inter augures unum, probant primum scriptores. Dio [a]): *Pontificibus, AVGVRIBVS, ex quibus et ipse erat, quindecumviris, singulis unum addidit.* Et Cicero [b]): *Sperare tamen videor, Caesari, collegae nostro, fore curae etc.* Fuere autem Cicero, et Servilius, ad quem epistolam scripsit, augures. Deinde etiam denarii ejus obvii inscripti: AVGVR. PONT. MAX. Auguratum etiam probat lituus, qui nonnunquam ejus capiti adstituitur, quin et in consecrationis numis proponitur ipse velatus lituum dextera tenens, quo modo M. Antonius quoque in denariis proponitur.

Parens Patriae.

Honorificum hunc titulum, de cujus significatione olim agemus in tractatu peculiari, I. Caesar sibi delatum vidit post victoriam Hispaniensem testibus Dione [c]), Appiano [d]), Suetonio [e]). Continuatus etiam is fuit post mortem; nam referente Suetonio [f]) *eo caeso populus solidam columnam prope XX. pedum lapidis Numidici in foro statuit, scripsitque: PARENTI. PATRIAE.* Idem factum narrat Cicero, sed causam in Antonium transfert [g]): *Auget tuus amicus* (Antonius) *furorem indies; primum in statua, quam posuit in rostris, inscripsit: PARENTI. OPTIME. MERITO.* Quare et ejus percussores *parricidae* per invidiam passim dicti sunt [h]), et ipsae idus Martiae, quibus caesus est, *parricidium* [i]). Confirmat hunc titulum denarius anni V. C. 710 supra descriptus.

Attributa Iul. Caesaris.

Laurea. Hac fere constanter ejus capud redimitur. Fuit etiam hic honos inter alios in victorem Caesarem prodige collatos. Et vero teste Suetonio [k]) *ex*

a) L. XLII. §. 51. b) Ad Famil. L. XIII. ep. 68. c) L. XLIV. §. 4. d) Bell. civ. L. II. c. 106. e) Cap. 76. f) Cap. 85. g) ad Famil. L. XII. ep. 3. h) Cicero l. c. i) Suet. c. 88. k) Cap. 45.

omnibus non aliud aut recepit, aut usurpavit libentius, quam jus laureae perpetuo gestandae. Nam quod recalvaster erat, ad tegendam calvitiem, cujus eum suppudebat, non aliud praesto esse poterat subsidium opportunius; quae causa fuit, cur olim rex quoque Agathocles coronam gestaret [a]). Idem de Caesare testatur Dio quoque [b]): scilicet, *semper et ubique laurea eum corona fuisse ornatum, objecta causa, quod calvus esset.* Sed animadvertendum, lauream, qua I. Caesar usus est, fuisse diversam ab ea, qua usi sunt ejus successores Augusti; nam horum laurea intexta fuit diademati, cujus extremae fasciae in numis conspiciuntur post occiput ex nodo dependere. At I. Caesaris laurea hoc diademate constanter destituitur, neque id unquam ei a populo permissum fuit, cum diadema regiae potestatis Romanis tantopere exosae esset indicium. Narrat Suetonius [c]), aliquando quemdam e turba statuae Caesaris coronam lauream candida fascia praeligatam imposuisse, at eam continuo Epidii Marulli, et Caesetii Flavi tribunorum jussu detractam fuisse. Idem adfirmant Appianus [d]), et Dio [e]). Refert etiam Plutarchus bis [f]), M. Antonium inter Lupercalia obtulisse Caesari pro rostris sedenti, et spectanti diadema lauri corona exornatum, at rejectum a Caesare, quod graviter istud ferre populum animadvertit. Cujus naturae videatur fuisse diadema laureatum, quo successores Caesares usi sunt, examinabimus infra in numis Augusti ad annum V. C. 726.

Caput *velatum*, signum auguratus, ut dictum supra sub *Augure*, quorsum etiam pertinet *lituus*.

Astrum nonnunquam juxta Caesaris caput ponitur, quod forte indicat astrum Veneris matris Aeneae, aut annum ad solis cursum aptius revocatum. *Lunae*, quae item juxta ejus caput nonnunquam visitur, incerta significatio, nisi forte annum quoque correctum respicit.

PRETIVM.

Cl. Beauvais in opere suo, quod *Histoire abregée des Empereurs* inscribitur, singulis imperatorum vitis ad calcem adjecit suas de numorum uniuscujusque Augusti praetio conjecturas. Vt rem gratam fecisse visus est iis, qui colligendis numis veteribus dant operam, ne iis emendis in fraudem inducantur, dubitant tamen plurimi, utrum universim ejus judicio tuto stari possit. Nam primum generatim loquendo nimium videtur eorum valor exaggeratus; deinde frustra est, cum numorum, quorum per omnia Europae musea unicum, aut forte duo tantum exstant exempla, certum figit pretium; cum e. c. aureum Pescennii numum, qui unicus est, 1200 libris Gallicis aestimat. Poterat eodem jure ejus pretium duplo augere, cum res, quae pecunia parari vulgo non possunt, quantivis sint pretii. Mihi hoc loco aliud propositum non est, quam in genere lectorem raritatis gradum pro

a) Diod. Sic. L. XX. c. 54. b) L. XLIII. §. 43. c) Cap. 79. d) Bell. civ. L. II. c. 108. e) L. XLIV. §. 9. f) in Caes. et M. Anton.

vario metallo edocere, liberum cuivis relinquens, quod singulis pretium, quod plerumque a fortuna pendet, velit constituere. Quod ad singulos numos attinet, quo loco eos describam, monere non negligam, si qui eximia sunt raritate, et typo erudito, neque facile obvio.

Aurei sine capite I. Caesaris - - - - - -	C.
cum ejus capite - - - - - - -	RR.
Argentei sine ejus capite - - - - - - -	C.
cum ejus capite - - - - - - -	R.
Aenei I. et II. formae, in quibus hinc caput I. Caesaris, illinc Augusti, videntur esse commatis peregrini, suntque - - - - - - - -	C.
Aenei III. formae, et maximae - - - -	O.

De numis Graecis, et coloniarum actum supra.

M. IVNIVS BRVTVS IMP. qui et Q. CAEPIO.

In funesto reip. dissensu Cn. Pompeji M. partes secutus, quod libertatis ille causam obtenderat, post cladem ad Pharsalum non modo venia a Caesare donatus, sed amplissimis etiam honoribus adfectus istud tantis ejus meritis rependit, ut ejus occidendi princeps cum C. Cassio auctor esset. Atque horum recordatio beneficiorum in ipso caedis tumultu magnum advertit Caesaris animum, sic ut Bruto in percussorum turba conspecto in haec verba prorumperet: *tunc etiam inter hos es, fili?* Patrato parricidio in provinciam Macedoniam profectus, cum lege Pedia conjurationis sociis bellum indictum intelligeret, non jam reip. solum, sed suae etiam salutis causa ad vim repellendam conversus, verum ad Philippos Macedoniae ab Antonio et Octaviano victus mortem sibi ipse conscivit annum agens septimum, et tricesimum, integerrimae vir vitae, nullisque aut voluptatis, aut avaritiae corruptelis pervius, quemque unum virtutis, et honesti causa ad interficiendum Caesarem compulsum communis ferebat opinio, cum ceteris omnibus alia fuissent proposita. At enim multum a vera laude detraxit, non tam, quod decreta Caesaris nece pius in patriam esse non poterat, quin sese in parentem alterum comprobaret impium, quam quod obversari animo debuit, inutilem eam fore, inconsultamque pietatem, multis pro uno in ea morum corruptela paratis Caesaribus, et quod eventus docuit, multo superbius atrociusque victoria usuris. Confer insigne Senecae hoc super argumento judicium [a]). At idem aeternam vitae suae inussit maculam, quando concepto vitae abjiciendae proposito illud Herculis palam professus est [b]):

a) De Beuafic. L. II. c. 20. b) Dio L. XLVII. c. 49.

Ω τλημων ἀρετη, λογος ἀρ' ἠσθ'. ἐγω δε σε
Ως ἐργον ἠσκουν. συ δ' ἀρ' ἐδουλευες τυχη.

Ah misera virtus, verbum nempe eras, ego vero te
Tanquam rem colebam; at tu serviebas fortunae.

Ex quo maxime patuit, cum virtutem sequeretur, virtutem ipsam omisisse. Vide Appianum, Florum, Dionem, ac praecipue Plutarchum in ejus vita.

Numi:

BRVTVS. *Caput L. Bruti nudum barbatum.*

AHALA. *Caput Servilii Ahalae nudum barbatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

M. BRVTVS. IMP. COSTA. LEG. *Caput M. Bruti modeste barbatum intra coronam quernam.*

L. BRVTVS. PRIM. COS. *Caput L. Bruti nudum barbatum intra coronam quernam.* AV. (Mus. Caes.)

LIBERTAS. *Caput Libertatis.*

BRVTVS. *Consulis processus inter duos lictores praeeunte accenso.* AR. (Mus. Caes.) Restitutus etiam a Trajano.

Aquila d. crure lauream stringens.

ΚΟΣΩΝ. *Consul procedens inter duos lictores, in nonnullorum area monogramma ex litteris* LB *conflatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Multa ad praeclaros hos numos observanda, et digno operae pretio. Omnes aut caput vetusti illius L. Iunii Bruti, qui reges urbe exegit, primusque in libera civitate consul fuit, aut argumentum offerunt, quod ad eum pertineat. Iure hoc loco quaeritur, utrum a vetere illo L. Bruto noster M. Brutus genus duxerit. Erant inter ipsos veteres, qui adfirmarent, et qui negarent. Inter hos princeps Dionysius Halic. a) testatus nobilissimos rerum Rom. scriptores negat ullos Lucio relictos liberos seu mares, seu feminas, caesis nempe ab ipso patre geminis filiis, quod cum Tarquiniis colluserant. Addit argumentum, cui, ut putat, contradici nequeat, Lucium fuisse generis patricii, at Iunios, et Brutos, qui se ab eo profectos gloriantur, omnes fuisse plebeios, et obivisse plebeiorum magistratus. Similia praedicat Dio forte ex Dionysio hausta b), additque, a multis de industria in vulgus sparsum, Marcum a Lucio descendere, ut recordatione generis ad evertendum quoque Caesarem tyrannum excitaretur. Ab his diversi abeunt alii. Etenim Plutarchus advocato teste Posidonio duos quidem filios ait a L. Bruto securi percussos, sed relictum tertium adhuc infantem, qui genus propagavit. Nonnullos etiam eorum, qui ex gente Iunia fuerunt, eodem teste repraesentasse facie Bruti statuam c). At multo hoc gravior Cicero testis sic in patrum senatu locutus est d): *Fuerit ille L. Brutus, qui et ipse regis dominatu remp. liberavit, et ad similem virtutem, et simile factum stirpem in prope quingentesimum annum propagavit.* Luculentius alibi de Decimo, et Marco Brutis conjurationis auctoribus agens e): *Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti*

a) L. V. p. m. 292. b) L. XLIV. c. 12. c) in Bruto sub init. d) Philipp. I. c. 6.
e) Philipp. II. c. 11.

imaginem quotidie videret, *alter* (Marcus) *etiam Ahalae?* Plura hujus oratoris testimonia idem probantia videsis in commentariis Havercampi ad Morellii familias pag. 220. Haec veteres, quo in dissidio potius adducor, ut credam, adfictam eam fuisse originem, nota illo aevo hominum vanitate vetustas origines venantium, quorum copiosa exempla ipsi numi ex Calpurniis, Marciis, Pomponiis suppeditant, ut taceam fabulosa Iuliorum, Antoniorum, Mamiliorum, Fabiorum. Quod ipsum conquestus Livius *vitiatam*, ait [a]), *memoriam funebribus laudibus reor*, *falsisque imaginum titulis*, *dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum*, *honorumque fallente mendacio trahunt. Inde certe et singulorum gesta*, *et publica monumenta rerum confusa.* Huc refer, quae dixi in Prolegomenis ad numos familiarium cap. XII. Fecerit vero similitudo nominum, et facti seu desiderati, seu deinde patrati, ut cognationem hanc veram cuperent, quibus tum rerum status non adrisit, quoniam ita sumus a natura comparati, ut, quod volumus, libenter credamus. Auxerit superstitionem, quod *gentiles* non modo vocabantur ii, qui ex eadem gente fuere, sed etiam, qui eodem tantum nomine. Cicero [b]): *Gentiles sunt*, *qui inter se eodem sunt nomine.* Iure adeo idem dixit alibi [c]): *Pherecydes Syrius primum dixit*, *animos hominum esse sempiternos*; *antiquus sane*, *vixit enim meo regnante gentili*, nempe Servio Tullio, cui tamen cum Tullio nostro Cicerone nihil commune praeter nomen fuit. Sed et ad eundem modum Festus [d]): *Gentilis dicitur et ex eodem genere ortus*, *et is*, *qui simili nomine appellatur*, *ut ait Cincius: gentiles mihi sunt*, *qui meo nomine appellantur.* Quare qui gentilis fuit nomine, potuit facile cupientibus videri gentilis sanguine quoque. Qui Dionysii auctoritati conjecturam opponunt, posteriores Iunios a patriciis ad plebeios transivisse, effugium ut quaesitum, sic necessarium nobis narrant. Non injucundum animadvertere, eandem fabulam jam primis reip. temporibus actam a quodam L. Iunio plebeio, ac ignobili, qui ut populi in montem sacrum secedentis adversum patres iras efficacius posset intendere, *Bruti* sibi cognomen indidit, primus subinde tribunus plebis creatus [e]). Haec utcumque erunt, hac fiducia non destitere multi missis in vulgus libellis Brutum ad avita facta hortari. Et vero circa tribunal M. Bruti (nam praeturam ipso caedis anno gerebat) repertae literae hoc argumento: *dormis*, *Brute!* et: *non es Brutus* [f]). Sane tollere reges Brutorum proprium est habitum; unde jocus Persii apud Horatium coram praetore M. Bruto, qui tum post Caesaris necem in Asia versabatur, sic in Rupilium cognomento Regem invecti [g]):

> *Per magnos*, *Brute*, *deos te*
> *Oro*, *qui reges consueris tollere*, *cur non*
> *Hunc Regem jugulas? Operum hoc mihi crede*, *tuorum est.*

---

a) L. VIII. c. 40. b) in Topic. c. 6. c) Tuscul. disp. L. I. c. 16. d) in Gentilis. e) Dionys. Hal. L. VI. c. 70. f) Dio L. XLIV. §. 12. Appian Bell. civ. L. II. c. 112. g) L. I. Sat. 7.

Haec in genere ad descriptos hic numos fuere observanda, descendamus ad singulos.

Numus prior hinc caput L. Bruti, inde Ahalae offert, quae ipsa utriusque capitis societas numos hos huic M. Bruto invicte vindicat. Nam, ut per patrem ad L. Brutum genus suum referre credebatur, ita per matrem Serviliam Servilium Ahalam in certis majoribus habuit, qui et ipse Sp. Melium tyrannidem adfectantem propria manu interfecit. Vide Plutarchum [a]). Praeclare numum hunc explicat Cicero verbis supra laudatis: *Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter* (Marcus noster) *etiam Ahalae?*

Numus alter imaginem iterum veteris hujus Bruti adscripto: L. BRVTVS. PRIM. COS., et tertius ejusdem processum consularem sistit. Vterque typus ad praesentem reip. statum adludit; namque ut L. Brutus pulsis regibus ipse PRIM*us* CO*n*S*ul* fuit, cumque consulibus libertatem invexit, ita M. Brutus caeso dictatore veterem dignitatem restituit, et una reip. libertatem, quae in II. numo typo coronae quernae, in III. ipso capite Libertatis indicatur. Praeclare numum hunc illustrat Suetonius, qui perhibet [b]), hanc orationem Caesaris statuae fuisse inscriptam: *Brutus, quia reges ejecit, consul primus factus est; hic consules ejecit, rex postremo factus est.*

Idem numus alter nostri quoque M. Bruti imaginem exhibet, eamque valde macilentam. Et tali fuisse eum corporis habitu, ipsius Caesaris verbis comperimus. Nam cum ad eum deferrentur M. Antonius, et Dolabella, ut qui rebus novis studerent, negabat timere sese obesos illos, et crinitos, sed pallidos hos, et macilentos, Brutum et Cassium notans [c]). Barbam modicam adpendit, nimirum propter reip. calamitatem sordes, et squalorem professus, de quo more plura disseram in moneta Augusti ad annum V. C. 717. Ceterum mirum videatur, ejus caput illatum monetae, qui libertatis sese vindicem propalam ferebat, quando istud libera rep. nunquam fuit permissum, atque istud demum I. Caesari inter immodicos alios congestos honores. Videri posset, imprudente istud Bruto attentatum ab ejus legatis, quorum plerumque nomina ejus monetae inscripta leguntur. At si fides Dioni, cujus verba infra recitabo, factum istud volente, ac praecipiente Bruto.

IMP*erator* in eodem denario, et frequenter alias inscribitur. Ejus accepti tituli et tempus, et causam prodidit Dio [d]), nimirum in Thracas Bessos eum profectum, *cum ut eorum maleficia vindicaret, tum ut nomen sibi dignitatemque* imperatoris *pararet, quo facilius contra Caesarem et Antonium bellum gerere posset, et utrumque perfecisse.* Secundum Plutarchum ipse una cum Cassio apud Sardes ab exercitu acclamatus est imperator [e]).

Restat numus IV., cujus generis magna superest copia, sic tamen, ut ar-

a) In Bruto sub init. b) in Caesare c. 80. c) Plut. in Caes. M. Anton. et Bruto. d) L. XLVII. c. 25. e) in Bruto c. 34.

gentei rariores sunt aureis. Pondere fere conspirant cum aureis imperatorum primi aevi, fabrica satis hiulca. In hos post alios liberalius commentati sunt Liebeus [a]), serius Havercampus, cujus sententia est in compendium redacta [b]), signatos videri Cosis Etruriae, cumque haec urbs deducta sit colonia V. C. 480, ut docet Velleius, necesse esse, cusos ante istud tempus, quia Graeca lingua inscripti sunt, qua Etrusci veteres, antequam Romanis subjicerentur, usi sunt; propositos vero in numo lictores cum fascibus, et aquilam, nempe insignia imperii Etruscis pridem cognita, atque ab his Romam volente Romulo traducta. Secutus est Havercampus hac in sententia antesignanos Tristanum, et Patinum [c]). Molestum tamen fuit viro erudito scriptum in typis Morellianis ΚΩΣΩΝ, cum ΚΟΣΩΝ scribi oporteret, si urbem Cosas epigraphe indicaret, deinde quod temporibus istis moneta aurea nondum signata est in Italia. Quare verisimile quoque visum, vocabulum ΚΩΣΩΝ *nomen magistratus urbis Asiae vel Graeciae esse, quae tempore Cassii et Bruti numum cuderit, literas monogrammatis* ΛΒ *initiales esse primi consulis L. Bruti.* Haec Havercampus, qui tamen frustra se turbari passus est Morellii iconismis; nam in archetypis omnibus, quorum magnam copiam vidi, nunquam ΚΩΣΩΝ, semper ΚΟΣΩΝ scriptum legi. At expendendum primum fuerat Havercampo, omnibusque, qui numos hos Cosis tribuerunt, sitne verisimile, urbem exigui nominis, et de cujus opibus non constat, tanta copia aureos feriisse, quanta Graecarum urbium nullam, ne potentissimas quidem Syracusas ex hoc metallo fudisse novimus? an tantos proventus dabimus urbeculae Etruscae, cum alias ejus gentis urbes opibus multo superiores monetam auream nunquam signasse ex ipso ejus defectu jure arguamus? Multo igitur magis probabilis altera sententia, quae cusos eos imperante Bruto in urbe quapiam Graeca, Cosone operi praefecto, conjicit. Praeterquam enim quod typus proxime cum reliquis Bruti numis conspirat, animadvertendum etiam, ipsam fabricam rudiorem opus tumultuarium, et per subitas causas imperatum testari. Deinde non parum sententia haec juvatur oratione Appiani narrantis [d]), Polemocratiam reguli cujusdam Thracii uxorem caeso ab inimicis marito, cum filio suo metueret, ad Brutum profectam, et filium ei suum commendasse, et mariti thesauros tradidisse, magnam in his repertam auri argentique copiam, unde, addit, signatum a Bruto numisma. Non metuo levis, aut inconsultae conjecturae notam, si numos hos eosdem esse putem, quos hoc loco indicavit Appianus, praecipue cum eam temporis, locique peristases multum adjuvent. Et vero testari ipse possum, frequentes id genus numos nobis ex Dacia, et inferiore Hungaria adferri, quo ipso alveo tot ad nos Philippi, Alexandri, Lysimachi adfluunt, ex quo ipso facile intelligas, signatos in tractu vicino hos

a) Goth. num. p. 15. b) ad Famil. Morellii p. 223. c) Num. fam. p. 140. d) Bel. civ. L. IV. c. 75.

numos, dispensatosque, ubi et bellum civile gessit Brutus, frequentiusque propterea nunc ibi reperiri. Signatae quoque Bruti et Cassii nomine monetae ex collatitio auro, et argento alibi meminit Appianus [a]). Denique additum monogramma L B facile L. Brutum primum consulem inter lictores procedentem indicat. Quibus expensis causis jure numos hos Cosis Etruscis ademptos genti Iuniae restituimus. Neumannus eos posse tribui *Cosseae* Thraciae urbeculae, quam memorat, Stephanus, conjecit, sed sic, ut facile pateat, eum ad hanc opinionem necessitate adactum inclinavisse [b]).

* * *

BRVT. IMP. L. PLAET. CEST. *Caput M. Bruti nudum modeste barbatum.*

EID. MAR. *Pileus libertatis inter duos pugiones.* AR. (Mus. Caes).

LIBERTAS. *Caput Libertatis.*

P. R. REST. *in aliis:* RESTITV. *Pileus libertatis inter duos pugiones.* AR. (Mus. Caes.)

En pugiones, funestae caedis instrumenta, in rarissimis his denariis propositos, quos libertatis obtentu non dubitavit Brutus, Caesaris, quod ad se attinebat, de se optime meriti sanguine cruentare *facto pius, et sceleratus eodem.* Denarium priorem jubente ipso Bruto percussum tradidit Dio, cujus verba, quoniam cimelium istud secundum omnes modos graphice describunt, placet utraque lingua proponere: *και ἐς τα νομισματα, ἁ ἐκοπτετο, εικονα τε ἀυτου, και πιλιον, ξιφιδια τε δυο ἐνετυπου, δηλων ἐκ τε τουτου και δια των γραμματων, ὁτι την πατριδα μετα του Κασσιου ἠλευθερωκως ἐιη,* *etiam numis, quos feriundos curavit, imaginem suam, pileumque, et duos pugiones impressit, typo hoc et inscriptione declarans, sese una cum Cassio patriam liberasse* [c]). Epigraphe EID. MAR. feralem diem *idus Martias* eloquitur, quo triste parricidium perfectum est. In denario altero utriusque faciei epigraphen conjungendam patet, nimirum ut sensus sit: *Libertas populi R. restituta.* Has idus Martias appellatas fuisse *parricidium*, dixi supra in titulis I. Caesaris.

* * *

Q. CAEPIO. BRVTVS. IMP. *vel* PROCOS.

His nominibus M. Iunius Brutus noster frequenter in numis notatur, quae etiam a veteribus confirmantur. Omnium princeps testis esto Cicero, qui eum in fine Philippicae X. repetitis vicibus *Q. Caepionem Brutum proconsulem* appellat. Ex quo certum fit, adoptatum eum fuisse a Q. Servilio Caepione, qui fuit ejus per Serviliam matrem avunculus. At non more consueto, producto nempe gentis nomine, se dixit *Iunianum*, forte quod eodem tempore jam fuit Crassus Iunianus, sed adoptantis cognomen *Caepio* sede motum in nomen vertit, retento suo Bruti cognomine. Advertit etiam istud auctor *de Ratione nominum*, qui Val. Maximo subjici solet [d]), *quin etiam*, inquit, *quaedam cognomina in nomen versa sunt ut Caepio, namque hoc in Bruto nominis locum*

---

a) Bell. civ. L. V. c. 6. b) Num. pop. P. II. p. 128. c) L. XLVII. §. 25. d) pag. m. 877.

obtinuit. Dioni dicitur ὁ Καιπιων ὁ Βρουτος ὁ Μαρκος a).

Nominis IMP. causam supra exposui, PROCOS. dicitur, quia Macedoniam provinciam proconsulari potestate rexit.

Numos sic inscriptos latius hoc loco enarrare supervacaneum puto; nam cum plerique a quopiam Bruti legato, vel proquaestore signati sint, in horum ipsorum moneta descripti jam sunt. Sunt autem: M. SERVILIVS. LEG. — L. SESTI. PROQ. — L. PLAET. CEST. — LENTVLVS. SPINT. Corneliae, — COSTA. LEG. Pedaniae — CASCA. LONGVS. Serviliae — C. FLAV. HEMIC. LEG. PROPR.

Typi in his nihil magnopere memorabile offerunt, et qui ad ipsos Bruti legatos pertinent, eos in singulorum denariis explicatos habes. Instrumenta pontificalia saepe Bruto tribuuntur. Et vero fuisse eum pontificem, innuit Cicero in epistola V. et XV. ad hunc Brutum.

PRETIVM.

Aurei cum Bruti capite - - - - - - -	RRRR.
Argentei cum eodem - - - - - - -	RRR.
Argentei sine hoc - - - - - - - -	R.
Aenei - - - - - - - - - - -	O.

C. CASSIVS IMP.

C. Cassius Longinus magni in hujus aevi historia nominis, sed famae ambiguae, notatus praecipue a crudelitate, qua in victos usus est. M. Crassum ad bellum Parthicum pro quaestore secutus rem Romanam ducis temeritate in Oriente perditam praeclare restituit, Syriamque exactis Parthis vindicavit. In bello civili partes Pompeji amplexus, et hoc victo venia donatus a Caesare, et una cum Bruto ad praeturam promotus, auctor ipse huic conjurandi in Caesarem fuit. Hujus caede perpetrata in Syriam sibi pridem decretam contendit, mox a senatu confirmatam addito imperio. Victis in Asia Dolabella, Rhodiisque, et junctis cum Bruto copiis ad Philippos cum M. Antonio, et Octaviano signa confert, victusque caput servo amputandum praebet V. C. 712.

* * *

C. CASSEI. IMP. *Caput muliebre laureatum.*

M. SERVILIVS. LEG. *variis typis, quos explicatos vide in gente Servilia.* AV. AR. (Mus. Caes. Morelli in fam. Cass.)

C. CASSI. IMP. LEIBERTAS. *Caput muliebre nimbo redimitum, in aliis praeterea velatum.*

LENTVLVS. SPINT. *variis typis, quos explicatos vide in Cornelia.*

---

a) L. XLI. §. 63.

Addita vox IMP. confirmat, quod referunt rei Rom. scriptores, Cassium cum imperio in Syriam missum. Sed et Sardibus una cum Bruto ab exercitu acclamatum imperatorem, narrat Plutarchus [a]). Libertatis caput jure in his numis praefulget, quoniam ejus obtentu arma sumpsit. Facile patimur, scribi LEIBERTAS pro LIBERTAS, at durius est scriptum CASSEI pro CASSI., quanquam et hoc excusavimus in Prolegomenis ad numos Familiarum cap. VII. §. 3.

* * *

M. AQVINVS. LEG. LIBERTAS. *Caput muliebre nimbo redimitum.*

C. CASSI. IMP. *Tripus imposita cortina.* AV. (Mus. CAES.)

Hunc numum jam dedimus in gente Caecilia.

PRETIVM.

Aurei - - - - - - - -	RR.
Argentei - - - - - - - -	R.
Aenei - - - - - - - -	O.

SEX. POMPEIVS IMP.

Pompeii M. filius natu minor victo caesoque patre in Hispanias cum fratre seniore Cnaeo profectus universam eam regionem propter veterem gentis in patrem adfectum facile in armorum societatem pertraxit, sed victus a I. Caesare ad Mundam V. C. 709, caesoque fratre Cnaeo jam unus superstes latebris aliquamdiu salutem texit. Confirmatis interim partibus prodire ausus, et sese Pompeium profiteri, interempto paullo post Caesare in bona etiam paterna successit, et praefecturam classis, et orae maritimae decernente senatu abstulit, cum repente proscriptum se lege Pedia, tanquam conscius caedis Caesarianae fuisset, intellexit. Tum vero ad vim conversus, Sicilia, quam tenuerat, praesidiis munita, receptisque plurimis, quos fortuna proscriptioni eripuit, usque eo maria classe infesta reddidit, ut urgente urbem fame Antonius, et Octavianus V. C. 715 pacis cum eo conditiones inire cogerentur, qua Sicilia, Sardinia, Corsica, et Achaia ejus imperio subjiciebantur. Anno sequente rupta iterum pax, victoque aliquoties mari Octaviano ducibus Mena, et Menecrate libertis paternis, cum fortuna neque uti sciret, neqae per elatos immodice animos posset, V. C. 718 III. non. Sept. ab Octaviano navali praelio fusus fugatusque, et in Asiam elapsus, jussu M. Antonii apud Midaeum Phrygiae, ut refert Dio, vel secundum Strabonem [b]) et Appianum [c]) apud Miletum occisus est V. C. 719. consulibus L. Cornuficio, et Sex. Pompeio Sex. F., qui

a) In Bruto cap. 34. b) L. III. p. m. 209. c) Bell. civ. L. V. c. 144.

diversus fuit a Sex. Pompeio nostro, ut diserte Dio [a]), nam eodem teste consulatus, qui destinatus illi fuit, orto inter aemulos bello abrogatus est [b]).

Ejus ingenium his verbis descripsit Velleius [c]): *Hic adolescens erat studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus, manu promptus, cogitatione celer, fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, servorumque servus, speciosis invidens, ut pareret humillimis.*

Numi:

SEX. MAGN. PIVS. IMP. *Caput Cn. Pompeji patris, infra quod* SAL.

PIETAS. *Mulier stans d. ramum, s. hastam.* AR. (Morelli in fam. Pomp.)

MAGN. *Caput Iani gemini imberbe.*

PIVS. IMP. *Prora navis.* AE. I. obvius.

Frequenter in numis suis patris Magni caput proposuit Sextus. Caput istud ambiguum non est; nam eadem ejus sunt lineamenta in numis Pompejopolis Ciliciae, quae et Solopolis, cujus is conditor est habitus, ut dictum ad hujus urbis numos. Suffragatur etiam oratio Plutarchi, qui, dum ejus formam describit, memorat quoque ἀναςολὴν τῆς κομῆς ἀτρέμα, *comam nonnihil sursum projectam* [d]), ipsum vero plenum majestatis, gravitatisque, ac propterea Alexandri M. similem habitum. Adde, quod Lucanus de Pompeji M. crinibus memorat [e]):

illa veranda
Regibus hirta coma, et gene rosa fronte decora.
Caesaries compressa manu est.

Et Silius Italicus [f]):

Ille, hirta cui subrigitur coma fronte, decorum
Et gratum terris Magnus caput.

Adstituitur plerumque lituus signum auguratus, de quo infra.

Epigraphe capiti Pompeji M. addita ad Sextum pertinet, quem morem hic constanter tenuit, saltem in numis, quos haud dubie ab eo signatos constat. Dicitur in denario IMP*erator*, de quo titulo agam in sequentibus. Singulare est το SAL. Pompeji capiti subjectum. Fuere, qui literas has legendas SAL*duba*, quod fuit vetus Caesaraugustae nomen, existimarunt, quos inter fuit Iobertus [g]), sed quam ibi sententiam jure explosit Bimardus, qui ejus loco legendum SA*Lus* conjecit, sed quod ipsum quoque propter multas causas non satis adridet. Ingeniosa est Vaillantii explicatio, qui citat Appianum, cujus verba sunt Latine reddita in editione Henr. Stephani pag. 729. Sextus *tantum Neptuni sacris operabatur et SALATIAE, quorum etiam filium appelari se sustinuit.* De hac Salacia Festus: *Salaciam dicebant deam aquae, quam putabant salum ciere, hoc est, mare movere.* Ejus meminit quoque Varro [h]), *Salacia Neptuni ad salo*, et Cicero [i]) narat creditum aliquibus, *Oceanum, Salaciamque Coeli*

a) L. XLIX. §. 18. b) L. XLVIII. §. 54. c) L. II. c. 73. d) in Pompeio sub init. e) Phars. L. VIII. v. 679. f) Punic. L. XIII. v. 861. g) Tom. II. pag. 165. h) de L. L. lib. IV. i) in fragmento Timaei cap. XI.

satu, Terraeque conceptu generatos editosque. Servio fuit cognomen Thetidos [a]), alibi eadem cum Venilia [b]), alibi idem narrat, factum ex Neptuno Tritonis matrem [c]). Appuleius eam in numero deorum marinorum recenset [d]). Denique bis eam prodidit D. Augustinus, dixitque Neptuni sponsam [e]), numen igitur per tot veterum praeconia nobile, et illustris nominis. Existimat ergo Vaillantius, quemadmodum Sextus se in denariis aliis, quos proxime recensebimus, Neptuni filium dixit, ita in hoc se Salaciae filium profiteri. Res dubio non careret, nisi obturbaret textus Graecus Appiani, in quo sic legitur [f]): *ἀλλ' ἔθυε μονον θαλασσῃ και Ποσειδῶνι, και υἱος ἀυτων ὑφιςατο καλεισθαι*, nimirum pro *Σαλατιᾳ* scribitur *θαλασσῃ*, quam difficultatem jam vidit Havercampus in suo ad Morellii familias commentario. At cum interpres Appiani in editione Henr. Stephani tam confidenter verterit *Salatiae* pro *maris*, verisimile est, eum exemplar prae manibus habuisse, in quo revera legebatur *Σαλατιᾳ*, quod librarii parum eruditi, quibus de Salacia dea nihil constiterit, in adfinem vocem *θαλασσῃ*, proniore, ut putaverint, sensu correxerint. Voci *Σαλατιᾳ* suffragatur etiam, quod secus oratio veram tautologiam includeret: *sacrificare mari et Neptuno, esse filium maris, et Neptuni.*

MAGNVS dicitur in numis Sextus, quod nomen a patre hereditarium habuit, deinde PIVS, cum quod in patriam videri pius volebat receptis civibus proscriptis, et ex Philippensi clade elapsis, tum quod patris mortem inter maxima pericula ultum ibat. Pompeiorum item in pugna ad Mundam tessera fuit *Pietas* [g]). Ad cognomen istud etiam typo Pietatis, et fratrum piorum adluditur, ut dicetur.

Ad numum alterum aeneum advertit Havercampus, in similibus capita Iani ad omnia Cnaei patris lineamenta formata esse, quod verum esse, ex similibus musei Caesarei colligo. Typi ex Romanorum assibus cogniti sunt.

*
* *

MAG. PIVS. IMP. ITER. *Caput Pompeji patris, prae quo lituus, pone urceus.*
PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT. EX. S. C. *Neptunus nudus d. acrostolium dextero pede prorae navis insistit, hinc et illinc fratres pii parentes efferunt.* AR. (Mus. Caes.)

MAG. PIVS. IMP. ITER. *Triremis, supra quam turricula rotunda fenestris patens, cui superne insistit Neptunus d. hastam, s. delphinum, s. pede prorae navis imposito, juxta proram aquila legionaria, pro puppi thyrsus et tridens.*
PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT. EX. S. C. *Scylla canibus succincta sublato remo ictum intentat.* AR. (Mus. Caes.)

MAG. PIVS. IMP. ITER. *Caput Neptuni, pone tridens.*
PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT.

---

a) Ad Georg. I. 31. b) ad Aen. X. 76. c) ad Aen. I. 144. d) Metam. L. IV. p. m. 81, et Apolog. p. m. 279. e) de Civ. dei L. IV. c. 10, et L. VII. c. 22. f) B. C. L. V. c. 100. g) Appian. Bell. civ. L. II. c. 104.

EX. S. C. *Tropaeum navale Scylae canibus horrens.* AR. (Mus. Caes.)

NEPTVNI. *Caput Pompeji patris prae quo tridens*, *infra delphinus.*

Q. NASIDIVS. *Navis turgente velo*, *juxta astrum.* AR. (Mus. Caes.)

In his numis jam se IMP*eratorem* ITER*um* appellat. Imperator *primum* dictus videtur ex rebus adhuc in Hispania praeclare gestis. Nam cum post cladem Mundensem vires iterum collegisset, cum Asinio Pollione congressus, quem I. Caesar ad tuendam Hispaniam miserat, insignem victoriam retulit [a]). Auctus deinde numerus ex aliqua victoria maritima, quarum plures de Octaviani classiariis retulit, de quibus infra. Non omittendus hoc loco numus Morellianus, in cujus antica idem est typus, qui in denario ex citatis III. addito etiam IMP. ITER., in aversa: IMP. TER. Tropaeum. Eum Havercampus refert ad victoriam ad Tauromenium, ex qua, ut illi videtur, IMP. TER. fuerit compellatus. At mirum, Sextum in eodem numo dici IMP. ITER. et IMP. TER. Si reflexisset animum ad numum VIII. tabula V. gentis Antoniae apud Morellium, vidisset, aversam hujus denarii ad M. Antonium pertinere, quem adeo vix dubitem ex subaeratis unum esse. Non ergo ex hoc numo argui potest, Sextum tertio fuisse acclamatum imperatorem.

PRAEF*ectus* CLAS*sis* ETORAE MARIT*imae* EX. S. C. in plerisque suis numis dicitur. Nimirum victo post Caesaris necem Asinio Pollione, ut supra diximus, cum augeretur ejus potentia, perfecit, ut ex S. C. non modo sua sibi bona redderentur, sed etiam classis imperium committeretur, quo etsi subinde agente Octaviano privaretur, classem retinuit tamen, cumque sese paullo post proscriptum intelligeret, occupata continuo Sicilia vim opposuit, suasque fortiter ultus injurias seu interceptis navibus frumentariis, seu multata aliquoties Octaviani classe perfecit denique, ut IIIviri pacis cum eo conditiones inire cogerentur, ut principio dixi. Cum igitur Sextus priore senatus consulto staret, perrexit praefecti classis titulum numis suis inscribere. Vide de his Dionem [b]), et Velleium [c]). Ad hoc maris imperium, tum et victorias mari relatas adludit frequens in Sexti denariis typus Neptuni, aut navis.

NEPTVNI scriptum juxta caput Pompeji M., et legendum NEPTVNI *filius*, quem se esse professus est Sextus. Enimvero teste Dione [d]) et Appiano [e]) ex aliquot secundis mari adversus Octavianum successibus adeo animos extulit, ut Neptuni se filium palam ferret, praecipue quod et pater ejus imperium quondam maritimum habuisset, pro puniceo caeruleum paludamentum sumeret, et equos virosque vivos in mare abjiceret. Ad hanc ejus animi impotentiam adlusit Horatius [f]):

Vt nuper actus cum freto NEPTVNIVS
DVX fugit ustis navibus.

Eadem insania jam olim Clitus, postea-

a) Dio L. XLV. §. 10. b) L. XLV. 10. L. XLVII. 12. L. XLVIII. 17. c) L. II. c. 73.
d) L. XLVIII. §. 19. et 48. e) Bell. civ. L. V. c. 100. f) Epod. IX. 7.

quam apud Amorgum aliquot triremes depressit, Neptunum se appellavit, et tridentem gestavit [a]).

Denarius I. praeter Neptuni typum habet fratres pios Catanenses, qui nempe ad cognomen *Pii* adludunt. Horum unus est etiam in numis gentis Herenniae, uterque in numis Catanae, ex quibus nobilis hujus fratrum paris historiam pete. Denarius II. turriculam triremi imminentem exhibet, quam Vaillantius propugnaculum navi more veterum impositum, Havercampus monumentum in Neptuni honorem in litore erectum existimat. Vtrumque incertum. Ejus aversa Scyllam horrido cultu, et adducto remo obvia pulsantem exhibet, quo Sextus detrimenta, quae Octavianus in freto Siculo eo ipso loco, quo Scyllae cubilia fuere, accepit, proposita ejus monstri imagine ob oculos ponit. Vide hanc Octaviani cladem apud Appianum [b]). Ad eandem pertinet quoque tropaeum navale denarii III. Istud Scylla monstrum marinum jam ex Homero cognitum [c]), sed qui illi pedes XII., et sex colla praelonga totidem capitibus praefixa tribuit dissimulata virginis forma, quam haud dubie Graeci posteriores elegantiae magis studiosi addiderint, ut argumentum gratius variarent. Scyllae imago, quam Virgilio debemus, qui eam non multis post cusos hos numos annis pinxerat, magis cum numis conspirat [d]):

Prima hominis facies, et pulchro pectore virgo
Pube tenus, postrema immani corpore pistrix,
Delphinum caudas utero commissa luporum.

Lupos appellat, quos a canibus una feritas distinguit. Serius Ovidius [e]):

Illa feris atram canibus incingitur alvum,
Virginis ora gerens.

Haec etsi nota, commemoranda tamen videbantur, ut artificum a vetustissimis poetis discrepantia in nonnullis intelligatur, quam in fingenda eadem hac Scylla jam advertit Themistius [f]). Simillimam Scyllae imaginem habet etiam numus Tarsi Ciliciae, ac praecipue numi contorniati, Vlyssis per fretum Siculum iter, sociorumque jacturam graphice exprimentes, et similis perelegans exstat inter picturas Herculanenses [g]). Scyllae effigiem remum alte jactantis artifices cum poetis communem habuere. Sic nempe etiam Syllius Italicus [h]):

Scylla super, fracti contorquens pondera remi,
Instabat, saevosque canum pandebat hiatus.

* * *

S. POMP. *Caput nudum barbatum.*

Sine epigraphe. Navis turgente velo, in area triquetra. AV. Quin. (Mus. M. Ducis.)

MAG. PIVS. IMP. ITER. *Caput nudum modeste barbatum intra coronam quernam.*

PRAEF. CLAS. ET. ORAE. MARIT.

---

a) Plut. de fort. Alex. or. 2. b) Bell. civ. L. V. c. 81. c) Odyss. M. 85. d) Aen. III. 428. e) Metam. XIII. 732. f) Orat. XXII. p. 279. g) Tom. III. tab. 21. h) Punic. V. 155.

EX. S. C. *Caput nudum Pompeji patris, pone lituus, cui adversum est caput alterum nudum modice barbatum, pone tripus.* AV. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Caput Pompeji patris nudum.

Eadem epigraphe. Capita duo nuda adversa, quorum dextero adstituitur lituus, sinistro guttus. AV. (Liebe Goth. num. p. 29.)

Numum ex his primum olim edidi, et pictum stiti a), in quo veram exhiberi Sexti effigiem verisimile est, etsi lineamenta multum differant a capitibus numorum sequentium, in quibus probabile item est, ut dicetur, ejus offerri imaginem. Numi II. et III. multum facessunt molestiae. Mitto brevitatis causa, quae eruditi varii ad eos explicandos protulere, et ea, quae verisimilia videntur, solum persequar. Caput anticae numi II. esse ipsius Sexti, omnia persuadent. Barbam modice promittit sueto ejus aetatis cultu; nam eam aluerunt etiam saltem aliquamdiu Octavianus, M. Antonius, Brutus, cujus causa fuere aut luctus privatus ob violentam patris, aut benefactoris mortem, aut publicus ob reip. calamitates, ut in singulorum numis observamus. In Sexto nostro honesta quidem, sed tamen adfectata continuati luctus causa esse potuit bellum cum Octaviano repetitum, quasi nimirum invitus vetera reip. vulnera refricare cogeretur. Eadem etiam de causa Octavianum ultra praefinitum tempus promisisse barbam, in ejus moneta ad annum V. C. 717 verisimile dicam. Sexti caput ambit corona querna, qua quidem jure gloriari poterat, quod ea servatorum civium decus habita est, ipse vero copiosis, qui proscriptionis vim evaserant, perfugium praebuit, eosque, cum primum facultas dabatur, cum IIIviris reconciliavit, patriaeque reddidit b). Pars aversa ad latus dexterum luculentum exhibet Pompeji patris caput, ut praeter exemplar Morellianum docent similes duo integerrimi numi musei Caesarei. Pone adstituitur lituus, quia fuit augur docente ipso Cicerone c). Quod huic opponitur caput, secundum plerosque est Cnaei filii, qui Sexti frater natu major fuit, et in Mundensi praelio occubuit, atque verum ut fatear, cujus alterius esse possit, ignoro. Barbam ut promitteret, impulit luctus patris ulciscendi causa advocatus. De tripode pone ejus caput posito agetur continuo.

Numus III. caput Pompeji patris in anticam trajicit. Quae sint capita aversae, inquirendum. Nemo erit, qui non primo aspectu ea Cnaeo et Sexto filiis esse propria velit, sic ut quod ad dexteram est, sit Cnaei, quod ad sinistram, Sexti. Sed tamen est magni momenti causa, quae sententiam hanc graviter ferit. In numo praecedente vidimus, capiti, quod esse Cnaei putamus, adstitui tripodem, in hoc videmus lituum. Esse hunc auguratus certum indicium, quis nescit? Sed neque auguratui repugnat tripus secundum verba Martiani Capellae d): *Oeonistice tertia est, per quam tripus illa ventura denunciat, atque omnis eminuit nostra cortina etc.* Secundum ergo hos numos habebimus

a) Num. vet. p. 312. b) Dio L. XLVIII. §. 36. c) Philip. XIII. c. 5. d) L. VIII.

Cnaeum augurem. At eum hoc sacerdotio fuisse insignem, non modo veterum nemo prodidit, sed neque ex instituto Romanorum, et per ipsas ejus temporis causas esse potuit. Enimvero aut patre vivo, aut mortuo in augurum conlegium fuisset cooptatus. Non patre vivo, nam ex luculento Dionis testimonio, quod totum in numis Lentuli Spintheris recitavi, lex aperte prohibebat, ne duo ex una gente idem sacerdotium haberent. Vtrum in hac observanda satis semper diligentes fuerint Romani, non inquiro. Istud certum, non occurrere exemplum rep. integra (nam aliud paullo post imperatoribus placuit) sacerdotii duobus, saltem ex eadem familia, simul vivis delati, de quo lege disserentem copiose Norisium [a]). Sequitur ergo, quamdiu in vivis fuit pater, quoniam hic, ut diximus, augur jam fuit, in filium conferri auguratum non potuisse. At videri possit caesi patris honorem ipse adeptus. Quo conferente? certe non I. Caesare, cujus ille inimicus fuit, quique deinceps honores omnes iis, qui de se bene meriti fuere, elargitus est. Ergo si caput illud est Cnaei filii, quid ad eum lituus? sin non est hujus Cnaei, cujus erit? Ardua res, fateor, hunc amoliri lapidem, etsi nihili is labor visus Havercampo. *Sed facile*, inquit, *dispelli potest haec objectio. Patre Cnaeo defuncto honor iste conveniebat Cnaeo ut filio majori, ideoque ad ejus faciem signatus a Sexto; Cnaeo occiso heres paterni honoris erat Sextus.* Eugepae! ergo sacerdotia ut hereditates ad filios transivere, atque ut in nomen Magni, sic et in auguratus honorem utrique filio jus fuit? Sin istud, cur necesse fuit Ciceroni, hortari populum R., ut Sextum in augurum conlegium cooptarent, si per Cnaei fratris mortem auguratum jam adivit [b])? Vtrum haec longius refutanda? Addit continuo: *Sextum non tantum augurem, sed et pontificem fuisse.* Novi, antiquitus quoque utrumque sacerdotium uni eidemque delatum. Sic Q. Fabius Maximus, is, qui Cunctator dictus est, una augur, una pontifex fuit teste Livio [c]). An vero et simile jus delatum Sex. Pompejo? Quid quod Sextus neque augur, neque pontifex unquam fuit, aut augur esse potuit. Mirabitur istud Havercampus, et qui haec inconsultius adseruere, sed facile sententiam tuebimur. Fuisse augurem, probant ex Cicerone [d]): *in primis paternum auguratus locum, in quo eum* (Sextum) *mea nominatione COOPTABO.* An vero etiam tum cooptatus? Sin istud, quae causa fuit, cur ei quadriennio serius, ut mox patebit, auguratus decerneretur? V. C. 715 conventum inter Sextum, et IIIviros, Sextum *ὑπατον τε αἱρεθηναι, και οἰωνιςην ἀποδειχθηναι, consulem creari, et augurem DESIGNARI*, ut narrat Dio [e]), quod idem his verbis Appianus refert [f]): *και της μεγιςης ἱερωσυνης ἐς τους ἱερεας ἐγγραφηναι, et ut inter pontificatus maximi sacerdotes cooptaretur.* Quod vero non statim cooptatus est, in causa fuerit, quod plenus jam esset augurum

---

a) Cenot. Pis. diss. II. c. 7. b) Philip. XIII. c. 5. c) L. XXX. c. 26. d) l. c.
e) L. XLVIII. §. 36. f) Bell. civ. L. V. c. 72.

numerus, quem augere per leges non licuit, ac proinde mors unius exspectanda. Quod vero maxime probat, eum auguratum nunquam consecutum, est alterum Dionis testimonium, quo refert a), IIIviros ortis iterum V. C. 717 novis irarum causis *Sex. Pompejo consulatum, et sacerdotium, quae ei DESTINATA fuerant, ademisse*, τον μεν Σεξτον της τε ἱερωσυνης ἁμα, και της ὑπατειας, ἐς ἡν ἀπεδεδεικτο, ἐπαυσαν. Enimvero si auguratum jam suscepisset, qua is ratione etiam ab iratis adimi potuisset, cum sacerdotium illud ex vetere instituto perpetuum fuerit b)? Plinius junior auguratum vocat *sacerdotium cum priscum et religiosum, tum hoc quoque sacrum plane et insigne, quod non adimitur viventi*, et diserte Plutarchus c) nunquam auguri, etsi summorum flagitiorum comperto, abrogari sacerdotium, aliumque in ejus locum fieri testatur, etsi istud contingat alterius ordinis sacerdotibus. Sane si adimi sacer hic magistratus potuisset, et reipsa Sexto tum ademptus fuisset, non dubitasset Octavianus aliquot post annis eundem quoque auferre M. Antonio, quem non dubitavit consulatu designato, ac reliqua potestate omni privare d). Eadem de causa Lepido, etsi imperio eum exuisset, in exilium ejecisset, et omnibus modis vexasset, tamen pontificatum maximum, quoad vixit, non ademit, etsi, ut eum susciperet, saepius a populo interpellatus, quia hic quoque perpetuus fuit, et viventi adimi non potuit. Ex quibus et testimoniis, et exemplis certum utique, Sexto nequaquam auguratum, sed jus, quod ad illum per nominationem, et pacta obtinendum habuit, fuisse abrogatum.

Ex his ergo, quae fusius, ac forte non inutiliter disputavi, liquet, quam difficile sit, de utroque aversae capite certi quid constituere, cum certum sit, Pompeji M. liberos nunquam auguratus honorem esse consecutos. Si caput numi postremi ex latere sinistro positum vere est Sex. Pompeji, ut creditur, minus laboro propter adstitutum guttum, quem esse perinde, ac lituum auguratus insigne, docent obvii quinarii M. Antonii, et denarii L. Sullae. Tum enim dici potest, eum προληπτικως gloriatum dignitate, quam quidem nondum adivit, sed quae tamen sibi destinata fuit, ut passim consulatus designatos memorari in numis videmus.

PRETIVM.

Aurei - - - - - - - - - -	RRR.
Argentei - - - - - - - - -	R.
Aenei assis forma - - - - - - - -	C.

a) L. XLVIII. §. 54. b) Liv. L. I. c. 18. Dionys. Hal. L. II. c. 21. c) in Quaest. Rom. d) Dio L. L. §. 4.

M. AEMILIVS LEPIDVS IIIVIR.

In dissidio civili partes I. Caesaris secutus, V. C. 708 illius in consulatu conlega, anno sequente magister equitum creatus est, mox vacuum caede Caesaris pontificatum maximum abstulit. Profectus in provinciam Galliam Narbonensem, fervente tum maxime bello Mutinensi in Gallia transalpina tantisper adhaesit, jussus a senatu M. Antonium bello persequi. Verum cum huic apud Mutinam victo, et in Galliam profugo sive perfidia, sive inconsulto metu legiones suas commisisset, hostis primum a senatu judicatus, mox a coeuntibus in amicitiam Antonio, et Octaviano in IIIviratus societatem adscitus est V. C. 711, cujus fine anni Romam ingressus de Hispanis triumphum egit. In provinciarum sortitione nactus Hispaniam, Galliamque Narbonensem, et consul iterum V. C. 712, Antonio et Octaviano ad M. Bruti bellum egressis Italiae interim custodiam habuit. Ceterum propter socordiam contemptui habitus ab Octaviano pro Gallia, Hispaniaque biennio post provinciam Africam accipit. Accitus deinde ad bellum cum Sex. Pompejo gerendum, hoc fuso fugatoque cum animos stolide efferret, ab Octaviano legionibus, provincia, IIIviratu exutus V. C. 718 apud Circejos deinceps privatus vitam exegit, mortuus V. C. 741. Vide haec apud Dionem, Appianum, Velleium, aliosque.

Numi:

M. LEPIDVS. IIIVIR. R. P. C. *Caput Lepidi nudum.*
Caput M. Antonii, vel Octaviani. AR. In aliorum aversa: *varii IIIviri monetales, Mussidius Longus, Livineius Regulus etc.* AV. (Mus. Caes.)

M. LEPID. COS. IMP. *Capeduncula, aspergillum, secespita, apex.* M. ANTON. COS. IMP. *Lituus praefericulum, corvus.* In denariis, et quinariis. (Morelli in fam. Anton. tab. 5.)

IMP*erator* in numo altero inscribitur Lepidus, qui, antequam id genus numi ferirentur, imperator iterum dictus jam fuit teste ipso Cicerone [a]), et binis epistolis, quae sunt inter familiares Ciceronis L. X. 34. 35. Neque vero solum legiones sub se habuit, sed bis triumphavit etiam, etsi ex nulla bellica laude, primum V. C. 708 ex Hispania citeriore favente I. Caesare, cum non haberet, quod in triumpho inferret praeter ademptas sociis pecunias [b]). Triumphus alter ei a senatu V. C. 711 nondum IIIviro R. P. C. decretus, quod reconciliato cum rep. Sex. Pompejo Hispaniam sine sanguine recuperavit [c]). Ipse pontifex maximus instrumenta pontificalia in numo ostentat, ut Antonius augur auguralia.

Numi commatis peregrini.

Vrbis liberae Graecae numi cum capite Lepidi sunt rarissimi. Antipolis Narbonensis habemus unum, quem descri-

---

a) Philip. XIII. c. 4. b) Dio L. XLIII. §. 1. c) Cic. Phil. XIII.

ptum vide in moneta hujus urbis. Alium urbis ignotae edidit Vaillantius. Alius cum ejus capite a Cois signatus fertur, sed de cujus fide lubet dubitare, ut adverti in horum moneta.

Colonia Cabellio ejusdem Narbonensis ut IIIvirorum omnium, sic et Lepidi nomen aeri suo intulit.

PRETIVM.

Commatis Romani.		
	Aurei	RRR.
	Argentei	R.
	Aenei	O.
Commatis peregrini, ut mox dictum,		RRR.

M. ANTONIVS.

Natus avo M. Antonio oratore insigni, patre M. Antonio Cretico, unde in numis M*arci* F*ilius* M*arci* N*epos* dicitur. Prima stipendia sub Gabinio in Syria meruit, cui V. C. 699 in reducendo in regnum Ptolemaeo praesto fuit a). Ad I. Caesarem in Gallias transgressus, cum se illi prompta fidelique opera commendaret, eo agente V. C. 705 creatus tribunus plebis intercessit senatus consulto, Caesarem legiones dimittere jubenti. Qua de causa cum vim sibi intentari videret, relicta urbe ad Caesarem fugit. V. C. 706 in acie Pharsalica sinistro cornui praefectus rem praeclare gerit. V. C. 707 a Caesare magister equitum adlectus eo in Aegypto Asiaque absente res in urbe procurat. V. C. 710 consul conlega Caesare dictatore. Interfecto idib. Martiis Iulio suae primum vitae metuens percussorum causam suscipit, lataque lege dictaturam in perpetuum abolet, mox in eosdem populum lecto Caesaris testamento, ejusque cadavere palam ostenso concitat, Octavium Caesaris heredem, et ex testamento filium omnibus modis oppugnat, D. Bruto Galliam citeriorem extorturus ex urbe proficiscitur, eumque Mutinae obsidet. V. C. 711 ob apertam vim hostis a senatu judicatur. Caesar Octavianus cum Hirtio et Pansa cos. ex S. C. ad liberandum D. Brutum missi. Cum his aliquoties prospero Marte confligit Antonius, versa fortuna victus ad M. Lepidum in Galliam Narbonensem fugit, qui a propriis legionibus solicitatus contra datam reip. fidem se cum Antonio conjungit. Auctus igitur copiis, plusque quam antea metuendus cum faciliorem jam haberet Octavianum, cum hoc in agro Bononiensi congressus, adjuncto Lepido celebrem IIIviratum causa reip. constituendae init

a) Plut. in Anton.

ex A. D. V. Kal. Decembres, ut probabitur in numis Augusti.

V. C. 711 *A. X.* 43.
IIIVIR. R. P. C. COS. IMP.

In provinciarum divisione Antonius Galliam novam, et Cisalpinam aufert, vetere seu Narbonensi Lepido una cum Hispania tributa. Bellum in Brutum, et Cassium comparat. (Dio, aliique.)

Numi:

M. ANTON. IMP. *in aliis:* M. ANTON. IMP. R. P. C. *Caput Antonii nudum barbatum, pone lituus.*

CAESAR. DIC. *Caput I. Caesaris laureatum, pone urceus.* AR. (Mus. Caes.)

Visum Vaillantio, aliisque, signatos hos numos anno V. C. 706, vel sequente, quando post pugnam Pharsalicam I. Caesar appellatus dictator M. Antonium sibi magistrum equitum adscivit. Quo vero minus mortuo eos Caesare signatos putarent, causae fuere primum, quod in his Caesar simpliciter DIC*tator* dicitur, cum sane *dictator perpetuo* dicendus fuisset, aut etiam *divus*, aut aliqua saltem ejus consecrati nota addenda; deinde, quod in his Antonius dicitur: IMP. R. P. C., at vero si denarii hi cusi fuissent post Caesaris necem in Antonii IIIviratu, scribendum fuerat IIIVIR. R. P. C. more omnium aliorum ejus numorum in IIIviratu percussorum. Haec ergo dignitas cum absit, verisimile existimant, Antonium in suo equitum magisterio sic fuisse dictum imperatorem R. P. C., ut Caesar dictus erat dictator R. P. C. Speciosa haec videri possunt, sed tamen aut falsa sunt, aut parum valida. Etenim, ut supra in Caesare diximus, ne huic ipsi quidem permissum fuit ante annum V. C. 709 imaginem suam monetae inferre; qua ergo fiducia adseri potest, jus istud a Caesare jam V. C. 706 fuisse occupatum, atque ut demus indultum Caesari dictatori, an etiam Antonio magistro equitum? Abest titulus dictatoris perpetui, et consecrationis indicium; verum haec absunt quoque in pluribus aliis numis, quos supra in Divo Iulio recitavi. Quod ad praetensum imperatoris R. P. C. titulum attinet, novimus apud Romanos et dictatores, et IIIviros causa reip. constituendae, at fuisse etiam imperatores R. P. C., in omni antiquitate non novimus. Fuit imperatoris titulus tum adhuc totus militaris, at constituere remp. ad togam pertinuit. Perinde igitur in his numis omissa est dignitas IIIviri, atque in denario gentis Calpurniae, qui inscribitur: PISO. CAEPIO. AD. FRV*mentum* EMV*ndum*, omissa est dignitas IIviri, vel quaestoris. Quod si, ut passim creditur, Antonius barbam aluit ob luctum caesi dictatoris, de quo mox agemus, quoniam in omnibus his denariis Antonius luculentam barbam habet, necesse est, eos esse Antonii demum IIIviri. Denique adversam sententiam evertit, quod in omnibus his denariis Antonius dicitur IMP*erator*, quam illi dignitatem nonnisi V. C. 710 fuisse delatam, ad calcem numorum hujus IIIviri probabimus.

Agendum jam etiam de barba, quae in omnibus numis, quos ad hunc annum recito, Antonii genas vestit. Re-

fert Plutarchus [a]), in Antonio fuisse excellentem quandam formae dignitatem, quam etiam adjuvabat *barba quaedam generosior*, *πωγων τις ουκ αγεννης*. Verum haec laus fuerit forte Antonii juvenis, nam adolescentes Romani ultra ipsum etiam aetatis annum XX. barbam alere sunt soliti, ut prolixius docebo in numis Augusti ad annum V. C. 717. Eodem teste Plutarcho [b]) Antonius post cladem Mutinensem comam, barbamque promisit. Sed istud factum est praesentis luctus causa, quem mox abstersit inita cum Octaviano, aliisque ducibus concordia. Cum jam pridem apud Romanos mos invaluisset, ut barbam raderent testantibus istud luculente numis, in quibus passim videas imberbes propositos Marcellum quinquies consulem, Coelium Caldum, Sullam, ejusque in consulatu collegam Pompejum Rufum, Pompejum M., I. Caesarem, quaeri jure potest, quae causa sit, cur modo viri Romae illustres, M. Antonius, Sex. Pompejus, M. Brutus, Octavianus, Lepidus, Domitius Ahenobarbus, Labienus, ut numi iterum docent, barbam promiserint. Ejus ego instituti aliam causam non reperio, quam aliis istud suasisse luctum reip. publicum, cujus infra in Augusto copiosa proferam testimonia, aliis vindictae de hostibus sumendae studium, cujus illustre exemplum de I. Caesare refert Suetonius [c]), audita eum clade Tituriana barbam, capillosque summisisse, nec antea dempsisse, quam vindicasset. Eodem et Antonius consilio tamdiu barbam nutriverit, donec de Caesaris sicariis, in quorum perniciem conjuraverat, sumptum fuisset supplicium. Praeclare istud confirmatur eo, quod expleta per Bruti, et Cassii necem, quae anno sequente contigit, vindicta ad cultum priorem redivit, quod testantur numi anno sequente 713 signati, qui ejus genas jam laeves exhibent; neque deinceps barbatum videas Antonium in numis, qui per certa indicia posteriori cuipiam anno debentur. Ad hanc causam cum non satis animum adverterent eruditi, factum, ut saépe numos Antonii barbati annis consequentibus, imberbis anno praesenti inique adfigerent.

* * *

M. ANTONIVS. IIIVIR. R. P. C. *addito in aliis* AVG., *vel ejus vice lituo. Caput Antonii nudum barbatum.*

C. CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput Octaviani nudum barbatum.* AV. (Mus. Caes.)

IIIVIR. R. P. C. *Caput muliebre velatum.*

M. ANTON. — CAESAR. *Duae dexterae caduceum sustinent.* Quin. (Mus. Caes.)

M. ANTON. IMP. *vel:* M. ANTON. COS. IMP. *Lituus, praefericulum, corvus.*

M. LEPID. IMP. *vel:* M. LEPID. COS. IMP. *Capeduncula, aspergillum, secespita, apex.* In denariis, vel quinariis. (Morelli.)

Omitto denarios alios, qui IIIviros sociant, cognito jam argumento. Tribuuntur Antonio instrumenta auguralia quippe auguri. Quae causa corvum au-

---

a) In Anton. p. 917. C. b) ibid. p. 925. C. c) in I. Caes. c. 67.

gurio subjiciat, explicabitur in numo Vitellii: XVVIR. SAC. FAC. De Antonio augure infra.

* * *

Caput Antonii barbatum velatum, prae quo lituus, pone praefericulum.

P. SEPVLLIVS. MACER. *Desultor binos equos incitans.* AR. (Mus. Caes.)

M. ANTONIVS. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

L. Mussidii Longi, vel: *P. Clodii*, vel: *Vibii Vari etc.* quos vide descriptos in singulis familiis.

* * *

M. ANTONI. IMP. *Caput Antonii barbatum.*

IIIVIR. R. P. C. *Protome Solis intra templum distylum.* AR. (Mus. Caes.)

Caput Antonii barbatum, pone lituus.

M. ANTONIVS. IIIVIR. R. P. C. *Caput Solis radiatum.* AV. (Mus. Caes.)

Si Vaillantium, et Mediobarbum audias, fingitur in his numis Sol, quod M. Antonius Osirim, qui Aegyptiis sol est, se dici voluit. Havercampus typum ad bellum Parthis illatum, et opera Ventidii confectum revocat, ex quo Orientis, cujus sol symbolum fuit, domitor videri voluit. Verum omnes has conjecturas liquido refellit barba, quae Antonium in hujus solum, et sequentis anni denariis honorat, quo is tempore necdum Osiris videri voluit, necdum de Parthico bello cogitavit. Videtur ergo hunc typum legisse Antonius, quod esset augur, cujus erat de coelo servare, vel quod Apollo augurii praeses est, quod ipsum confirmatur numo, quem dabimus ad annum V. C. 718, in quo hinc Antonius habitu augurali procedens, illinc caput Solis finguntur.

* * *

Protome Victoriae alata.

LVGVDVNI. A. XL. *Leo gradiens.* Quin. (Mus. Caes.)

IIIVIR. R. P. C. *Protome Victoriae alata.*

ANTONI. IMP. A. XLI. *Leo gradiens.* Quin. (Mus. Caes.)

Vtrumque hunc quinarium signatum Lugduni, celebri jam olim Galliae urbe, ipsa epigraphe LVGVDVNI manifestat. Ea hoc ipso anno, in quo sumus, V. C. 711 jussu senatus deducta est colonia a L. Munatio Planco, testibus Dione [a]), Seneca [b]), et marmore Gruteri [c]), et paucis post mensibus M. Antonii imperio subjecta, cui in provinciarum divisione a IIIviris constituta cessit Gallia nova, in qua situm Lugdunum. Ergo nova haec colonia continuo fidem suam commendare satagebat Antonio, cum numos feriret ejus nomine insignes. Alioqui ab ea non Plancum, sed M. Antonium nostrum observantiae causa conditorem agnitum, colligo ex Senecae ludo de morte Claudii Augusti, in quo Febris ad Herculem haec de Claudio: *Lugduni natus est* (ex Antonia M. Antonii filia), *Marci municipem vides*, quo nomine haud sane alius intelligi potest, quam noster *Marcus* Antonius, quod ex sequentibus amplius patebit. Primi ergo sunt hi numi, qui officinam Lugdunensem commen-

---

a) L. XLVI. §. 50. b) Epist. 91. c) Pag. 439. n. 8.

dant, cujus deinde progressum praedicat Strabo, cum refert, sua ibi aetate a praefectis Romanis monetam cum auream, tum argenteam cudi [a]). Typus in his Victoriae nequaquam necessario, quod plerisque eruditis visum, relatam aliquam victoriam innuit, cum ea sit typus obvius in Romanorum quinariis, cum quibus hi pondere conspirant. Qua ratione leo ad Antonium pertineat, dicetur infra ad annum V. C. 715. Ex hoc in Antonium adfectu Vaillantius leonem, qui hodieque urbis insigne facit, tum et ipsam urbis appellationem *Lion* derivat.

Inscripti anni XL. XLI. uberius merito examen postulant, quod antequam exordior, inquirendum, quibus urbis conditae annis possint respondere. Istud certum, eos intra annos V. C. 711, et initium 714 constringendos. Nam anno demum 711 Lugdunum, ut dixi, deducta colonia, et eo ad finem vergente Antonio permissa Gallia nova, in qua situm Lugdunum, et ipse IIIviratum adivit. Postea initio anni 714 Octavianus in Gallias profectus exercitum, qui ibi sub Fufio Caleno Antonii legato stabat, atque ipsam Antonii provinciam Galliam occupavit [b]), ex quo tempore verisimile non est, Antonii nomine signatam Lugduni pecuniam. Ergo annos XL. retrorsum gradiendo, annus I. pendebit ab annis V. C. 672, 673, 674 tanquam initio epochae, in cujus constitutae causam modo inquirimus.

Eam Vaillantius sic exponit [c]): Gallia Transalpina facta est provincia Romana V. C. 634. Lugdunum tunc esse coepit sub Romanorum potestate. Iam vero M. Antonius IIIviri pater V. C. 674 L. Manilio in Gallia Narbonensi fuit legatus proquaestore, qui Lugdunensibus senatus consultum, quo municipes essent, attulisse videtur. Pro quo adeo beneficio Lugdunenses ab hoc anno 674 aeram numerare coeperunt.

Omnis haec Vaillantii oratio partim aperte falsa, partim ambiguis nixa vel hoc uno refellitur, si negem, Lugdunum aut anno V. C. 634, aut 674 fuisse in Romanorum potestate. Per id tempus Romanis ea tantum Galliae pars paruit, quae serius Narbonensis, at tum Gallia Transalpina dicta fuit, ad quam nullo pacto pertinuere Segusiani, in quibus situm Lugdunum. En ejus luculentum testem Caesarem [d]): *Segusianisque, qui sunt finitimi Provinciae etc.* si finitimi, ergo non in Provincia. Alibi [e]): *Ab Allobrogibus in Segusianos exercitum ducit; hi sunt extra Provinciam trans Rhodanum primi.* Si ergo Caesaris adhuc aetate Lugdunum fuit liberum, multo magis id fuit annis retro XX., et quod sequitur, municipium Lugdunum constitui non potuit ultra imperii fines tum adhuc positum. Neque vero etiam plus valeat, quae ibi de M. Antonio IIIviri patre L. Manilii in Gallia Narbonensi proquaestore ex Livii breviario libri XC. Pighium secutus, ut fere semper, disserit. Pridem eruditi hunc locum luxatum viderunt, et pro *Antonius* reponendum *Domitius*. Parum

a) L. IV. p. 292. b) Appian. Bell. civ. L. V. c. 51. c) Num. fam. p. 91. d) Bell. Gall. L. VII. c. 64. e) ibid. L. I. c. 10.

ergo prospere, ut et hoc perstringam, eodem loco edixit Vaillantius, a Seneca citatis supra verbis: *Marci municipem vides*, non intelligi M. Antonium IIIvirum, sed M. Antonii patrem, praetensum scilicet Manilii proquaestorem, quod eum ea tempestate fuisse in Gallia nulla certa fide constat. Ad haec cum Seneca solo praenomine *Marci* utatur, necesse est, eo intelligi virum aliquem ex illustrissimis unum, quam laudem multis sane causis emeruit Antonius IIIvir, at omnium minime Antonius pater, quem dissolutum, prodigum, ignavum scriptores perhibuere. Eodem modo etiam M. Aurelium Augustum scriptores saepe uno Marci nomine indicavere. Operae pretium putavi huic sententiae refutandae diutius immorari, quod eam ab ipso etiam Havercampo liberaliter collaudatam, erroremque adeo hujus etiam auctoritate propagatum video.

Profligata hac sententia nolim a me quis requirat, ut certiorem aliam de causa constitutae aerae adferam, quando hujus indolis nullam suppeditant veterum monumenta. Quid si A. XL. — A. XLI. aliud essent, quam quod vulgo credimus, epochae argumentum? Enimvero mirum videatur, Lugdunum, oppidum, antequam colonia deduceretur, sic obscurum, ut ejus ne meminerit quidem in commentariis suis Caesar, reperisse in sua egestate dignum aliquid, unde epocham duceret, eamque canore adeo promulgaret. Mirum etiam videatur, novos colonos ex vicina Vienna huc advectos, ut diserte testatur Dio, maluisse epocham ex ignobili aliquo veteris Lugduni eventu, et a se penitus alieno ducere, et non potius, quod ad eos pertinuit, a coloniae suae natali, quod fecere Sinopenses Paphlagoniae, Viminacienses Moesiae, et provinciales Daciae. Verisimile videri possit, cum et epigraphe, et typus ad unum M. Antonium pertineant, ipsi vero Lugdunenses tantum debuerint Antonio, ut etiam *Marci municipes* dicerentur, hos etiam annorum numeros aliquid ad Antonium pertinens indicare. Quod si esset exemplum, ejus, cujus nomen, aut effigiem praefert numus, commemorari etiam aetatem, crederem, his, de quibus agimus, notis indicari Antonii annos vitae. Teste Plutarcho Antonius anno V. C. 724, quo mortem sibi conscivit, ex nonnullorum sententia egit annum LIII. a) ergo is anno V. C. 711, quo fere tempore id genus numos feriri coeptos diximus, annum egit XL. Sed manum a tabula, ne conjectura usque eo, quod libenter fateor, insolens in aegri somniis putetur, tametsi, si quid in ea videatur absurdi, tueri me possim auctoritate Frölichii, similem explicationem ad numos Pythodoridis Ponti reginae tentantis.

V. C. 712. A. X. 42.
IIIVIR. R. P. C. COS. IMP.

Vna cum Octaviano Brutum et Cassium apud Philippos vincit.

Numi:

C. ANTONIVS. M. F. PRO. COS.
Protome muliebris pileo tecta.

---

a) In Anton. pag. 955.

PONTIFEX. *Securis, et duo simpuvia.* AR. (Mus. Caes.)

Lis est inter antiquarios, utri ex binis Antoniis, quibus in praesentem denarium jus est, denarius hic tribuendus sit. Horum unus est C. Antonius marci frater, de quo Cicero [a]: *erat ei* (M. Antonio) *spes una in C. Antonio, qui duorum fratrum* (Marci et Lucii) *aetatibus medius interjectus vitiis cum utroque certabat, qui tanquam extruderetur a senatu in Macedoniam, et non contra prohiberetur, ita cucurrit.* V. C. 710 fratre Marco consule, fratre Lucio tribuno pl. ipse praetor fuit [b]). Caeso dictatore Marcus, quoniam provinciam Galliam D. Bruto praeripere meditabatur, decretam sibi Macedoniam fratri Caio cessit, ad quam is occupandam statim profectus, sed a M. Bruto exclusus captusque, hujus jussu, quo IIIviris in D. Brutum, Ciceronem, aliosque saevientibus vicem rependeret, interfectus est anno hoc, aut praecedentis exitu. Vide rerum R. scriptores.

Alter C. Antonius Hybrida Ciceronis in consulatu collega, et IIIviri patruus. Hic quoque cedente Cicerone sortitus provinciam Macedoniam, eam per annos V. C. 692, 693 pro consule rexit; verum re cum Dardanis aliquoties male gesta, et compertus avaritiae successorem nactus, in exilium missus diu post a IIIviro nepote sublevatus est, de quo vide plura apud Glandorpium [c]).

Anceps nonnihil controversia, utri denarius hic adjudicandus videatur, cum uterque et proconsul, et uterque in Macedonia fuerit. Tutius tamen videtur inhaerere sententiae communi, quae IIIviri fratri numum largitur; nam hujus aetate major fuit licentia monetae magistratuum nomine cudendae, uti et copiosos alterius fratris Lucii numos habemus, de quibus ad annum sequentem. Neque obest, eum a Bruto exclusum provinciam nunquam tenuisse; nam ad eam, etsi per nefas decretam, jus habuit, ad eamque regendam urbe exivit, et constat ex Cicerone [d]), hunc C. Antonium semper provinciam Macedoniam in ore habuisse.

Etiam caput muliebre pileatum, quod offert numi antica, in contrarias sententias eruditos distraxit, quas videre potes apud Havercampum ad hunc Morelii numum. Praeplacet judicium Morellii, qui ex numis Hadriani, inscriptis: ADVENTVI. AVG. MACEDONIAE, in quibus genius Macedoniae simili pileo tegitur, feliciter auguratus est, etiam hujus denarii capite exhiberi genium Macedoniae, cujus C. Antonius fuit proconsul. Vide Havercampum ad denarium gentis Planciae. Pileus, quo mulier tegitur, haud dubie est causia familiare Macedonum gestamen, de quo vide plura a me disputata in numis Antigoni I. Macedoniae regis. Dicitur C. Antonius PONTIFEX, quam dignitatem videtur nactus a I. Caesare, cum is sacerdotia augeret.

---

a) Phil. X. c. 5. b) Dio L. XLV. §. 9. c) Onomast. p. 75. d) Phil. III.

V. C. 713. *A. X.* 41.
IIIVIR. R. P. C. COS. IMP.

Antonius ad cogendas promissas militibus pecunias in Asiam proficiscitur, et Cleopatram ad se in Ciliciam evocatam amare occipit. Eo absente frater Lucius cos., et uxor Marci Fulvia bellum, dictum Perusinum, conflant, concitando in Caesarem populos, quorum is ademptos agros veteranis divisit. Obsesso, captoque Perusiae Lucio bellum finitum.

Numi:

M. ANT. IMP. AVG. IIIVIR. R. P. C. M. NERVA. PROQ. P. *in aliis:* M. BARBAT. Q. P. *Caput nudum imberbe M. Antonii.*

L. ANTONIVS. COS. *Caput L. Antonii nudum.* AR. (Morelli.)

ANT. AVG. IMP. IIIVIR. R. P. C. *aut similiter. Caput ejusdem nudum imberbe.*

PIETAS. COS. *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* In aliis praeterea *pro pedibus adstat ciconia.* In aliis: *Mulier stans d. arulam accensam, s. cornucopiae.* AV. AR. (Morelli, Mus. Caes.)

M. ANT. IMP. AVG. IIIVIR. R. P. C. M. BARBAT. Q. P. *Caput nudum imberbe.*

CAESAR. IMP. PONT. COS. IIIVIR. R. P. C. *Caput Octaviani nudum barbatum.* AV. (Pembrock Part. I. tab. 12.) AR. (Mus. Caes.)

Denarii primo, et secundo loco descripti praeter caput M. Antonii etiam caput vel epigraphen fratris L. Antonii sistunt. Hic V. C. 710 fratre consule fuit tribunus pl. a). Consul anno praesente 713 fratris in Asia absentis res procuravit. Conflato adversus Octavianum bello, ut mox diximus, Perusiae captus, liber tamen dimissus, et ab Octaviano honoris specie Hispaniae praefectus est b). Quem deinde habuerit vitae exitum, non constat. Eum Cicero mirmillonem, gladiatorem, crudelem, vinosum, verbo: fratri simillimum appellat c), narratque, eum equestri suae statuae inscribendum curasse: *quinque et triginta tribus patrono* d). Mitior Appianus in eo patriae, et libertatis adversus ipsum fratrem amorem liberaliter collaudat e).

Animadvertenda in numis alterius loci epigraphe: PIETAS. COS. Esse in his vocabulum PIETAS verum cognomen a Lucio adscitum, docebit Dio addita causa f): *δια γαρ την προς τον ἀδελφον ἐυσεβειαν και ἐπωνυμιαν ἑαυτῳ* ΠΙΕΤΑΝ *ἐπεθετο*, *propter suam enim in fratrem pietatem cognomen sibi PIETAS sumpserat.* Ab eodem Dione in breviario L. XLVIII. ad annum V. C. 713 ponitur consul: Λ. Αντωνιος Μ. ὑιος Πιετας. Quoniam a genio linguae Latinae videtur abhorrere, ut cognomen cuipiam non *Pii*, sed *Pietatis* tribuatur, suspicatur Fabricius ad hunc Dionis locum, Dionem istud inspectis his denariis temere adseruisse. Ad non adver-

a) Dio L. XLV. §. 9. b) Appian. B. C. L. V. c. 54. c) Phil. III. c. 5. d) Phil. VI. c. 5. e) Bell. civ. L. V. c. 54. f) L. XLVIII. §. 5.

tit vir praestans, Vitellium quoque, cum quietem publicam, et concordiam praeferret, *Concordiae* cognomen sumpsisse [a]). Quid quod etiam in fastis Idatio tributis legatur: *Antonio Pietate, et Isaurico.* Typus sub eadem imagine et Fortunam, et Pietatem sociat. Fortunam faciunt gubernaculum, et cornucopiae, Pietatem ciconia, et ara ignita, ut notum ex numis familiarum speciatim in Caecilia Metelli Scipionis, tum et sequentium imperatorum.

In numis I. et III. sedis legitur M. BARBAT. Q. P. Eos jam proposui in gente Valeria, quia sunt, qui credunt, hoc nomine intelligendum Barbatum Messallam. Sed adverti ibi quoque, sub eadem haec tempora ab Appiano memorari Barbatium quemdam Antonii quaestorem, Βαρβατιος δε ὁ Αντωνιου ταμιας [b]), sic, ut verisimile sit, vocem truncam legendam BARBAT*ius*, non BARBAT*us*. Istud si verum, citati hi denarii ultra hunc annum moveri non poterunt; nam addit ibidem Appianus, Barbatium eodem hoc anno ab Antonio descivisse.

V. C. 714. A. X. 40.
IIIVIR. R. P. C. COS. IMP.

Irritatus a Fulvia uxore adversus Octavianum M. Antonius in Italiam revertitur, et bellum res spectabat, cum opportune morte Fulviae restituta pax, qua Oriens Antonio permissus, eique denupta Octavia Caesaris soror. Antonius Ventidium in Parthos praemittit, qui duce Labieno ad eos transfuga Asiam late vastabant.

Numi:

M. ANTON. IMP. AVG. IIIVIR. R. P. C. *Lituus et guttus.*
L. PLANCVS. PRO. COS. *in alio:* IMP. ITER. *Guttus inter fulmen, et caduceum.* AR.

Denarios hos explicatos jam habes in gente Munatia, ex qua fuit Plancus. Hoc anno Asiae proconsul ab Antonio constitutus est Plancus [c]), cum anno praecedente bello Perusino pro L. Antonio interfuisset [d]).

* * *

ANT. IMP. IIIVIR. R. P. C. *Caput Antonii nudum, pone lituus.*
CN. DOMIT. AHENOBARBVS. IMP. *Prora navis, supra quam astrum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Hoc anno Domitius Ahenobarbus ad M. Antonium, suum prius hostem, tradita ei classe transivit. Reliqua ad hunc denarium pertinentia occupavi in numis gentis Domitiae.

V. C. 715. A. X. 39.
IIIVIR. R. P. C. COS. DES. II. ET III. IMP. II.

Consules in annos VIII. designantur, et Antonius quidem in annos V. C. 720 et 723. Ventidius Labienum, Parthosque in Cilicia internecione caedit.

a) Suet. in Vitell. c. 15. b) B. C. L. V. c. 31. c) Dio L. XLVIII. §. 24. d) Appian. B. C. L. V. c. 50.

Sub anni exitum Antonius cum uxore Octavia Roma proficiscitur, et Athenis hibernat.

Numi:

M. ANTONIVS. M. F. M. N. AVG. IMP. ITE. *Antonius paludatus s. pede prorae navis insistens, d. hastam, s. parazonium.* IIIVIR. R. P. C. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. *Leo gradiens d. pede pugionem, superne astrum.* AV. (Morelli.)

Illustrem, ac singularem hunc numum hoc loco sistere placuit, non quod certe sit hujus anni, sed quod propter titulum *consulis designati iterum et tertium* hoc anno maturius signari non potuit. Neque etiam certum, utrum hoc anno imperatoris titulum iteraverit, etsi causam ejus speciosam habuit victoriam de Labieno, et Parthis suis auspiciis partam, de quibus dubiis agam uberius infra in titulis Antonii.

Pars adversa Antonium militari cultu conspicuum sistit. Pedem prorae imponit, quo maritima potentia indicatur. Alibi dixi (Choix de pierr. grav. p. 10.), pedem rei cuipiam impositum indicare ejus ipsius rei possessionem, aut in eam jus, aut testimonium, quempiam ea in re excellere, multumve posse. At magis ad Antonii historiam illustris est partis aversae leo, quem jam in ejus numis vidimus ad V. C. 711 propositis. Pertinuisse aliquo modo leones ad Antonium, certum est praecone ipso Tullio sic ad Atticum scribente [a]): *tu Antonii leones pertimescas cave.* Pertinuit autem ad Antonium ferum istud animal, quod ab Hercule genus ducere credi voluit. Testatur Plutarchus [b]), Antonium barbae decore, frontis amplitudine, naso adunco Herculis simulacris germanum visum, et fuisse veterem famam, Antonios ab Hercule genus ducere, prognatos quippe ab Antone Herculis filio. Apud Appianum Octavianus aperuit Antonio, de eo successore designando deliberasse I. Caesárem, atque illud unum obstitisse, quod dubitaret, aequo eum animo ex Heraclidarum gente ad Aeneadas transiturum [c]). Hoc fretus ausus fuerit, quod a nemine hactenus Romae tentatum, tempore belli Pharsalici junctis currui leonibus in urbe progredi, quod testantur Plinius [d]), et Plutarchus [e]), atque ex eadem causa Herculis cultum praeferens proponitur in numis Alexandrinis, et contorniatis, quos vide suis locis. Quod vero Antonianus hic leo pugionem pede stringit, ut ejus causa in incerto est, sic mirum sane, eandem prorsus imaginem fuisse in annulo Pompeji M., nam teste Plutarcho ei insculptus erat λεων ξιφηϱης, *leo ensem tenens* [f]).

V. C. 716. A. X. 38.
IIIVIR. R. P. C. COS. DES. II. ET. III. IMP. II.

Per C. Sosium legatum Antigonum Iudaeae regem superat, et virgis caesum securi percutit Herode M. in regno confirmato. Ventidius victis iterum Parthis, et Pacoro Orodis regis filio in acie

a) L. X. ep. 13. b) in Anton. p. 917. C. c) B. C. L. III. c. 16. d) L. VIII. §. 21. e) in Anton. f) in Pomp. sub. fin.

caeso fine anni de Parthis primus triumphat [a]).

Numi:

Caput M. Antonii nudum.
C. SOSIVS. IMP. *Tropaeum, ad cujus imum mulier moesta sedens, et vir nudus revinctis manibus.* AE. III.

Numum hunc explicatum vide in gente Sosia.

* * *

M. ANT.---R. P. C. *Caput M. Antonii nudum barbatum.*
P. VENTIDI. PONT. IMP. *Vir nudus stans d. hastam, s. ramum.* AR. (Mus. Caes.)

Hunc item explicavimus in gente Ventidia.

V. C. 717. *A. X.* 37.
IIIVIR. R. P. C. COS. DES. II. ET. III. IMP. II.

Antonius Romam venit per speciem ferendi Octaviano auxilii contra Sex. Pompejum, revera explorandi causa, renovatoque cum eo foedere obtentu belli Parthici in Syriam meditans, Octaviam in Corcyram appulsus redire Romam jubet, ne periculi, quod causabatur, in bello consors esset, revera in Cleopatre gratiam.

Numi hujus anni certi desunt.

V. C. 718. *A. X.* 36.
IIIVIR. R. P. C. COS. DES. II. ET. III. IMP. III.

Hujus anni initio per Canidium Crassum legatum Iberos vincit, ipse Mediam ingressus magnis acceptis a Parthiae et Mediae regibus incommodis aegre evadit. Redux in Aegyptum suis ex Cleopatra natis liberis varias urbes distribuit, quo romanos graviter offendit.

Hoc anno, sed quod non satis certum, Antonius videtur imperator III. dictus, de quo vide plura infra in titulo *imperatoris.* Quare numos hoc notatos nunc procedere jubeo.

Numi:

M. ANTONIVS. M. F. M. N. AVGVR. IMP. TER. *Antonius velatus gradiens d. lituum praefert.*
IIIVIR. R. P. C. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. *Caput Solis radiatum.* AR. (Mus. Caes.)

Vtraque denarii hujus pars ad Antonii auguratum pertinet, ut jam innui in numis V. C. 711. De ejus auguratu vide infra sub *Augur.*

* * *

ANTONIVS. AVGVR. COS. DES. ITER. ET. TERT. *Caput nudum.*
IIIVIR. R. P. C. IMP. TERTIO. *Tiara Armeniaca cum transverso arcu, et sagitta.* AR. (Mus. Caes.)

Nisi satis constaret, Vaillantium et Havercampum commentarios in familiarum numos scribere constituisse, ut timere viderentur, ne satis cito coronidem operi imponerent, mirarer, quo pacto typum aversae ad captam Armeniam, actumque de ea triumphum

a) Plut. in Anton. p. 931. Fragm. Capitol. apud Gruter. p. 297.

possent referre, quando ipsi patrata haec omnia ad annum V. C. 720, et recte quidem referunt. Verum illo anno Antonius neque fuit, neque adeo dici amplius potuit COS. DES. ITER. sed COS. DES. III. Necesse ergo est, denarium praesentem aut anno, in quo sumus, 718, aut proxime sequente, certe ante 720 malleum expertum. At quoniam tantum aberat, ut hoc anno Antonius victoriam sibi in Armenia partam posset arrogare, ut etiam a Parthiae, Mediaeque regibus undique petitus, atque obsessus velut desperabundus celebratum illud ῳ μυϱιοι saepe cogeretur proferre, ac denique aegre admodum amissis viginti suorum millibus sese explicaret, videtur sane Armeniaco hoc typo sola in Armeniam hoc anno suscepta expeditio indicari.

* * *

ANT. AVGVR. (*vel* AVGV.) IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum.*
IMP. TER. *Tropaeum, humi duo clypei, vel clypeus unus, et prora navis.* AR. (Mus. Caes.)

Incerta victoria, quae tropaeum istud extulit, et ex qua verisimile est, Antonio IMP. TER. titulum partum. Forte propter navis proram intelligenda navalis de Sex. Pompejo victoria, cujus etiam particeps fuit missis ad id bellum navibus. In antica numi similis apud Vrsinum leguntur tituli IMP. ANT. AVGVR. IIIVIR. R. P. C. Epigraphe singularis propter praepositum IMP. instar praenominis, de quo modo insolente agemus infra sub titulo *imperatoris.*

* * *

M. ANTONIVS. M. F. M. N. AVGVR. IMP. TIIRT. *Caput nudum.*
COS. DIISIG. ITIIR. IIT. TIIRT. IIIVIR. R. P. C. *Caput muliebre colligatis retro in nodum crinibus.* AV.

Illustrem hunc numum ex museo Antonii le Froi Angli protulit Philippus de Venutis in opella Liburni edita. Vir eruditus in postica proponi Cleopatram adserit, mallem Octaviam secundum ea, quae infra in numis aeneis praefectorum Antonii disseram. Adverti meretur ad elementum II positum constanter pro E. Venutus hanc ejus formam in pluribus marmoribus observavit, sic: PARIINTIIS pro PARENTES [a]), BIINII. MIIRIINTI pro BENE. MERENTI [b]). Addi possunt plura alia ex indice Gruteri pag. LXXXIX. Addo propius exemplum ex numis, quorum complures, etiam denarios, Morellius in gente Carisia vulgavit, suntque similes in museo Caesareo, qui offerunt scriptum IIMIIRITA pro EMERITA, quae fuit Hispaniae urbs. Addo denique illustre exemplum ex marmore, quod edidit Maffeius [c]):

TII LAPIS OPTIISTOR LIIVITIIR SVPIIR OSSA RIISIDAS.

Atque haec scribendi lex barbara videri possit, et sapere vel Hispanos, vel Aegyptios linguae Romanae rudes. Verum exstant inscriptiones in ipsa urbe exaratae, non quidem auctoritate publica, sed privatis dictantibus, in quibus obvium est II pro E. Sic in copiosis urnis cinerariis prope Romam in via Appia erutis, quas descriptas habes

a) Maffei Mus. Veron. p. 156. b) Reines. Cl. XIIX. n. 30. c) Mus. Veron. p. 258. 3.

in *Saggi di Cortona* Tomo II. p. 151, passim legas IIIDVS, VALIIR. etc. pro EIDVS, VALER., et tamen certa in his adsunt indicia, eas I. Caesaris imperium praevertere. Ex quo apparet, hunc scripturae modum, etsi a claris monumentis extorrem, fuisse tamen florente adhuc rep. vernaculum, et usurpatum a monetariorum grege in provinciis Romanis ad monetae negotium adhibito.

V. C. 719 *A. X.* 35.
IIIVIR. R. P. C. COS. DES. II. ET. III. IMP. III.

Sex. Pompejum anno praecedente ab Octaviano victum, et per Asiam vagum Midaei in Phrygia occidi jubet. Regi Armeniae bellum facturus Aegypto egressus, verum audito, Octaviam ad se venire, Cleopatrae precibus persuasus mittit Athenas, qui eam Romam repetere juberent, ipse mox in Aegyptum rebus infectis in Cleopatrae amplexus redit.

Numi:

ANTONIVS. AVGVR. COS. DES. ITER. ET. TER. *Caput Antonii nudum.*
M. SILANVS. AVG. Q. PRO. COS. *sine typo.* AR. (Morelli.)

Denarium hunc anno praesenti adfigo, quia exstat simillimus alter, sed per Antonii consulatum II. anni sequentis. De M. Silano augure vide in gente Iunia Silanorum.

V. C. 720 *A. X.* 34.
IIIVIR. R. P. C. COS. II. DES. III. IMP. III.

Consul II. procedit Alexandriae, sed continuo in locum suum fecit L. Sempronium Atratinum. Initio veris in Armenia ipse praesens Artavasdem regem dolo captum cum conjuge et liberis in triumphum Alexandriam ducit, et Cleopatrae ejusque cum ex superiore Caesare, tum se liberis pulcherrimas Asiae Africaeque provincias addicit.

Numi:

ANTON. AVG. IMP. III. COS. DES. III. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum.*
M. SILANVS. AVG. Q. PRO. COS. *sine typo.* AR. (Mus. Caes.)
Eadem adversa.
ANTONIVS. AVG. IMP. III. *sine typo.* AR. (Mus. Caes.)

Similem Silani denarium, alio tantum Antonii consulatu, ad annum praecedentem vidimus.

* * *

ANTONI. ARMENIA. DEVICTA. *Caput Antonii nudum, pone tiara Armeniaca.*
CLEOPATRAE. REGINAE. REGVM. FILIORVM. REGVM. *Caput Cleopatrae diadematum, prae quo prora navis.* AR. (Mus. Caes.)

Vtraque numi hujus superficies res hoc anno gestas commemorat, et a scriptoribus traditas confirmat. Pars adversa *Armeniam*, ut in annalibus diximus, modo *devictam* praedicat, cujus causa et tiara, Armeniae symbolum apponitur, quam Havercampus, nescio quid passus, pharetram appellat. Alterius partis oratio plena fastus, cum Cleopatram appellat *reginam regum*, et *filiorum regum* scilicet matrem, etsi vere ad historiam. Diserte enim Dio ad

hunc annum [a]): Antonium habita ad populum Alexandrinum oratione Cleopatram reginam regum, Ptolemaeum Caesaris superioris ex Cleopatra filium, qui et Caesarion, regem regum appellari jussisse attributa iis Aegypto et Cypro. Tum suis ex Cleopatra natis liberis, Ptolemaeo Syriam, omnesque ad Hellespontum regiones, Cleopatrae Cyrenaicam, Alexandro Armeniam, et quidquid trans Euphratem armis capturus fuerat, elargitum. Vide similia apud Plutarchum [b]). Cum ejus capiti prora navis additur, verisimile est, ea indicari maritimas mulieris vires. Si fides Servio, denarii hi signati videri possunt Anagniae Latii urbe. Ait enim [c]): *Antonius Augusti sorore contempta, postquam Cleopatram duxit uxorem, monetam ejus nomine in Anagnia civitate jussit feriri.* Verum non omnibus ejus grammatici ceterum praeclari narratis subscribendum censeo.

V. C. 721. 722. A. X. 33. 32.
IIIVIR. R. P. C. COS. II. DES. III. IMP. III.

Gliscit bellum civile Antonium inter, et Octavianum, ac demum apertae inter utrumque querelae. Antonius Octavian repudiat, mittitque Romam, qui eam domo sua exturbarent. Ei Romae abrogatur consulatus designatus in annum sequentem, suffecto in ejus locum Messala Corvino.

Numi horum annorum certi desunt.

V. C. 723. A. X. 31.
IIIVIR. R. P. C. COS. III. IMP. III.

Lege contemta procedit consul III., ut docent numi. IV. Non. Sept. ad Actium navali praelio cum Cleopatra victus in Aegyptum refugit.

Numi:

M. ANTO. COS. III. IMP. IIII.
Caput Iovis Ammonis.
ANTONIO. AVG. SCARPVS. IMP. *Victoria gradiens d. lauream porrigit, s. palmam.* AR. (Mus. Caes.)
Eadem adversa.
SCARPVS. IMP. LEG. VIII. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AR. (Pembrock P. III. tab. 13.)
M. ANTONIVS. AVG. IMP. IIII. COS. TERT. IIIVIR. R. P. C.
Caput nudum Antonii.
D. TVR. *Victoria gradiens d. coronam lemniscatam porrigit, s. palmam, omnia intra lauream.* AR. (Mus. Caes.)
Alius, sed nulla in aversa epigraphe. AR. (Mus. Caes.)

Scarpi denarios explicatos jam habes in gente Pinaria. Is exercitui in Africa ad tuendam Aegyptum excubanti praefectus audito facto Actiaco profugum ad se Antonium non recepit, quod jam sequi Octavianum constituerat. In denario III. legitur D. TVR., quod forte explendum: D. TVR*ullius.* Fuit Turullius quidam unus ex praefectis M. Antonii, inter Caesaris percussores habitus, et ab Antonio rebus suis prostratis Octa-

a) L. XLIX. §. 41. b) in Anton. p. 941. c) ad Aen. L. VII. v. 684.

viano proditus, et mox neci datus, de quo vide Dionem [a]). Verum, cum hic Dioni *Publius* dicatur, non *Decimus*, conjicit Havercampus, hunc fuisse Publii fratrem [b]).

V. C. 724. *A. X.* 30.

Octavianus Antonium in ipsam Aegyptum insequitur, urgetque. Desperata venia, et meliore fortuna violentas ipse sibi manus infert.

Fuit vir et virtutibus, et vitiis summus, sic tamen, ut principio praevalerent virtutes, deinde vitia. Inde a juventute sic indulsit commissationibus, jocis, muliercularum amoribus, ut haec continuo seponeret, cum serio quid agendum esset. Ergo idoneus habitus, cujus fidei, et consiliis rei summam saepe committeret I. Caesar, credito illi sinistro cornu in acie Pharsalica, qua de imperio dimicatum est. Caeso dictatore invasit remp., non tam ambitione, quam ut intempestivis conviviis, et liberalitatibus sumptus ne deessent. Inito IIIviratu victis sua unius virtute ad Philippos Bruto et Cassio propter belli scientiam haud dubie principe inter collegas loco fuerat, nisi Cleopatrae paullo post amoribus irretitus imperatorias virtutes, et sanitatem ipsam dedidicisset. Quae se duce subinde gesta sunt, infauste omnia cecidere, et si quid insigniter patratum, suorum virtuti legatorum, et incredibili militum in se adfectui, fideique debuit. Extremum alienati animi documentum in praelio ad Actium dedit, quando nullo adhuc graviore incommodo accepto, et si quod mari acceptum foret, tuto ad legionum robur perfugio, facto a Cleopatra fugae initio ipse continuo praelio excessit, imperiumque orbis, pro quo totius Orientis vires excivit, et salutis propriae arbitrium aemulo permisit. Ejus vitam eleganter scripsit Plutarchus, tum varia apud Dionem, Appianum, aliosque historiae R. scriptores, coaevos item auctores reperies, quos inter cave Ciceronem audias, qui in Philippicis sibi denique fatalibus privato odio ductus veras Antonii laudes dissimulavit, vitia aut adfinxit, aut in majus auxit.

Vxores illustriores: FVLVIA, P. Clodii primum, dein Curionis vidua. Ex ea nati M. ANTONIVS, Graecis ANTYLLVS, ab Octaviano caesus non diu patri superfuit. Ejus vitam et numum infra dabimus. IVLVS ANTONIVS a victore non servatus modo, sed honoribus etiam auctus, vitiata Caesaris filia Iulia exitium sibi maturavit.

OCTAVIA Octaviani soror, ex qua natae ANTONIA major, nupta Druso seniori. Ejus numi infra post hunc Drusum describentur. ANTONIA minor L. Domitio Ahenobarbo juncta.

CLEOPATRA Aegypti regina. Ex hac nati: ALEXANDER et CLEOPATRA gemelli, et PTOLEMAEVS. Cleopatra Iubae II. nupta suos habet numos, quos vide in numis regum Mauretaniae. Ejus arbitrio permissi Alexander, et Ptolemaeus fratres [c]). Vterque numis certis caret, ex quorum nu-

---

a) L. LI. §. 8. b) ad Morelli fam. p. 24. c) Dio.

mero certe non est is, quem Alexandro tribuit Tristanus [a]), inique ademptum Alexandro Syriae regi. Veniam damus veteri, bonoque Tristano, at non aeque Spanhemio ejus judicium adprobanti [b]).

Numi.

Aut nulli jam hoc anno, quippe post perditas res, signati sunt, aut non exstant certi, qui huic anno debeantur.

Numi legionum, et cohortium.

Amplam et illustrem monetae Antonianae partem constituunt numi, qui legionum, cohortiumque, quas sub signis habuit, nomina inscripta offerunt. Eorum ut incredibilis numerus ad nos pervenit, sic legiones aliae rariores, aliae rarissimae, aliae unicae. Est haec classis argentea tota, demptis binis aureis. Nequaquam hoc loco omnia ea persequar, quae de legionibus Romanis ex numorum doctrina disputari, animadvertique possunt, quem ego tractatum in eum locum rejicio, quo numos legionum nomine insignes ex toto regno monetario vetere collectos ob oculos sistam. Hoc loco recitatis omnibus Antonii numis legionariis nonnisi paucas notas adspergam, quas ad eos illustrandos opportunas duxero.

* * *

ANT. AVG. IIIVIR. R. P. C. *Navis praetoria.*

LEG. *addito numero. Aquila legionaria inter duo signa militaria.*

Sunt argentei omnes dempto aureo legionis XIX. Ad typos quod attinet, partis aversae aquila, legionum notum insigne, inter duo signa militaria, explicatione non eget. Hunc quoque typum legit Severus in suis legionum numis, tum et Clodius Macer, aliique. In parte adversa eruditi navim praetoriam ex elato in prora vexillo agnoscunt, de quo lege disserentem cl. Paciaudum [c]). Ejus in hos numos vocatae causa minus certa. Existimat Paciaudus [d]), Antonium hoc typo usum in Cleopatrae gratiam; nam teste Plutarcho usque adeo is mulieri sese addixit, ut, cum valeret plurimum terrestribus copiis, ejus gratia victoriam navalem concupisceret. Verum Plutarchus istud tantum de postremo Antonii bello intelligit, quo is in Cleopatrae gratiam malebat mari, quam terra fortunam experiri; at enim id genus denarios multo jam ante signari coeptos facile quivis sibi persuadebit. Magis sane verisimilis eorum est sententia, qui opinantur, voluisse Antonium utroque typo jactare vires suas tam maritimas, quam terrestres. Quod vero legiones suas numis inscripsit, istud videtur fecisse, ut earum captaret benevolentiam. Cujus quidem in milites suos adfectus cum saepe alias uberes tulit fructus, tum praecipue post fatalem ad Actium pugnam. Etenim XIX. legiones, quae integrae tum in litore excubabant, Antonio etiam comperta ejus fuga tantam praestitere fidem, ut, cum alicunde eum appariturum sperarent, diebus VII. cohaererent, missosque ad

a) Comment. hist. T. I. p. 60. b) Tom. II. p. 316. c) Animadv. phil. p. 23. d) l. c. p. 21.

se a Caesare legatos repudiarent, neque deditionem facerent, quam a Canidio duce ad Caesarem transfuga proditos sese intellexerunt a).

En legiones Antonii secundum legem arithmeticam progredientes:

LEG. I. Numus integerrimus, et sincerus, hactenus ex solo museo Caesareo cognitus, nisi addere velis similem in catalogo musei Lefroyani Liburni edito, et quem ex Gorleo citat Mediobarbus. Alii inscripti LEG. PRI. et LEG. PRIM. ANTIQVAE. solum Goltzium auctorem habent.

LEG. II. — LEG. III. — LEG. IIII. vel IV. — LEG. V.

LEG. VI. numus obvius. Rarior est idem restitutus hoc modo: ANTONIVS. AVGVR. IIIVIR. R. P. C. *Navis praetoria.* ✠ LEG. VI. ANTONIVS. ET. VERVS. AVG. REST. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AR. (Mus. Caes.) Cur unum legionis VI. numum ex tot aliis restituerit M. Antonius, nemo, quod norim, hactenus adsecutus est. In typo Morelliano signorum unum dexteram arrectam praefigit, sed quem modum numi similes bini musei Caesarei non confirmant.

LEG. VII. — LEG. VIII. — LEG. VIIII. vel IX. LEG. X. — LEG. XI.

LEG. XII. vel: LEG. XII. ANTIQVAE. Legionis sic dictae nusquam alias fit mentio.

LEG. XIII. — LEG. XIIII. vel XIV. (Mus. Caes.) LEG. XV. — LEG. XVI.

Morellius in familia Antonia tab. XI. n. 4. quinarium obtulit: *Caput Augusti nudum.* ✠ LEG. XVI. *Leo currens.* Iam miratus est Havercampus, Augusti numum insertum numis M. Antonii. Videtur Morellius quinarium hunc hausisse ex museo electoris Brandeburgi, nam eundem stitit et Begerus b).

LEC. XVII. vel: LEG. XVII. CLASSICAE. Neque legionis cum hoc cognomine stante rep. alibi mentio occurrit. Dubium non est, eam classi fuisse destinatam, et ab hac appellationem traxisse.

LEG. XVIII. vel LEG. XVIII. LYBICAE, sic dictae, seu quod Libyes fuere, qui eam constituerant, seu quod in Libya excubabat. Revera Antonius in ea Africae parte, quae Marmaricam, et Pentapolin complexa Libya proprie a Romanis dicebatur, exercitum habuit praefecto Pinario Scarpo, ut supra ad annum V. C. 723 diximus. Adverte ad perversam scripturam LYBICAE pro LIBYCAE, cum Latini juxta Graecum ΛΙΒΥΑ semper scripserint LIBYA.

LEG. XIX. denarius obvius in argento, sed aureus unicus in museo regis Galliarum teste Pellerinio c).

LEG. XX. denarius notus, sed robur LEG. XX. HISPANICAE solus Goltzius conscripsit.

LEG. XXI. — LEG. XXII. — LEG. XXIII.

LEG. XXIV. numus rarissimus, neque ante Patinum cognitus. Eum recitat quoque Morellius. Similis exstat etiam in Caesareo, sed certis admoti scalpri indiciis, quae fraus frequenter hos legionum numos corrupit; nam addito, vel

a) Plut. in Ant. p. 947. b) Thes. Brand. T. II. p. 538. c) Mel. I. p. 165.

dempto numero facile est ex denario obvio facere rarum.

LEG. XXV. hactenus uni se Goltzio indulsit.

LEG. XXVI. Vnicum hunc numum, et fraudis suspicione liberum primus vulgavit Khellius ex museo olim comitis Ariosti, nunc Caesareo. (Supplem. ad Vaill. p. 6.)

LEG. XXVII. Hujus fides solo testimonio Goltzii, et cl. Beauvais nititur, qui hanc legionem exstare adserit, sed non indicatis stativis. (Abrégé p. 33.)

LEG. XXVIII. et XXIX. nondum emersere, nisi ex Goltzii officina.

LEG. XXX. numus insignis, et fidei indubitatae, qui multis jam annis in museo com. Ariosti servabatur, nunc in Caesareum translatus. Serius similis in museo comitis Roncalli repertus invitavit cl. Paciaudum, ut elegantem dissertationem conscriberet, quam *Animadversiones philologicas* inscripsit. Alium citat museum Lefroyanum supra laudatum. Ignoravit haec cl. Beauvais, qui denarium similem tanquam unicum exstare in museo Enneryano adfirmavit. (l. c.)

Hac legione XXX. posterior alia reperta nondum est. Atque ex irrefragabili hoc numorum testimonio docemur, Antonio saltem tot legiones paruisse, quod hi denarii praedicant. Quibus nimio auctus hic numerus visus est, nixis potissimum Dionis oratione, Augusti aetate quinque tantum et viginti legiones constitisse adfirmantis [a]), aliorum testimonia auctorum aut non viderunt, aut negligenda duxerunt. Teste Appiano Octavianus biennio post pugnam Philippensem sub signis habuit legiones XL. plures [b]), qua fiducia negabimus Antonio legionum, quas numi memorant, numerum? Legionis XXX, quin et XXXV. meminit Cicero in variis suis epistolis, et Philippicis, quae copiosius enarrata vide apud Paciaudum [c]). Quo tempore ad Actium pugnavit Antonius, teste Plutarcho in litore stetere legiones XIX., in navibus viginti millia peditum, duo sagittariorum. Adde exercitum Africanum Scarpo commissum, et sparsa per tot provincias praesidia, atque tum aude Antonio legiones XXX. negare. Tantum ad explicandos hos Antonii denarios satis esto, nam alias eorum redibit mentio, quo loco totum numorum legionariorum agmen in unum cogam.

* * *

ANT. AVG. IIIVIR. R. P. C. *Navis praetoria.*

CHORTIVM. PRAETORIARVM. *Aquila legionaria monili ornata inter duo signa militaria.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 165.) AR. (Mus Caes.)

De cohorte praetoria haec Pomp. Festus [d]). *Praetoria cohors est dicta, quod a praetore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent etc.* Idem institutum placuit imperatoribus, qui successere. I. Caesar auctore Dione [e]) decimam legionem cohortem praetoriam sibi delegit, quod confirmat ipse Caesar in suis Commentariis, suorum ignaviam militum his verbis perstrin-

a) L. LV. §. 23. b) Bell. civ. L. V. c. 53. c) l. c. sect. 3. d) in Praetoria.
e) L. XXXVIII. §. 47.

gens [a]): *quod si praeterea nemo sequatur, tamen se cum sola decima legione iturum, de qua non dubitaret, sibique eam praetoriam cohortem futuram.* Atque hoc modo Catilinae quoque cohortem praetoriam tribuit Cicero, sed ex scortis conflatam [b]). De Antonii cohorte praetoria non uno loco mentio apud Appianum. V. C. 710, cum jam bellum civile animo volveret, delegit sibi ex omnibus, qui corpore, aliisque modis praestabant, in cohortem praetoriam optimum quemque, *ἐπιλεξαμενος ἐκ παντων στρατηγιδα σπειραν ἀνδρων, ἀριστων τα τε σωματα, και τον τροπον* [c]), quam deinde *cohortem regiam*, *σπειραν βασιλικην* invidiose appellavit Cicero [d]). Alibi milites emeritos ab Octaviano, et Antonio cohortibus praetoriis adscriptos idem Appianus refert [e]). Octavia, ut Antonium sibi demereretur, ad maritum iter ingressa secum duxit *ἐπιλεκτους στρατιωτας δισχιλιους ἐις στρατηγικας σπειρας κεκοσμημενους ἐκπρεπεσι πανοπλιαις*, *delectorum militum duo millia in praetorias cohortes omni armorum genere insigniter ornata* [f]). Habet Antonii cohors praetoria in denario aquilam legionariam, sed eandem cohortem dictam quoque fuisse *legionem*, mox ex Dione, et Caesare vidimus. Habet denarius *ἀρχαϊκον* CHORTIVM pro COHORTIVM, quo et utitur marmor Gruteri [g]), in quo Marcianus dicitur miles CHORT. XII. Valuit deinceps *chors*, vel *cors* in re rustica ad designanda villarum septa, at in re militari priore obliterato tantum *cohors*. Sic et in numis legionum sub Gallieno percussis: COHH. PRAET. VI. P. VI. F. Monilis, quo harum cohortium aquila in hoc denario ornatur, causam ignoro. Certe ipsarum legionum aquilae illo carent.

* * *

ANT. AVG. IIIVIR. R. P. C.
Navis praetoria.

CHORTIS. SPECVLATORVM. *Tria signa militaria, aut verius hastae coronis exornatae, et navium proris infixae.* AR. (Mus. Caes.)

De speculatoribus veterum multa praeclare collecta vide in dissertatione Christiani Schwarzii de hoc argumento, ex cujus industria haec tibi in pugnum contracta sisto. Speculatorum varia apud veteres munia, et notio. Speculatores fuere iidem, qui exploratores, Graecis *ὠτακουσται*, *ἐποπται*, eorumque opera valuit non modo in re militari ad deprehendenda hostium consilia, sed et civili, ac tum a delatoribus non differebant. Varro [h]): *Speculator, quem mittimus ante, ut respiciat, quae volumus.* Ex causa simili sic dicebantur etiam homines curiosi, et intima rimantes. Speculatores in re item militari appellabantur etiam, qui ex speculis, seu locis editis hostium motus et incursus explorabant, speculabanturque, et excitato igne procul significabant, dicti Graece *κατασκοποι*, *διοπτηρες*, cumque ad eosdem pertineret etiam, curriculo, quae e re forent, nunciare, dicti et hemerodromi, ingens die uno emetientes cursu spatium teste Livio [i]). Secundum Fe-

a) B. Gall. L. I. c. 40. b) in Catilin. II. c. 10. c) B. C. L. III. c. 45. d) Appian. l. c c. 52. e) L. V. c. 3. f) Plut. in Ant. p. 940. g) pag. 538. 8. h) de L. L. Lib. V. i) L. XXXI. c. 24.

stum [a]) *Speculator ab exploratore hoc distat, quod speculator hostilia silentio perspicit, explorator pacata clamore cognoscit.* Imperatorum aetate fuere speculatores quasi apparitores, et custodes corporis, unde Tacitus conjunxit manum *praetoriarum cohortium, et speculatorum* [b]), et Suidas: Σπεκȣλατωρος, τȣ δορυφορȣ. Quare saepe in marmoribus speculatores cohortibus praetoriis immixtos videas, ut: SPEC. COH. IIII. PR. Speculatores denique dicebantur etiam, quorum erat, capite damnatos supplicio adficere, cujus illustre exemplum suppeditat Seneca [c]). Vnde in glossis Graeco-barbaris speculator idem, quod carnifex, Graece, ὁ δημιος, ἀποκεφαλιςης. Hujus naturae, nisi forte regius fuit apparitor, erat is, quem Marcus evangelista ad amputandum Ioanni caput missum narrat [d]), *και ἐυθεως ἀποςειλας ὁ βασιλευς σπεκȣλατωρα κ. τ. λ.* Latina vulgata vertit *spiculator* quasi ea vox derivanda esset a gestato spiculo. Perperam, nam in vocabulo σπεκȣλατωρα nullus hactenus deprehensus codicum dissensus.

At vero chortem speculatorum, quam denarius hic offert, ad rem maritimam pertinuisse, defixae navium prorae abunde indicant. Non eodem studio video praestantem Schwarzium in istud rei navalis munus inquisivisse, contentum fere, Vaillantii in hunc numum commentarium recitare. Iam vero speculatores maritimi idem in mari munus obibant, quod speculatores in terra ex locis editis, exploratores, et quos dixi, hemerodromi. Insigne ejus testimonium exhibet Vegetius [e]): *Scaphae tamen,* inquit, *majoribus Liburnis EXPLORATORIAE sociantur - - - per has et superventus fieri, et commeatus adversariorum navium aliquando intercipi assolet, et SPECVLANDI studio adventus earum, vel consilium deprehendi. Ne tamen exploratoriae naves candore prodantur, colore Veneto, qui marinis est fluctibus similis, vela tinguntur et funes, cera etiam, qua ungere solent naves, inficitur. Nautae quoque, vel milites Venetam vestem induunt, ut non solum per noctem, sed etiam per diem facilius lateant explorantes.* Teste Polybio Scipio in Hispania Poenos aggressurus *praemisit binas Massiliensium celoces speculatorias* προαπεςειλε κατασκεψομενας δυο ναυς ταχυπλȣσας Μασσαλιωτικας [f]). Id genus naves etiam Cn. Pompejum ad bellum civile contraxisse, docet Plutarchus [g]): ἠσαν δε πεντακοσιων μεν ȣκ ελαττȣς ἁι μαχιμοι, Λιβυρνικα δε και ΚΑΤΑΣΚΟΠΙΚΑ και ἀφρακτα παμπληθη, *erant naves bellicae haud infra quingentas, Liburnicarum, SPECVLATORIARVM, et apertarum immensus numerus.* Huc pertinuit M. Staberius, qui in marmore Muratorii dicitur centurio COH*ortis* VI. SPECVLAT*orum* CLAS*sis* MISEN*ensis* [h]). Igitur quemadmodum Antonius, ut ad numum praecedentem diximus, ex militibus optimum quemque selegerat, ex quibus praetoriam suam cohortem conflaret, ita verisimile est, eum ex optimis quibusque

---

a) In Explorare. b) Hist. II. c. 33. c) de Ira L. I. c. 16. d) Cap. VI. v. 27.
e) L. IV. c. 37. f) Hist. L. III. c. 96. g) in Catone min. c. 54. h) pag. 855. 3.

classiariis selegisse cohortem, quae sese in navalibus suis expeditionibus stiparet, et esset cohortis instar praetoriae maritimae, in multiplicibus maris periculis propter rei navalis peritiam usui futurae. Cumque utriusque generis cohortes, illae *praetoriae*, et hae *speculatorum* magno essent in honore, quod eorum fidei salutem suam commiserat, factum observantiae causa, ut eorum etiam nomina huic numorum suorum classi inscriberet. Tres navium prorae, quae hastis adfixae in his denariis conspiciuntur, rostris carent, sed quibus naves speculatorias caruisse revera testatur Livius [a]: *Livius una et octoginta rostratis navibus, multis praeterea minoribus, quae aut apertae rostratae, aut sine rostris speculatoriae erant, Delum trajecit.*

NVMI AENEI
Praefectorum M. Antonii.

Copiosa haec quoque monetae Antonianae classis, et quia rite proposita explicataque ejus aevi historiam multum illustrat, placuit hujus argumenti numos in unum conferre subjectis commentariis, quibus majorum nostrorum de iis opiniones aut stabilire, aut refellere adlaborabimus.

* * *

M. Fonteius Capito.

M. ANT. IMP. COS. DES. ITER. ET. TERT. III. - - - *Capita jugata, Antonii nudum, et muliebre.*

C. FONTEIVS. CAPITO. PROPR. - - - *Navis cum velo.* AE. II. III. (Morelli, Vaill.)

De hoc Fonteio Antonii amico actum in gente Fonteia.

M. Oppius Capito.

M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TER. IIIVIR. R. P. C. *Duo capita virilia nuda jugata, quorum anterius est Antonii, posterius juvenile, quibus adversum est tertium muliebre nudum.*

M. OPPIVS. CAPITO. PROPR. PRAE. CLASS. *Navis cum velo, infra* Γ, *et triquetra.* AE. m. m. (Mus. Pisani tab. III.)

Alius, sed in quo tertium caput muliebre diademate redimitur. AE. m. m. (Morelli in fam. Oppia.)

Eadem epigraphe. Capita jugata, Antonii nudum, et muliebre.

M. OPPIVS. CAPITO. PROPR. PRAEF. CLASS. F. C. *Navis cum velo, infra* A *et globus.* AE. III. (Morelli, et Vaill. in Oppia.)

Eadem epigraphe. Capita se respicientia, Antonii nudum, et muliebre diadematum.

M. OPPIVS. CAPITO. PRAEF. C - - - *Navis sine velo, infra* B. AE. III. (Morelli in Oppia.)

M. ANT. IMP. IT. COS. DESIG. IT. IIIVIR. R. P. C. *Capita duo se respicientia, Antonii nudum, muliebre alterum, pone quod prora navis.*

M. OPPIVS. CAPITO. PROPR. PRAE. CLASS. F. C. *Navis cum velo, infra* B. AE. II. (Vaill. Morelli.)

a) L. XXXVI. c. 42.

M. ANT. IMP. ITER. COS. DESIG. ITER. ET. TER. IIIVIR. R. P. C. *Capita jugata Antonii nudum et muliebre.*

M. OPPIVS. CAPITO. PROPR. PRAEF. CLASS. *Navis cum velo, in imo* A. AE. III. (Theupoli pag. 7 collata correctione sub fin. Tom. II.)

M. ANT. IMP. TER. COS. DES. ITER. ET. TER. IIIVIR. R. P. C. *Capita duo se respicientia, Antonii nudum, et muliebre nudum.*

M. OPPIVS. CAPITO. PROPR. PRAEF. CLASS. F. C. *Duae figurae, togata una, stolata altera in quadrigis hippocamporum, pone* HS, *in imo* ΔI. *et arula.* AE. m. m. (Morelli in Oppia.)

M. ANT. IMP. COS. DES. IIIVIR. R. P. C. *Capita tria, ut supra in numo hujus Oppii primo.*

M. OPPIVS. CAPITO. PROPR. PRAEF. CLASS. *Navis cum vello infra* Γ, *et triquetra.* AE. I. (Pembrock P. II. tab. 58, et P. III. tab. 46.)

Si hujus inscriptio numi talis est, qualis perhibetur, necesse est, notam III bis accipiendam, sic ut primum efficiat: COS. DES. III., deinde IIIVIR. R. P. C. Etenim Antonius COS. DES. non fuit, nisi anno V. C. 709, sed quo is tempore IIIVIR nondum fuit.

De hoc Oppio Capitone Antonii praefecto nihil suppeditat historia vetus. M. Oppium quendam aetate IIIvirorum memorat Dio [a]). Oppium Statianum Antonii in bello Parthico ducem, sed a Parthis V. C. 718 caesum narrant Dio, aliique.

* * *

L. Sempronius Atratinus.

M. ANT. IMP. TER. COS. DES. ITFR. ET. TER. IIIVIR. R. P. C. *Capita duo se respicientia, Antonii nudum, muliebre diadematum.*

L. ANTONIVS. AVGVR. PRAEF. CLASS. F. C. *Duae figurae, togata una, stolata altera in quadrigis hippocamporum, pone* HS, *in imo* Δ *et arula.* AE. I. (Morelli in Anton. et Sempron. Vaill. Hist. Ptolem. p. 195.)

Eadem epigraphe. Capita duo se respicientia, Antonii nudum, muliebre nudum.

L. ATRATINVS. AVGVR. COS. DESIG. *Navis cum velo, supra duo pilei Dioscurorum, infra* B. AE. I. (Mus. Caes.)

M. ANT. IMP. TER. COS. *Capita duo se respicientia, Antonii nudum, et muliebre nudum.*

L. ATRATINVS. AVGVR. COS. DES. *Navis cum velo, infra* B. AE. II. (Morell.)

Eadem epigraphe. Capita duo virilia nuda jugata, quorum anterius est Antonii, posterius juvenile, ex adverso tertium muliebre.

L. ATRATINVS. AVGVR. COS. DESIGN. *Navis cum velo, in imo triquetra, et* Γ. AE. I. (Mus. Theup. p. 8.)

M. ANT. - - - - IIIVIR. R. P. C. *Capita jugata Antonii, et muliebre.*

\- - - TINVS. AVGVR. *Navis cum velo, in imo* A. AE. II. (Ibid.)

L. Sempronium Atratinum magna fuisse apud Antonium auctoritate, inde

a) L. XLVIII. §. 53.

liquet, quod Antonius jam inde a quinquennio designatus consul iterum, quem magistratum iniret V. C. 720, eodem die, quo processit, Atratinum pro se consulem suffecit [a]. Quare jam ante ab Antonio designatus jure se in numis vocat *consulem designatum*. Fuisse augurem, ex solis his numis docemur.

* * *

L. Calpurnius Bibulus.

M. ANT. IMP. TER. - - - *Capita duo se respicientia, Antonii nudum, et muliebre nudum.*

L. BIBVLVS. M. F. PR - - - *Duae figurae, togata una, stolata altera, in quadrigis hippocamporum, pone* HS, *in imo* Δ *et arula.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

M. ANTONIVS. M. F. COS. ITER. IIIVIR. R. P. C. *Caput Antonii nudum.*

L. BIBVLVS. M. F. PRAE. CL. F. C. *Prora navis.* AE. III. (Morelli.)

M. ANT. IMP. TER. COS. DESIGN. TER. IIIVIR. R. P. C. *Capita duo se respicientia, Antonii nudum, muliebre diadematum.* In alio: *Capita similia, sed jugata.*

L. BIBVLVS. PRAEF. CLASS. *Navis cum velo.* AE. I. (Vaill. Hist. Ptol. p. 197.)

Eadem epigraphe. Capita duo jugata, Antonii nudum, muliebre diadematum.

L. BIBVLVS. M. F. PRO. SIC. *Navis cum velo.* AE. II. (Vaillant in fam. Anton. et in Hist. Ptol. p. 197, at idem in eodem numo in gente Calpurnia legit PROC. SIC. id est: *Proconsul Siciliae*, et quam esse veram lectionem, in ejus numi explicatione tuetur.

- - - AVG. IIIVIR. R. P. C. *Capita tria, ut in numo primo Oppii Capitonis.*

L. BIBVLVS. M. F. PR. DESIG. *Navis cum velo, in imo triquetra et* Γ. AE. I. (Theupoli.)

L. Bibulus, filius haud dubie ejus M. Bibuli, qui primum I. Caesaris in consulatu conlega, deinde in bello civili hostis attritis indefesso labore viribus mortuus est V. C. 706 [b]. De nostro L. Bibulo haec refert Appianus, quibus praeterea praesentes numi praeclare illustrantur [c], fuisse in proscriptorum numero, sed in gratiam receptum, subinde ab Antonio *praefectum classi*, pacis conditionum inter Antonium, Caesaremque saepe fuisse internuncium, denique Syriae ab Antonio praefectum in hac provincia decessisse. De epigraphe PROC. SIC. agam infra in commentariis.

* * *

L. Pinarius Scarpus.

M. ANTON. IMP. COS. DES. ITER. ET. TER. IIIVIR. R. P. C. *Capita jugata, Antonii nudum, et muliebre.*

L. PINAR. SCARPVS. IMP. *Navis cum velo, infra.* AF. AE. I. (Angelloni Hist. Aug. post p. 19 num. 10. 11.)

---

a) Dio L. XLIX. §. 39. b) Caesar de B. C. L. III. c. 18. Dio L. XLI §. 48. c) B. C. L. IV. c. 38.

De hoc Scarpo Antonii socio, et exercitui Africano praefecto, et ejus denique proditore vide, quae diximus in numis gentis Pinariae.

* * *

Pacuvius, vel Q. Paquius Rufus.

De hoc vide numos gentis Pacuviae.

* * *

Praefectus incertus.

M. ANTON. - - - CLEOPATRA. *Capita jugata Antonii et Cleopatrae.*
- - - PRAEF. CLASS. *Navis cum velo.* AE. I. (Morelli et Vaill. in fam. Anton.)

* * *

In hanc numorum classem copiose commentati sunt Seguinus a), Panelius b), Vaillantius c), Havercampus d), aliique pauci. Novissime eam illustrandam suscepit eruditus Abbas Mazzolenus contexta larga dissertatione, quam reperias in ejus Animadversionibus in numos musei Pisani pag. 163. At vero in omnibus his eruditorum tentaminibus plus conatus, quam profectus reperio. In causa est, cum quod aliorum similium subsidio nobis opus adhuc est, tum quod ii, qui ad nos pervenere, male plerumque ab aevi injuriis habiti sunt. Quo factum, ut non modo auctores hi inter se, secumque ipsis saepe dissentirent, sed et eorum decreta in conjecturas denique abeant. Quare consultius puto, ut legentium taedium sublevem, in iis commemorandis, tum et elevandis, stabiliendisve tenere modum, atque istud satagere tantum, ut, quae certa sunt, quaeque adhuc dubia, intelligamus.

Potior controversia in definiendo capite muliebri, quod Antonii capiti sociatur, quod plerique esse Cleopatrae existimant, at Mazzolenus in adserenda Octavia Octaviani sorore, Antonii uxore totus est. Controversum etiam, cujus sit caput juvenile, quod in nonnullis numis, primo Oppii, quarto Atratini, quinto Bibuli cum Antonii capite jugatur, Vaillantio, aliisque in Caesarionem I. Caesaris ex Cleopatra, vel Antyllum Antonii filium inclinantibus, dum Mazzolenus ipsum in eo Octavianum videt, additamque juxta Octaviam, quae Antonium maritum, et Octavianum fratrem respicit. Mazzoleni argumenta praecipua sunt: Ex ipso, inquit, signatae hujus monetae tempore consequi, capita haec Cleopatram referre non posse. Nam cum horum nonnulli signati jam sint inde ab anno V. C. 715, quod ex literis A. B. Γ. Δ colligitur, quibus indicari annos praefecturae in singulis praefectis statuit, verisimile non esse, quo temporo magna constabat amicitia Antonium inter ac Caesarem, agente potissimum Octavia, ausurum fuisse Antonium posthabita legitima uxore pellicis Cleopatrae vultum cum suo in numis sociare, neque eam cum Antonio conjunctam, nisi anno

a) Sel. num. p. 106. b) Num. cist. p. 68. c) Hist. Ptol. et in Num. fam. d) ad Fam. Morell.

demum V. C. 722, quo uterque IIIvir rupta concordia bellicum sonuit. Ad haec cum in nonnullis ex horum genere videatur triquetra, certum, ut ait, Siciliae symbolum, quin et ipse Bibulus dicatur proconsul Siciliae, et constet, pulso Sex. Pompejo Siciliam omnem in potestatem Octaviani venisse, quin ullam ejus partem obtineret Antonius, verisimile rursum non esse, praetores ab Octaviano constitutos, quos inter fuisse Bibulum numus docet, Antonium cum Cleopatra, praeterita Octavia, voluisse in moneta proponere, certa Octaviani offensione. Vultus, inquit, si spectentur, juvenilem cum Antonio conjunctum omnino referre Octavianum, muliebrem autem Octaviae nullo pacto convenire. Quocirca nullum in hos numos jus esse aut Cleopatrae, aut Caesarioni, aut Antyllo. En summa Mazzoleni capita.

Verum in hac viri eruditi doctrina complura video non satis stabilita, nonnulla etiam falsa. Ait I., adversari Cleopatrae tempora, quibus hi signati numi; at haec ille computat ex literis solitariis A, B, Γ, Δ, quibus non dubitat indicari annos praefecturae, quo admisso certum utique foret, horum numorum complures anno V. C. 715, constante adeo inter utrumque IIIvirum amicitia, cusos esse. Exemplo esto numus I. Atratini cum litera Δ, sive anno IV. Quoniam in hoc numo Antonius dicitur COS. DES. ITER. ET. TER., signari non potuit posterius anno V. C. 719, nam anno proximo, quo consul II. processit, dici coepit COS. DES. TER. Si ergo Atratini annus Δ coincidit cum anno 719, necesse est, ejusdem annum A, quem habet numus quintus Atratini, incidere in annum 715, quo tempore nupta Antonio recens Octavia Cleopatrae in aere publico vultum merito excludit. At enim facile est, sententiae hujus fallaciam ostendere. In omnibus Atratini, Oppii, Bibuli numis, qui in antica habent tria capita, in aversa triquetram, alia litera non legitur, quam Γ, ergo omnes hi praefecti nonnisi tertio singuli suae praefecturae anno velut certa quadam praefixa regula eundem sibi typum legerunt? Deinde in omnibus eorundem praefectorum numis, qui habent singularem typum duarum figurarum hippocampis vectarum, exstat litera Δ, ergo idem singulis placuit quarto demum praefecturae suae anno? Quid vero literae ΔI. in numo VII. Oppii? an et hinc annum XIV. exculpes? Advertit hic nodus Mazzolenum, verum cum solvere facile non posset, effugio usus est parum idoneo [a]. Harum ergo literarum sensum aeque incertum puta, atque earum, quas in aeneis Lollii, tum et urbium Thraciae, Syriae, aliarumque regionum magno numero obvias habemus. Sane numi praesentis argumenti aliud certum natalium suorum tempus non manifestant, quam illud, quod ex Antonii inscripto consulatu petitur, nimirum hos cusos ante aditum consulatum II. V. C. 720, alios deinceps. Vacillat ergo argumentum,

---

a) Pag. 163.

quod in Octaviae favorem a tempore signatae hujus monetae petitur.

Ait H., praetores in Sicilia post exactum Pompejum ab Octaviano constitutos ausuros non fuisse cum Antonio sociare Cleopatram neglecta Octavia patroni sui sorore. Hos ipsos autem praetores fuisse Siciliae praefectos, arguere triquetram, numumque, in quo Bibulus dicitur PROC*onsul* SIC*iliae*. Omnia in hac oratione male cohaerentia, tum aperte falsa. Trium, ut in praefixo catalogo vidimus, habemus praetorum numos triquetra insignes, Oppii, Atratini, Bibuli, quos omnes si praetores Siciliae statuas, necesse erit statuere etiam, fuisse omnes tres ejus provinciae praetores uno eodemque anno V. C. 719, non prius, nam Sex. Pompejus nonnisi exeunte anno praecedente 718 victus per suos antea homines insulae res procuravit, non postea, nam anno sequente Antonius jam processit consul II.; at in omnium horum trium numis notatur consulatus II. nondum initus, nempe COS. DES. ITER. ET. TER. In unum vero annum tres varios compingi praetores, an non absurdum? At, inquit, triquetra Siciliae praetores haud dubie arguit. En tibi symbolum hocce fatalem illum scopulum, in quo navim adlisere viri summi, Spanhemius, Vaillantius, Havercampus, Mazzolenus, aliique omnes, dum eo duce numis his Siciliam natale solum imputant. Novi, triquetram esse vulgatum Siciliae symborum, at non solius, nisi et numos Suessae Campaniae, Metaponti et Veliae Lucaniae, Aspendi Pamphyliae, Selges Pisidiae, principum Olbensium Ciliciae velis in Sicilia esse signatos, in quorum omnium numis, ut suo loco diximus, luculentam, et Siculae simillimam habemus triquetram. Novi, eam in Siculis notare tria insulae promontoria, at idem symbolum in aliarum regionum numis aliud notare potest, ac debet. Sic monogramma XP. in numis inferioris aevi notare Christum, confessum est, at idem in numis Ptolemaeorum aliud notare debere quis dubitabit? Ex quo apparet, triquetram nimium fallax esse monetae Siculae argumentum. At Bibulus in numo simili dicitur PROC*onsul* SIC*iliae*, magistratum ergo hi in Sicilia obtinebant. Istuc ibam. Mirum, in quae absurda numus hic a Vaillantio promulgatus eruditos averterit. Primum Vaillantius patere ex hoc numo ait, Siciliam fuisse in Antonii potestate, quod ipsum Dionis quoque verbis confirmat. Fuisse ergo Bibulum ab Antonio in Sicilia constitutum proconsulem, et ab hoc praesentem numum in Sicilia cusum [a]). Vaillantium temere secutus est Havercampus [b]). Non immorabor inconsultae huic orationi, quando jam Mazzolenus abunde probavit, nunquam Antonio jus ullum in Siciliam fuisse, et Dionis locum male Vaillantio intellectum. Aliter ergo aenigma explicat Mazzolenus, sed et aliter peccat. Ait, Bibulum pro Caesare fuisse Siciliae proconsulem, signasse tum in ea insula hunc numum juncta cum Antonio, quod aliter fieri non poterat, Octavia. Subinde V. C. 722 Bibulum a Caesare ad An-

a) In Fam. Ant. p. 220. b) ad Morell. fam. p. 25.

tonium transivisse, ejus copias navibus contra Caesarem transvexisse, acceptaque provincia Syria paullo post in ea mortuum, quae omnia testimoniis Dionis et Appiani comprobata putat [a]). At perperam: falsum enim, aut certe nullo auctore probari potest, Bibulum unquam Caesari adhaesisse. Dio, qui V. C. 722 permissum a Caesare suis ad Antonium transitum memorat, nihil de transgresso ad Antonium Bibulo pronunciat, quem tamen Dionis locum citat vir eruditus. Appiani verba pessime intellecta Mazzoleno. Is cum in actis anni V. C. 711 aliquot exempla enarrasset virorum illustrium, qui a IIIviris proscripti insperato salutem reperere, haec de Bibulo item proscripto tradit [b]): *eum una cum Messala in gratiam receptum, et classi praefectum ab Antonio, conditionum pacis inter Antonium, Caesaremque saepe fuisse internuntium, denique Syriae ab Antonio praefectum in hac provincia mortuum.* Nihil hic Appianus de Bibulo Caesari adhaerente, nihil de eo ad Antonium transgresso, nihil de ductis ab eo V. C. 722 contra Caesarem copiis commemorat; quin ut Appiani verba accipienda omnino sunt, patet, Bibulum inde ab anno V. C. 711, quo IIIviris reconciliatus est, constanter Antonio adfixum in ejus fide ad extremum perseverasse. Absurdum praeterea videri possit, si Caesaris fuit Bibulus in Sicilia proconsul, eum proconsulatus sui numis caput non Caesaris, cui paruit, sed Antonii alieni potius intulisse. At, inquies, si Bibulus non fuit praefectus Caesaris, cui paruit Sicilia, fuit autem praefectus Antonii, ad quem Sicilia non pertinuit, quis deinde erit hujus numi explicatus? Opinare, numi epigraphen male a Vaillantio lectam, quod factum saepe alias, sublata est omnis difficultas. Ejus vero opinandi ratio non simplex, I. numus, in quo Bibulus dicitur proconsul Siciliae, a nemine alio editus reperitur. Eum Vaillantius citat ex museo regio [c]), ac tum mirum, cimelium tam rarum fugisse Morellii in perquirendo industriam. II. nullum aliud novi exemplum in numo seu Latine, seu Graece inscripto, proconsulem, seu propraetorem adscripsisse nomen provinciae, in qua magistratum gessit, ut in praesente PROC. SIC. Denique III. videtur numus hic eandem habere inscriptionem, quam praefert Theupolianus, quem in Bibuli numis postremum proposui, in quo is dicitur PR. DESIG., pro quo Vaillantius facile legere poterat PROC. SIC.

Ex his ergo, quae modo disputavi, nequaquam sequitur, agnoscendam id his numis Octaviam propterea, quod non modo temporis ratio, quo signati hi numi, sed et praetores Caesaris, a quibus cusi in Sicilia ferebantur, Cleopatram cogant inficiari. Reliqua ergo disputatio ad vultus lineamenta, et capitis cultum redit. His in consilium vocatis adfirmat Mazzolenus, I., faciem muliebrem in his numis multum abludere ab ea, quam in certis Cleopatrae numis intuemur, II. in omnibus id genus numis, qui sibi ob oculos venere, nunquam sibi caput illud muliebre visum diademate revinctum. Vni ergo in

a) Pag. 173 seq. b) B. C. L. IV. c. 38. c) Hist. Ptol. p. 197.

hos numos Octaviae jus esse. Argumento a lineamentis petito non immorabor, cum quod haec, praecipue in numis externis, sint fallacia, tum quod dempto numo unico, quem in ejus moneta dabo, monumentum aliud non habemus, quod indubitatam nobis Octaviae effigiem offerat, cum qua adeo praesentium numorum vultus possimus conferre. Ad capitis cultum quod attinet, vidimus in praefixo catalogo, ex auctorum indicio saepe caput illud adseri diademate redimitum; quod si verum, quis Cleopatram inficiabitur? Sed Mazzoleno judice temere illud ornamentum a Morellio, aliisque adfictum est, quam quidem ego sententiam calculo meo neque repudiare possum, neque approbare; non hoc, quia tot testes diadema stabiliunt, non illud, quia et ipse experientia doctus cogor profiteri, nonnullos eruditos revera mulieri diadema praeter veritatem adfinxisse, credo, quod mulierem, quam esse Cleopatram citra dubium dixerunt, esse diadematam oporteret. Si istud in Morellio probavero, cujus celebrata est in numorum pictura adcuratio, multo magis suspicio feriet solutiores alios. Video nimirum, in binis Cistophoris, quos Morellius in familia Antonia tab. 2 sistit, additum caput muliebre cinctum diademate, quo tamen illud caret in numis iisdem, atque integerrimis musei Caesarei, musei Albani, et quos exhibet Panelius [a]). Si sic peccatum in numis, qui per volumen, et metallum minus detrimenti accepere, jure possumus suspicari, in aeneis, qui corruptioni plus patent, et quorum multi exiguo sunt volumine, diadema quoque ab antiquariis de suo, et ex praejudicata opinione fuisse additum.

Atque his perpensis omnibus apparet, quam sit difficile, in hoc dissidio seu Octaviae, seu Cleopatrae partes tueri. Vt tamen meam hac quoque in causa conjecturam proferam, non magnopere alienum me a Mazzoleni sententia profiteor, opinantis, muliebri huic capiti in nullo id genus numo additum diadema. Istud si verum, quoniam Cleopatra vere regina fuit, et in certis ejus numis, in quibus praecipue denarium puto, quem in moneta Antonii ad V. C. 720 descripsi, ejus caput constanter habetur diadematum, videtur etiam consequi, si caput in hujus, de qua agimus, classis numis esset Cleopatrae, non debere regio isto, sibique debito insigni carere. Equidem video, objici mihi posse aeneum Oppii, quem Vaillantius in Antonia tab. XV. n. 47, Morellius tab. XI. n. 2 edidere, in quo pone caput muliebre non diadematum est prora navis, quod attributum certam nobis Cleopatram facit, ut videre est ex eodem denario a me ad annum 720 producto. At enim quemadmodum, ut continuo diximus, peccatum ab antiquariis addendo diadema, quo loco abesse debuit, sic peccari facile potuit omittendo, praecipue cum is, quem Morellius stitit, insignia ab aevo vitia fecerit. Quod si in horum nonnullis vere est caput diadematum, atque adeo Cleopatrae, ejus reginae in his numis propositae duplicem video

a) Num. Cistoph. p. 69.

adferri posse causam. Primam, quod ex Dione video [a]), Antonium jam anno V. C. 718, et quod sequitur, amico adhuc Caesare, sic Cleopatrae amore insanivisse, ut non dubitaret, natis ex se, et Cleopatra liberis multas Arabiae, Phoenices, Palaestinae, Cretae partes, ipsam etiam Cyrenen, et Cyprum, Romanas nempe provincias elargiri, mox V. C. 720, ut ad hunc annum dixi, pulcherrimas iisdem Asiae, Africaeque provincias addicere. Tantum facinus qui ausus erat palam atque in luce attentare, levius certe aliquid ausus est, cum in moneta hac aenea atque ignobili reginam pellicem sibi sociari est passus, neque necesse est cum Mazzoleno statuere, non posse Antonium cum Cleopatra componi ante annum V. C. 722, quo tandem rupta inter utrumque IIIvirum pax, quando multo ante Antonium graviora ausum videmus. Altera causa peti potest a libidine praefectorum. Constat, horum alios, quos reverentia Romani nominis tenuit, graviter tulisse immoderata haec Antonii in Cleopatram studia, et fuisse etiam, qui hac una de causa ad Caesaris partes transirent. At fuere etiam, qui turpis quaestus causa eam insaniam aut ferebant, aut etiam approbabant. Ex horum numero fuisse Canidium Crassum, unum ex praecipuis Antonii ducibus, numi ipsi docent; nam non erubuit homo impurus, numo Aegyptio Cleopatrae solius, quem in hujus reginae moneta descriptum dedimus, nomen suum inscribere, nimirum ut queritur Horatius [b]):

Romanus (eheu posteri negabitis)
Emancipatus feminae
Fert vallum, et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest.

Atque huc vere pertinet, quod refert Dio [c]), Cleopatram ita sibi Antonium, et ceteros, qui in aliqua apud eum existimatione fuerant, velut incantatione quadam devinxisse, ut sibi imperium in Romanos ipsos auderet polliceri. Horum ergo alii, qui magis sobrii fuere, poterant Antonio Octaviam conjugem legitimam, alii Cleopatram adulteram sociare. Sed haec copiosius illustranda permittamus tempori, quod forte aliquando plures hujus argumenti numos, eosque magis integros spectandos dabit.

Supersunt explicanda aliqua, quae ad inscriptionis, et typos spectant.

In nonnullis post omnes praefecti titulos adduntur literae F. C. Novam sententiam commentus est Panelius, eas explicans: PRAEF*ectus* CL*assi* F*oederatarum* C*opiarum*, quam refutare piget. Eas literas jam habuimus in numis Vticae, et in denariis Eppii, in quorum examine diximus, eos significare: F*landum*, vel F*eriundum* C*uravit*, quam explicationem maluit quoque Bimardus [d]). Literas in his numis solitarias A, B, Γ, Δ, ΔI non posse indicare annos praefecturae, sed notare aliquid incertum, supra in ipsis his commentariis diximus. Ignota etiam significatio literarum HS, quae sunt in nonnullis aeneis majoris formae. Havercampus simili nota in numo Atratini putabat in-

a) L. XLIX. §. 32. b) Epod. Od. IX. v. 11. c) L. L. §. 5. d) ad Iobert. T. II. p. 136.

dicari museum ad socios Iesu spectans [a]), quod absurdum laboriosus hic, at parum adcuratus scriptor non dixisset, si reflexisset animum ad similem numum Oppii apud eundem Morellium.

Singularis typus in numis Oppii, Atratini, et Bibuli: *figurae duae, togata una, stolata altera in hippocamporum quadrigis vectae.* Vaillantius in his Antonium, et Cleopatram agnoscit, putatque, hoc typo adludi ad triumphum de capta Armenia, ejusque rege Artavasde. Ignoscendus hic error Vaillantio, cujus numus vitiatus fuit, at non perinde Havercampo idem cum Vaillantio sentienti [b]); nam nactus numum integrum, in quo Antonius dicitur COS. DES. ITER. ET. TER., intelligere debuit, eum signatum, antequam Antonius de Armenia triumpharet. Allegoricus certe est typus, sed cujus ego, parum in obscuris audax, explicationem non tento.

De typo triquetrae egi in ipsis commentariis.

* * *

Inter duces M. Antonii commemorandus hic foret P. CANIDIVS. CRASSVS. LEG. A. P., vel, ut Mediobarbus legit: LEG. AF. [c]) unde Spanhemius LEG*atum Armeniae* P*rovinciae* conficit [d]), Mediobarbus LEG*atum* AF*ricae*. Verum cum hic numus certa sit merx Goltziana, negligendum puto, donec a viris idoneis adprobatum videro.

* * *

Numi alii commatis peregrini.

M. ANTONIVS. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. *Caput Antonii hedera redimitum, infra lituus, omnia intra coronam hederaceam.*

IIIVIR. R. P. C. *Cista Bacchi inter duos serpentes, cui imminet caput muliebre nudum.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Capita jugata, Antonii hedera redimitum, et muliebre nudum.

IIIVIR. R. P. C. *Cista Bacchi inter duos serpentes, cui insistit Bacchus stolatus d. cantharum, s. thyrsum.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Est uterque hic numus ex Cistophororum genere, de quorum natura typisque hic non agimus, contenti, ea solum attingere, quae in his ad Antonium pertinent. Quem in numo anni V. C. 715 Antonium Herculem vidimus, nunc ex corona hederacea agnoscimus Bacchum, copiosis veterum testimoniis hanc ejus apotheosin confirmantibus. Refert Dio [e]), et Seneca [f]), Antonium V. C. 715 ex Italia in Graeciam reversum Bacchum se alterum nominasse, hoc quoque statuis nomine subscripto, illudque ab aliis sibi tribui voluisse. Cumque obviam progressi Athenienses Libirum eum salutarent, quem honorem teste Diogene Laertio [g]) jam antea Alexandro quoque M. detulerant, rogarentque, ne gravaretur,

a) Pag. 26. b) ad Morell. p. 26. c) Pag. 18. d) Tom. II. p. 178. e) L. XLVIII. §. 39. f) in Suasor. I. g) L. VI. §. 63.

suam sibi Minervam in matrimonium despondere, probare se istud dixisse, at dotis nomine exegisse IIS. quadragies. Addit Seneca, cum nimis istud durum videretur, Graeculorum quempiam dixisse Antonio: κυϱιε, ὁ Ζευς τήν μητεϱα σȣ Σεμελην ἀπϱοικον ειχε, *domine! Iuppiter matrem tuam Semelem indotatam duxit.* Teste Socrate Rhodio apud Athenaeum [a]) Antonius ipse inter pompam Bacchicam se praeconis voce Bacchum proclamari jussit. Quae in eadem causa refert Plutarchus, biennio ante accidere. Narrat enim [b]), eum victo Bruto in Asiam profectum, Ephesumque ingressum, exceptum a feminis Baccharum, a viris puerisque Satyrorum, et Panum ornatu, appellatum palam Bacchum benignum, ac blandum, urbemque totam hedera, thyrsis, psalteriis, fistulis, tibiis repletam. Hoc de Epheso testimonium tanto plus valet, quod numi hi, qui Antonium nobis Bacchum exhibent, signati sunt in provincia Asia, in qua Cistophoros omnes lucem vidisse certum est. At constat etiam, non primum fuisse Antonium, cui iidem Asiani Bacchi honores omnes detulere; nam iidem et Mithridatem Ponti regem Bacchum dixere, ut ejus regis moneta docet. Neque vero deinceps etiam Antonii cessavit insania perhibente Velleio [c]), eum *redimitum hederis coronaque velatum aurea, et thyrsum tenentem, cothurnisque succinctum curru velut Liberum patrem vectum esse Alexandriae*, quem furorem aeterno etiam monumento confirmatum vide in moneta Balaneae Syriae. Ne vero et Cleopatrae suae coelestes deessent honores, sese in Aegypto Osiridem et Liberum patrem, illam Lunam et Isidem professus est. Ex successoribus Romanis habemus etiam Bacchum Caium cognomento Caligulam teste Athenaeo [d]).

De utriusque hujus numi aetate aliud dici nequit, nisi signatos fuisse ante annum V. C. 720, quod docet inscriptus consulatus. De controverso capite muliebri utriusque numi, sitne Octaviae, an Cleopatrae, proxime disputavimus.

* * *

M. ANTΩNIOC. AYTOKPATΩP. TPITON. TPIΩN. ANΔPΩN. *Caput nudum.*

BACIΛICCA. KΛЄOΠATPA. ΘЄA. NЄΩTЄPA. *Caput Cleopatrae diadematum.* AR. m. m. (Morelli, Vaill. Hist. Ptol.)

ANTΩ. YΠA. Γ. *sine typo.*

BACIΛ. ΘЄA. NЄA. *sine typo.* AE. II. (Haym.)

Addi his possunt: numis urbis incertae cum anno epochae incertae: ЄTOYC. K̄ĀT̄ŌȲ. KAI. C̄., quem vide in numis Cleopatrae. Alter Thessalonicae Macedoniae in consortio cum Octaviano, coloniae Corinthi, aliique pauci. Signatum haud dubie Alexandriae inscripto PΩMHΣ vide in numis Alexandrinis. Exstat etiam Antonii caput in numo Polemonis I. Ponti regis cum epigraphe: M. ANTΩNIOC. AYT. TPIΩN. ANΔPΩN.

---

a) L. IV. p. m. 148. b) in Anton. p. 926. c) L. II. c. 82. d) L. IV. p. m. 148.

Numus spurius.

Copiosi circumferuntur numi tam argentei, quam aenei: M. ANT. ΑΡΜΕΝΙΑΝ. ΚΑΤΑΔΟΥΛΟΣ. *Caput Antonii.* ✕ ΚΛΕΟΠΑΤΡΑ. ΑΡΜΕΝΙ. ΑΙΓΥΠ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. *aut similiter. Caput Cleopatrae.* Primus similem vulgavit Goltzius, atque ab hujus ficto archetypo fluxerunt alii omnes ejusdem farris. Similem vulgavit et Frölichius a), qui nunc est in museo Caesareo, sed hic certe spurius. Malam horum numorum fidem jam comprobavit B. Bimardus b).

TITVLI M. ANTONII.

Augur.

Auguratum agente Caesare obtinuit V. C. 705 teste Plutarcho c), ergo in hoc sacerdotio collega Ciceronis, qui eum in Philippicis augurem saepe appellat, sed et perversa ab eo auguria criminatur. Ejus mentio in Antonii numis fere constans, inscripto AVG. AVGV. AVGVR., et ad auguratum pertinent adstitutus saepe lituus, caput velatum, aut ipse velatus gradiens, et lituum praegestans. Graecum *auguris* nomen ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ in solis Goltzianis legitur. Quare jure suspectum puto numum Longostaletorum Laconiae, quem dedit abbas Sestinius, in quo legitur: M. ΑΝΤΟΝΙΟC. ΑΥΤΟΚ. ΟΙΩΝΙCΤ. ΤΡΙΩΝ. ΑΝΔΡ., ut observavi in hujus urbis numis.

Consul, IIIvir R. P. C.

De utroque munere ad ipsos numos egimus. IIIviratus dignitatem ad extrema usque tempora numis sedulo inscripsit, cum eam collega Octavianus satis mature negligeret. At constat etiam ex Plutarcho d), et Dione e), inique tulisse Antonium, Lepido a Caesare IIIviratum per vim fuisse ademptum. In numis Graecis ΤΡΙΩΝ. ΑΝΔΡΩΝ, sed et hoc perrarum demptis Goltzianis, ut vidimus in numis commatis peregrini.

Imperator.

In Antonii numis legitur IMP. solum, IMP. ITER., IMP. III. et IMP. IIII. Quo tempore imperatoris titulum adeptus sit, quove singulos multiplicarit, ardua est quaestio. Parum ad id conferunt historici. Solus Dio, sed indefinite, eum testatur fuisse πολλακις αὐτοκρατορα, *imperatorem saepius* f). Mediobarbus dictum fuisse imperatorem primum ait V. C. 710 allato Catilinae capite g), atque istud parachronismi portentum video placuisse etiam Vaillantio h), et quod magis mirum videatur, uterque Dionem testem advocat, qui tamen eo loco adlatum Catilinae caput non a Marco nostro, sed C. Antonio consule, Ciceronis in consulatu collega, Marci patruo, quod debuerat, recte statuit i). Addit Vaillantius conjecturam aliam: *quum ad exercitum circa Mutinam profectus est*, sed nullo istud argumento probat. Mense Sextili V. C. 710 nondum fuisse imperatorem, patet ex epigraphe literarum, quas ad eum

---

a) IV. Tent. p. 153. b) ad Iobert T. II. p. 168. c) in Anton. p. 917. d) in Anton. p. 941. e) L. L. §. 1. f) L. L. §. 25. g) pag. 14. h) Hist. Ptol. p. 190. i) L. XXXVII. §. 40.

dedere Brutus et Cassius praetores, in quibus Antonius tantum consul appellatur [a]). At paullo post illi oblata est ex S. C. haec dignitas; nam deceptis artificio patribus, ut testatur Appianus [b]), ἡρέθη της ἐν Μακεδονιᾳ δυναμεως ἐιναι ϛρατηγος ἀυτοκρατωρ, *creatus est imperator Macedonici exercitus.* Deinceps certe eum tulisse imperatoris nomen, patet ex Cicerone, qui dum ejus ad Hirtium, et Caesarem literas recitat, quarum exordium fuit: *Antonius Hirtio et Caesari*, haec continuo subjicit [c]): *Neque se imperatorem, neque Hirtium consulem, nec propraetore Caesarem. Satis hoc quidem scite. Deponere alienum nomen ipse maluit, quam illis suum reddere.* En *alienum* vocat imperatoris nomen, quia fraude acquisitum, sed tamen ab Antonio usurpatum.

IMP. ITER. rarius occurrit, et tum jungitur cum COS. DESIG. ITER. ET. TERT., quae formula coepit V. C. 715. Verisimile, Antonium eodem hoc anno dictum imperatorem iterum ex victoria suis auspiciis de Labieno, Parthisque relata.

IMP. III. Quo tempore hoc titulo uti coeperit, justa controversia. Qui putant hunc captum ex victoria Armeniaca, quos inter Vaillantius, Havercampus, aliique passim, non adverterunt, exstare magna copia Antonii numos inscriptos: IMP. III. COS. DES. ITER. ET. TERT., ergo signatos ante consulatum ejus II., et annum V. C. 720. Verum Antonius nonnisi hoc anno initoque jam consulatu II. in vere ingressus est Armeniam, eamque subegit, et quod sequitur, jam ante hanc victoriam fuit imperator III. Idem probatur ex numo II. Atratini supra descripto, in quo hic dicitur COS. DESIG*natus*, et Antonius IMP. III. Atqui Atratinus nonnisi usque ad Kal. Ian. V. C. 720 fuit consul designatus, ergo Antonius jam ante annum hunc ineuntem fuit imperator III. Quapropter necesse est eum sic appellatum ex priore aliqua victoria, forte ea, quam Canidius Crassus V. C. 718 de Iberis retulit, aut qua eodem anno victus est Sex. Pompejus, qui habebatur communis et Octaviani, et Antonii hostis, et contra quem et ipse naves misit.

IMP. IIII. jungitur cum COS. III., sunt adeo hi numi cusi inde ab anno V. C. 723, quo consul III. processit. Quae fuerit ea victoria, ob quam titulum auxit, mihi incompertum, nisi jactatio potius fuit de victoria inani spe occupata, quam spem lepidam revera innuit Dio [d]).

Videor mihi posse conjicere, in Antonii numis imperatoris titulo non semper numerum additum, eumque saepe, praecipue in Cistophoris, et aeneis praefectorum dici tantum IMP., cum IMP. ITER. vel TER dicendus fuerat.

Singularis est numus apud Vrsinum in Antonia tab. VI. n. 5, in quo circum Antonii caput est epigraphe: IMP. ANT. AVGVR. IIIVIR. R. P. C. In hac titulus IMP. ad victorias referri nequit,

a) Cic. ad Famil. L. X. ep. 3. b) B. C. L. III. c. 25. c) Phil. XIII. c. 10. d) L. L. §. 7.

quia is jam memoratur in ejusdem numi aversa scripto IMP. TER. An ergo Antonius titulo imperatoris tanquam praenominis usus quoque est aemulatione Octaviani, qui eadem jam aetate scripsit etiam IMP. CAESAR? an vitiose ex numo epigraphen excepit Vrsinus? Sane in alio numo Antonii, si Goltzianos demas, praefixum IMP. non reperi.

PRETIVM.

Commatis Romani.

Aurei	- - - - - - - - - -	RR.
Argentei	- - - - - - - - - -	C.
Aenei	- - - - - - - - - -	O.

Commatis peregrini.

Argentei max. mod.	- - - - - - -	RR.
Vrbium liberarum, et coloniarum	- - - -	RR.
Alexandrini	- - - - - - - - -	RR.

M. ANTONIVS IIIVIRI FILIVS.

M. Antonii ex Fulvia filius natu major, auctoribus Graecis passim dictus *Antyllus*, nempe ὑποκοριστικῶς. Ei pater a clade Actiaca in Aegyptum reversus continuo togam virilem dedit, ut, si quid sibi accideret, Aegyptiis vir rex ne deesset. Sed id ipsum misero exitium maturavit; nam eum postea Octavianus ad D. Iulii simulacrum profugum jugulari praecepit [a]).

Numus:

M. ANTONIVS. M. F. - - *Caput filii nudum.*
ANTON. AVG. IMP. III. COS. DES. III. IIIV. R. P. C. *Caput patris nudum.* AV.

Hujus numi duo exstant exemplaria, unum est in museo Caesareo, alterum fuit in museo Petri Seguini, et ab hoc vulgatum [b]), postea in museum regis Galliarum translatum. Singulare in utroque, non tam, quod alterum alteri ut gutta guttae simillimum est, quam quod utrumque eodem plane loco in parte antica vitium fecit. An propterea fraudis in ambobus suspicio? Sane exemplar Vindobonense habet nonnulla, quae peritioribus minus possint adridere.

C. ANTONIVS IIIVIRI FRATER.

Ejus denarium vide in fratre IIIviro ad annum V. C. 712.

a) Dio L. LI. §. 6. et 15. Sueton. in Aug. c. 17. b) Sel. num. p. 112.

STEMMA [illegible]ESARVM.

C. Iulius Caesar. *Vxor* Aurelia.

C. IVL. CAES. DICT.

Iulia
uxor
M. Atii Balbi

Atia
uxor
C. Octavii

Octavia
uxor primum
C. Claudii Marcelli

M. Marcellus.
uxor
Iulia Augusti
filia.

uxor deinde
M. Antonii IIIviri

Antonia major.
uxor
L. Domit. Ahe-
nobarbi

Cn. Domit. Ahenobarbus
uxor
Agrippina Germanici F.

NERO AVG.
uxor
Poppaea Sabina.

Claudia Augusta.

Antonia minor.
uxor
Neronis Claud. Drusi.

OC[illegible]IANVS AVGVSTVS
uxor
Scribonia

Iulia
uxor
M. Agrippae

Cajus. [illegible]
Caesar. [illegible]

[illegible]us.
[illegible]ar.

M.
Agrippa
Caesar
Postumus.

Agrippina
uxor
Germanici.

uxor altera
Livia
cujus prior maritus
Ti. Nero.

TIBERIVS AVG.
Vxor
Vipsania
Agrippina.

Drusus
Caesar.
uxor
Livia Germa-
nici soror.

Tiberius.

Nero Claud.
Drusus
uxor
Antonia minor.

Germanicus Caes.
uxor
Agrippina
Agrippae F.

Nero [illegible]ar.

Drusus Caesar.

C. CALIGVLA.

Agrippina
uxor
Cn. Domit. Ahenob.
et
Claudii Aug.

CLAVDIVS AVG.
uxor
Val. Messalina

Britannicus

Octavia
uxor
Neronis.

L. ANTONIVS IIIVIRI FRATER.

Ejus denarios vide in fratre IIIviro ad annum V. C. 713.

AVGVSTVS.

Octavia gens, ex qua is oriundus fuit, Velitris Volscorum floruit, olim patricia, sed ad plebem serius se contulit, restituta in patriciam a I. Caesare. Ea stirps, quae Octavium nostrum protulit, equestri dignitate contenta fuit usque ad C. Octavium ejus patrem, qui egregiis opibus, et indole primus ad remp. accessit, et inter senatores adlectus pace et bello conspicuus fuit. Duxit is primum Anchariam, ex qua sibi nata Octavia major, deinde Atiam filiam M. Atii Balbi domo Aricini, et Iuliae I. Caesaris sororis, ex qua natus C. Octavius Caepias noster a), et Octavia minor b), ut adeo ejus stirpis perbreve schema sit:

M. Atius Balbus, *uxor* Iulia I. Caesaris soror.
|
Atia, *uxor II.* C. Octavii.
|
C. Octavius, subinde Augustus.

Fuit igitur I. Caesar Augusti avunculus major. Haec ex Suetonio c).

Quoniam ad intelligendam hujus aevi historiam permagni interest, Caesareae stirpis cognationes, adfinitatesque nosse, adjicere ad hunc locum Caesarum stemma placuit, sed contractius, quod omnium illorum nomina contineat, quorum exstant numi. Porrectius aliud, nimirum historiae causa contextum dedit Gabriel Brotierus, et erudite explicavit in Tacito suo d).

Natus est Velitris IX. Kal. Octob. V. C. 691 A. X. 63. *Cicerone, et C. Antonio cos.* Multa istud testimonia confirmant, quae vide collecta a Schlegelio e).

V. C. 706 A. X. 48. *C. Iulio Caesare II. P. Servilio Vatia Isaurico cos.* sumit togam virilem f), et quidem die XVIII. Octobris g).

V. C. 709 A. X. 45. *C. Iulio Caesare IV. cos. sine collega.* I. Caesarem in Hispaniam comitatus victis Pompejis et finitis bellis civilibus omnibus Apolloniam Illyrici studiorum causa abit.

V. C. 710 A. X. 44. *C. Iulio Caesare V. M. Antonio cos.* In hunc annum a I. Caesare dictatore designatus magister equitum, quod munus iniret, cum M.

---

a) Dio L. XLV. §. 1. b) Suet. in Iulio c. 27 et Aug. c. 4. c) in Aug. c. 1—4. d) T. I. p. 461. e) ad Morellii Impp. p. 115. f) Suet. c. 8. g) Kalend. Antiat.

Lepidus paludatus in Galliam et Hispaniam exisset a). Sequentibus idib. Martiis occiditur Caesar. Audita avunculi morte C. Octavius confestim ex Illyrico Romam revertitur, et Caesaris testamento heres ex semisse, et in nomen adoptatus se dixit C. IVLIVM CAESAREM OCTAVIANVM. Tum turbae cum M. Antonio, qui cum alias per vim omnia gereret, ausus est etiam pro decreta sibi a senatu Macedonia provincia D. Bruto Cisalpinam Galliam illi a Caesare dictatore adsignatam et a senatu confirmatam attentare, ipsumque Brutum se adversus vim armantem Mutinae obsidere. Communi Antonii odio prudenter usus Octavianus patris legiones sibi devincit.

V. C. 711 A. X. 43. *A. Hirtio, C. Vibio Pansa cos.* Antonius hostis a senatu judicatur. Adversus eum mittuntur consules Hirtius et Pansa, eisque ut Octavianus pro praetore adesset, decernitur. Sancitum istud VII. idus Ian., et quoniam permissa tum illi ea potestas prospere cessit, factum, ut deinceps *hac die primum imperium orbis terrarum auspicatus* diceretur, ut docet insigne marmor Narbonense b), et Fogginius c). Ex primo secundo praelio Octavianus Caesar una cum consulibus dicitur IMPERATOR. Altero apud Mutinam praelio XVIII. Kal. Maji d) cogitur Antonius in Galiam ad M. Lepidum procos. fugere, sed uterque consul paullo post victoriam ex vulneribus obit. Consulatum in locum Pansae repugnante primum senatu, mox admotis ad urbem legionibus coacto sibi extorquet, eumque adit nondum exacto vigesimo aetatis anno mense Sextili, ut diserte Macrobius e), et Dio f), et quidem die XIX. Augusti testibus Dione g) et Tacito h) contra Velleium, qui die XXII. Sept. initum ab eo hunc magistratum tradit i). Atque ille jam tum summae rei intentus cum Antonio et Lepido prope Bononiam congressus ac conciliatus concordiam his legibus sancit, ut in quinquennium aequa potestate essent IIIviri reip. constituendae, Caesar Africam, Siciliam, Sardiniam, Lepidus Hispaniam cum Gallia Narbonensi, reliquas Gallias Antonius obtinerent, ad haec Lepidus consul anni sequentis provideret Italiae, Caesar et Antonius Brutum Cassiumque bello persequerentur. Proposita mox infamis proscriptionis tabula. Quo die coeperit hic IIIviratus, et quo tempore exiverit, diserte docet marmor Collotianum k):

-- AEMILIVS. M. ANTONIVS.
IMP. CAESAR.
IIIVIR. R. P. C. EX. A. D. V. KAL.
DEC. AD. PR. KAL. IAN.
SEXT.

Ergo designati fuere IIIviri a die V. Kal. Dec. V. C. 711 usque ad diem pridie Kal. Ian. V. C. 716.

V. C. 712 A. X. 42. *M. Aemilio Lepido II. L. Munatio Planco cos.* Antonius, et Caesar Brutum, et Cassium apud Philippos Macedoniae vincunt, quorum uterque mortem sibi consciscit. Po-

a) Pighius. b) Gruter pag. 229. c) Fast. Verrii pag. 5. d) Ovid. Fast. IV. 627. e) Saturn. L. I. c. 12. f) L. LV. §. 6. g) L. LVI. §. 30. h) Ann. L. I. c. 9. i) L. II. c. 65. k) Gruter p. 298.

stea Caesar sibi Hispaniam, et Numidiam, Antonius Galliam, et Africam designant.

V. C. 713 A. X. 41. *L. Antonio*, *P. Servilio Vatia Isaurico cos.* M. Antonio in Asiam ad cogendas pecunias profecto ejus frater L. Antonius Pietas cos. et M. Antonii uxor Fulvia Italos, qui agros suos veteranis cedere jussi fuerant, adversus Caesarem concitavere. Hinc bellum, dictum Perusinum, exortum Caesarem inter et L. Antonium, quod finitum fuit hoc Perusiae obsesso, et ad deditionem coacto. Vide de hoc bello praecipue Dionem [a]), et Appianum [b]).

V. C. 714 A. X. 40. *C. Asinio Pollione*, *Cn. Domitio Calvino cos.* Octavianus sibi a M. Antonio ob vim fratri factam metuens Sex. Pompejum Magni filium natu minorem, qui elapsus e praelio Mundensi mortuo dictatore iterum emersit, et comparata classe, receptisque proscriptis, et occupata Sicilia satis validus Italiae oram vexavit, in partes suas pertrahere conatus est ducta eum in finem Scribonia sorore Scribonii Libonis, patrisque alterius Scriboniae Sex. Pompeio in matrimonium collocatae. Ast irritum cecidit artificium. Revera M. Antonius ex Aegypto in Italiam appulsus Brundusium per vim cepit, cum mortua improviso Fulvia totius belli face in concordiam uterque rediit ea lege, ut Oriens M. Antonio cederet, Lepido Africa, Octaviano Gallia, Hispania, Dalmatia, Sardinia, atque hic bellum Sex. Pompeio, Antonius Parthis faceret. Ea pax magis firmata Octavia Caesaris sorore Antonio in matrimonium data.

V. C. 715 A. X. 39. *L. Marcio Censorino*, *C. Calvisio Sabino cos.* Sex. Pompejo litora omnia Italiae infestante, et crescente in urbe fame Antonius et Caesar ad mitiora compulsi consilia cum Pompejo prope Misenum congressi sunt, quo in colloquio sancitum, ut Pompejus Achaiam, Siciliam, Sardiniam in quinquennium teneret. Designati praeterea in VIII. annos consules, et quidem ut Caesar anno V. C. 721 esset consul II., 723 consul III. c) Caesari ex Scribonia nascitur Iulia.

V. C. 716 A. X. 38. *Appio Claudio Pulchro*, *C. Norbano Flacco cos.* Pax Caesarem inter et Pompejum rupta, et pugnae maritimae vario eventu. Exeunte hoc anno IIIviratus quinquennio eundem sibi honorem in aliud quinquennium prorogant IIIviri. Caesar repudiata Scribonia Liviam ducit abductam marito suo Ti. Claudio Neroni, et tum Druso gravidam.

V. C. 717 A. X. 37. *M. Agrippa*, *L. Caninio Gallo cos.* Magni Caesaris ad bellum contra Sex. Pompejum apparatus Agrippa summae rei praefecto. Romae Pompejo sacerdotium designatum, et consulatus designatus abrogantur. (Dio, Appianus.)

V. C. 718 A. X. 36. *L. Gellio Poplicola*, *M. Cocceio Nerva cos.* Sex. Pompejus post varias vices demum navali praelio victus in Asiam profugit. Commissa pugna III. non Sept. docente istud Kalendario Amiternino: FER. ET. SVP-

a) L. XLVIII. §. 5 seq. b) Bell. civ. L. V. c) Dio L. XLVIII. §. 35 et Lib. L. §. 10. Appian. B. C. L. V. c. 73.

PLICATIONES. APVD. OMNIA. PVLVINARIA. QVOD. EO. DIE. CAES. DIVI. F. VICIT. IN. SICILIA. CENSORIN. ET. CALVIS. COS. Dubium non est, his verbis intelligendam postremam Octaviani de Sex. Pompejo victoriam; nam et Dio refert a), hujus causa victoriae illi decretam fuisse ἱερομηνιαν ἀϊδιον, *supplicationem perennem*, nimirum quotannis repetendam, quam illa ob causam in Kalendario quoque notata fuit. Etiam Appianus decretae hujus ἐτησιυ ἱερομηνιας, *annuae supplicationis* meminit b). Haec opportune. Sed mirum Kalendarii parachronismum excusare non possum, dum hanc victoriam, quae certe fuit anni praesentis, per consules Censorinum, et Calvisium ad annum V. C. 715 retrahit. Caesar tota Sicilia potitur. M. Lepido sibi adversanti exercitum, imperium, et provinciam Africam extorquet, et IIIviratu spoliat. Ex S. C. urbem ovans ingreditur. Vide numos anni V. C. 719.

Numi
ab anno V. C. 711 *A. X.* 43 *usque V. C.* 718 *A. X.* 36.

CAESAR. IIIVIR. R. P. C. PONT. COS. DES. II. III. IMP. I. II. III. IV.

Omnes horum annorum numi, qui caput Octaviani offerunt, illud barbatum exhibent, cujus causam continuo infra expediemus.

* * *

DIVI. IVLI. F. *Caput nudum barbatum.*

TI. SEMPRONIVS. GRACCVS. IIIIVIR. Q. DESIG. *Typos vide in gente Sempronia.* AV. AR. (Mus. Caes.)

DIVI. IVLI. F. *Caput nudum barbatum.*

Q. VOCONIVS. VITVLVS. *Vitulus stans.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Exstant similes denarii alii et Sempronii, et Voconii, sed qui in antica habent caput I. Caesaris, ex quo jure arguimus, hos quoque post hujus mortem signatos honore inter patrem filiumque diviso. Fuit hic Sempronius haud dubie IIIIVIR. A. A. A. F. F. et designatus ad capessendam quaesturam. Idem dici debet de Voconio, nam et hic in denariis, sed cum capite I. Caesaris, addit Q. DESIG. Havercampus Vaillantium secutus hos numos post M. Antonii mortem signatos censet, quia tum demum *divi filius* in denariis dici coepit c). Vtrumque falli apparebit mox infra ex numis, in quorum aversa est: M. AGRIPPA. etc. vel COS. ITER. ET. TER. etc. Ad haec in omnibus hujus generis numis mentum Octaviani barbatum est, quae peristasis usque ad eam aetatem non porrigitur.

* * *

C. CAESAR. COS. PONT. AVG. *Caput nudum barbatum.*

C. CAESAR. DICT. PERP. PONT. MAX. *Caput I. Caesaris laureatum.* AV. (Mus. Caes.)

Nunc primum consulatus fit mentio, quem sibi V. C. 711 per vim extorsisse, et inivisse mense Sextili diximus. Quoniam in hoc denario non fit mentio IIIvi-

a) L. XLIX. §. 15. b) B. C. lib. V. c. 130. c) ad Famil. Morell. p. 379.

ratus, existimat Havercampus, eum cusum intra hunc Sextilem, et finem Novembris, quo eum magistratum inivit [a]). Verum constat ex numis annorum vicinorum, eam dignitatem non fuisse semper monetae inscriptam, et vix existimo, IIIviros, antequam hoc munus sibi extorsere, ausos fuisse, suo nomine et imagine ferire monetam.

PONT*ifex* dicitur in hoc numo, et consentit Cicero, qui in Philippica V., dicta, antequam Caesar cum consulibus contra Antonium Mutinam exiret, eum vocat *pontificem*, *propraetorem* [b]). Apertius testimonium suggerit Nicolaus Damascenus narrans [c]), Octavium *annos natum circiter XIV. in locum L. Domitii* (in acie Pharsalica caesi) *in conlegium pontificum adscriptum fuisse.* Ergo honorem hunc abstulit V. C. 706. Erravit tamen Nicolaus annum aetatis XIV. adsignando, cum Octavius tum annum XVI. auspicatus jam sit, quod et observavit Norisius [d]).

AVG*ur*. Ergo is una pontifex, et augur, ex quo patet, eum serius in augurum quoque conlegium fuisse cooptatum, etsi de hac dignitate apud auctores nihil distincte memorari videam. Paullo infra eum praeferre lituum videbimus, et hunc praefert quoque in insigni gemma musei Caesarei, quam olim vulgavi [e]).

* * *

CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

CAESAR. DIC. PER. *inscriptum sellae curuli, supra quam laurea.* AR. (Mus. Caes.)

Explicationem vide in numis I. Caesaris post ejus mortem signatis.

* * *

CAESAR. IMP. PONT. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

M. ANTON. IMP. IIIVIR. R. P. C. AVG. *Caput M. Antonii barbatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Alios Caesaris et Antonii denarios vide in numis M. Antonii.

* * *

CAESAR. IMP. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

M. LEPIDVS. IIIVIR. R. P. C. *in aliis additur* PONT. MAX. *Caput Lepidi.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

C. CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

POPVL. IVSSV. *Caesar paludatus in equo citato.* AR. (Mus. Caes.)

Censent eruditi, esse hanc illam statuam equestrem, quae Caesari S. C. posita fuit, cum adversus M. Antonium ad bellum Mutinense exiret, de qua loquitur Velleius [f]).

* * *

C. CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

L. LIVINEIVS. REGVLVS. *Victoria stans.* AR. (Mus. Caes.) vel: L. REGVLVS. IIIIVIR. A. P. F. *Aeneas Anchisen efferens.* AV. (Pembrock, Khell Suppl. ad Vaill. p. 8.)

a) Ad Famil. Morell. p. 216. b) Cap. 17. c) de educat. Aug. d) Cenot. Pis. diss. II. c. 4. e) Choix de pierr. grav. p. 9. f) L. II. c. 61.

Aversa gentem Iuliam respicit, ut in numis I. Caesaris.

* * *

C. CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

Q. SALVIVS. IMP. COS. DESIG. *Fulmen.* AR.

De incerto hoc Salvio egimus in gente Salvia.

* * *

CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

S. C. *Caesar paludatus in lento equo d. lituum, infra prora navis.* AV. (Mus. Caes.)

Lituus Caesaris auguratum notat, de quo supra. Ad quod ejus factum maritimum hujus aetatis adludat prora navis, ambiguum. Fors procuratam annonam notat, et statuam eapropter a senatu decretam.

* * *

CAESAR. IMP. *Caput nudum barbatum.*

S. C. *Caesar paludatus in lento equo d. elata.* AR. (Mus. Caes.)

Varii hi Caesaris equitis typi variis eum a grato senatu statuis equestribus honoratum arguunt. Post bellum Philippense Caesarem ovantem urbem ingressum refert Suetonius [a]).

* * *

CAESAR. IIIVIR. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

S. C. *Tropaeum, et aquila legionaria inter duo signa militaria.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

IIIVIR. R. P. C. *Caput muliebre velatum.*

C. CAESAR. M. ANTON. *Duae dexterae junctae intermedio caduceo.* Quin. (Mus. Caes.)

Caput anticae esse deae Concordiae, dubium non est, ad quam etiam refertur typus aversae. Vterque IIIvir saepe per hanc aetatem dissidens saepe ad concordiam et foedera rediit, ut notum ex historia, et confirmant numi sequentes:

CAESAR. IIIVIR. *Caput nudum barbatum.*

Eadem aversa. AR. (Morelli in Famil. Anton. tab. VI.)

CAESAR. IMP. *Caput nudum barbatum.*

ANTONIVS. IMP. *Caduceus.* AR. (ibid.)

* * *

IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. *Caput nudum barbatum.*

M. AGRIPPA. COS. DESIG. *in area numi.* AR. (Mus. Caes.)

Dubium non est, M. Agrippam fuisse ex iis unum, quos supra ad annum V. C. 715 consules in VIII. annos designatos dixi. Istud certum, Agrippam processisse consulem anno V. C. 717, atque adeo numum cudi debuisse ante hunc annum. Certum etiam ex hoc numo, Caesarem non primum post captam Aegyptum se dixisse DIVI. IVLI. F., ut censuisse Vaillantium supra ad numum I. horum annorum dixi, quod et nonnulli ex sequentibus numis comprobabunt. Exstant praeterea numi alii similes aurei et argentei cum capitibus I. Caesaris et Octaviani se respicientibus. De praenomine IMP. jam nunc frequentius occurrente vide quae notabimus infra ad numos anni V. C. 725.

a) Cap. 22.

* * *

IMP. CAESAR. DIVI. F. IIIVIR. R. P. C. *Tripus.*

COS. ITER. ET. TER. DESIG. *intra lauream.* AR. (Morelli Impp. tab. XIII.)

* * *

IMP. CAESAR. DIVI. F. IIIVIR. ITER. R. P. C. *Caput nudum barbatum.*

COS. ITER. ET. TER. DESIG. *Templum 4 columnarum, cujus epistylio inscriptum:* DIVO. IVL. *imminente superne sidere Iulio, intus I. Caesar augurali habitu stans d. lituum, in area ara luculenta.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Typum aversae explicavimus in numis D. Iulii.

Eadem adversa.

Eadem epigraphe. Instrumenta pontificalia. AR. (Mus. Caes.)

Typus ad Caesaris pontificatum adludit.

Numos sic inscriptos pertinere ad annos V. C. 717 et 718, docebimus continuo.

* * *

Animadversio ad numos hactenus descriptos.

Eos omnes intra fines principio praescriptos, nempe ab anno V. C. 711 usque 718 esse coercendos, et quos postremos dedi cum epigraphe in antica: IIIVIR. ITER. R. P. C., in aversa: COS. ITER. ET. TER. DESIG., adhuc arctiores postulare limites, nempe annos V. C. 717 et 718, modo comprobare aggredior.

Dixi in annalibus ad annum V. C. 711, IIIviros primum IIIviratum inivisse V. C. 711 V. Kal. Decembres, eumque vi marmoris Collotiani exspirare debuisse ante diem pridie Kal. Ian. anni 716. Ex quo consequitur, nisi quid deinceps fuit immutatum, ipsis Kal. Ianuariis anni 717 coepisse alterum IIIviratus quinquennium, quod iis fuisse permissum diserte memorant Dio, Appianus, fasti triumphales, et numi. Sed uterque hic scriptor minus adcurate alterius quinquennii initium defigit. Dio in actis anni V. C. 717 narrat obiter [a]), IIIviros sibi in aliud quinquennium, cum prius illud jam exspirasset, principatum prorogasse, ἑαυτοις δε την ἡγεμονιαν ἐς ἀλλα ἐτη πεντε, ἐπειδη τα προτερα ἐξεληλυθει, ἐπετρεψαν. Idem narrat Appianus, cui etiam in tempore cum Dione convenit: ἐπει δε ὁ χρονος ἀυτοις ἐληγε της ἀρχης, ἡ τοις τρισιν ἐπεψηφιςο ἀνδρασιν, ἑτεραν ἑαυτοις ὡριζον πενταετιαν, *posteaquam vero illis tempus principatus effluxit, quod IIIviris decretum fuit, aliud sibi quinquennium definivere* [b]). Tum narrat uterque, Antonium festinasse in Syriam, Caesarem bellum adversus Sex. Pompejum apparasse, quae omnia contigere V. C. 717. Alio loco sibi ipsi adversatur Appianus, cum narrat, Octavianum exeunte anno V. C. 720 ex Dalmatia Romam profectum, et mox inito Kalendis Ian. 721 consulatu redivisse in Dalmatiam, cum IIIviratum adhuc obtineret. Addit continuo: δυο γαρ ἐλειπεν ἐτη τῃ δευτερᾳ πενταετιᾳ τησδε της ἀρχης, ἡν ἐπι τῃ προτερᾳ σφισιν ἀυτοις

a) L. XLVIII. §. 54. b) B. C. L. V. c. 95.

ἐψηφίσαντο, *duo enim anni deerant de altero quinquennio hujus imperii, quod sibi ipsis exacto priore decreverant* [a]. Iam igitur, si, ut dixi, alterum quinquennium coepit Kalendis Ian. V. C. 717, necessario illud effluxit Kalendis Ian. V. C. 722. At si, ut vult Appianus, Kalendis Ian. V. C. 721 ad explendum alterum quinquennium defuissent adhuc anni duo, illud nonnisi V. C. 723 exivisset. Hanc ipsam discordiam quoad iteratum IIIviratum in scriptoribus jam advertit Pighius [b].

Ex hac disputatione sequitur I., verisimillimum esse, et ratione etiam comprobari, IIIviros alterum quinquennium inchoasse Kalendis Ian. V. C. 717; non prius, nam, cum ex marmore Collotiano certum sit, illud definitum fuisse a fine Novembris V. C. 711 usque ad finem Decembris V. C. 716, nulla IIIviris fuit ratio alterius quinquennii anticipandi, etsi fuerit ratio senatum permovendi priore nondum exacto, ut ad illud designarentur, quo magistratum diutius usurparent. Non serius; nam cum omnia ex S. C. vellent agere videri, permissum autem illis quinquennium effluxerit die Kalendas Ian. anni 717 praecedente, ex sensu legis inde ab his Kalendis non fuissent amplius IIIviri. Denique cum auctores hanc illis decretam potestatem narrantes constanter *quinquennii* meminerint, seu citius illam, seu serius iterassent, dici vere quinquennium non potuisset.

Sequitur II., non posse numos inscriptos IIIVIR. ITER. R. P. C. collocari ante annum V. C. 717, si, ut verisimile dixi, hoc ineunte ea potestas iterata fuit.

Sequitur III., quoniam in numis sic inscriptis Octavianus luculentam adhuc barbam appendit, eum adhuc anno V. C. 717 barbam aluisse. Adversari istud videtur verbis Dionis perhibentis ad annum V. C. 715: *Sane Caesar tum primum barbam radens et ipse splendide diem eum festum egit, et reliquis simul omnibus publicum epulum dedit. Ab eo autem tempore genas laeves servavit, sicut alii solebant* [c]. At vero numi testes synchroni, qui omnes Caesarem IIIvirum iterum barbartum sistunt, fallere nequeunt, neque etiam temere testimonium Dionis istud factum diserte ad hunc annum referentis repudiandum. Expendenda solum causa, cur barbam a Caesare nutritam, ac quidem testibus numis et Dione in tam longum tempus, credibile sit. Morellius in epistola ad Perizonium, quae est in Electis Woltereckii p. 50, ejusque assecla Schlegelius [d], aliique ejus causam in luctum ob mortem I. Caesaris referunt. Non repugno, nam apud Romanos barba promissa revera luctus pars exstitit. Ad haec aliam rationem, cur M. Antonii caput in prioribus ejus numis barbatum sit, promere vix possumus, quam quod lugere Iulium e vivis sublatum instituit, quem superesse tantopere ejus intererat, et cujus interempti se vindicem ferebat. At vero lugere parentem sexennio integro, nimirum ab anno V. C. 710, quo Iulius caesus est, usque ad annum

a) Bell. Illyr. c. 28. b) Annal. Rom. ad V. C. 715. c) L. XLVIII. §. 34. d) ad Impp. Morell. T. I. p. 118.

715, quo posuisse barbam scribit Dio, et praeter Romanorum institutum est, et nullo pacto verisimile. Quin idem Dio, cum factum istud describit, eam peristasin propter rei insolentiam non dissimulasset, si mors Iulii ejus squaloris tamdiu retenti causa exstitisset. Atque haec ipsa omissio luculente arguit, causam, cur barbam posuerit, fuisse in vulgus cognitam, et passim receptam, quae adeo memorari non mereretur. Eam facile reperio in juvenum Romanorum consuetudine, qui barbam alere ad certam usque aetatem solebant, nimirum ad annum usque XX., aut etiam ultra. Pagius nimium anxie anno XXII. barbam radi solitam adfirmat [a]), nixus testimonio Macrobii: *ter septenarium numerum requiri ad radendam barbam.* Verum non hoc dicit Macrobius, sed: *Post ter septenos annos flore genas vestit juventa* [b]). Atque hunc morem certum est a juvenibus quoque principibus fuisse observatum. Octaviani exemplum ex Dione dedimus. De Caligula narrat Suetonius [c]), eum aetatis anno XX. sumpsisse togam, et posuisse barbam, et de Nerone [d]), idem ab eo fuisse factum aetate magis provecta, nempe anno XXII., et cum Augustus jam fuisset, quod ipsum numis quoque praeclare confirmatur. Quin et Elagabalum adhuc huic consuetudini obtemperasse, ex Dione discimus [e]). Fuisse eum diem, quo primum resecta barba, laetitiae sacrum, docuit Iuvenalis [f]):

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati,
Plena domus libis venalibus.

Quibus vero caerimoniis, et qua publica solennitate hic mos a principibus fuerit celebratus, ab inspectis auctorum locis, quos modo citavi, tum et eo, quod de Nerone narrat Dio [g]), potes erudiri. Similem morem valuisse etiam apud Hieropolitas Syros, perhibet Lucianus [h]). Idem ergo de principum juvenum barbula sentiendum, quod de verbis Ciceronis, cum is dixit: *nostri isti barbatuli juvenes* [i]). At cum videamus ex numis, Octavianum diutius, quam istud vel dicta consuetudo, vel Dionis testimonium permittunt, barbam promisisse, aliam ejus explicandi arcessendam esse causam intelligo. Verisimile enim est, posita semel ex consuetudine prima barba, paullo post eandem revocasse causa luctus publici. Sic et de I. Caesare scribit Suetonius [k]): *audita clade Tituriana barbam capillosque summisit, nec ante dempsit, quam vindicasset.* Et de ipso Octaviano, sed jam Augusto [l]): *adeo namque consternatum ferunt* (clade Variana) *ut per continuos menses barba cappiloque summisso caput interdum foribus illideret.* Etiam M. Antonium post cladem Mutinensem promisisse barbam, tradit Plutarchus [m]), atque idem fecisse Catonem in Africa audita suorum apud Thapsum calamitate [n]). Luctus in Octaviano publici causa esse potuit inimicitia Sex. Pompeji non tam sibi, quam urbi gravis, inter-

a) Crit. Bar. ad ann. Chr. 56. b) Somn. Scip. L. I. c. 6. c) Cap. 10. d) Cap. 12. e) L. LXXIX. §. 14. f) Sat. III. v. 186. g) L. LXI. §. 19. h) de dea Syria in fine. i) ad Attic. L. I. ep. 16. k) Cap. 67. l) Cap. 23. m) in Anton. p. 923. n) in Catone min.

clusis primum commeatibus, et fame late serpente, deinde cum ad arma ventum esset, clades repetitae, ac praeter publica haec detrimenta rei gestae dedecus, quibus tandem malis Pompejo V. C. 718 profligato exstinctis ad solitum cultum rediverit.

Sequitur IV., indubitatum plane esse, quod principio adserui, numos Octaviani inscriptos: COS. ITER. ET. TER. DESIG. addito frequenter in aversa IIIVIR. ITER. R. P. C. et capite ejus semper barbato, ad annos V. C. 717 et 718 pertinere, non ad eum, quem iis artis nostrae periti, quod sciam, omnes hactenus adsignavere, ex quibus nominare satis sit Mediobarbum [a]), Vaillantium [b]), Havercampum [c]). Iuxta hos prior inscriptionis pars COS. ITER. ET. TER. DESIG. hunc sensum facit, quasi Caesar jam processisset consul iterum, et tum tertium esset designatus. Quare cum consul iterum processerit V. C. 721, non dubitavere, omnes numos sic inscriptos ad hunc annum referre. Quis sit verus hujus epigraphes sensus, tum curatius inquirere coepi, cum primum viderem Caesaris vultum magis juvenilem, quam qui dicto anno posset competere, deinde barbam e mento pendulam, cujus ego rationem ad eum annum non potui reperire. Quare sic capienda ejus inscriptionis verba, ut τо DESIG. referatur tam ad ITER. quam ad TER., ac tum plana omnia. Dixi in annalibus ad V. C. 715, ex IIIvirorum arbitrio in VIII. annos designatos fuisse consulatus, et Caesari, qui V. C. 711 jam consul primum fuit, oblatos binos, quorum unum iniret V. C. 721, alterum 723. Ergo jam inde ab eo tempore se vere scribere potui, ac reipsa scripsit *consulem iterum, ac tertium designatum*. Et sane verum esse hunc inscriptionis sensum, probant numi M. Antonii, qui, cum eodem tempore designatus fuerit consul in annos 720, et 723, inde in numis scribere coepit: COS. DESIG. ITER. ET. TER., nullo adeo alio inter utramque epigraphen discrimine, quam quod in Antonii numis τо DESIG. praeponatur, in Caesarianis postponatur. Si inscriptio notaret alterum consulatum jam coeptum, pro more, quem aliorum imperatorum numi sequuntur, scribendum fuerat: COS. INTER. DES. TER. Nequaquam doctrinae meae obstat numus a Morellio citatus, in quo juxta caput barbatum scriptum praetenditur COS. TER. IIIVIR. TER. R. P. C. [d]) nam satis certum, hunc numum captum ex Goltzio, qui eum proponit in Augusto tab. II. n. 23.

Narrat de Octaviano Tacitus [e]): *interfecto Antonio - - - posito IIIviri nomine consulem se ferens, et ad tuendam plebem tribunicio jure contentus.* Periit Antonius V. C. 724. Tamen Octavianus inde ab anno V. C. 718 IIIviratus mentione in numis abstinuit, credo, quod Lepido eodem anno sese abdicare coacto re ipsa IIIviratus amplius non exstitit, orbis imperio inter Caesarem et Antonium diviso, contentus adeo potestate IIIviratui permissa, qua deinceps

a) Ad ann. V. C. 721. b) ad num. 60. Famil. Iuliae. c) ad Famil. Morell. p. 217.
d) in Impp. tab. I. n. 29. e) Ann. L. I. c. 2.

quoque, quoad Antonius vixit, usus est. Aliam viam tenuit Antonius, qui adhuc in consulatu suo III. seu V. C. 723 sese in numis appellat IIIVIR*um* R. P. C., sed hic eo rursum a Caesare differt, quod nunquam sese in moneta apellet IIIVIR*um* ITER*um*, quo titulo Caesarem usum vidimus.

* * *

V. C. 719 A. X. 35. *L. Cornuficio, Sex. Pompeio Sex. F. cos.* Sex. Pompejus in Asia minore M. Antonii jussu occiditur. Antonius Octaviam uxorem Athenis Romam reverti jubet, ipse Cleopatrae amoribus vacat.

V. C. 720 A. X. 34. *M. Antonio II. L. Scribonio Libone cos.* Varias in provinciis seditiones comprimit Caesar, et bellum in Dalmatas, aliosque parat.

V. C. 721 A. X. 33. Consul II. *conlega L. Volcatio Tullo* procedit, sed eodem die abdicat suffecto P. Autronio. Bellum cum Dalmatis gerit, iisque subactis pacem facit. Mauretaniam mortuo Boccho rege in provinciam redigit. Caesaris et Antonii simultates gliscunt.

V. C. 722 A. X. 32. *Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Sosio cos.* C. Sosio consule gravi oratione in absentem Caesarem invecto hic redux M. Antonii testamentum apud Vestales repertum populo recitat, vi cujus Cleopatrae liberi provinciarum R. heredes designantur. Ergo Antonio consulatus in annum sequentem abrogatur, Cleopatrae bellum indicitur. Cn. Domitius, et C. Sosius consules Antonii amici urbe excedunt, Antonius Octaviam repudiat, utrinque bellum omni vi apparatur.

V. C. 723 A. X. 31. *Caesar consul III.* procedit *conlega* in Antonii locum *M. Valerio Messala.* IV. non Sept. Antonius et Cleopatra navali praelio ad Actium debellantur. Ex hac victoria dictus imperator VI., ut probabimus alibi.

V. C. 724 A. X. 30. *Consul IV. conlega M. Licinio Crasso* in Aegyptum cum exercitu appellit. Capitur Alexandria Kal. Sextil. [a]) M. Antonius, et Cleopatra deserti a suis, rebus omnibus desperatis nece voluntaria occumbunt. Caesar Aegyptum tributariam facit constituto praeside Cn. Cornelio Gallo equite Romano. IIIviratum ponit [b]).

V. C. 725 A. X. 29. *Consul V.* imperator VII. *conlega Sex Appuleio* Romam redux continuo triduo tres agit triumphos, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum mensis Sextilis die XIV. [c]) cujus causa hic mensis serius dictus fuit Augustus [d]). Iani templum clauditur [e]). Honoribus omnibus privatim, et publice mactatur, dictusque *imperator* titulo summi imperii indice. (Vide infra ad numos IMP. CAESAR.) Moesiam per Crassum subigit, et hinc imparatoris titulum iterat [f]).

V. C. 726. A. X. 28. *Consul VI. conlega M. Agrippa II.* Lustrum facit, plurimas leges perfert, urbem aedificiis ornat, vias munit.

---

a) Orosius L. VI. c. 19. Kalend. marm. Antiat. b) Tacit. Ann. L. I. c. 2. c) Kalendar. Antiat. d) Macrob. Sat. I. c. 12. e) Sueton. c. 22. f) Vide sub finem ad hunc titulum.

Numi
ab anno V. C. 719. A. X. 35. usque V. C. 726 A. X. 28.

PONT. COS. I. II. III. IV. V. VI. IMP. IV. V. VI. VII.

Desinit in numis IIIVIR. R. P. C.

Ex numis, quos hoc articulo complectimur, pauci certum annum dictant, etsi certum sit, omnes intra annos, quos praescripsi, fuisse signatos.

* * *

CAESAR. IMP. *Caput Octaviani nudum, et, quod deinceps semper, imberbe.*
ANTONIVS. IMP. *Caput Antonii nudum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Alius, sed pro typo aversae Caduceus. AR. (Mus. Caes.)

Hi denarii ultra annum V. C. 722 dimoveri non possunt rupta jam tunc inter utrumque IIIvirum concordia.

DIVI. FILIVS. *Caput Octaviani nudum.*
DIVOS. IVLIVS. *Caput I. Caesaris laureatum, hinc apex, illinc lituus.* AE. I. II. (Mus. Caes. Morelli Impp. tab. XXIV. n. 1.)

DIVI. F. *Caput simile, juxta in nonnullis astrum.*
DIVOS. IVLIVS. *intra lauream* AE. I. II. (Mus. Caes. Morelli ibid. n 2.)

Hos numos circa annum V. C. 718 cusos, eo conjicio, quod in simili, quem Morellius bis produxit a), Caesaris mento barbula adhaeret. Ad haec hujus generis aliquos ante annum V. C. 718, aut saltem non post hunc annum fuisse percussos, manifeste evincit numus recusus, quem Morellius in eadem tabula familiae Pompeiae dedit. In hujus enim aversa est: DIVOS. IVLIVS intra lauream, ac insuper observantur indicia alterius typi serius additi, ex quo distinguuntur epigraphe PIVS, ac summa tabulata navis, (nam totum typum numus non recepit) quae aversa obvia est in numis aeneis Sex. Pompeji. Ergo hic Octaviani numus exstitit jam anno saltem V. C. 718, nam hoc labente victus est Pompejus, et ex Sicilia ejectus, et ejus adeo nomine feriri moneta desivit. Id genus numos aeneos verisimiliter extra urbem fuisse signatos, infra probabo in animadversionibus ad calcem numorum Augusti dilatis. DIVOS pro DIVVS archaismus est. Priscianus grammaticus b): *Romanorum vetustissimi in multis dictionibus loco V posuisse O inveniuntur ---- et maxime digamma antecedente hoc faciebant, ut* servos *pro* servus, Davos *pro* Davus.

* * *

Caput Caesaris nudum.
CAESAR. DIVI. F. *Caesar eques citato cursu d. elata.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Varios Caesaris equitis typos jam in denariis praecedentibus vidimus.

Alius, sed Caesar equo lente gradiente vectus. AV. (Mus. Caes.)

Caesarem confecto bello Siculo ovantem urbem ingressum memorant Suetonius c), Orosius d), Dio e), Fasti Capitolini, Appianus f).

---

a) L. c. et in Famil. Pompeja tab. I. lit. A. b) ap. Putsch p. 554. c) Cap. 22. d) L. VI. c. 18. e) L. XLIX. §. 15. f) B. C. L. V. c. 130.

Alius, sed Apollo nudus insidens rupi pendente post occiput pileo lyra canit. AR. (Mus. Caes.)

Denarii hi sunt operis eximii. Apollini Octavianum fuisse impense devotum, cujus etiam filius haberi voluit, multa testimonia congessit Erizzus, quae vide in Impp. Morellii T. I. p. 271. Apollini Palatino V. C. 726 templum cum bibliotheca struxit [a]). Quantum se Apollini Actio debere professus sit, infra memorabitur, cui se etiam dedisse in tutelam ridicule fingit Iulianus [b]); quin factum Apollini simulacrum cum ejus cunctis insignibus refert Servius [c]).

Alius, sed Venus aversa et seminuda stans d. galeam, s. hastam transversam, simul columnae innititur, retro clypeus. AR. (Mus. Caes.)

Est haec Venus Victrix in patris Iulii numis passim obvia, quamvis in his raro sit statu averso.

Alius, sed Victoria insistens globo, vel: *Victoria in citis bigis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Celebrant hi numi Caesaris victorias seu de Sex. Pompejo, seu Dalmatis, seu Antonio. De Victoria globo insistente infra.

Alius, sed quadrigae triumphales, ex quarum loco summo quatuor equi decurrentes. AV. (Morelli.)

Videntur innui triumphi a Caesare V. C. 725 acti.

Alius, sed mulier stans d. ramum, s. cornucopiae. AR. (Mus. Caes.)

Typus symbolicus pacem et abundantiam indicans.

* * *

Protome Victoriae.

CAESAR. DIVI. F. *Neptunus d. pede globo insistens d. acrostolium, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Typus victoriarum maritimarum praeco.

Caput Veneris.

CAESAR. DIVI. F. *Miles, aut Caesar ipse paludatus stans s. hastam transversam, et ad dexteram respiciens, quorsum et dexteram extendit.* AR. (Mus. Caes.)

Typus hujus aversae incerti explicatus.

Caput muliebre inter cornucopiae, et ramum.

CAESAR. DIVI. F. *Miles gradiens d. elata, s. hastam super humero.* AR. (Mus. Caes.)

Caput anticae esse symbolicum, apparet ex aversa supra citata, in qua fingitur mulier d. gerens ramum, s. cornucopiae. Aversae sensus mihi item ignotus.

* * *

CAESAR. DIVI. F. *Caput Caesaris laureatum.*

S. P. Q. R. *Cupido eques super delphino, utrinque astrum.* AR. (Seguin Sel. num. p. 117.)

Rara laurea in hujus aetatis numis, ut continuo ad numum inscriptum PAX monebo. Incerta etiam ratio typi aversae. An causa astrorum delphinus est sideribus receptus? An insidens puer alatus non Cupido, sed Neptuni genius est, atque hoc typo honos habetur Neptuno de Caesare toties praeclare merito?

---

a) Dio L. LIII. c. 1. b) Spanh. Caes. Iul. p. 32 et 274. c) ad Ecl. IV. v. 10.

Sane deinceps quoque frequenter ejus victorias maritimas in moneta jactari videbimus.

CAESAR. DIVI. F. *Victoria clobo insistens.*

AVGVR. PONTIF. *Caput Iovis Ammonis.* AR. (Morelli.)

Denarium hunc a Pinario Scarpo in Africa cusum fuisse, facile intelliges collatis numis, quos in gente Pinaria dedimus, et Scarpi hujus historia. Alium ejusdem Scarpi denarium proferemus infra cum epigraphe: IMP. CAES. DIVI. F.

* * *

CAESAR. IMP. VII. *Caput nudum.*

ASIA. RECEPTA. *Victoria cistae mysticae insistens, hinc et illinc serpens exsurgens.* Quinarius obvius.

Quam fuerint variae, at simul otiosae eruditorum in aversae typo explicando sententiae, enarrat Panelius [a]). Nihil tamen eo planius, ac apertius. Mystica Bacchi cista notum est symbolum *Asiae* proconsularis, quam numus a Caesare *receptam* loquitur. Cistam similem offerunt numi omnes argentei ab ipsa hac causa dicti *Cistophori*, quos satis constat in eadem Asia fuisse signatos, et de quibus egimus in tractatu singulari [b]). Insistit Victoria non alia de causa, quam quod haec in moneta Romana perpetuus fuit quinariorum typus, ut probavimus in Volumine V. p. 20. Recepit vero Asiam Caesar, quando anno V. C. 724 seu profectus in Aegyptum, seu inde redux in Asia substitit, ejusque res ordinavit, hiberna quoque in ea egit, ut narrat Dio [c]). Suetonius etiam refert, eum consulatum IV. iniisse in Asia, V. in Samo. Suadente ergo epigraphe ASIA. RECEPTA, tum et inscripto IMP*eratoris* VII. titulo quinarii hujus aetatem prope tenemus. Diximus Asiam receptam intra annos V. C. 724 et 725, posteriore autem hoc anno, quo Caesarem consulem V. processisse constat, fuisse eum imperatorem VII., docet illustre marmor, quod Romae a se visum vulgavit Pighius [d]):

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. IMP. CAESARI. DIVI IVLI. F. COS. QVINCT. COS. DESIG. SEX. IMP. SEPT. REPVBLICA CONSERVATA.

Ex his patet, quinarium hunc ante annum V. C. 724 feriri non potuisse, neque serius anno 726, quia anno hunc consequente Caesar jam Augusti nomine uti coepit.

* * *

Caput Caesaris nudum.

CAESAR. DIVI. F. ARMEN. RECEP. IMP. VII. *Armenius stans cum pileo incurvo, et cetero cultu patrio d. hastam, s. arcum.* AR. (Thes. Brand. T. II. p. 606. Vaill. Morelli.)

Armeniam amissam fuisse a M. Antonio sub annum V. C. 721, refert Dio [e]), at eam V. C. 725, vel 726 fuisse receptam, tacentibus historicis fatetur hic denarius ex causis, quas ad numum praecedentem dedi. Armeniae meminerunt etiam numi V. C. 734 signati, sed hi inscribuntur ARMENIA. CAPTA.

---

a) Cistoph. p. 76. b) Vol. IV. p. 352. c) L. LI. §. 18. d) Ann. Rom. T. III. p. 50. e) L. XLIX. §. ult.

Posteriori huic anno praesentem hunc denarium adcommodant quoque Norisius [a]), et Vaillantius [b]), sed perperam, ut ostendam infra in controversia de iteratione tituli imperatoris.

* * *

CAESAR. DIVI. F. COS. VI. *Caput nudum subjecto capricorno.* AEGYPTO. CAPTA. *Crocodilus.* AR. obvius. Restitutus a Trajano in AV. et AR. (Vaill. Morelli.)

Numum hunc signatum fuisse V. C. 726, demonstrat inscriptus consulatus VI. Renovat ergo memoriam Aegypti ante biennium captae, et mense quidem Sextili, quae causa fuit una ex pluribus aliis, cur ei mensi datum fuerit *Augusti* nomen [c]). De capricorno agemus ad annum V. C. 743.

* * *

Numi Octaviani cum praenomine IMPERATORIS.

Anno V. C. 725 Caesarem accepisse nomen *imperatoris* his verbis refert Dio [d]): *Eodem anno etiam IMPERATORIS nomen accepit, non quale propter victoriam tribui more vetusto solebat, - - - sed quo summa imperii demonstraretur, quod patri quoque ejus Iulio, et ejus filiis nepotibusque fuerat decretum.* Ergo nomine *imperatoris* hic intelligitur titulus instar *praenominis*, ut eum vocat Suetonius [e]). At vero jam in numis Octaviani ab annis V. C. 715 — 718 signatis istud imperatoris praenomen comparet, scripto nempe IMP. CAESAR. DIVI. F. Ex quo colligo, Octavianum jam tum sat potentem usum sponte eo privilegio, quod patri Iulio, ejusque filiis a senatu decretum modo ex Dione vidimus, omisisse tamen forte subinde, quod invidiosum videretur, et quod revera tum summae rei non praeesset solus, utroque adhuc conlega IIIviro superstite. Sane Caesarem imperatoris praenomen ante hunc annum legitime non habuisse, apparet ex Maecenatis oratione ad Caesarem eodem hoc anno 725 habita, qua ei spem facit, fore ut propediem paterno imperatoris titulo a senatu decoretur [f]). Cum Dionis testimonio praeclare conspirat marmor anni V. C. 725, quod paullo supra ex Pighio recitavi, in quo legitur: IMP. CAESARI. DIVI. IVLI. F. COS. QVINCT. COS. DESIG. SEX. Natalem hujus tituli statuit Ovidius XVI. Kal. Majas [g]):

Hanc quondam Cytherea diem properantius ire
Iussit, et aetherios praecipitavit equos.
Vt titulum imperii quamprimum luce sequenti
Augusto juveni prospera bella darent.

* * *

IMP. CAESAR. DIVI. F. COS. VI. LIBERTATIS. P. R. VINDEX. *Caput laureatum.* PAX. *Mulier stans d. caduceum, juxta ara, verius cista mystica, super qua*

---

a) Cenot. Pis. diss. II. c. 9 et 17. b) Arsac. imp. p. 174. c) Macrob. Sat. I. c. 12. d) L. LII. §. 41. e) in I. Caes. c. 76. f) Dio L. LII. c. 40. g) Fast. IV. 675.

serpens, *omnia intra lauream.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Esse numum hunc signatum V. C. 726, inscriptus consulatus VI. eloquitur. Deinde plura in eo sunt nova, et insolentia. Titulus partis anticae, quem concepit adulatio, neque alius sive hujus Caesaris, sive sequentium Augustorum numus offert. Accedit corona laurea, cujus hactenus unicum exemplum vidimus, et de qua hoc loco adcuratius videtur agendum. Narrat Dio [a]), Caesari nostro V. C. 714 decretum fuisse jus laureae gestandae toties, quoties triumphans aliquis ea uteretur; perpetuum vero ejus usum concessum demum V. C. 718 post victum Sex. Pompejum, idem refert [b]). At vero cur laurea haec in numo praesente, tum et deinceps in numis omnibus non Augusti modo, sed et sequentium imperatorum diademati illigatur, cujus post occiput nodo collecti partes duae in humerum defluunt? Diximus in numis I. Caesaris, lauream huic decretam, et in numis effictam omni prorsus diademate carere, et quod amplius est, cum illi semel iterumque corona laurea diademate praeligata a M. Antonio, aliisque imponeretur, istud tribunos pl. populumque non permisisse, nempe quia regium istud videbatur. Cur ergo laurea sic comparata regium quid visum in Iulio, non item in Octaviano, et Augustis reliquis? Ex quo apparet, diadema lauro vestitum, quo hi usi sunt, non fuisse ejus plane formae, cujus fuit alterum I. Caesari subdole oblatum, quia istud, non illud, regii moris est habitum. Auctores, qui Iulianum illud describunt, alii minus aperte loquuntur. Dio *διαδημα* tantum vocat [c]). Plutarchus uno loco ait fuisse *διαδημα ϛεφανῳ δαφνης περιπεπλεγμενον*, *diadema coronae laureae innexum* [d]). Alio loco dicitur M. Antonius *διαδημα δαφνης ϛεφανῳ περιελιξας*, *diadema coronae laureae illigasse* [e]). Alii explicatius loquuntur Suetonius dixit *coronam lauream candida fascia praeligatam* [f]), Appianus: *ἐϛεφανωσε δαφναις ἀναπεπλεγμενης ταινιας λευκης*, *coronavit laurea, cui fascia alba obvoluta fuit* [g]). Atqui haec ipsa peristasis, *taenia alba*, regium fuerit, Romanisque adeo exosum; nam Lucianus, quo loco regum diadema memorat, illud vocat *ταινιαν λευκην περι τῳ μετωπῳ*, *fasciam albam*, *quae frontem ambit* [h]). Iam vero diadema, quo nunc uti coepit Octavianus, et reliqui subinde Augusti, alterius fuerit formae, et haud dubie alterius coloris, modo non albi, et commodi tantum causa adhibitum, ut laurea eo constricta firmius adhaereret, quam adhuc opportunitatem neglexerit Caesar dictator. Sane hoc diademate nihil fuisse quaesitum ambitiosius, inde patet, quia simili subinde diademate laureato usi in numis quoque sunt, qui Augusti non fuere, ut Drusus senior, Titus et Domitianus adhuc Caesares, quin et L. Vitellius Auli Augusti pater, et plane privatus. Tali etiam redimitus in moneta sua comparet Caligula, non illo regio, quod eum concupivisse

---

a) L. XLVIII. §. 16. b) L. XLIX. §. 15. c) L. XLIV. §. 9. d) in Caesare pag. 736. e) in M. Anton. pag. 921. f) in I. Caesare c. 79. g) Bell. civ. L. II. c. 108. h) in Πλοιῳ.

narrat Suetonius [a]): *nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in regni formam converteret.* Ceterum quae fuerit coronae laureae viris illustribus a Romanis decretae significatio, aptius disseremus in tractatu de cultu capitis Augustorum.

Denique insolens in hoc quoque numo est metalli volumen, quod illi maximi moduli honorem tribuit, quae quidem causa praecipua est, cur eum extra urbem signatum credam, quia in hac moris hoc aevo non fuit aureos et argenteos majoris formae ferire. Conjecturam auget typus aversae, in cujus area dixi esse aram imminente serpente, sed quam forte rectius Havercampus mysticam Bacchi cistam censet [b]). Id si verum, probabile est, signatum in Asia proconsulari, et esse jure inter Cistophoros referendum, quorum plures eadem fere aetate cum capite M. Antonii, inscriptione item utrinque Latina, eodem volumine, et ex eodem metallo signati sunt. Addo indicium aliud non aspernandum, hunc ipsum numum plus duobus saeculis in museo Caesareo conspicuum, et ex eo jam editum a Wolfgango Lazio, Vindobonam allatum fuisse ex Oriente ab Augerio Busbeckio Ferdinandi I. Aug. apud Turcos oratore, ut notavi in Historia musei Caesarei ejus catalogo praefixa.

* * *

Caput Caesaris nudum.

IMP. CAESAR. *Victoria globo insistens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Alius, sed aedificium elegans et clausum cancellis, cujus epistylio inscriptum: IMP. CAESAR, *fastigio insistit Victoria super globo.* AR. (Mus. Caes.)

Aedificium istud, quod templi speciem praebet, videtur esse curia Iulia, quam Dio memorat exstructam ab Octaviano in patris Iulii memoriam, et V. C. 725 dedicatam, positamque in ea imaginem Victoriae Tarento olim advectae [c]). Addit, eam statuam sua adhuc aetate exstitisse, cujus etiam mentionem facit Herodianus [d]). Id simulacrum in Augusti funere fuisse praegestatum docet Suetonius [e]), fuitque Victoria hoc cultu velut quoddam imperii insigne, et quamvis sublata ab imperatoribus Christi fidem professis, ut docent Ambrosius, et Prudentius contra Symmachum, tamen eandem ipsam in numis infimi aevi videmus imperatorum dextera praeferri.

* * *

Protome Dianae.

IMP. CAESAR. *inscriptum epistylio templi 4 columnarum, intra templum tropaeum navale, superne triquetra.* AV. (Mus. Caes.) AR. denarii, et max. mod. (Morelli Impp. p. 259.)

Diana, tropaeum navale, triquetra ad postremam Octaviani ad Artemisium Siciliae de Sex. Pompejo victoriam alludunt, de qua vide, quae monebimus ad numos anni V. C. 733, nam is ejus facti memoriam pluribus adhuc deinceps annis in moneta celebravit.

* * *

Caput Caesaris laureatum.

IMP. CAESAR. *Columna navim rostris, et ancoris exornata, super qua simula-*

a) In Calig. c. 22. b) Morelli Impp. p. 263. c) L. LI. c. 22. d) in Elagab. e) Cap. 100.

crum Caesaris d. hastam, s. parazonium tenentis. AR. (Mus. Caes.)

Respicit typus id, quod narrat Appianus a), Caesari ex bello Siculo adversus Pompejum V. C. 718 reduci decretum esse inter alia, ut aurea ejus statua habitu triumphali, quo urbem ingressus est, in foro poneretur adfixis columnae navium rostris, inscripto: OB. PACEM. DIV. TVRBATAM. TERRA. MARIQVE. RESTITVTAM. Huc adludit quoque Virgilius, cum inter praeclara Augusti monumenta commemorat quoque *navali surgentes aere columnas* b), addente Servio: *Augustus victor totius Aegypti, quam Caesar pro parte superaverat, multa de navali certamine sustulit rostra, quibus conflatis quatuor effecit columnas, quae postea a Domitiano in Capitolio sunt locatae - - - Rostratas C. Duillius cos. posuit victis Poenis navali certamine etc.* Columnam rostratam imminente statua habes etiam in denariis Vespasiani, et filiorum.

* * *

Victoria prorae navis insistens.
IMP. CAESAR. *Imperator in quadrigis triumphalibus d. ramum lauri.* AR. (Mus. Caes.)

Hic denarius victorias Octaviani maritimas, actosque ob has triumphos testatur. Auctore Suetonio c) *curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum.* Ipse in curru sublimis dextera lauri ramum tenet, de quo Plinius d): *Ex ea* (lauri silva) *triumphans postea Caesar laurum in manu tenuit, coronamque capite gessit.*

* * *

Caput Caesaris nudum.
IMP. CAESAR. *Tropaeum navale.* AV. AR. (Mus. Caes.)

IMP. CAESAR. *Navis expanso velo.*
DIVI. F. *Victoria currens d. lauream, s. gubernaculum, ante eam palmae ramus humi defixus.* Quin. (Morelli Famil. Iulia tab. 8.)

Hi adhuc numi victoriarum maritimarum praecones.

* * *

Caput Caesaris nudum.
IMP. CAESAR. *inscriptum epistylio arcus triumphalis, supra quem Caesaris statua in quadrigis triumphalibus.* AR. (Mus. Caes.)

C. CAESAR. *Caput muliebre velatum cum modio.*
IMP. CAESAR. *Idem typus.* AR. (Morelli.)

Existimat Havercampus, anticam numi posterioris pertinere ad C. Caesarem Agrippae F., signatum adeo V. C. 747. Verum cum inscriptio aversae eadem sit, quae in numis aliis hujus aetatis, et typus aversae idem cum typo denarii praecedentis, qui manifeste ad hanc aetatem pertinet, haud dubie hic quoque huic aevo debetur. Sane et nostro Caesari praenomen *Caii* fuit, et Caius dicitur in numo altius descripto, et in alio gentis Caniniae. Quod vero utrinque Caesaris nomen repetitur, nihil obest; nam etiam in numo Morellii e) hinc scribitur: CAESAR. DIVI. F. illinc:

---

a) B. C. L. V. c. 130. b) Georg. III. 29. c) Cap. 22. d) L. XV. §. 40. e) Tab. XIV. n. 37. 38.

IMP. CAESAR. Fuisse Caesari post victoriam de Sex. Pompeio arcum triumphalem erectum, docet Dio a).

* * *

PONT. *Caput Iovis Ammonis.*
IMP. CAES. DIVI. F. *Victoria globo insistens d. coronam, s. palmam.* AR. (Pembrock P. III. tab. 9.)

Insolens in Octaviani numis typus Ammonis. At ne quis subtiles ejus causas advocet, moneo, eum signatum in Africa a Pinario Scarpo, ut collati alii ejus denarii docent, quos vide. Iam alium ejusdem Scarpi numum, sed aliter inscriptum, supra dedimus.

* * *

Caput Apollinis laureatum.
IMP. CAESAR. *Colonus agens boves.* AR. (Mus. Caes)

Colonias varias intra hos annos deduxit Caesar. Verum quae causa sit, cur, quod aliqui existimant, exclusis aliis indicetur colonia Carthago, non satis video. Sane caput Apollinis ad Carthaginem non facit.

* * *

Caput Caesaris laureatum secto brachio instar hermae, pono fulmen.
IMP. CAESAR. *Ipse togatus sellae curuli insidet, d. Victoriolam.* AR. (Mus. Caes.)

Pacem, quam indicant toga, et sella curulis, victoria partam respicit denarius. Pro parte antica vide numum sequentem.

Caput Caesaris nudum.
IMP. CAESAR. *Caput Caesaris laureatum hermae impositum, infra fulmen.* AR. (Mus. Caes.)

Havercampus, aliique hunc aversae hermen dixere Solis, ipso autem hermae pondere, et fulmine indicari Caesaris adagium ex Suetonio notum: σπεῦδε βραδέως, *festina lente* b), tanquam nimirum herma notaret tarditatem, fulmen celeritatem. Iidem in alio quoque numo idem Augusti symbolum viderunt, de quo vide numos gentis Durmiae. At enim certum est, in hujus numi aversa proponi idem, quod in antica denarii praecedentis; si ergo in hac conspirantibus omnibus est caput Caesaris, erit etiam in aversa denarii praesentis, quod numi ipsi collati invicte demonstrant. Ostentant ergo aliquam Caesaris statuam hac forma positam, et quidem palmari adulatione addito Iovis attributo. Decepti sunt viri eruditi a prominentibus laureae foliis, quae esse radios Solis, perperam credidere. Alias de hoc typo conjecturas vide apud Oiselium c), quas referre piget.

* * *

Caput Caesaris nudum.
IMP. CAESAR. DIVI. F. *Clypeus.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. *Caput Martis modeste barbatum.*
CAESAR. *Clypeus, in cujus medio astrum hinc et illinc hastae promicantes.* AR. (Mus. Caes.)

Caput anticae in posteriore denario a variis pro ipsius Caesaris capite est habitum, cum sit luculentum Martis, cujus sunt etiam attributa aversae.

---

a) L. XLIX. §. 15. b) in Aug. c. 25. c) Num. sel. p. 203.

* * *

Descripsimus denarios, in quibus Octavianus dicitur CAESAR. DIVI. F., vel IMP. CAES., et quos propter hanc ipsam etiam causam intra hos annos compegimus, quorum postremus est V. C. 726, post quem nomen *Augusti* inferri numis coepit. Non tamen sic abolitus vetus modus, ut non, etsi raro, tamen aliquoties recurrat. Exstant denarii gentis Caniniae, et Petroniae, qui, quia *Armeniam captam* eloquuntur, certe serius signati sunt, tamen omisso Augusti nomine solum CAESAR. DIVI. F. offerunt.

Notandum praeterea, denarios hujus periodi tam perfecti esse operis, et elegantiae vere Graece, ut omnes hujus principis numos, qui seu ante, seu post signati sunt, hoc merito longe superent.

V. C. 727 A. X. 27.
COS. VII. DES. VIII. PONT. IMP. VII.
Augusto VII. M. Agrippa III. cos.
Incipit AVGVSTVS.

Anni principio cum abdicare Caesar simulata ad senatum oratione praeferret, atque hic, partim quod fraudem subesse sensit, partim quod utilius visum, remp. ab uno regi, ejus proposito adversaretur, imperium in decennium suscepit, ac paullo post, fluctuantibus patribus, quod nomen novum principi de se optime merito imponerent, cum nonnulli Romulum vocandum censerent, ex Munatii Planci sententia dictus est AVGVSTVS. Cum in hoc unanimes sint Suetonius a), Dio b), Velleius c), et Censorinus d), tamen in die dissensus est inter auctores. Factum istud idibus Ian. adfigit Ovidius e), Censorinus XVI. Kal. Febr., Orosius VIII. idus Ian., at Fasti Verrii Flacci XVII. Kal. Febr., seu diei XVI. Ianuarii, quibus, tanquam monumento synchrono, prae Censorino major habenda fides. Vide cl. Fogginum ad Fastos Verrii p. 13, et quae ad conciliandas aliorum variantes sententias adfert Fabricius f).

Augustus hoc adhuc anno Flaminiam munit, et in Hispaniam proficiscitur adversum Cantabros et Astures apertis Iani portis g).

* * *

CAESAR. COS. VII. CIVIBVS. SERVATEIS. *Caput nudum.* AVGVSTVS. S. C. *Aquila expansis alis coronae quernae insistens, pone duo lauri rami.* AV. (Mus. Caes.)

Egregie numum explicat Dio h), decretum hoc anno, ut ante Augusti domum in palatio lauri ponerentur, ac in fastigio domus corona querna suspenderetur, quasi *perpetuus hostium victor*, ac *civium servator* esset. Vide numos gentis Caniniae, quorum unus, etsi pluribus serius annis signatus, idem argumentum offert. Additum in numo praesente S. C. indicat, et Caesarem ex S. C. dictum Augustum, et eadem lege decretam quernam, et lauros. Praeclara vox Plinii i): Augustum profligatis bellis civilibus coronam civicam a genere humano ipsum accepisse.

---

a) Cap. VII. b) L. LIII. §. 16. c) L. II. c. 91. d) de die nat. c. 21. e) Fast. L. I. 590. f) in nota ad Dionis l. c. g) Dio, Eutropius. h) L. LIII. c. 16. i) L. XVI. §. 3.

* * *

AVGVSTVS. DIVI. F. *Victoria globo insistens.*

IMP. CAESARI. SCARPVS. IMP. *Vola manus.* AR. (Morelli.)

Binos Scarpi denarios jam in numis periodi praecedentis dedimus, ex quo verisimile fit, praesentem paullo post acceptum Augusti titulum fuisse signatum. Explicationem hujus denarii pete ex gente Pinaria, ex qua fuit Scarpus.

V. C. 728 *A. X.* 26.

COS. VIII. DES. IX. PONT. IMP. VII.

Augusto VIII. T. Statilio Tauro cos.

Consulatum VIII. Tarracone init a). Bellum in Cantabros parat, Agrippa interim urbis negotia procurante, eamque aedificiis ornante.

Antica incerta.

COS. OCTAVO. DESIG. IX. *Victoria gradiens.* AE. III. (Morelli.)

Vnicus hic est numus, qui anno huic certe debeatur, atque etiam hic commatis Romani non est, sed alicubi extra urbem signatus. Hoc adhuc anno numos Augusti aeneos in urbe cusos non novi, omnium autem minime III. formae, ut monebimus sub finem monetae Augusti.

V. C. 729 *A. X.* 25.

COS. IX. DES. X. PONT. IMP. VIII.

Augusto IX. M. Iunio Silano cos.

Hunc quoque consulatum iniit Tarracone b). Bellum in Cantabros ipse gerit, sed tentatus valetudine Tarraconem redit, ibique decumbit. Interea P. Carisius Astures, C. Antistius Vetus Cantabros vincunt. Cum Iuba regiones permutat. Amynta rege mortuo Gallatiam et Lycaoniam in provinciam redigit. Victis per M. Vinicium Germanis imperator appellatur. Emeritam in Lusitania condit. Iuliam filiam Marcello Octaviae sororis filio matrimonio jungit. Iani templum iterum clauditur c).

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

IAN. CLV. *Templum Iani.* AR.

Binos similes proponit Morellius d), quorum unum non dubitem a Goltzio haustum. Iani templum inde ab ejus conditore Numa non fuisse clausum, nisi post primum bellum Punicum M. Atilio, et T. Manilio cos., deinde imperante Augusto post bellum Actiacum, diserte tradunt Livius e), Plutarchus f), et Velleius g). Si horum auctorum verba spectes, illud semel tantum clausit Augustus. Sed iteratum fuisse hunc honorem, docuere alii. Dio, qui jam ante dixit h), clausum fuisse V. C. 725 finito bello Actiaco, omnibusque ejus reliquiis, repetitum istud decus narrat V. C. 729 post victos Cantabros i). Vt tertium imperante Augusto clauderetur, decretum quidem fuisse V. C. 744 idem perhibet, sed caruisse eventu, Dacis Istrum transgressis impressionem in Pannoniam facientibus k). Ergo teste Dione bis sub Augusto ad Ianum aditus fuit impeditus.

---

a) Suet. c. 26. b) l. c. c) Dio. d) in Aug. tab. XVIII. e) L. I. c. 19. f) in Numa p. 73. g) L. II. c. 38. h) L. LI. §. 20. i) L. LIII. §. 26. k) L. LIV. §. 36.

At sunt auctores, qui ter istud factum adserunt. Suetonius [a]): *Ianum Quirinum semel atque iterum a condita urbe memoriam ante suam clausum in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, ter clusit.* Orosius [b]): *Itaque anno ab V. C. 752 Caesar Augustus ab Oriente in Occidentem, a septemtrione in meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus una pace compositis, Iani portas tertio ipse tunc clausit.* Verum utroque hoc testimonio non omnes acquiescunt eruditi, et ad Suetonium quidem quod attinet, sunt codices, in quibus pro *ter* scriptum legitur *tertio.* Sin istud, Suetonius verbis *semel atque iterum memoriam ante suam* intelligit templum primum a Numa, deinde post bellum Punicum clausum, ac tertio post bellum Actiacum. Orosii narrata jure impugnat Norisius [c]). Nam eodem anno V. C. 752, qui nobis Varronem secutis est annus V. C. 753, erupit grave bellum Parthicum, ad quod componendum missus eodem anno est Caius Caesar, atque etiam hoc composito per annos XII. consequentes perpetua fuere bellorum turbida. Cum tamen ex unanimi sanctorum patrum consensu Christus orbe quaquaversum pacato natus dicatur, conjicit vel ob ipsam hanc causam, non eum anno V. C. 753, sed 749, quae nunc potior est chronologorum sententia, in lucem fuisse editum, cum revera ab anno 748 usque 751 nulla a scriptoribus bella gesta memorentur, quo adeo intervallo et clausum fuerit Iani templum, et natus Christus. Ex his ergo docemur, in clauso post bellum Actiacum Iani templo auctores omnes consentire, aut certe non repugnare; repetitum idem fuisse V. C. 729, uno niti Dionis testimonio, idem tertio factum, a viris eruditis controverti. Vide de hoc plura in commentariis eruditorum ad dictum Suetonii locum, apud Chishull Antiq. Asiat. p. 187, et in dissertatione Massonii de Iano reserato. Idem Orosius, cum paullo infra iterum docuisset, clausum fuisse Ianum V. C. 752, eodemque anno natum Christum, addit, sene jam Augusto apertum rursum fuisse, et patuisse usque ad Vespasiani imperium, idque testimonio Taciti tuetur [d]). Sed huic sententiae repugnant numi Neronis, quos vide. Massonus certum putat, Iani portas anno V. C. 744, neque alio, ab Augusto tertium fuisse obseratas [e]). Ceterum numus hic noster aut indicat Ianum V. C. 729 clausum, si vera sunt verba Dionis, aut renovat memoriam ejus V. C. 725 clausi. Certe propter additum Augusti nomen ante annum 727 signari non potuit.

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVST. COS. IX. *Caput Augusti nudum, quod ab adstante Victoria coronatur.*

M. ACILIVS. GLABRIO. PROCOS. *Capita se respicientia virile nudum, et muliebre.* AE. I.

Numum hunc bis vulgavit Morellius [f]). Similem edidit Patinus [g]), sed is epigraphen anticae facit: D. IVLIVS. CAESAR., aversae: M. ACILIVS.

---

a) Cap. 22. b) L. VI. c. 22. c) Cenot. Pis. diss. II. c. 10. d) L. VII. c. 3. e) l. c. Sect. III. c. 8. f) in Fam. Acil. et in Impp. sub Aug. g) Famil. p. 308.

GLABRIO. PROPR. Patinum corrigit Gallandus ex simili integerrimo numo Foucaultiano [a]), quo teste in antica scribitur: IMP. CAESAR. AVGVSTVS, in aversa superne: M. ACILIVS, inferne: TI. CLAVDIVM. CAESAR. COR., ex quo res duas colligit, primam, numum esse Corinthi signatum, alteram, capita se respicientia, non esse Augusti et Liviae, ut visum Gallando, sed Claudii Aug. et Agrippinae uxoris. Havercampus in parte aversa numi Morelliani dixit exhiberi Tiberium, et Liviam [b]). Ex variis his sententiis quam adoptare oporteat, pronunciare nequeo, quia, quae vera sit epigraphe, ignoro. Quod unum eruo, si vera est Morellii lectio, cujus forte numus diversus est a Gallandiano, numus is propter mentionem consulatus IX. ad hunc annum pertinet. Necesse non est, ut doceam, eum sine dubio extra urbem fuisse signatum.

* * *

Ab hoc anno usque ad annum V. C. 732 signati sunt in Hispania denarii P. Carisii, quos infra ad ipsum hunc annum sistam.

V. C. 730 *A. X.* 24.

COS. X. DES. XI. PONT. IMP. VIII.

Augusto X. C. Norbano Flacco cos.

Anni principio Romam revertitur Augustus. Cantabri post ejus discessum iterum rebelles compescuntur.

Desunt certi hujus anni numi.

V. C. 731 *A. X.* 23.

COS. XI. PONT. IMP. VIII.

Augusto XI. A. Terentio Varrone cos. incipit

TRIBVNICIA POTESTAS.

Augustus in gravem hoc anno morbum incidens Pisoni conlegae rationes, Agrippae annulum tradit. Convalescit opera Antonii Musae liberti. Natis Marcellum inter, et Agrippam simultatibus, quod huic potius annulus commissus erat, hunc Augustus in Orientem mittit. Marcellus eodem anno moritur.

TRIBVNICIA POTESTAS, imperii quoddam velut fundamentum huic anno natales suos debet. Nam etsi eam jam anno V. C. 718 post victum Sex. Pompejum fuisse Augusto collatam doceat Appianus [c]), idemque concessum V. C. 724, et quidem per omnem vitam referat Dio [d]), tamen singulari modo illi hoc anno fuit decreta, sic ut ab hoc ejus iteratae numeri procedant. Additum etiam proconsulare imperium ampliata potestate. Constituta haec fuisse ante diem V. Kal. Iul., conficiunt eruditi. Vide haec latius exposita apud Norisium [e]). De tribuniciae potestatis natura, et ejus numerandae modo vide tractatum singularem. Istud unum hoc loco observatum velim, me ab Augusto usque ad Antoninum Pium singulis annis Iulianis binas trib. potestates includere, inde ab hoc singulas tantum, cujus rationem in eodem tractatu cumulate dabimus.

---

a) Elect. Woltereck p. 70. b) ad Morellii Fam. Acil. c) B. C. L. V. c. 132. d) L. LI. c. 19. e) Cenot. Diss. II. c. 15.

* * *

AVGVSTVS. COS. XI. *Caput laureatum.*

M. AGRIPPA. COS. TERT. COSSVS. LENTVLVS. *Caput Agrippae corona murali, et rostrata cinctum.* AV. AR. (Morelli, Mus. Caes.)

Numum hunc isthic propono, non quod certo signatus sit hoc anno, sed quia non ante hunc signari potuit. Consulatum autem XI. deinceps absque iteratione per multos annos gessit. Aversa explicabitur in moneta Agrippae.

AVGVSTVS. COS. XI. *Caput laureatum.*

PACI. PERP. *Templum* 6 *columnarum, in cujus medio ara.* AR. (Vaill.)

Typus huic anno rite respondet.

* * *

AVGVSTVS. TR. POT. *Caput nudum.*

P. STOLO. IIIVIR. *Apex inter ancilia.* AR. (Mus. Caes.)

AVGVSTVS. *Caput Augusti.*

L. CANINIVS. GALLVS. IIIVIR, *juxta* AVGVSTVS. *Sedile humilius, et porrectum adstituta hasta, superne* TR. POT. AR. (Morelli in Famil. Canin.)

Iam nunc trib. potestas monetae inscribi incipit. Non tamen hi denarii necessario sunt anni praesentis, quia non semper suus tribunatui numerus additus fuit. Quin ex aliis Caninii denariis manifeste colligitur, eum aliquot serius annis fuisse IIIvirum monetalem. Typi utriusque hujus denarii in suis familiis sunt explicati.

V. C. 732 *A. X.* 22.

TR. P. I. II. COS. XI. PONT. IMP. VIII.

M. Claudio Marcello, L. Arruntio cos.

Dictaturam vi oblatam non admittit. Aedes Iovis Tonantis dedicat. Cantabri et Astures a C. Furnio, et Carisio vincuntur. Augustus in Siciliam trajicit. (Dio.)

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

IOV. TON. vel IOVIS. TON. *Iuppiter in templo* 6 *columnarum d. fulmen, s. hastam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Narrat Suetonius [a]), Augustum Iovi Tonanti consecrasse aedem, memorem periculi, cum in expeditione Cantabrica lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque praelucentem exanimasset. Eam hoc anno dedicatam prodit Dio. Hoc casu factum timidiorem adversum fulgura, et tonitrua, quam ut virum deceret, alibi perhibet Suetonius [b]), sic ut ubique pellem vituli marini circumferret, et ad majoris tempestatis suspicionem in abditum locum se reciperet. Denarii hi etiam post hunc annum feriri potuere.

* * *

Obiter hoc loco commemorandi numi P. Carisii, quia eos jam plene recitavimus in gente Carisia. Fuit is pro Augusto legatus propraetore in Lusitania, et qui jam V. C. 729 vicisse Astures proditur, hoc demum anno teste Dione nactus successorem C. Furnium. Per horum ergo annorum intervallum signati denarii, quinarii, aeneique, in

a) Cap. 29. b) Cap. 29 et 90.

quibus hinc caput Augusti cum solita epigraphe, illinc typi ad Hispaniam pertinentes, epigraphe aut: P. CARISIVS. LEG., aut P. CARISIVS. LEG. PROPR. Ex diversa hac epigraphe colligit Havercampus a), numos, in quibus tantum LEG. exstat, signatos V. C. 729, quo tempore Augustus ipse bello in Hispania interfuit, ususque est Carisio legato, at eos, in quibus LEG. PROPR. legitur, percussos anno V. C. 731, quo, ut conjicit, ab Augusto legatus propraetore in Hispaniam missus est. Istud ut mere arbitrarium est, ac nullo fundamento nixum, ita ex ipsis numis falsi convincitur. Nam ex hac lege sequeretur, numum aeneum ea ipsa tabula Carisii apud Morellium citatum, in cujus antica est: CAESAR. AVGVS. TRIBVN. POTEST., in aversa: P. CARISIVS. LEG. AVGVSTI, aliosque similes a Florezio editos b) signatos fuisse V. C. 729; at constat, eo nondum anno Augustum trib. potestatem numis inscripsisse, quae ei biennio serius plene collata est. Ergo docente hoc numo ratio potius inversa valeret. At nolumus nimium esse perspicaces, ac cum malimus sectari, quod verisimile, quam quod speciosum, censebimus, in utrisque eandem notari dignitatem, et fuisse ex arbitrio monetarii, το PROPR. vel addere, vel omittere. Revera magistratus, qui Caesaris provincias administrabant, jam fuisse dictos simpliciter *legatos*, jam *legatos Augusti*, jam *legatos propraetore*, alibi adcurate docuimus c). Quae alia ad explicandos hos Carisii numos pertinent, jam praecepimus in numis hujus gentis.

V. C. 733 *A. X.* 21.
TR. P. II. III. COS. XI. PONT. IMP. VIII.
Q. Aemilio Lepido, M. Lollio cos.

Augusto sub anni superioris exitum in Sicilia absente ingentes Romae tumultus orti sunt ob consulum electionem. Ergo Augustus cum neque soli Romae vacare posset, neque eam sine moderatore relinquere, Agrippam ex Oriente accivit, jussoque repudiare Marcellam, quanquam ea sororis suae Octaviae minoris, et C. Marcelli filia esset, filiam Iuliam uxorem dedit. Ejus praesentia compositae turbae. Ex Sicilia in Graeciam, inde in Samum navigat, ibique hiemem transigit d).

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput nudum.*

SICIL. IMP. VIII. *Diana stolata gradiens d. telum ex pharetra promit, s. arcum.* AV. (Vaill. Morelli.)

Viri eruditi numum hunc praesenti anno adfigunt, quoniam Augustus eo labente revera in Sicilia commoratus est, ejusque res ordinavit. Similes numos complures, sed alio ad IMP. addito numero in sequentium annorum moneta contemplari licebit, et eodem modo alios inscriptos ACT. IMP. cum variis numeris, et typo Apollinis Actii. Hi Dianae Siculae, et Apollinis Actii typi non sine causa per plures etiam annos sunt repetiti; nam utrique nu-

a) In Famil. Carisia pag. 74. 75. b) in numis Emeritae. c) Vol. IV. pag. 239.
d) Dio.

mini suam Augustus fortunam debuit, victo nimirum apud Artemisium, seu Dianium Siciliae prope Mylas Sex. Pompejo a), et apud Actium Apollini sacrum M. Antonio. Eodem exemplo jam olim Athenienses victa apud Artemisium Xerxis classe ejus loci Dianae tropaeum navale constituerunt, ut refert Plutarchus b). Atque huc credo pertinere sacerdotium DIAN. VICTR. ET. APOLLINIS. PALAT. memoratum in marmore Muratorii c), constitutum haud dubie ab ipso Augusto, quando deorum fratrum ope victor de hostibus evasit, quod tanto verisimile magis, quoniam Apollinis Palatini habitus idem omnino fuit, qui Actii, ut patebit ex numis Commodi anni V. C. 944. Constat vero etiam ex Suetonio d), et Dione e), ab Augusto fuisse aedificatum templum Apollinis, quod in palatio stetit, a quo is *Palatinus* dictus est. Inanes aliorum plus aequo sagacium de numis similibus conjecturas vide infra ad annum V. C. 759.

V. C. 734 *A. X.* 20.
TR. P. III. IV. COS. XI. PONT. IMP. IX.
M. Appuleio, P. Silio Nerva cos.

Samo in Asiam transmittit, eaque constituta Syriam invisit. A Phraate Partho recipit signa militaria, et captivos a Crassi clade superstites. Misso Tiberio Tigranem Armeniis praeficit. Varios per eum tractum regulos constituit. Samum redit, ibique iterum hiberna agit. Absens viis per Italiam muniendis intentus Romae milliarium aureum facit. Agrippae nascitur Cajus f).

Opportune hoc loco recensebuntur numi signorum restitutionem praedicantes, aut ad idem argumentum spectantes, quorum magnus est numerus. Nam donum istud magnae sibi laudi duxit, tanquam incruente recepisset, quod tanta clade amissum fuit, ut ait Dio g). Hi tamen numi omnes hoc anno signati non sunt; nam videbimus, factum istud honorificum in numis quoque, qui per certa criteria ad sequiorum annum pertinent, memorari. Quin facti hujus memoriam conservat etiam numus mortuo Augusto signatus, quem vide in numis D. Augusti. Historicorum, et poetarum testimonia de restitutis his signis vide collecta a Schlegelio h). Narrat Velleius, praeter signa de Crasso capta etiam tum fuisse remissa illa, quae de M. Antonio victo Phraates Orodis F. ceperat i).

AVGVSTVS. *Caput nudum.*
SIGNIS. RECEPTIS. *Capricornus.* AV. (Morelli, Liebe.)

Capricornus ad haec signa non pertinet, nam jungitur etiam, ut videbimus, cum ARMENIA CAPTA. Fuit Augusti signum genethliacum, de quo agetur infra ad annum V. C. 743.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*
SIGNIS. RECEPTIS. *Mars seminudus*

---

a) Dio L. XLIX. §. 8. Appian. B. C. L. V. c. 116. b) in Theseo cap. 8. c) pag. 1119. 1. d) in Aug. c. 29. e) L. XLIX. §. 15. f) Dio. g) L. LIV. §. 8. h) ad Morellii Impp. T. I. p. 223. seq. i) L. II. c. 91.

stans d. aquilam legionariam, s. signum militare. AR. (Mus. Caes.)

Est hic Mars Vltor, cujus infra et epigraphen, et templum dabimus. Ei Augustus fertur bina templa aedificasse, primum, quod *bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat* a), quodque stetisse in foro Augusti prodit Ovidius b). Marmor item Ancyranum memorat *Vltoris templum forumque Augustum*, et Suetonius c). Alterum stetisse in Capitolio, perhibet Dio his verbis d): *itaque et sacrificia ejus rei causa* (signorum receptorum) *et templum Martis Vltoris in Capitolio ad imitationem Iovis Feretrii, ubi signa ea militaria suspenderentur, decerni jussit, ac deinde perfecit.* Atque ob duplicem hanc aedem existimant aliqui Martem ab Ovidio dictum *bis ultorem* e), qua in sententia nuper fuit etiam Sanclementius f). At aliis eruditis visum, unicum tantum fuisse Martis Vltoris templum, nempe quod in foro Augusti stetit, Dionemque lapsum fuisse memoria, aut locum interpolatum, de quo vide notam Fabricii ad hunc Dionis locum g). Vnicum fuisse ejus dei templum, non obscure quoque colligitur ex Suetonio h). Dedicatum fuisse V. C. 752, in hujus anni rebus gestis notabimus, quo labente, et deinceps haud dubie plures ex his, qui Martis Vltoris meminerunt, fuerint signati, sed quos propter argumenti adfinitatem hoc omnes loco describam, nisi cum certum annum dictant, quales dabimus ad annos proxime sequentes.

Adversa variis typis, et inscriptionis modis.

SIGN. RECE. *Parthus genuflexus signum militare offert.* AR.

Hic typus obvius est in denariis Aquillii, Caninii, Durmii, Petronii, qui adeo per hos annos fuere IIIviri monetales. Typum explicat Ovidius coaevus i):

Parthe refers aquilas, victos quoque porrigis arcus,
Pignora jam nostri nulla pudoris habes.

Et Horatius k):

Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit. Ius imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor.

Adverte in his denariis Parthi feminalia ad talos usque descendentia, quae braccae dicebantur, a populis, quorum aer inclementior, qualis fuit Parthorum, gestari solitae. De Gallis, Sarmatis, aliisque res nota. Sed et Propertius celebrans Augusti in Parthos expeditionem sic de milite Partho l):

Tela fugacis equi, et braccati *militis arcus,*

cujus adeo vocabuli in hoc versu sensus, qui nonnullorum criticorum judicia exercuit, conspectis his denariis continuo clarescit.

* * *

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

SIGNIS. RECEPTIS. S. P. Q. R. *Cly-*

a) Sueton. c. 29. b) Fast. L. V. v. 552. c) l. c. d) L. LIV. §. 8. e) Fast. L. V. v. 595. f) de vulg. aera p. 328. g) pag. 736. h) l. c. i) Fast. v. 593. k) L. I. epist. XII. v. 26. l) L. III. eleg. IV. v. 17.

peus votivus, cui inscriptum: CL. V., *hinc signum militare, illinc aquila legionaria.* AR. (Mus. Caes.)

De similibus clypeis agemus infra in numis vagis Augusti.

* * *

CAESARI. AVGVSTO. *Caput laureatum.*

S. P. Q. R. *Aquila legionaria in quadrigis triumphalibus, ex curru superne quatuor equi exsiliunt.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

S. P. Q. R. *Templum rotundum 4 columnarum, in quo aquila legionaria currui triumphali imposita, quem 4 equi ex summo subsilientes exornant.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Est hoc templum Martis Vltoris, cujus ipsam epigraphen denarii sequentes offerunt.

Eadem adversa.

MAR. VLT. *Templum rotundum sex columnarum, intra quod aquila legionaria inter duo signa militaria.* AR. (Mus. Caes.)

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

MART. VLT. *Templum simile, intra quod Mars stans d. aquilam legionariam, s. hastam transversam.* AR. (Mus. Caes.)

MARS. VLTOR. *Caput Martis galeatum.*

CAESAR. AVGVSTVS. SIGN. RECEPT. *Parthus genuflexus signum militare offert.* AR. (Morelli in fam. incert. Tab. II. lit. O.)

His jungendi denarii sequentes, qui quidem Augusti, aut familiae Romanae nomen non sistunt, sed certe hanc aetatem, aut saltem idem cum prioribus argumentum contingunt. Plerique sunt in incertis familiis Morellii tab. II., et in Catalogo d'Ennery p. 164.

MARS. VLTOR. (*abest in aliis epigraphe.*) *Caput galeatum barbatum.*

SIGNA. P. R. *Aquila legionaria inter duo signa militaria, intermedia ara ignita.* AV. AR.

VOLKANVS. VLTOR. *Caput pileo tectum.*

Eadem aversa. AR. (Mus. Caes. Pellerin Additions p. 9.)

Vterque numus alio non differt, nisi quod in illo sit caput Martis, in hoc Vulcani. Pellerinius in suis ad alterum hunc numum commentariis existimat, in his denariis exhiberi castra praetoria, eosque conjicit signatos post eversas Carthaginem, et Corinthum Marte et Vulcano ultoribus. Si enim, prosequitur, Augusti essent aetate signati, ut censuit Havercampus, compareret in iis caput Augusti, aut ejus epigraphe. Haec Pellerinius, sed cui adsentiri nullo pacto possum; nam probandum primo foret, Martem jam stante rep. *Vltoris* nomine fuisse cognitum, quod nonnisi post bellum Philippense invaluit, ut supra diximus. Deinde hic typus tam remotum reip. Romanae aevum, quale fuit eversae utriusque urbis, non sapit. Constat de typorum, et inscriptionum hujus aetatis simplicitate. Denique satis constat, etiam Augustorum aetate signatos numos absque eorum capite aut inscriptione, cujus deinceps exempla plura videbimus. Ergo cum videamus, in uno eodemque numo esse caput Martis Vltoris, et signa, et constet, ejus dei honori conditum ab Augusto templum, eique signa a Parthis

recepta fuisse illata, dubitari credo amplius nequit, eos vere ad Augusti aetatem pertinere.

Quod de Marte dixi, ad Vulcanum quoque applicandum; nam in utriusque numis eadem est ratio. Cum scriptorum nemo doceat, Vulcanum Romae *Vltoris* nomine fuisse cultum, istud nos citatus denarius edocet. Ejus quoque ratio prona; nam quemadmodum Mars fingitur Romanorum opprobrium ultus compulsis ad restituenda signa Parthis, sic etiam Vulcanus, tanquam passus non fuisse, arma Romana, quae suis quasi auspiciis essent fabricata, in barbarorum solo detineri. Sane ad eum quodam jure pertinuisse arma, patet inde, quod ejus velut victima fuere. Ait Servius a): *Tarquinius Priscus victis Sabinis in honorem Vulcani eorum arma succendit, quem secuti sunt ceteri.* Secutus autem praeter alios est Ti. Sempronius, qui victis Sardis *arma lecta conjici in acervum jussit, sacrumque id Vulcano cremavit* b). Hinc credo factum, ut Romani *Volkanum militarem* colerent, quo is nomine compellatur in marmore Gruteri c). Ex alio lapide Gruteri d) docemur, Augustum anno V. C. 745 ex stipe sibi a populo in strenam oblata VOLCANO statuam dedicasse. Occurrit etiam, numos hos, quoniam Augusti nomen non produnt, signatos et distributos occasione festorum. Certe Martis Vltoris honores per ludos Circenses obitos ipse docet Ovidius de eodem hoc deo loquens e):

Solennes ludos Circo celebrate Quirites.

Et in vetere Kalendario ad IV. id. Majas additur: LVDI. MART. IN. CIRC. Sic et Vulcanalia Romae fuisse acta, et quidem X. Kal. Sept., docet marmor Gruteri f), et Varro g), eosque ludos fuisse Circenses, diserte tradit Dio h), et Kalendarium Capranicorum, in quo ad diem XXIII. Augusti notatur: *Volcano in Circo Flaminio.* Morellius in suis incertis familiarum alios quoque numos recenset, qui ratione typi certo ad Augusti aevum pertinent, etsi aliud indicium non suppeditent, quosque verisimile est etiam, festorum quapiam occasione fuisse in vulgus missos.

* * *

Conjungo hic alios ejusdem argumenti, qui sunt apud Morellium in incertis, et in museo Caesareo.

GENIVS. P. R. *Caput barbatum diadematum prominente retro sceptro.*

SIGNA. P. R. *Aquila legionaria inter duo signa militaria intermedia ara.* AR.

Eadem adversa.

MARS. VLTOR. *Mars nudus gradiens d. telum intentat, s. clypeum praetendit.* AR.

Caput simile adscripto G. P. R. comparet etiam in gente Cornelia Lentulorum, et constat ex Dione i), fuisse Romae templum Genii P. R. Ejus caput apposite cum signis receptis jungitur,

a) Ad Aen. VIII. 562. b) Liv. L. XLI. c. 12. c) Pag. 1069. 5. d) pag. LXI. 12. e) Fast. V. v. 597. f) pag. LXI. 3. g) de L. L. h) L. LXXVIII. §. 25. i) L. XLVII. §. 2.

nam Genii erat honori imperii sui consulere.

GENIO. P. R. *Caput juvenile imberbe, juxta cornucopiae.*

MARTI. VLTORI. *Mars gradiens, ut supra.* AR.

Havercampus in hoc caput Augusti agnoscit, qui repraesentaretur specie Genii P. R. Et sane lineamenta omnia Augustum produnt. Simili cultu Genii, et cum eadem inscriptione videbimus etiam effictum in numis Galbam.

SALVS. GENERIS. HVMANI. *Victoria globo insistens.*

SIGNA. P. R. *Eadem signa cum ara, ut in prioribus.* AR.

Eadem antica in certis Augusti numis aversam facit, ut patebit ex numis anni V. C. 742. Quare de aetate hujus numi, et sensu aversae contra Pellerinium dubitari nequit, et, ut monui, docemur, Augustorum aetatae etiam numos absque horum aut capite, aut epigraphe, et si ita loqui fas est, autonomos signatos fuisse. Horum similes plures dabimus in moneta Galbae, et Vitellii.

* * *

Sequuntur numi captae eodem tempore Armeniae testes.

AVGVSTVS. *Caput nudum.*

ARMENIA. CAPTA. *Sphinx.* (Morelli.)

Eadem adversa.

ARMENIA. CAPTA. *Tiara Armeniaca, binae pharetrae, et arcus.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

ARMENIA. CAPTA. *Victoria stans cultrum in tauri jacentis jugulum demittit.* AV. (Mus. Caes.)

L. AQVILLIVS. FLORVS. III-VIR. *Caput muliebre galeatum.*

CAESAR. DIVI. F. ARME. CAPT. *Armenia genuflexa porrectis suppliciter manibus.* AR. (Mus. Caes.)

Alii similes, sed cum mentione Petronii Turpiliani IIIviri.

Tiberii in Armeniam hoc anno ex Syria ab Augusto missi expeditionem, ut pulso Artavasde eam fratri Tigrani adsereret, obiter attingit Dio [a]), et Tacitus [b]). Aptius ad hos numos Velleius [c]): Tiberius *cum legionibus ingressus Armeniam redacta ea in potestatem P. R. regnum ejus Artavasdi* (legendum *Tigrani*) *dedit*, et Suetonius [d]), etsi tempus non addat: *Parthi quoque et Armeniam vindicanti facile cesserunt.*

Rationem certam non habemus, quo modo Sphinx, typus numi primi, cum Armenia connectatur, et tamen numum hunc revera existere, dubitari vix potest, cum Morellius addita lilii nota moneat, eum existere in museo regis Galliarum, etsi ambigi nonnihil possit de numis aliis, quos sibi proponit cum eadem epigraphe ARMENIA CAPTA, et typo capricorni, sed apud quos musei mentionem omittit, neque alio eos loco, praeterquam apud Goltzium, et qui eum exscripsere, me videre memini. Quidquid erit, utrumque animal poeticum Augusto fuisse in deliciis constat, capricornum, quod hic ejus esset signum genethliacum, Sphingem, incertum cur, at tradidere Plinius, Suetonius, Dio,

a) L. LIV. §. 9. b) Ann. II. 3. c) L. II. c. 94. d) Cap. 21.

Augustum inter initia Sphinge signasse epistolas.

Tiara numi II. proxime ad Armeniam refertur, quod probant numi Tigranis Armeniae regis, et M. Antonii IIIviri.

Victoria taurum subigens numi III. aenigmati propior. Ingeniosa, et verisimilis est sententia eorum, qui tauro subacto montem Taurum, et quod hic in Armeniam ipsam porrigitur [a]), Armeniam indicari existimant, qui lusus in numis veteribus frequens est, quin et aliquando tauro aeneo adumbratum montem hunc cognominem refert Libanius [b]), ut jam ex Rubenio advertit Schlegelius in suo ad hunc numum commentario. Huc etiam facit, quod refert Stephanus [c]): *Taurus mons mediam Asiam pervadens, nam veteres omnia, quae magna sunt, et violenta, tauros appellabant, vel quod partes ejus ad mare sitae taurinae protomes speciem referebant.* Eadem de causa Tyanenses Cappadociae Tauro monti adsiti taurum in numis signavere. Sed et ἀλληγορικῶς de hoc monte dixit Nonnus Panopolites [d]): μυκήσατο Ταῦρος, *immugiit Taurus*, nempe Iovi victoriam de Typhoeo gratulatus. Et Tibullus [e]):

Quantus et aethereo contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas.

Hic ergo numus Armeniam tauri imagine propositam a Victoria subactam praedicat.

In postremis denariis IIIvirorum monetalium supplice Armenia rite exprimitur, quod canit Ovidius, sed multo serius de Ponto scriptum [f]):

Nunc petit Armenius pacem, nunc porrigit arcum
Parthus eques, timida captaque signa manu.

Singulare istud in numis cum Aquillii, tum Turpiliani, quod non modo typo, sed etiam inscriptione CAESAR. DIVI. F. conspirent, quae adhiberi solita fuit, antequam Caesar Augusti nomen obtineret, et quod magis singulare, eam tantum in his *Armeniae captae* numis adhibent; nam in aliis omnibus, quos complures diversis typis emisere, Augusti titulus nunquam omittitur.

* * *

Ad hunc etiam annum eruditi referunt denarios gentis Aquilliae, Durmiae, et Petroniae Augusti nomine inscriptos, in quibus fingitur *vir elephantorum bigis vectus, et dextera oleae ramum protendens*, quo indicari censent Indorum oratorem, quem ad jungendam cum Caesare amicitiam hoc anno peregre advenisse narrat Dio. Sic et *Scorpius*, qui in Aquilliae denario comparet, cum is Commagenes obvium sit symbolum, notare posset, quod indicat Dio [g]), Augustum hoc anno Commagenen Mithridati cuidam cessisse. Alios similes explicatos vide in numis gentis Durmiae, et Caniniae.

a) Tacit. Ann. XV. 7. 8. b) in Antiochico. c) in Ταῦρος. d) Dionys. L. II. v. 644.
e) L. I. eleg. VIII. v. 15. f) Trist. L. II. v. 227. g) L. LIV. §. 9.

V. C. 735 A. X. 19.
TR. P. IV. V. COS. XI. PONT.
IMP. IX.
C. Sentio Saturnino, Q. Lucretio Vespillone cos.

Ex Asia redux Romam ingreditur IV. idus Octobres, ob quod Augustalia constituta. Agrippa Gallorum, Germanorum, Cantabrorum seditiones coercet.

Caput Augusti laureatum, in aliis cum corona querna.

FORT. RED. CAES. AVG. S. P. Q. R. *inscriptum arae.* AV. AR. (Mus. Caes.) etiam AR. max. mod. (Vaill. Morelli.)

Dio a): decretorum sibi honorum *nihil accepit, nisi quod Fortunae Reduci aram consecrari, diemque sui reditus inter ferias referri, et Augustalia dici passus est.* Numum, et Dionem eximie illustrat Kalendarium, in quo legitur ad diem XII. Octobris: FER. EX. S. C. Q. E. D. IMP. CAES. AVG. EX. TRANSMARIN. PROVINC. VRBEM. INTRAVIT. ARAQ. FORT. REDVCI. CONSTIT.

* * *

Q. RVSTIVS. FORTVNAE. ANTIAT. *Protomae binae Fortunae.*

CAESARI. AVGVSTO. EX. S. C. *Ara, cui inscriptum:* FOR. RE. AR. (Mus. Caes.)

Hic denarius ipsum insuper senatus consultum exprimit. De Fortunis Antiatibus actum in gente Rustia. In marmore Gruteriano, quod Augusto dicatum est, legitur etiam FORTVNA inter deos conservatores domus Augustae b).

* * *

AVGVSTVS. COS. XI. *In aliis:* IMP. IX. TR. PO. V. *Caput laureatum, vel nudum.*

S. P. Q. R. (in aliis: S. P. R.) SIGNIS. RECEPTIS. *scriptum intra arcum triumphalem, in cujus summo quadrigae; epistylio inscriptum:* IMP. IX. TR. POT. V. AV. AR. item AR. max. mod. (Mus. Albani, et com. Vitzai.)

Augustus referente Dione c) propter recepta a Parthis signa equo ovans in urbem invectus, et arcu triumphali honoratus est.

* * *

IMP. IX. TR. PO. V. *Caput Augusti nudum.*

MART. VLTO. *Templum rotundum 4 columnarum, intra quod signum militare.* AR. max. mod. (Mus. Caes. et com. Vitzai.)

Similem typum, sed in numo aeneo, et Graece inscripto, dabimus infra inter numos Augusti regionis incertae. Quo confirmatur, quod sub finem numorum hujus principis copiosius explicabo, argenteos maximi moduli omnes etsi Latine inscriptos, extra urbem signatos fuisse.

* * *

IMP. IX. TR. PO. V. *Caput Augusti nudum.*

COM. ASIAE. *Templum 6 columnarum, cujus epistylio inscriptum:* ROM. ET. AVGVST. AR. max. mod. (Mus. Caes. et com. Vitzai.)

Templa, ait Suetonius d), *quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere,*

---

a) L. LIV. §. 10. b) pag. XVIII. n. 3. c) L. LIV. §. 8. d) Cap. 52.

in nulla tamen provincia, nisi communi SVO ROMAEQVE nomine recepit. Nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore. Parum feliciter conjectat Schlegelius, templum hujus numi esse Iovis Olympici, quod Athenis stetit, et communi regum Asiae sumptu perficiendum locatum est [a]). Habemus certissima alia indicia, fuisse templum illud Pergami provinciae Asiae. Testatur istud primum Tacitus [b]): *cum divus Augustus SIBI atque urbi ROMAE templum apud Pergamum sisti non prohibuisset.* Addicunt etiam numi Pergami Graeci, in quibus, non mortuo modo Augusto, sed etiam vivo signatis, ipse proponitur stans in templo hastatus scripto juxta: ΘΕΟΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. Tum etiam in aliis Augusti quoque aevo apud eandem Pergamum cusis videre est caput Romae turritum cum epigraphe ΘΕΑΝ. ΡΩΜΗΝ. Quin et in numo Pergameno musei Caesarei sub Trajano signato legitur: ΡΩΜΗ. ΚΑΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ typo *templi, intra quod Augustus stans et d. hastam tenens coronatur ab adstante Roma, s. cornucopiae tenente*, cum quo si conferantur argentei max. mod. cum capite Claudii, Nervae, et Trajani inscripti: COM. ASI. ROM. ET. AVG. et typo simillimo, satis apparet, numos, qui sic et inscriptione, et typo conspirant, etsi una lingua differant; in una eademque urbe, nempe Pergami, fuisse signatos. Propius ad praesentem numum Dio, qui cum narrasset [c]), permisisse Caesarem Ephesi et Nicaeae erigi templum Romae et patri Iulio, addit: *extraneis autem hominibus, quos Graecos ipse appellabat, concessit, ut SIBI quoque templa facerent, ASIANIS quidem Pergami, Bithynis vero Nicomediae.* Idem ergo hi Asiani sunt, qui se in numo COM*munitatem* ASIAE vocant, indicantque, propositum ROM*ae* ET. AVGVST*i* templum suis impensis surrexisse. Confer item, quae magis infra dicentur in numis Augusti commatis peregrini sub ROM. ET. AVG.

* * *

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput nudum.*

SICIL. IMP. IX. *Diana gradiens*, ut supra ad V. C. 733. AV. AR. (Vaill. Morelli.)

V. C. 736 *A. X.* 18.

TR. P. V. VI. COS. XI. PONT. IMP. IX.

P. Corn. Lentulo, Cn. Corn. Lent. Augure cos.

Agrippae trib. potestatem in quinquennium confert. Ferendis legibus vacat.

S. P. Q. R. IMP. CAESARI. AVG. COS. XI. TR. POT. VI. *Caput nudum.*

CIVIB. ET. SIGN. MILIT. A. PARTH. RECVP. *Arcus triumphalis, super quo Augustus in quadrigis triumphalibus, hinc et illinc Parthus stans, hic signum militare, ille aquilam legionariam offerens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Numi argumentum ex praecedentibus cognitum, et typus ex Dione ad annum V. C. 735 citato.

a) Ad Morelli Impp. T. I. p. 259. b) Annal. VI. 37. c) L. LI. c. 20.

V. C. 737 A. X. 17.
TR. P. VI. VII. COS. XI. PONT.
IMP. IX.
C. Furnio, C. Iunio Silano cos.

Agrippae nascitur filius alter Lucius, quem Augustus mox cum hujus fratre Caio adoptat. Ludi saeculares.

AVGVSTVS. TR. POT. VII. *Caput laureatum.*
IMP. CAES. AVG. LVD. SAEC. *inscriptum cippo, juxta:* XV. S. F., *in orbem:* L. MESCINIVS. RVFVS. IIIVIR. AR. (Mus. Caes.)

M. SANQVINIVS. IIIVIR. *Caput I. Caesaris laureatum imminente superne cometa.*
AVGVST. DIVI. F. LVDOS. SAE. *Praeco capite galeato stans d. caduceum, s. clypeum rotundum.* AR. (Mus. Caes.)

Diserte ad hunc annum Dio: *Saeculares ludos quinto perfecit*, tum Censorinus [a]): *Quintos ludos C. Furnio, C. Junio Silano cos. anno DCCXXXVII. Caesar Augustus, et Agrippa fecerunt.* Suetonius quoque eorum meminit [b]), etsi tempus pro more non definiat. Quae alia ad ludorum saecularium typos attinent, disputata jam sunt in numis gentis Sanquiniae, et dicentur in Domitiano ad V. C. 841. In numo Mescinii adduntur XV*viri* S*acris* F*aciundis*, quia horum erat curare ludos saeculares docente Tacito [c]): *collegio XVvirorum antiquitus ea cura*, et Horatio, qui eosdem ludos carmine celebravit: *Quindecim Diana preces virorum curet.* At existimat cl. Chishull [d]), inscripto XV. S. F. indicari ipsum Augustum tanquam XVvirum sacris faciundis, idque colligit cum ex verbis marmoris Ancyrani, quae ita supplet: *in collegio XVvirorum magister adlecto in collegium M. Agrippa per quindecim viros C. Furnio, C. Silano cos. quintos feci ludos saeculares*, tum ex marmore Gruteriano de iisdem Augusti saecularibus agente [e]), in quo additum: MAG. XV. VIR., quae is verba ad Augustum ipsum refert, tanquam is MAG*ister* XV. VIR*orum* exstitisset. Sed vereor, ut haec ejus sententia undequaque eruditorum suffragia ferat.

* * *

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput nudum intra coronam quernam.*
C. MARIVS. TRO. IIIVIR. *Caput Iuliae Augusti F. inter capita Caji et Lucii filiorum, superne corona.* AR. (Mus. Caes.)

Diximus, hoc anno Cajum et Lucium adoptatos ab Augusto. Numus hic, uti ante annum praesentem signari non potuit, ita proxime sequentes non fastidit, non tamen ultra annum 742 moveri potest, quo mortuus est Agrippa. Hoc enim adhuc vivo C. Marius Trogus huic denario inscriptus videtur fuisse IIIvir, cum in alio ejus numo Agrippa haud obscure signatus noscatur. Quin cum in aliis ejusdem Trogi denariis fingatur Augustus in habitu pontificali, aut cum pontificis attributis, verisimile fit, hos numos signatos inde ab anno V. C. 741, quo pontificatum maximum abstulit.

---

a) De die nat. c. 17. b) Cap. 31. c) Ann. XI. 11. d) Ant. Asiat. pag. 196.
e) pag. 295.

V. C. 738 *A. X.* 16.
TR. P. VII. VIII. COS. XI. PONT. IMP. IX.
L. Domitio Ahenobarbo, P. Corn. Scipione cos.

Germanis bellum minantibus Augustus in Galliam proficiscitur. Agrippa circa autumnum in Orientem abit.

S. P. Q. R. CAESARI. AVGVSTO. *Caput nudum.*
VOT. P. SVSC. PRO. SAL. ET. RED. I. O. M. SACR. *Mars galeatus, et nudus stans d. vexillum, s. parazonium.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Caput Augusti nudum.
IOVI. VOT. SVSC. PRO. SAL. CAESARIS. AVG. S. P. Q. R. *intra coronam quernam.* AR. (Morelli tab. XVII.)

Caput Augusti laureatum.
S. P. Q. R. V. P. RED. CAES. *inscriptum basi, cui insistit Mars nudus galeatus d. hastam, s. parazonium, in orbem:* L. MESCINIVS. RVFVS. AR.

CAES. AVG. CONS. S. C. OB. R. P. CONS. *Clypeus laurea circumdatus, in quo caput nudum adversum Augusti.*
S. P. Q. R. V. S. PRO. S. ET. RED. AVG. *inscriptum basi, cui insistit Mars eodem cultu, in orbem:* L. MESCINIVS. RVFVS. IIIVIR. AR. (Morelli.)

C. ANTISTIVS. VETVS. IIIVIR. *Protome Victoriae.*
PRO. VALETVDINE. CAESARIS. S. P. Q. R. *Sacerdos velatus stans ante aram ignitam d. pateram, hinc victimarius taurum adducens.* AV. (Mus. Caes.)

Descriptorum hic numorum aetas ambigua videri possit, nam ex quo Caesar Augusti titulum abstulit, aliquoties pro ejus reditu vota concepta sunt. I. anno V. C. 730, cum Tarracone aeger decumberet, reditumque pararet, quod disertis etiam verbis Dio ad hunc annum factum confirmat, nimirum: Augusto Romam reduci *alia fuisse facta pro SALVTE ET REDITV ejus.* II. V. C. 735, cum ex Oriente Romam rediret, in hujus anni numis dictum. III. anno praesente 738, nam, ut narrat Dio, *Augusto Roma profecto* (tendebat autem in Gallias) *aedes Iuventutis insequenti nocte conflagravit, cujus causa vota sunt pro reditu Augusti concepta*, sed soluta V. C. 941, ut docet lapis Gruteri [a]). IV. V. C. 747, cum ea vota Cajus Caesar pro absente Tiberio persolveret, ut refert Dio, et marmor Gruteri [b]). V. demum V. C. 761, cum bello Illyrico intentus Arimini subsisteret [c]).

Priores duos numos Havercampus, aliique passim ad annum V. C. 730 revocant, quoniam eorum epigraphe praeclare cum periculo Tarraconensi, et verbis Dionis conspirat. Quo minus etiam sequentes duos, etsi cum typo, tum inscriptione conspirent, eodem adigat, terruit IIIvir Mescinius iis inscriptus, qui, ut ex numis constat, munus illud obivit anno V. C. 737. Ergo eos occasione alterius reditus V. C. 735 signatos contendit. Sed necdum plana omnia, cum reditus contigerit V. C. 735, Mescinius IIIviri munere functus sit anno primum 737, IIIvirorum vero monetalium munus, ut ipse intrepide adserit [d]), annuum tantum fuerit. Vt ergo hanc dif-

a) Pag. XI. n. 2. b) pag. XI. n. 1. c) Dio. d) in Famil. Mescinia p. 279.

ficultatem amoliatur, suspicatur cum Vaillantio, biennio post Augusti reditum V. C. 737, nempe quo Mescinius IIIvir, Martis statuam, quae in his numis sistitur, perfectam demum, et dedicatam fuisse.

Multa sunt, quae in universo hoc ratiocinio displicent. Primum, quod numos, quos propter inscriptionem, et typum verisimile est eodem anno signatos, variis annis tribuat. Si eum absterruit Mescinius, quo minus hujus numos ad annum 730 referret, praestabat, numos etiam priores eodem, quo Mescinii numos, anno signatos adserere, illorumque aetatem per hos explicare. Mira deinde conjectura, numos, qui vota anni 735 continent, biennio post a Mescinio fuisse signatos, quia Martis statua tum primum fuerit dedicata. Non meminit vir eruditus, se numum primo loco positum, in quo similis Martis statua conspicitur, ad annum 730 retulisse; ergo ea jam hoc anno perfecta, et dedicata fuit. Non placet etiam, quod numos cum statua Martis, quam esse Vltoris ipse profitetur, jam ad annum 730 adfigat, cum tamen hic Mars in numis certis primum ab anno V. C. 734 comparere incipiat.

Omnes hae difficultates ultro evanescunt, si statuatur, omnes hos numos signatos anno, in quo nunc sunt, nempe V. C. 738. Certum est, ut probavi ex Dione, hoc anno Romae facta vota pro Augusti reditu. Nihil impedit Mescinius etsi certus anni prioris IIIvir, nam etsi demus, quod quidem Havercampus et Vaillantius saepe adsertum, nunquam tamen idoneis argumentis stabilivere, annuum fuisse tantum IIIvirorum munus, poterat ejus annus occupare partem anni prioris 737, et partem praesentis, nisi velint etiam evincere, eos cum consulibus Kalendis Ian. magistratum inchoasse. Sententiam meam praeclare juvat numus insignis aureus, ac forte unius musei Caesarei, quem postremum descripsi. Eum anno praesente fuisse signatum, dubium non est; nam prodi IIIvirum C. Antistium Veterem, cujus plures habemus numos cum inscripta Augusti trib. potestate VIII., quae in hunc annum cadit. Khellius, qui numum hunc edidit [a], putat, numi inscriptione respici morbum Tarraconensem anni V. C. 729. At ejus adserendi nulla sane est ratio. Pro salute, seu, quod idem est, pro VALETVDINE Caesaris, etiam cum rectissime valeret, quotannis vota concipi sunt solita. Ita Dio jam ad annum V. C. 725 refert, decretum fuisse a senatu, ut in votis non solum publicis, sed etiam privatis pro Caesaris salute litaretur, et universim quotannis III. non. Ian. pro Augustorum salute vota facta sunt, de quibus agemus in tractatu de numis Votorum. Taurus hostia, etsi alias quoque diis, tamen cumprimis Iovi mactata fuit. Iovi vero sacra fuisse haec vota, numi duo priores diserte loquuntur. Ergo si numus hic ad praesentem annum pertinet, rationem non video, cur non quatuor denarii praecedentes ejusdem sint anni partus putandi, praecipue cum viderimus ex Dione, quam anxie Romani ejus e Galliis reditum cu-

a) Supplem. ad Vaill. p. 7.

piverint, ipso etiam Horatio longiorem hanc ejus absentiam elegante carmine conquesto [a]).

Commode his numis jungemus alium Mescinii denarium, quoniam his annis IIIvir monetalis fuit:

IMP. CAES. AVGV. COMM.*uni* CONS.*ensu*, *inscriptum cippo*, *extra quem:* S. C., *in orbem:* L. MESCINIVS. RVFVS. IIIVIR.

I.*ovi* O.*ptimo* M.*aximo* S. P. Q. R. *Votum Susceptum* PR*o* S*alute* IMP. CAE. QVOD. PER. EV.*m* R.*es* P.*ublica* IN. AMP.*liore* ATQ.*ue* TRAN.*quilliore* S.*tatu* E.*st scriptum intra coronam quernam.* AR. (Mus. Caes.)

Sensus epigraphes planus, et constat ex Suetonio [b]), pluribus annis serius post cladem Vari votos ab Augusto ludos magnos Iovi O. M., *si remp. in meliorem statum vertisset.*

* * *

IMP. CAESAR. AVGVS. TR. POT. IIX. *in aliis:* VIII. *Caput nudum.*

APOLLINI. ACTIO. *vel:* FOEDVS. P. R. ÇVM. GABINIS., *in orbem:* C. ANTISTIVS. VETVS. IIIVIR. *Duo viri togati, et velati stantes porcam super ara ignita simul attinent.* AR. (Morelli.)

C. ANTISTIVS. VETVS. IIIVIR. *Protome muliebris.*

IMP. CAESAR. AVGVS. COS. XI. *Instrumenta pontificalia.* AR. (Mus. Caes.)

Hos, aliosque hujus Antistii denarios explicatos vide in numis hujus gentis.

* * *

AVGVSTVS. TR. POT. VIII. *Caput nudum.*

Cippus, cui inscriptum: S. P. Q. R. IMP. CAE.*sari*, QVOD. V.*iae* M.*unitae* S.*unt* EX. EA. P.*ecunia*, Q.*uam* IS. AD. A.*erarium* DE.*tulit*, *in orbem:* L. VINICIVS. L. F. IIIVIR. AR. (Mus. Caes.)

Statua equestris Augusti super cippo, pone porta civitatis.

Eadem aversa. AR. (Morelli in Vinicia.)

Statua equestris Augusti super cippo, cui inscriptum: S. P. Q. R. IMP. CAES., *retro porta civitatis.*

QVOD. VIAE. MVN. SVNT. *pons opere arcuato, cui alii duo fornices insistunt, super his imperator in bigis elephantorum stante retro Victoria.* AR. (Mus. Caes.)

S. P. Q. R. IMP. CAESARI. *vel:* S. P. Q. R. CAESARI. AVGVSTO. *Caput nudum.*

Eadem aversa. AV. AR. (Mus. Caes.)

Alios nonnihil varios vide apud Morellium tab. XVII.

Egregie ad hos numos Dio [c]): *Augustus Flaminiam, quod ea ducturus erat exercitum, ipse procuravit, estque ea statim instaurata, ac ob id statuae Augusto in arcubus cum in ponte Tiberis, tum Arimini sunt positae.* Refert istud Dio ad V. C. 727, at numi descripti hoc demum anno, etsi antiquarii alii, inter quos praecipue Mediobarbus, discrepent. Certe numus I. ad hunc annum pertinet, quoniam trib. potestatem VIII. memorat, sed etiam numus II., nam

a) L. IV. ode 5. b) Cap. 23. c) L. LIII. c. 22.

habet eandem cum primo aversam, et eundem L. Vinicium auctorem. Etiam numus III., nam habet anticam fere eandem cum secundo. Etiam numus IV., nam ejus aversa eadem est cum aversa tertii. Ratio prona. Anno V. C. 727 coeptae muniri viae; at arduus hic labor est, et tempus, sumptusque postulat, et saepe intermittitur; hoc demum anno statui potest absolutus, ac eapropter positae, ac dedicatae statuae, quas memorat Dio, et proponunt numi. Addit sane eodem loco etiam Dio: *reliquae viae posteriore tempore refectae.* Sunt tamen etiam testimonia propiora. Narrat Suetonius [a]). *Quo autem facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi via Flaminia Arimino tenus munienda reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.* Quod hic Suetonius non indicato tempore prodit, id factum Dio ad annum superiorem refert: *iis, qui triumphaverant, mandavit, ut in rerum a se gestarum memoriam aliquod monumentum ex manubiis exstruerent.*

Literae solitariae numorum I. et II. recte explentur ex Livio [b]): *Senatus consultum factum est, ut, quos ludos inter seditionem militarem in Hispania vovisset, ex ea pecunia, quam ipse in aerarium detulisset, faceret.* Quo minus literae IS, quod aliqui opinati sunt, I.*ussu* S.*uo* notare possint, obstat, quod post I in numis etiam optime conservatis punctum non appareat.

Alius adhuc L. Vinicii numus connectendus:

Caput Augusti nudum.

S. P. Q. R. IMP. CAE. *inscriptum epistylio arcus triumphalis, supra quem imperator in quadrigis, hinc et illinc Parthus stans, infra arcum:* L. VINICIVS. AR. (Morelli in Vinicia, Mus. Caes.)

Typum similem jam vidimus ad annum V. C. 736. Ergo hac adhuc aetare honores Parthici memorantur.

V. C. 739 *A. X.* 15.
TR. P. VIII. IX. COS. XI. PONT. IMP. IX.
M. Livio Druso Libone, L. Calpurnio Pisone cos.

Adhuc in Galliis agit, in quas, ut etiam in Hispaniam, colonias ducit. Tiberius, et Drusus fratres Rhaetos compescunt.

Certos hujus anni numos non reperio.

V. C. 740 *A. X.* 14.
TR. P. IX. X. COS. XI. PONT. IMP. IX.
M. Licinio Crasso, Cn. Corn. Lentulo cos.

Pergit res Galliae, Germaniae, Hispaniae componere. Asandro mortuo Agrippa bellum in tumultuantes Bosporanos movet, eosque victos Polemoni subjicit, et Dynamin Asandri viduam uxorem dat.

Neque hujus anni numi exstant certi.

V. C. 741 *A. X.* 13.
TR. P. X. XI. COS. XI. PONT. IMP. IX. et forte X.
Ti. Claud. Nerone, P. Quintilio Varo cos.

Romam revertitur. Moritur M. Lepidus pontifex max., et olim IIIvir R.

a) Cap. 30. b) L. XXVIII. c. 38.

P. C. Agrippa ex Oriente redit, eique in aliud quinquennium trib. potestas decernitur. Ara Pacis constituitur a).

Desunt hujus anni numi certi, nisi forte huc quoque pertinent inscripti IPM. X., qui ad annum sequentem describentur.

V. C. 742 *A. X.* 12.
TR. P. XI. XII. COS. XI. IMP. X. XI.

M. Valerio Messalla Barbato, P. Sulp. Quirino cos.

Incipit
PONTIFEX MAXIMVS.

Agrippa repressis Pannoniis redux in Campania exstinguitur. Augustus privigno Tiberio, prius Vipsaniam Agrippinam Agrippae et Pomponiae filiam repudiare jusso, Iuliam filiam Agrippae viduam despondet, et anno sequente matrimonio jungit b). Tiberius Pannonios, Drusus Sicambros et Frisios domat. Augustus in locum mortui anno praecedente Lepidi pontificatum maximum suscipit saepe eo adhuc vivo oblatum, semper recusatum, quoniam ex lege nonnisi per alterius mortem vacabat. Hactenus initus hic honos anno superiore credebatur, verum insignes Fasti Verrii praesentem constituunt c). Factum istud pridie non. Mart. docentibus iisdem fastis, Ovidio d), et vetere Kalendario. Non audienda ergo mora, quae hanc dignitatem anticipant, inter quae praecipuum est illud, quod dedit Gruterus e), et etiam post tentatas correctiones Norisii f), et Chishulli g) in notis chronologicis adhuc peccat.

* * *

Ad hunc annum ab eruditis collocantur numi, qui Augustum IMP*eratorem* X. dicunt, ut et ii, in quibus est IMP. XI. Neque historia, neque monumenta repugnant, ut dicetur in fine sub titulo *Imperator.*

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput nudum.*

IMP. X. ACT. *Apollo Actius stolatus stans d. plectrum, s. lyram.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Quantum Apollini Actio debuerit Augustus, inutile repetere. Qui pro Apolline Musam in hoc numo exhiberi propter cultum muliebrem putant, patienter ferant, se numo gentis Antistiae plenisime redargui, in quo juxta similem figuram stolatam legitur: APOLLINI. ACTIO. Nota est citharoedorum, et Apollinis citharoedi stola, sive palla cum ex monumentis, tum scriptoribus. Vide infra numos Neronis inscriptos PONT. MAX., tum et insignem numum Hierapolis Phrygiae apud Pellerinium h). Et Tibullus loquens de Apolline citharoedo i):

Ima videbatur talis illudere palla,
Namque haec in nitido corpore vestis erat.

---

a) Kalend. Amitern. b) Dio L. LIV. §. 31. et 35. c) Foggini p. 23. d) Fast. III. 420. e) pag. 149. n. 104. f) Cen. Pis. diss. II. c. 10. g) Ant. Asiat. p. 187. h) Suppl. II. tab. IV. n. 10. i) L. III. eleg. IV. v. 35.

Propertius, quo loco templum Apollinis, et porticum, et constituta ibi artefacta recenset a), his verbis ejus dei signum describit:

Deinde inter matrem deus ipse, interque sororem,
Pythius in longa carmina veste sonat.

Ceterum Augustum jam ante aleam Actiacam Apollini fuisse eximie devotum, docent auctore Suetonio b) M. Antonii literae, in quibus hic secretiorem ejus coenam traducit, quae vulgo δωδεκαθεος vocabatur, in qua deorum dearumque habitu discubuere convivae, ipse vero Octavianus pro Apolline ornatus.

* * *

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput nudum.*

IMP. X. SICIL. *Diana succincta stans d. hastam, s. arcum, comite cane, etiam sine hoc.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Hanc aversam jam explicavimus ad V. C. 733.

* * *

Eadem adversa.

IMP. X. *Bos cornupeta.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Erizzi mens est, hos denarios cusos esse a Statilio Tauro IIIviro monetali, iisque taurum cum adlusione ad nomen insertum. Prolixam ejus super hoc argumento dissertationem commentariis suis inseruit Havercampus c), eamque sententiam, cum in contrarium nihil adferat, calculo suo confirmat utique. At qua ratione compóni istud cum Havercampi verbis potest, quae saepius in suis ad familiarum numos commentariis inculcat, IIIvirorum munus circumacto anno exivisse? videmus autem, eundem tauri typum, si Morellii numis fides, quibus certe omnem habuit Havercampus, proponi cum variis repetiti imperii numeris inde a IX. usque XII., qui certe ad plures annos pertinent. Ceterum quis sit hujus typi explicatus, quin conjecturis indulgeam, adfirmare vereor. Sane adsentire nequeo iis, qui in hoc typo Thessalorum equitum tauros in Circo agitantium spectaculum vident, de quo vide Schlegelium d). Typus hic obvius item est in numis Vespasiani aureis inscriptis COS. vel IMP. variis numeris.

* * *

Eadem adversa.

IMP. X. *Augustus togatus in suggestu sellae curuli insidens acceptat oleae ramos, quos ei duae figure viriles offerunt.* In aliis: *una tantum figura ramum offerens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Typus ad barbaros a Tiberio et Druso domitos, pacemque petentes spectat.

* * *

AVG. DIVI. F. IMP. X. *Luna inter septem triones.*

SALVS. GENERIS. HVMANI. *Victoria s. pede globo insistens in clypeo scribit.* AR. (Morelli, Thes. Brand. T. II. p. 606.)

Censet Begerus, denarium hunc signatum fuisse a Lucretio Trione IIIviro, quia in hujus gentis numis similis typus observatur, aut eo respici res a Druso versus septem triones prospere gestas. Res incerta. Quod ad aversam

a) L. II. eleg. 31. b) in Aug. c. 70. c) Morelli Impp. T. I. 289. d) ad Morellii Impp. T. I. p. 206.

attinet, exstant numi non pauci cum typo simili et epigraphe absque tamen Augusti mentione, quos propterea hic describo, quoniam ad eundem, aut vicinum certe annum pertinent:

S. P. Q. R. *intra coronam quernam.*

SALVS. GENERIS. HVMANI. *Victoria globo insistens.* AV. AR. (Morelli in Impp. et incertis famil.)

Aversam similem jam dedimus supra ad annum 734, in cujus numi altera superficie exhibentur signa a Parthis recepta. Quanquam a vero forte quis non magnopere aberraverit, qui numum praesentem sub Galbae imperio signatum volet arbitrari; nam et antica, et aversa numi hujus pars in ejus moneta observantur.

V. C. 743. *A. X.* 11.
TR. P. XII. XIII. COS. XI. P. M. IMP. XI.
Paullo Fabio Maximo, Q. Aelio Tuberone cos.

Drusus Cheruscos infestat, Tiberius Dalmatas et Pannonios, L. Piso Bessos superat. Augustus ipse in Galliis propter belli in vicinia turbida agit. Moritur Octavia secundum Dionem, at Suetonio anno sequente a). Iulia Augusti filia Tiberio nubit.

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput nudum.*

IMP. XI. *Capricornus globum pedibus stringens.* AR. (Mus. Caes.)

De capricorni typo, quoniam hic in Augusti numis cum Latinis, tum Graecis toties occurrit, hoc loco agere lubet. Hunc eximie illustrat Suetonius b), cum narrat, Theogenem Apolloniae mathematicum, cum ei Augustus tum adolescens genituram suam ederet, ea audita exiluisse, eumque adorasse. Addit: *tantam mox fiduciam fati Augustus habuit, ut thema suum vulgaverit, numumque argenteum nota sideris capricorni, quo natus est, percusserit.* Profert Schlegelius alia etiam poetarum Augusti sub capricorno nati testimonia c), quo loco pariter verbosas eruditorum super hoc Caesaris horoscopo altercationes recoquit, quas, quibus tantae eae videbuntur, adeant. Ceterum secundum Hyginum d) hic capricornus reipsa Pan est; nam hunc refert metu Typhonis sese in flumen abjecisse, et parte anteriore hirci, posteriore piscis formam induisse, cujus ingenium admiratus Iupiter eum sideribus inseruit. Illum Aratus propterea *Aegipana* appellat e). Capricorno in his numis saepe additur cornucopiae, et gubernaculum explicante istud Lactantio f): *nam simulacrum ejus* (Fortunae) *cum copia et gubernaculo fingunt, tanquam haec et opes tribuat, et humanarum rerum regimen obtineat.* Globus orbis terrarum symbolum nunc etiam comparere in moneta incipit. De hoc Isidorus g): *Pilam in signo constituisse fertur Augustus propter nationes sibi in cuncto orbe subjectas, ut magis figuram orbis ostenderet.* Eadem significatione is deinceps saepe ab Augustis manu praefertur. Saepe illi

a) Cap. 61. b) Cap. 94. c) ad Morelli Impp. T. I. p. 194. d) L. II. sign. coel. e) in Phoenom. f) Instit. L. III. c. 29. g) Orig. L. XVIII. c. 3.

insistit Victoria, sed pro hac infimo aevo defixum fuit crucis signum.

V. C. 744 *A. X.* 10.
TR. P. XIII. XIV. COS. XI. P. M.
IMP. XII.
Iul. Antonio Africano, Q. Fabio Maximo cos.

Pacata Germania, Dalmatia, Pannonia Augustus cum Tiberio et Druso Romam redit.

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput nudum, vel laureatum.*
IMP. XII. *Bos cornupeta.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.
IMP. XII. ACT. *Apollo Actius vel stans, vel gradiens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.
IMP. XII. SICIL. *Diana gradiens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

De his typis actum ad annum V. C. 742.

V. C. 745 *A. X.* 9.
TR. P. XIV. XV. COS. XI. P. M.
IMP. XIII.
Claudio Nerone Druso, T. Quinctio Crispino cos.

Drusus ad Albim fl. usque, et Oceanum penetrans, quo minus ultro signa promoveret, spectri monitu inhibitus est [a]). Ad Rhenum regressus lethali morbo corripitur, ad quem jussu Augusti, qui tum Ticini agebat [b]), advolans Tiberius fratrem animam agentem offendit. Ara Pacis dedicatur die XXX. Ianuarii [c]).

Certi hujus anni numi desiderantur.

V. C. 746 *A. X.* 8.
TR. P. XV. XVI. COS. XI. P. M.
IMP. XIV.
C. Marcio Censorino, C. Asinio Gallo cos.

Motis Germanis Tiberius Rhenum transit, ipse Augustus in Gallia subsistit. Sextilem eligit, qui *Augusti* nomen ferret, quod hoc mense primum consul, et multis victoriis potitus esset, cum alii Septembrem mallent, quo natus est. Maecenas moritur.

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput laureatum.*
IMP. XIIII. *Imperator in suggestu sedens puellum sibi a viro chlamyde induto oblatum acceptat.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Variant in hoc typo explicando eruditi. Censent alii, exhiberi Augustum accitos Germanici liberos ad se recipientem, quod fecit tum, cum legem de maritandis ordinibus perferret vellet, ut refert Suetonius [d]). Quae sententia certo falsa; nam quo tempore Augustus fuit IMP. XIV., nondum nati fuere Germanico liberi saltem sextus virilis. Vaillantius putat, indicari Tiridatem, qui Augusto in Hispaniis tum degenti subreptum astu Phraatis filium obtulit. At cum Augustus tum nondum imperator XIIII. esset, conjicit, numum percussum serius ad renovandam ejus facti memoriam [e]). Alii putant proponi

a) Dio. b) Tacit. Val. Maximus. c) Kalend. Praenest. d) Cap. 34. e) Arsac. imper. p. 172.

Phraatem Parthiae regem, qui filios, nepotesque suos obsides Romam misit, et Augusti fidei credidit, at quo definite anno, non constat. Vide Iosephum [a]), Strabonem [b]), Tacitum [c]). Id certum, habitum offerentis in his denariis peregrinum esse, ac, ut mihi videtur, hominis Germani.

* * *

Eadem adversa.

TR. POT. XVI. *Victoria globo insidens coronam aptat.* Quin. AV. (Mus. Farnes.)

Incipiunt hoc anno quinarii aurei, qui deinceps, ac praecipue sub Tiberio saepius recurrent.

V. C. 747 *A. X.* 7.

TR. P. XVI. XVII. COS. XI. P. M. IMP. XIV.

Ti. Claudio Nerone II. Cn. Calpurnio Pisone cos.

Tiberius iterum ad bellum Germanicum mittitur. Cajus Caesar vice Tiberii absentis ludos votivos pro reditu Augusti facit [d]).

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput laureatum.*

TR. POT. XVII. *Victoria sphaerae coelesti insidens coronam aptat.* Quin. AV. (Morelli ex mus. reg. Gal.)

V. C. 748 *A. X.* 6.

TR. P. XVII. XVIII. COS. XI. DES. XII. P. M. IMP. XIV.

D. Laelio Balbo, C. Antistio Vetere cos.

Augustus, quo Caium et Lucium ferocientes compesceret, Tiberio trib. potestatem in quinquennium confert. Verum hic sibi ab illis male metuens, literarum studiis obtentui sumptis Rhodum secedit, et vitam ibi privatam agit. Sacerdotium tamen Caio concedit Augustus, et consulem designari patitur, quem magistratum post quinquennium iniret. Vide Norisium Cenot. Pis. diss. II. c. 2., nam inde ab hoc anno tristis in Dione plurium annorum lacuna incipit.

Non fert hic annus numos certos.

V. C. 749 *A. X.* 5.

TR. P. XVIII. XIX. COS. XII. P. M. IMP. XIV.

Augusto XII. L. Corn. Sulla cos.

Augustus anno sequente consul XII. (verba sunt Zonarae ex Dione deperdito) Caio virilem togam dat, eum in curiam inducit, et principem juventutis designat.

Numi hujus anni incerti.

V. C. 750 *A. X.* 4.

TR. P. XIX. XX. COS. XII. P. M. IMP. XIV.

C. Calvisio Sabino, L. Passieno Rufo cos.

Anno post (prosequitur continuo Zonaras) Lucius Caesar eosdem honores, qui Caio fratri delati fuerunt, abstulit. At quae hoc loco Zonaras de Lucio narrat, Norisius in annum V. C. 752 differt [e]) dissimulato hoc Zonarae testimonio aliud docentis. Marmora magis fa-

a) Ant. L. XVIII. c. 2. b) L. VI. in fine. c) Ann. L. II. c. 1. d) Dio. e) Cenot. Pis. diss. II. c. 7.

vent Norisio, ut dicetur in numis Caii et Lucii Caess.

Numi certi desunt.

V. C. 751 A. X. 3.

TR. P. XX. XXI. COS. XII. DES. XIII.

P. M. IMP. XIV.

L. Corn. Lentulo, M. Valerio Messalino cos.

Nihil ad hunc annum memoria dignum suppeditat historia, aut numos certos res monetaria.

V. C. 752 A. X. 2.

TR. P. XXI. XXII. COS. XIII. P. M.

IMP. XIV.

Augusto XIII. M. Plautio Silvano cos.

Incipit

PATER PATRIAE.

Petiit consulatum hunc XIII. et postremum, ut Caium et Lucium filios amplissimo praeditus magistratu suo quemque tirocinio deduceret in forum [a]. Lucium Caesarem consulem designat post annos V. processurum. Naumachiam, aliosque ludos splendidissimos edit. Pater patriae appellatur. Templum Martis Vltoris dedicat. Iuliam filiam frequentium adulteriorum convictam in Pandatariam relegat.

CAESAR. AVGVSTVS. DIVI. F. PATER. PATRIAE. *Caput laureatum.*

PONTIF. MAXIM. *Mulier sedens d. hastam, s. ramum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Patrem patriae fuisse dictum Augustum, diserte docet Suetonius [b], nimirum *per Valerium Messalam mandantibus cunctis, et senatu consentiente cum populo R.* Tempus non definit. In anno indicando eruditi in varias abiere sententias. Alii aliquot serius annis hunc titulum collatum censuere, sed quos refutant monumenta, quae mox dabuntur. Alii in multos annos retro gressi sunt auctoritate cum marmorum, sed vitiose descriptorum, tum numorum, sed Goltzianorum, in quibus Augusto jam in consulatu V. seu V. C. 725 patris patriae titulus adfingitur. Cui sententiae et si monumenta alia sincera adversarentur, malebant tamen eruditi nimio indulgentes speciosam aliquam causam delati jam tum ejus honoris reperire, quos inter fuit Perizonius [c], quam obtrusos sinistre hos numos inter adulterinos amoliri. At Norisius hoc demum anno eum Augusto accessisse contendit, usus praecipue fragmento Kalendarii veteris Praeneste reperti [d], in quo legitur:

NON. N. CONCORDIAE. IN. ARCE FERIAE. EX. S. C. QVOD. EO DIE. IMPERATOR. CAESAR. AVGV STVS. PONTIFEX. MAXI MVS. TRIB. POTEST. XXI. COS. XIII. A. SENATV. POPVLO QVE. ROMANO. PATER. PATRIAE APPELLATVS

Legi possunt argumenta alia a Norisio eodem loco memorata, atque una conferri, quae de hoc fragmento erudite disserit Fogginius [e].

Inscriptus illustri huic monumento

a) Suet. c. 26. b) Cap. 58. c) Animadv. hist. cap. 7. d) Cenot. Pis. diss. II. c. 8.
e) Fasti Verrii in praef. p. XII.

consulatus XIII. efficit, Augustum hunc titulum non abstulisse ante Kal. Ian. V. C. 752, et trib. potestas XXI., non potuisse conferri post diem V. Kalendas Iul. ejusdem anni, quia hoc ipso die jam coepit numerari trib. potestas XXII. Intra hos ergo terminos istud Romanorum obsequium est coercendum. Ad diem quod attinet, NON*as* quidem nobis indicat fragmentum, at mensem, cujus essent hae nonae, reticet. Verum quod illud dissimulat, liberaliter edocet Ovidius, nonas Februarias tenerrimis his versiculis celebrans [a]):

Dum canimus sacras alterno pectine NONAS,
Maximus hinc fastis adcumulatur honos - -
Sancte PATER PATRIAE, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Res tamen ante dedit, sero quoque vera tulisti
Nomina, jam pridem tu pater orbis eras.
Hoc tu per terras, quod in aethere Iuppiter alto
Nomen habes, hominum tu pater, ille deum.

At vero eruditus quidam Gallus ex his ipsis Ovidii versibus probare contendit, hunc Augusto titulum maturius anno V. C. 752 fuisse delatum; nam ipso hoc, ait, anno Nasonem in exilium pulsum, fastos autem suos ante exilium in lucem misisse [b]). At vero satis constat, eum decennio serius, aut saltem novennio solum mutasse. Vide Massonum [c]). Quae alia ex numis adfert argumenta, satis ex iis, quae dixi, refutantur. Invicte ergo demonstravimus, Augustum V. C. 752 nonis Febr. patrem patriae fuisse appellatum.

Propter titulum patris patriae certum quidem est, numum praesentem non potuisse signari ante annum, in quo sumus, tamen nulla suppetit ratio, cur eum hoc potius anno, quam sequentibus Augusti reliquis cusum statuamus. Quin verisimile est, eum extremis ejus annis signatum, quia eadem aversa obvia est in Tiberii Augusti denariis.

* * *

CAESAR. DIVI. F. PAT. PA. *Caput Augusti.*

VOTA. PVBLICA. *Augustus togatus stans d. pateram super ara sacrificat, adstantibus camillo, tibicinibus, et victimario taurum feriente.* AV. (Vaill. Morelli.)

Quae vota depraedicet hic numus, incertum. Et hic pluribus deinceps annis potest competere.

* * *

CAESARI. AVG. *vel* AVGVSTO. *Quadrigae triumphales exsilientibus ex summo curru quadrigis equorum.*

S. P. Q. R. PARENT*i* CONS*ervatori* SVO. *Sceptrum cum aquila, togae pictae pars superior, laurea.* AR. (Mus. Caes.)

Pars aversa nota ornamenta triumphalia offert. Livius [d]): *Ibi Masinissam - - - aurea corona, aurea patera, sella curuli, et scipione eburneo, toga*

a) Fast. L. II. 121. b) B. L. Tom. XXIII. hist. p. 166. c) in vita Ovid. ad annum V. C. 762. d) L. XXX. c. 15.

picta, et palmata tunica donat. Addit verbis honorem, neque magnificentius quidquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse etc. Horum origo ab Etruscis haud dubie petenda. Refert Dionysius Halicarnass a). Tarquinium Priscum in observantiae signum ab Etruscis accepisse principatus insignia, quibus reges suos ornare consueverant, videlicet ϛεφανον τε χρυσεον και θρονον ελεφαντινον, και σκηπτρον αετον εχον επι της κεφαλης, χιτωνα τε πορφυρον χρυσοσημον, και περιβολαιον πορφυρον ποικιλον κ. τ. λ. *coronam auream et sellam eburneam, et scipionem habentem in summitate aquilam, tunicam purpuream auro distinctam, et togam purpuream pictam.* Vide similia apud Florum b). Addit idem Dionysius, Tarquinium continuo in regiae potestatis signum his ornamentis usum, subinde successores reges, atque his pulsis annuos consules, excepta corona et toga picta, quibus tamen, si decretus iis fuit triumphus, ornati incessere. Tamen sub imperatoribus, sub quibus nemo jam privatus triumphavit, nisi quod triumphalia ornamenta virtutis ergo decreta fuere, omnia haec insignia consulibus quoque permissa videntur. Sane ad unum consulem spectare videntur versus Iuvenalis, si eorum sensum, et veteris grammatici explicationem sequare c):

Quid si vidisset praetorem curribus altis
Exstantem, et medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Iovis, et pictae Serrana ferentem
Ex humeris aulaea togae, magnaeque coronae
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, et sibi consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.
Da nunc et volucrem, sceptro quae surgit eburno etc.

Ausonius de se consule d):

Vt trabeam, pictamque togam, mea praemia, consul
Induerer, fastisque meis praelatus haberer.

Denique de scipione cum aquila Prudentius e):

Cum consulatum initis, ut vernae solent,
Pudet fateri, farre pullos pascitis,
Aquila ex eburna sumit arrogantiam
Gestator, ejus ac superbit belluae
Inflatus osse, cui figura est alitis.

Ex quibus adeo testimoniis patet, insignia haec olim triumphantibus tantum decreta, deinde ad consules etiam derivata. Appianus, quo loco triumphum Africani senioris describit f), ait, triumphantem gestare solere σκηπτρον ἐξ ἐλεφαντος, και δαφνην, ἡν ἀει Ρωμαιοι νομιζουσι νικης συμβολον, *scipionem eburneum, et ramum laureum, quem semper Romani pro victoriae symbolo habent.* At videmus ex numis, Augustos etiam in processu consulari utrumque istud signum praeferre. Quare nisi aliae causae prae-

a) L. III. pag. 195. b) L. I. c. 5. c) Sat. X. 35. d) Idyll. IV. v. 92. e) περι ϛεφανων Hymn. X. v. 146. f) de reb. Punic. c. 65.

sto sint, difficile nonnunquam est definire in numis, in quibus imperator in quadrigis vectus d. scipionem cum aquila praefert, sitne is typus triumphi, an processus consularis. Vide de his plura in tractatu de Consulibus Caesaribus.

In praesente denario scipionem aquiliferum, togam pictam, coronam lauream indicare ornamenta triumphalia, dubitari non potest. Neque enim, si omnia haec insignia jam tum fuissent consulibus propria, ea Senatus P. Q. R. decrevisset Augusto. At constat, honores ei triumphales decretos. Nam cum V. C. 729 propter victos a M. Vinicio Germanos triumphus illi esset oblatus, isque eum recusasset, data illi continuo fuit potestas, singulis Kalendis Ian. *coronae et vestis triumphalis gestandae*, τῳ τε ϛεφανῳ και τῃ ἐσθητι τῃ νικητηρια ἀει χρησθαι [a]). Ceterum sitne hic numus eodem etiam anno V. C. 729 signatus, decidere non ausim. Eum praesenti anno adfixi, quia Augustum *parentem* appellat, quo nomine non quidem ex decreto, sed affectu etiam maturius potuit compellari, quo modo in eodem hoc numo *conservator* dicitur, etsi non constet, hoc illi nomen ex S. C. datum.

*
* *

Numos cum Martis Vltoris nomine vel typis aliqui ad hunc annum referunt, quoniam isto ejus templum dedicatum est, qua occasione verisimile est eorum aliquos fuisse signatos. At nos propter argumenti concordiam omnes ad annum V. C. 734 recensuimus.

Numos Augusti, in quorum aversa sunt Cajus et Lucius Caesares, quique omnes hoc, aut vicinis proxime annis signati sunt, dabimus in utriusque moneta.

V. C. 753.

TR. P. XXII. XXIII. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XIV.

Cosso Corn. Lentulo, C. Calpurnio Pisone cos.

Anni fine secundum calculum Dionysii Exigui nascitur Christus. M. Vinicius Germanos infestat. C. Caesar cum procos. imperio paludatus in Parthos et Arabes proficiscitur [b]).

Desunt numi certi.

V. C. 754 P. X. 1.

TR. P. XXIII. XXIV. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XIV.

C. Caesare Aug. F. L. Aemilio Paullo cos.

C. Caesar hujus anni consul bellum cum Parthis Armeniam sibi vindicantibus molitur.

De numis hujus anni certis nihil constat.

V. C. 755 P. X. 2.

TR. P. XXIV. XXV. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XIV.

P. Vinucio, P. Alpheno Varo cos.

Pace cum Parthis composita ea lege, ne hi sese Armeniae rebus miscerent,

---

a) Dio L. LIII. §. 26. b) Zonaras ex Dione.

C. Caesar et Phraates Parthiae rex in Euphratis insula colloquuntur. Tiberio permissum ab Augusto, Rhodo, in qua inde ab anno V. C. 748 privatus agebat, Romam reverti. Lucius Caesar in Hispaniam meditans Massiliae repentina morte exstinguitur mense Augusto.

Desunt numi certi.

V. C. 756 *P. X.* 3.
TR. P. XXV. XXVI. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XIV.
L. Aelio Lamia, M. Servilio cos.

Cajus Caesar Ariobarzanem Medum Armeniae regem praeficit, subinde in Artagerae obsidione insidiis in colloquio petitus graviter vulneratur.

Desunt numi certi.

V. C. 757 *P. X.* 4.
TR. P. XXVI. XXVII. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XIV.
Sex. Aelio Cato, C. Sentio Saturnino cos.

Cajus ex vulnere languidus Romam redux per iter Lymirae in Lycia moritur die XXI. Februarii. Augustus V. Cal. Iulias Tiberium et M. Agrippam Postumum Agrippae et Iuliae filium adoptat. Tiberio trib. potestatem in decennium confert. Iussus praeterea Tiberius Germanicum fratris Drusi filium adoptare, subinde ad bellum Germanicum proficiscitur.

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput laureatum.*
TR. POT. XXVII. *Victoria globo insidens manibus lauream aptat.* Quin. AV. (Mus. Caes.)

V. C. 758 *P. X.* 5.
TR. P. XXVII. XXVIII. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XIV.
L. Valer. Messalla Voleso, Cn. Corn. Cina Magno cos.

Agrippae Postumo datur toga virilis absque tamen aliis honoribus a).

Numi certi desunt.

V. C. 759 *P. X.* 6.
TR. P. XXVIII. XXIX. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XV.
M. Aemilio Lepido, L. Arruntio cos.

Tiberius in Germania, et Dalmatia bellum continuat.

CAESAR. AVGVSTVS. DIVI. F. PATER. PATRIAE. *Caput laureatum.*
SICIL. IMP. XV. *Diana stolata gradiens d. telum ex pharetra promit, s. arcum praetendit.* AV. max. mod.

Numus hic volumine suo conspicuus, cui similis, qui esset hujus, aut vicini aevi, conspectus non est, repertus est inter ruinas Herculani, editusque ad calcem praefationis Tomi II. Picturarum Herculanensium. Eum subinde Khellius prolixa dissertatione illustravit, in qua quam felix fuerit, argumento esto, quod vocabulum SICIL. dividit, legendumque docet: S*extus* ICIL*ius*, qui nimirum aedilis Dianae signum dedicasset. Digna Harduino sententia. Magis ferenda esset, etsi haec

a) Dio.

quoque falsa, et a Khellio impugnata academici Herculanensis conjectura, qua autumat, fieri potuisse, ut IIIviri monetales poema Augusti celebrarent, de quo Suetonius [a]): *Vnus liber exstat scriptus ab eo hexametris versibus, cujus et argumentum, et titulus est SICILIA.* Permittantur haec iis, qui ingenii ludicris delectantur. Sententiam de his numis planam, ac vel ideo veriorem supra ad annum V. C. 733 proposui.

* * *

Antica incerta.

TR. POT. XXIX. *Victoria sphaerae coelesti insidens lauream aptat.* Quin. AV. (Morelli tab. XII. n. 12.)

Antica incerta.

PONTIF. MAX. TRIBVN. POTEST. XXIX. *in medio:* S. C. AE. II. (Morelli tab. XXVIII. n. 23.)

V. C. 760 P. X. 7.
TR. P. XXIX. XXX. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XV.
A. Licinio Nerva Siliano, Q. Caecilio Metello Cretico cos.

Grave bellum in Illyrico, ad quod gerendum missi Tiberius et Germanicus. M. Agrippa Postumus, quod ira esset praecipiti, et in Liviam, ipsumque Augustum contumeliosus, abdicatur, et primo Surrentum, dein in Planasiam insulam relegatur [b]).

Antica incerta.

PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXX. *in medio:* S. C. AE. II. (Morelli tab. XXVIII. n. 24.)

V. C. 761 P. X. 8.
TR. P. XXX. XXXI. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XV.
M. Furio Camillo, Sex. Nonio Quinctiliano cos.

Tiberius et Germanicus hoc demum anno bello Illyrico finem imponunt, Augusto interea cum senatu Arimini subsistente, ut rebus ex vicino melius consuleret.

Antica incerta.

PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXXI. *in medio:* S. C. AE. II. (Morelli tab. XXVIII. n. 25.)

V. C. 762 P. X. 9.
TR. P. XXXI. XXXII. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XVI. - -
C. Poppaeo Sabino, Q. Sulpicio Camerino cos.

Bellum Germanici cum Dalmatis, cui deinde propter molem etiam accedit Tiberius.

Desunt numi certi.

V. C. 763 P. X. 10.
TR. P. XXXII. XXXIII. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XIX.
Cn. Corn. Dolabella, C. Iunio Silano cos.

Dalmatae aegre tandem a Tiberio, et Germanico expugnantur. Tiberii triumphus dilatus ob acceptum caesi ab Arminio cum tribus legionibus Quinctilii Vari nuncium [c]). Luctus hinc Romae, atque ipsius Augusti ingens. Ti-

a) Cap. 85. b) Dio, Sueton. cap. 65. c) Suet. in Tiber. c. 17.

berius, ut malo subveniretur, cum lecto milite destinatur.

Numi certi desunt.

V. C. 764 P. X. 11.
TR. P. XXXIII. XXXIV. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XX.
M. Aemilio Lepido, T. Statilio Tauro cos.

Tiberius et Germanicus ad expiandam Vari cladem in Germaniam impressionem faciunt, eodemque anno Romam revertuntur [a]).

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. IMP. XX. *Caput nudum.*

PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POT. XXXIIII. *in medio:* S. C. AE. II. (Mus. Caes.)

Habemus in hoc numo Augustum imperatorem XX., quem titulum fors anno sequente cepit, cum trib. potestas XXXIIII. sese in sequentem quoque annum porrigat. Numi hi sunt obvii, sed Gabriel Brotier ad Taciti sui Annal. L. I. c. 9 numum cetera simillimum, sed inscriptum IMP. XXI. citat, ex quo sequeretur, eum hoc, vel sequente anno dictum IMP. XXI., sed vereor, ut sincera sit lectio; nam cum hoc numero imperator non fuit ante trib. potestatem XXXVII.

V. C. 765 P. X. 12.
TR. P. XXXIV. XXXV. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XX.
Germanico Caes. C. Fonteio Capitone cos.

Augustus senio gravis Germanicum senatui, senatum Tiberio commendat. Tiberius de Pannoniis, et Dalmatis triumphat.

Numi hujus anni certi non proditi.

V. C. 766 P. X. 13.
TR. P. XXXV. XXXVI. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XX.
C. Silio, L. Munatio Planco cos.

Augustus Tiberio trib. potestatem, quae collata V. C. 757 in decennium sequente anno exspiratura erat, prorogat, lataque lex a consulibus, uti provincias Tiberius communiter cum Augusto administraret.

CAESAR. AVGVSTVS. DIVI. F. PATER. PATRIAE. *Caput laureatum.*

TI. CAESAR. AVG. F. TR. POT. XV. *Caput Tiberii nudum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

TI. CAESAR. AVG. F. TR. POT. XV. *Tiberius in quadrigis triumphalibus d. ramum, s. sceptrum cum aquila.* AV. AR. (Mus. Caes.)

De hoc Tiberii triumpho agetur in ejus numis ad hunc annum.

V. C. 767 P. X. 14.
TR. P. XXXVI. XXXVII. COS. XIII. P. M. P. P. IMP. XXI.
Sex. Pompejo, Sex. Appulleio cos.

Augustus in Campaniam profectus in lethalem morbum incidit, ex quo obiit Nolae in eodem, quo pater Octavius cubiculo die XIX. Augusti, quo ipso

a) Dio.

olim consulatum inivit. Vixit annos LXXV. menses X. dies XXVI. [a]).

Vir fuit magnis virtutibus spectabilis, et quae habuit vitia, sic fuerunt temperata, ut feri possent. Occiso Iulio cum principatum adire statim non posset, aemulos tantisper passus, tandem tolerantia, moderatione, armis superior omnibus evasit, iisque aut victis, aut abdicare coactis remp. vario nomine, aucta quotannis, ac magis firmata potentia ab anno V. C. 723 ipsis quadraginta quatuor annis solus tenuit, et monarchiam, quam I. Caesar inchoavit, ipse denique constituit, ea saltem causa imperio R. salutarem, quod isto sibi, libertatique suae relicto fieri non poterat, quin omnia propter privatorum potentiam, opes, contemptum legum, ac ambitionem, fatale reip. malum, pessum irent, quae corrigi omnia, nisi uno imperante, non possunt. Iam vero quod exigua primum spe, deinde inter inpedimenta gravissima unus rerum potitus est, istud unius fortunae fuisse opus, viderunt alii, et ipse fortunae acceptum tulit. Ejus sane causa, inquit vir summus Plutarchus [b]), etsi aliud vellent, Cicero primum remp. consiliis suis rexit, Lepidus exercitum tenuit, Pansa vicit, Hirtius in acie cecidit, et Antonius amori vacavit. Quin et Cleopatram, inquit, in Caesaris fortuna pono, in quam velut scopulum impegit summus imperator, ut denique solus restaret Caesar. Quare cum nepotem Caium ad bellum Orientis mitteret, ei fortitudinem Scipionis, gratiam Pompeji, suam vero ipsius fortunam precatus est. Principatum primo per vim partum, mox a volentibus delatum egregie administravit, sic ut securitati publicae stabilitis legibus, coercitis seditionibus, repressis, aut servire coactis externis hostibus optime consuleret, essetque ejus imperium remotissimis etiam gentibus formidatum aeque ac venerabile. Ad bella gerenda habilis, eorum tamen felicem exitum alienae magis virtuti plerumque debuit. Victoriae Philippensis laus penes unum M. Antonium, victi praeliis navalibus Sex. Pompeji, et ad Actium Antonii penes unum fere M. Agrippam stetit. In Dalmatas victo Pompejo ipse duxit, ac serius in Cantabros, quae ei expeditio postrema fuit, nam quas deinceps suscepit, M. Agrippae, aut viris ex familia sua commisit, sic tamen, ut ipse relicta Roma praeclaro consilio ex propinquo rei gerendae curam intenderet. Bella, nisi cum necesse fuit, non coepit, atque etiam coepta, cum sibi ultro ab hostibus satisfieret, omisit. Adolescens a saevitia non alienus, quod post bellum Philippense, et Perusinum compertum fuit, tamen facilis fuit ad ignoscendum, et facile se aliorum sanis consiliis, praecipue Maecenatis, ad mansuetudinem revocari passus est. Sumptus in edendis spectaculis, congiariis, muniendis viis, aedificiis publicis ingentes fecit, etsi cultus domi simplex esset, et vita frugalis. Animo in adversis non semper, ut virum decuerat, forti fuit, quod patuit post Vari in Germania cladem, variasque domus suae ignominias. Valetudine etsi minus fir-

a) Dio. b) de Fort. Rom. L. II. p. 318.

ma, et per vices graviter affecta uteretur, ad ferenda tamen imperii onera ad vitae finem duravit. Imperii ab Augusto graviter, moderate, et cum multa prioris libertatis specie administrati tum primum Roma purum, ac sincerum testimonium praestitit, cum serio subinde edoceretur, quantum inter hujus virtutes, ac successorum abnormia vitia, vitamque nefandis quibusque sceleribus coopertam interesset.

Vxores:

I. SERVILIA. P. Servilii Isaurici filia, sed quam sponsam tantum habuit ad nuptias cum sequente coactus.

II. CLAVDIA, P. Clodii a Milone interfecti ex Fulvia filia, quam M. Antonio post bellum Mutinense conciliatus militum hortatu duxit, ut arctiore uterque vinculo conjungeretur. Nam fuit haec Claudia Antonii privigna per Fulviam, quae caeso Clodio deinde Antonio nupta fuit. Verum orta haud multo post cum Fulvia simultate Clodiam intactam, ut jurabat, matri remisit.

III. SCRIBONIA, quam duxit V. C. 714, ut Sex. Pompejum, quem in suas adversus Antonium partes trahere tum studebat, sibi conciliaret. Habuit enim Pompejus uxorem Scriboniam prioris Scriboniae neptem. Eam post biennium repudiavit, seu quod ejus mores pertaesus esset, ut ipse ferebat, seu verius, quod desperata cum Pompejo pace, sublataque connubii causa deinceps uni suo adfectui indulsit. Filiam ex hac IVLIAM habuit, de qua infra in ejus numis.

IV. LIVIA, quae marito diu superfuit. De hac plura infra in ejus numis.

* * *

Numi certi postremi hujus anni desunt.

NVMI AVGVSTI VAGI.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput vario cultu.*

DIVVS. IVLIVS. *Stella crinita.* AV. AR. (Morelli, Mus. Caes.)

Aversam explicatam vide in numis D. Iulii.

Caput vario cultu.

AVGVSTVS. *Capricornus globum pedibus stringit, juxta gubernaculum, superne cornucopiae.* AV. AR. (Mus. Caes.) AR. max. mod. (Morelli).

De capricorno Augusti genethliaco vide dicta ad annum 743. In numis similibus ad principem capricorni typum adduntur varia alia attributa, quae videsis apud Morellium tab. XVI.

CAESAR. *Caput nudum.*

AVGVSTVS. *Bos gradiens, in alii stans.* AV. AR. (Mus. Caes.)

AVGVSTVS. *Caput nudum.*

Sphinx sedens. AV. (Mus. Caes.) AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Schlegelius Sphinge Aegyptum, cujus illud animal esse symbolum videtur, post alios indicari existimat [a]). At si istud, cur eadem Sphinx visitur etiam in numis inscriptis ARMENIA. CAPTA? Latius igitur ejus animalis significatio patet, de qua supra ad annum 734 aliqua memoravi.

a) Morelli Impp. p. 232.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

OB. CIVIS. SERVATOS. *intra coronam quernam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Frequens in Augusti numis praeconium, praecipue postquam cives Romanos in Parthia detentos V. C. 734 in libertatem vindicavit, ut videre est in numis Aquillii, Caninii, Durmii, Petronii, qui circum eam aetatem IIIviri monetales fuere. De epigraphe hac, et typo vide, quae plura ad numos gentis Caniniae notavi. Inscriptio etiam saepe absolvitur solis literis OB. C. S. vel O. C. S. Vide numos gentium Aquilliae, et Petroniae. Exortam hanc sub Augusto aversam saepe revocarunt successores Caesares, parum saepe soliciti, utrum ea laus vere de se possit praedicari.

* * *

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

S. P. Q. R. *Victoria volans s. clypeum tenet, cui inscriptum:* CL. V., *d. ramum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

OB. CIVIS. SERVATOS. *Clypeus, cui inscriptum.* S. P. Q. R. CL. V. *cinctus corona querna.* AV. AR. (Mus. Caes.)

CL*ypeus* hic V*otivus* (nam sic legenda sunt vocabula decurtata) variis modis proponitur, quos videre potes vel apud Morellium, vel in Catalogo musei Caesarei P. II. p. 86. Dedicandi clypeos mos est pervetustus. Ita jam Virgilius fingit Aeneam Apollini Actio dedicasse clypeum cum epigraphe: *Aeneas haec de Danais victoribus arma* [a]). Vetera ejus exempla in ipsa urbe commemorat Plinius, additque, solitos fuisse Trojanos veteres, atque etiam Poenos imagines suas clypeis insculpere [b]), Poenorum morem confirmat Livius narrans [c]), in parta praeda fuisse clypeum argenteum pondo CXXXVIII. cum imagine Barcini Hasdrubalis. Eodem modo senatus quoque Claudio Gothico clypeum aureum in curia dedicavit, in quo *expressa thorace vultus ejus imago*, ut refert Trebellius Pollio, et sic supra ad annum V. C. 738 in Mescinii numo vidimus Augusti caput inclusum clypeo, et in simili exhibentur capita *Clementiae*, et *Moderationis* in Tiberii moneta. Notus ex Macrobio jocus Ciceronis, qui, cum in Asia proconsulari vidisset clypeatam imaginem Quinti fratris ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam, (erat autem Quintus staturae parvae) ait, frater meus dimidius major est, quam totus [d]). Serius comperi, pleraque haec testimonia jam collecta fuisse a Biagio, cum erudite comprobare intenderet, verba *της γϱαπτης ἐικονος ἐν ὁπλῳ*, quae leguntur in decreto Atheniensium, interpretanda esse: *pictae imaginis in clypeo* [e]). Atqui simili modo jam antea Belleyus explicavit verba marmoris Cymaei. EIKONA. ΓΡΑΠΤΑΝ. ΕΝ. ΟΠΛΩ. ΕΝ. ΧΡΥΣΩ, *imaginem pictam in clypeo aureo* [f]). Servierunt igitur hi clypei, ut appensi in locis publicis, privatisve sive ejus,

a) Aen. V. 286. b) L. XXXV. c. 3. c) L. XXV. c. 39. d) Sat. L. II. c. 3. e) de Decret. Athen. c. 26. f) Caylus Rec. d'Ant. Tom. II. p. 188.

quem libuit, repraesentarent imaginem, eamque aut pictam, aut opere exstante, cujus generis fuere clypei Homeri et Virgilii, opus Vulcani, et qualium meminit Plinius [a]), sive ut insertae epigraphes ope illustris cujusdam facti memoria ad posteros duraret. Alter hic modus perfrequens est in moneta imperatorum, Victoria plerumque clypeo inscribente. Vtriusque hujus modi uno loco meminit Philo Iudaeus [b]), quo teste Pilatus Iudaeae praefectus *ἀνατιθησιν ἐν τοις κατα την ἱεροπολιν* Ηρωδου *βασιλειοις ἐπιχρυσους ἀσπιδας, μητε μορφην ἐχουσας, μητε ἀλλο τι των ἀπηγορευμενων, ἐξω τινος ἐπιγραφης ἀναγκαιας, ἡ δυο ταυτα ἐμηνυε, τον δε ἀναθεντα, και ὑπερ ου ἡ ἀναθεσις*, *in regiis aedibus Herodis, quae sunt in urbe sacra, dedicavit inauratos clypeos, nullam quidem offerentes effigiem, aut aliud, quod lege vetitum esset, sed tantum inscriptionem necessariam, qua duo haec intelligerentur, is, qui dedicavit, et in cujus gratiam facta dedicatio.* Clypei Domitiani, quos senatus audita hujus caede in curia detrahi, et solo adfligi jussit, ut narrat Suetonius [c]), haud dubie ejus tyranni vel imagine, vel nominibus fuerunt insignes. His adde, quae nuper eruditi interpretes Antiquitatum Herculanensium de his clypeis collegere [d]).

Caput Augusti laureatum.

CAESAR. AVGVSTVS. *Duo lauri rami* AV. AR. (Mus. Caes.)

Lauri ratio perinde, ac coronae quernae petenda ex iis, quae ad numos gentis Caniniae disserui.

CAESAR. *Caput nudum intra quernam.*

AVGVST. *intra coronam ex pateris, et victimarum craniis contextam, quam gubernaculum in perpendiculum secat.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Typus symbolicus, qui videtur felicitatem per pietatem in deos immortales partam indicare.

AVGVSTVS. *Caput nudum.*

Corona laurea insertis sex navium rostris. AR. (Mus. Caes.)

Typus navalium victoriarum.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

IOVI. OLYM. *Templum 6 columnarum acrostoliis ornatum.* AR. (Mus. Caes.)

Eleganter Pedrusius numum hunc Suetonii verbis illustrat [e]): *Reges amici atque socii --- aedem Iovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumptu destinaverunt, Genioque ejus* (Augusti) *dedicare.*

AVGVSTVS. *Caput nudum.*

L. CANINIVS. GALLVS. IIIVIR. *Cippus, cui inscriptum:* C. C. AVGVSTI. AR. (Morelli in fam. Canin.)

Numum descripsi propterea, quoniam rarum est in hujus Caesaris numis, ex quo Augusti nomen adoptavit, legere praenomen Caji. Explenda enim videtur epigraphe: *Caji Caesaris* AVGVSTI, etsi varios eruditi attulerint ejus explicatus, quos recitat Morellius [f]), et Fabricius [g]), sed quorum nullus satisfacit.

---

a) H. N. L. XXXV. c. 2 seq. b) de Legat. ad Cajum p. 589. c) in Domit. c. 23. d) Lucerne pag. 20. e) Cap. 60. f) Specim. p. 94. g) ad Bandurii Bibl. num. p. 208.

* * *

Exstant adhuc denarii alii cum Augusti capite, et magistratus Romani mentione, qui in familiarum numis descripti jam sunt, neque hic describendi videntur, cum ad Augusti historiam nihil conferant, suntque sequentes:

COSSVS. CN. F. LENTVLVS, in gente Cornelia.

LENTVLVS. SPINT. ibidem.

L. LENTVLVS. FLAMEN. MARTIALIS, ibidem.

* * *

Numi IIIvirorum monetalium cum capite, vel inscriptione Augusti.

Horum complures, cum chronologicam notam obtulere, in annis, ad quos pertinere videbantur, descripsimus. Alios, qui hac carent, dedimus in numis familiarum; ut adeo eos iterum proponere, superfluum sit. Nuda igitur eorum nomina, et in aeneis praeterea numorum ipsorum modos dabimus. In hac autem classe eos tantum IIIviros monetales exhibebo, qui IIIviri ipsum titulum addunt, quosque adeo certo constat, fuisse hoc munere praeditos, quorum sane catalogum nimio auxerunt Vaillantius, et Havercampus, ut jam in prolegomenis ad numos familiarum monui.

IIIviri in denariis cum aureis, tum argenteis.

C. Antistius Reginus.

C. Antistius Vetus. Hujus aliquot numos vide ad annum 738.

L. Aquillius Florus. Vide annum V. C. 734.

L. Caninius Gallus. Vide annum V. C. 734.

M. Durmius. Vide annum V. C. 734.

C. Marius Trogus. Vide annum V. C. 737.

L. Mescinius Rufus. Vide annos V. C. 737, 738.

P. Petronius Turpilianus. Vide annum V. C. 734.

M. Sanquinius. Vide annum V. C. 737.

C. Sulpicius Platorinus. Ejus denarii signati usque ad V. C. 742, nam habent caput Agrippae, qui hoc anno obiit.

L. Vinicius. Vide annum V. C. 738.

IIIviri in aeneis I. formae.

OB. CIVIS. SERVATOS. *Corona querna inter duos lauri ramos.*
(*Nomen IIIviri*) IIIVIR. A. A. A. F. F. *in medio:* S. C.

Q. Aelius Lamia.
C. Asinius Gallus.
C. Cassius Celer.
C. Gallius Lupercus.
P. Licinius Stolo.
C. Marcius Censorinus.
P. Naevius Surdinus.
C. Plotius Rufus.
T. Quinctius Crispinus Sulpicianus.
M. Sanquinius.
Ti. Sempronius Gracchus.

IIIviri in aeneis, formam I. nonnihil excedentibus.

CAESAR. AVGVST. PONT. MAX. TRIBVNIC. POT. *Caput Augusti, cui Victoria retro stans lauream alligat.*

(*Nomen IIIviri.*) IIIVIR. A. A. A. F. F. *in medio:* S. C.

P. Lurius Agrippa.
M. Maecilius Tullus.
M. Salvius Otho.

IIIviri in aeneis II. formae.

CAESAR. AVGVSTVS. TRIBVNIC. POTEST. *addito in aliis:* PONT. MAX. *Caput nudum.*
(*Nomen IIIviri.*) IIIVIR. A. A. A. F. F. *in medio:* S. C.

Q. Aelius Lamia.
C. Asinius Gallus.
Cn. Calpurnius Piso.
C. Cassius Celer.
C. Gallius Lupercus.
A. Licinius Nerva.
P. Licinius Stolo.
P. Lurius Agrippa.
M. Maecilius Tullus.
L. Naevius Surdinus.
Sex. Nonius Quinctilianus.
C. Plotius Rufus.
M. Salvius Otho.
M. Sanquinius.
Volusus Valerius Messalla.

IIIviri in aeneis aliis II. formae.

AVGVSTVS. TRIBVNIC. POTEST. *intra coronam quernam.*
(*Nomen IIIviri.*) IIIVIR. A. A. A. F. F. *in medio:* S. C.

Q. Aelius Lamia.
C. Asinius Gallus.
Cn. Calpurnius Piso.
C. Cassius Celer.
C. Gallius Lupercus.
P. Licinius Stolo.
C. Marcius Censorinus.
L. Naevius Surdinus.
C. Plotius Rufus.
T. Quinctius Crispinus Sulpicianus.
M. Sanquinius.
Ti. Sempronius Gracchus.

IIIviri in aeneis III. formae.

Typi: *Incus.* — *Duae dexterae junctae caduceum sustinent.* — *Simpulum et lituus*, *addito in singulis:* S. C.

Lamia *Aeliae.* — Annius — Apronius — P. Betilienus Bassus — Pulcher *Claudiae* — Sisena *Corneliae* — Regulus *Livineiae* — C. Naevius Capella — C. Rubellius Blandus — Silius — Taurus *Statiliae* — L. Valerius Catullus.

Divus Augustus.

Augustum adhuc vivum numinis vice habitum, certa fide constat, atque istud ei vulgo exprobratum, refert Tacitus [a]): *nihil deorum honoribus relictum, cum se templis, et effigie numinum per Flamines, et sacerdotes coli vellet.* Quin et Appianus narrat [b]), eum victo Sex. Pompeio, et abdicato Lepido *oppidatim inter deos tutelares fuisse consecratum.* Habuisse eum adhuc vivum super aras ac templa suum etiam Flaminem et sacerdotes, quod jam memorasse vidimus Tacitum, demonstrat Cenotaphium Pisanum a Norisio illustratum, et vivo adhuc Augusto positum, in quo proditur *T. Statulenus Iuncus Flamen Augusta-*

a) Ann. I. 10. b) B. C. L. V. c. 132.

lis. In marmore quodam Praenestino legitur *Cn. Pontius Rusticus Flamen Caesaris Augusti* a). Reliqua monumenta, quae Augusto vivo honores divinos adstruunt, proferam infra, cum de patria numorum ROM. ET. AVG. inscriptorum agam. At non minus verum, Augustum honores divinos, quos decerni sibi in provinciis passus est, in urbe non admisisse, cujus rei auctor locuples est Suetonius b): *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere, in nulla tamen provincia, nisi communi suo Romaeque nomine recepit; nam in urbe quidem pertinacissime abstinuit hoc honore.* Dio item refert, istud in provinciis quidem, at neque Romae, neque per Italiam tentatum c). De Roma istud verum, quod confirmatur etiam numis, qui honores divinos vivo delatos nullos offerunt, at non perinde de Italia, aliud docentibus monumentis, quae adduximus. Ex quo apparet, omnium maxime aberrarare Aur. Victorem, qui non in provinciis modo, sed etiam *Romae vivo mortuoque templa, sacerdotes, et collegia sacrata perhibet.*

Augustum mortuum consecrari demum a senatu ipso necesse fuit, cum eam vesaniam jam instituerit in patre Iulio, ejusque pro se, et successoribus exemplum fundaverit, quamobrem eum Silenus salse κοροπλαϛὴν, *pupparum effictorem*, appellat d), nimirum qui tot novos, ac ridiculos coeli incolas finxisset. Augustum inter immortales deos receptum, affirmat Dio e), constitutis ei Flaminibus cum sacris, et sacerdote Livia. Et Tacitus f): *Idem annus* (V. C. 767.) *novas caerimonias accepit addito sodalium Augustalium sacerdotio - - - sorte ducti e primoribus civitatis unus et viginti. Tiberius, Drususque, et Claudius, et Germanicus adjiciuntur.* Decretum hunc honorem die XVII. Septembris, probatur ex Kalendario Amiternino, in quo ad hunc diem: *Fer. ex S. C., quod eo die divo Augusto honores coelestes a senatu decreti Sex. Apuleio, Sex. Pompeio cos.*

In numis Romanis constanter valuit DIVVS, at extra Romam in consecrationis numis etiam DEVS. Sic in numis Tarraconis: DEO. AVGVSTO, pro quo apud Graecos positum ΘΕΟΣ, quanquam et hi ne vivis quidem hanc appellationem saepe negavere, quod argumentum latius persequemur in tractatu de numis consecrationum. In unico Gallieni numo commatis Romani, quem mox infra dabimus, Augustus dicitur DEVS. Ad Augusti consecrationem pertinent etiam *luci* ei per provincias dicati, de quibus egi ad numum Iubae II. Mauretaniae regis inscriptum: LVCV. AVG. Nimirum teste Servio g). *Vbicunque Virgilius lucum ponit, sequitur etiam consecratio.*

Augusti consecrationem comprobant numi frequentes, non modo a successore Tiberio, sed per plura deinceps imperia signati, quos modo pro temporis ordine describemus:

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. *Caput radiatum.*

a) Foggini Fasti Verrii p. XIV. b) Cap. 52. c) L. LI. §. 20. d) Caess. Iulian ap. Spanh. p. 248. e) L. LVI. §. 46. f) Ann. I. 54. g) ad Aen. I. 441.

PAX. *Mulier stans d. ramum oleae, s. cornucopiae.* AV. (Morelli.)

Alium argenteum cum *Concordia sedente* idem recitat.

DIVVS. AVGVSTVS. PATER. *Caput radiatum.*

S. C. *intra coronam quernam.* AE. II. (Mus. Caes.)

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. PATER. *Caput radiatum, prae quo fulmen, supra caput astrum.*

S. C. *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Hunc credo numum respexerit Lucanus, quando prognatos ex bellis civilibus hujus naturae deos sic perstringit [a]):

Bella pares superis facient civilia divos,
FVLMINIBVS manes, RADIISQVE ornabit, et ASTRIS,
Inque deum templis jurabit Roma per umbras.

In aversa hujus numi proponi Iuliam Augusti uxorem, patebit ex numis hujus Augustae.

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. S. C. *Caput radiatum.*

CONSENSV. SENAT. ET. EQ. ORDIN. P. Q. R. *Signum Augusti sedentis d. ramum, s. globum, vel pateram tenentis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numus D. Augusti statuam omnium ordinum consensu decretam proponit, quales plures erectas ejus mortui honori refert Dio [b]). Inscribuntur tres Romanorum ordines secundum dignitatis legem, *Senatus, eques, Populus.* Alium ordinem statuit Plinius [c]): *Ab illo tempore* (Ciceronis consulatu) *plane hoc tertium corpus* (equitum) *in rep. factum est, coepitque adjici senatui populoque Romano et equester ordo. Qua de causa et nunc post populum scribitur, quia novissime coeptus est adjici.* Apud poetas ordinem aut invertit, aut turbavit metri necessitas, ut apud Martialem [d]):

Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus.

Et apud Ovidium [e]):

Sancte pater patriae, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques.

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. P. P. *Caput Augusti laureatum.*

Sine epigraphe. Templum multis columnis, et statuis conspicuum, intra quod figura sedens d. pateram, s. cornucopiae, epistylio inscriptum: S. P. Q. R. AE. max. mod. (Beger Thes. Br. Tom. III. p. 87.)

Narrat Dio [f]), *Augusto a senatu decretum heroum, quod subinde exaedificavere Livia et Tiberius.* Sed erunt forte, quibus hoc numisma suspectum videbitur, partim quia haec aetas numos maximae formae commatis R. nondum tulit, partim quia nimis multi numi haud dubie spurii cum simili typo templi circumferuntur. Eadem aversa est etiam in numo Tiberii, quem describam ad annum V. C. 763, sed qui non minus

---

a) L. VII. v. 457. b) L. LVI. §. 34. c) L. XXXIII. §. 8. d) L. VIII. ep. 15.
e) Fast. II. 123. f) L. LVI. §. 46.

spurius videtur. Vide, quae ibi notabimus.

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. PATER.
Caput radiatum.
S. C. *Templum rotundum, hinc et illinc basis, quarum singulis quadrupes insistit.* AE. II. (Mus. Caes.)

Sacrarium Romae D. Augusto aedificatum a Tiberio, domumque Nolae, in qua decessit, in templum mutatam refert Dio [a]). Plinius [b]): *In Palatii templo, quod fecerat D. Augusto conjux Augusta.* Proponitur illud in numis Caligulae, serius in numis Antonini Pii inscriptis: TEMPLVM. DIVI. AVG. REST. Bina animalia, quae hinc et illinc comparent, et ab aliquibus pro bove et ariete habentur, eleganter a Patino explicantur, citatis versibus Prudentii [c]):

Hunc morem veterum docili jam aetate secuta
Posteritas mensa atque adytis, et Flamine et aris
Augustum coluit, VITVLO placavit, et AGNO,
Strata ad pulvinar jacuit, responsa poposcit.
Testantur tituli, produnt consulta senatus
CAESAREVM Iovis ad speciem statuentia TEMPLVM.

Vituli ad Augusti aram mactati meminit quoque marmor Gruterianum [d]).

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. PATER.
Caput radiatum.
S. C. *Fulmen.* AE. II. (Mus. Caes.)

Paullo supra fulmen juxta Augusti caput vidimus. Iovis igitur attributum cum Augusto suo communicavere Romani. Minus istud in Augusto mortuo mirum, si verum est, quod refert Dio [e]), Romanos eo adolationis provectos, ut Caesari dictatori adhuc vivo *Iovis Iulii* cognomen impertirent. In numo Turiasonis Hispaniae D. Augustus fulmen, ut Iupiter, manu tenet.

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. PATER.
Caput radiatum.
IOVI. DEO. S. C. *Templum 4 columnarum.* AE. II. (Patin Impp.)

Conjectura, inscriptione aversae indigitari ipsum Augustum, ex praecedentibus verisimilis fit.

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. PATER.
Caput radiatum.
S. C. *Aquila alis expansis globo insistit.* AE. (Mus. Caes.)

Aquila vel solitum est consecrationis symbolum, perhibente nimirum Dione [f]), ex succenso Augusti rogo emissam aquilam sursum evolasse, quo de ritu alibi ex proposito agetur, vel tanquam Iovis attributum, perinde ac fulmen, Augusto tribuitur.

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. PATER.
Caput radiatum.
S. C. *Victoria stans clypeum tenet, cui inscriptum:* S. P. Q. R. AE. II. (Morelli.)

Hic typus frequentius occurrit in numis Augusti a gente Flavia restitutis.

---

a) L. LVI. §. 46. b) L. XII. §. 42. c) Contr. Symmach. L. I. d) pag. 228. n. 8.
e) L. XLIV. §. 6. f) L. LVI. §. 42.

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. PATER. *Caput radiatum.*
PROVIDENT. S. C. *Ara.* AE. II. (Mus. Caes.)

Veteribus artis nostrae magistris creditum, numos hos vivo adhuc Augusto fuisse signatos, et typo aversae exhiberi Iani templum, quo nimirum Caesar sua PROVIDENTIA clauso pacem ubique terrarum peperisset. Essent igitur numi hi cusi V. C. 725, ut opinatur Pighius in Annalibus ad annum sibi 724. At enim signatos eos mortuo Augusto, abunde loquitur antica, non esse vero Iani templum, satis comprobat numus singularis, atque unicus I. Caesaris, quem supra in numis D. Iulii ex Pellerinio descripsi, qui huic numo simillimus est, nisi quod in antica legitur: DIVOS. IVLIVS. CAESAR. At constat, hunc dictatorem Iani templum nunquam clausisse. Est ergo ara, non modo ejus forma istud docente, verum etiam quod in dicto Iulii numo ignita est. Numos simillimi argumenti dedere etiam Emeritenses Lusitaniae.

* * *

DIVVS. AVGVSTVS. S.C. *Caput radiatum.*
SIGNIS. RECEPTIS. S. P. Q. R. *Clypeus votivus, cui inscriptum:* CL. V., *hinc aquila legionaria, illinc signum militare.* AE. II. (Mus. Farnes. Tom. VIII.)

Novere Romani, quanta Augustum laetitia adfecerint signa militaria a Parthis incruente recepta. Quare et ab ejus obitu facti hujus memoriam hoc signato numo renovavere. Numos hujus argumenti socios vide ad annum V. C. 734.

* * *

Qui sequuntur, imperatorem praeterea, a quo signati sunt, nobis indicant.

TIBERIVS.

DIVOS. AVGVST. DIVI. F. *Caput laureatum, in aliis nudum, imminente superne astro.*
TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. *Caput Tiberii laureatum.* AV. (Mus. Caes.)

Astrum hic consecrationis nota est, quale etiam supra in aeneo vidimus, estque sidus Iulium Augusto a patre hereditarium; quare ei illud adhuc vivo applicat Virgilius [a]):

Stans celsa in puppi, geminas cui tempora flammas
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.

* * *

DIVO. AVGVSTO. S. P. Q. R. *Augustus capite radiato d. extensa ramum, s. hastam sedens in thensa a 4 elephantis tracta, quibus singulis suus rector insidet.*
TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. (*adduntur varii numeri:* XX. XXIII. XXXVI. XXXVII. XXXIIX.) *in medio:* S. C. AE. I.

His quadrigis fuisse Augustum post mortem honoratum, adfirmat Suetonius [b]): *Aviae Liviae divinos honores, et Circensi pompa currum elephantorum Augustino similem decernendum curavit.* Etiam Dio meminit elephantorum, qui Augusti currum agebant [c]).

a) Aen. L. VIII. 680. b) in Claud. c. 11. c) L. LXI. §. 17.

* * *
DIVVS. AVGVSTVS. PATER. *Augustus sedens eodem cultu, sed sine thensa, juxta ara, vel mensa.*
Eadem aversa, sed TR. POT. XXIIII. AE. I. (Mus. Caes.)

Hunc numum explicatum vide in Tiberio ad annum V. C. 775.

* * *
DIVO. AVGVSTO. S. P. Q. R. *Clypeus, quem ambit corona, cui inscriptum:* OB. CIVIS. SER., *inferne duo capricorni, et globus.*
Eadem aversa, sed TR. POT. XXXVIII. *vel* XXXIIX. AE. I. (Mus. Caes.)

DRVSVS IVNIOR.

Numum vide in hujus moneta.

GERMANICVS.

Argenteum et aeneum vide in hujus numis.

CALIGVLA.

Ejus numi aurei sistunt caput Augusti radiatum adstituto in nonnullis hinc et illinc astro. Aeneos cum templo Augusti addito DIVO. AVG. in ejus numis describam.

CLAVDIVS.

DIVVS. AVGVSTVS. S. C. *Caput radiatum.*
DIVA. AVGVSTA. *D. Iulia sedens d. spicam, et florem papaveris, s. facem.* AE. II. (Mus. Caes.)

Hic numus ante Claudium signatus non est; nam ab hoc primum consecratam constat Liviam, seu Iuliam.

NERO.

Exstat ejus numus aureus, in quo AVGVSTVS et AVGVSTA stantes exhibentur, de quo vide ejus numos.

GALBA.

DIVVS. AVGVSTVS. *Caput radiatum.*
HISPANIA. *Mulier stans d. spicas, s. clypeum Hispanicum cum binis hastis.* AV. (Morelli.)

Hunc numum ad Galbae aetatem pertinere contra Schlegelium in Galbae numis docebo, consentiente etiam Florezio [a]). Eadem aversa est etiam in aureo Vespasiani, quem vide in hujus numis vagis.

GALLIENVS.

DEO AVGVSTO. *Caput laureatum.*
GALLIENVS. AVG. *Caput laureatum.* AV. (Morelli Specim. p. 75.)

IMPERATOR. INCERTVS.

DIVO. AVGVSTO. *Caput radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila.* AR. (Mus. Caes.)

Alius, sed: *Ara ignita.* AR. (Mus. Caes.)

Vterque hic numus, quod multum vilioris metalli admixtum habet, et despectae est fabricae, multo serius signatus est. Habentur id genus numi ple-

a) Tom. I. p. 111.

rorumque consecratorum imperatorum usque ad Alexandrum Severum. Variant eruditorum sententiae, sintne signati imperante Philippo, an Treboniano, an Gallieno, cujus rationes dissensus adcurate exponam in tractatu de numis Consecrationum.

Numi restitutionum.

CAESAR. AVGVSTVS. DIVI. F. PATER. PATRIAE. *Caput laureatum.*

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Crocodilus.* AV. (Morelli.)

Hanc anticam cum aversa conjungit Schlegelius [a]), et ex indicio Harduini cl. le Beau in sua dissertatione de numis restitutis. Morellius ipse more suo unam aversam stitit. Quod si numus revera talis est, necesse est, eorum archetypa signata fuisse inde ab anno V. C. 752, quo *patris patriae* titulum abstulit Augustus. Verum haec ipsa archetypa nondum sunt conspecta, neque habemus numum ullum cum capite Octaviani jam Augusti, qui *Aegypti captae* memoriam renovaret. Plus fidei meretur Havercampus, in cujus numo aureo epigraphe anticae est: CAESAR. DIVI. F. Restituisse Trajanum argenteos inscriptos AEGYPTO. CAPTA, typo crocodili, alibi diximus.

DIVVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GERM. DAC. P. P. REST. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AV. (Morelli, Mus. Farnes.)

Hujus quoque numi archetypon desideratur. Typus aversae restituta a Parthis signa recoquit.

* * *

Numos Augusti argenteos, aeneosque, in quibus produntur restitutores Titus, Domitianus, Nerva, Trajanus, jam descripsimus in tractatu de numis restitutionum, quem dedimus in Prolegomenis ad numos familiarum capite XVII.

Tesserae.

Exstant numi aenei III. formae, qui hinc caput Augusti, illinc varios numeros offerunt, quos eruditi passim tesseras, aut his aliquid adfine putant. De his ex proposito agetur in tractatu de pseudomoneta.

Numi commatis peregrini.

Horum insignis est copia a variis urbibus Graecis, tum regibus Thraciae, Ponti, Bospori, Iudaeae, et variis in coloniis signatorum, qui suis locis descripti exstant. Hoc tamen loco commemorandi ii, qui, quia patriam suam reticent, vel, quorsum pertineant, non satis manifestant, nusquam aptius consistunt.

Nomina Augusti sunt in numis Graecis: ΚΑΙΣΑΡ, vel ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Haec cum solitarie ponuntur, fere semper Augustum nostrum indicant, nam sequentes imperatores aliud sibi proprium addidere, ut: ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙΣΑΡ, vel ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ, conjuncto saepe etiam utroque nomine ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. In unis numis

a) Ad Impp. Morellii T. I. p. 94.

Ascalonis, et Gazae Iudaeae urbium observo, solum nomen ΣΕΒΑΣΤΟΥ dari aliis etiam imperatoribus, idque usque ad Hadrianum. Pro Graeco ΣΕΒΑΣΤΟΣ non raro ponitur ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, praecipue in numis inclinantis imperii.

Numos Alexandrinos vide in moneta Aegypti.

Numi Graeci urbis, vel regionis incertae.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ *intra lauream.*
ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Ara inter duos lauri ramos.* AE. III. (Mus. Caes. Morelli tab. XLVII.)

Qui Havercampi auctoritate niti volet, numum hunc Antiochiae Syriae tribuet a).

ΚΑΙΣΑΡ *intra quernam.*
ΣΕΒΑΣ. *Navis prora, supra quam* K. AE. III. (Morelli l. c.)

Havercampo indubitatum videtur, numum hunc in Corcyra signatum b). Facile in ejus descenderem sententiam, si prora non esset obvius aliarum urbium typus, et litera K non posset perinde aliud significare, et si haberemus hujus aetatis alios certos Corcyrae numos. Interea viri eruditi judicium non plane repudiandum videtur.

ΚΑΙΣΑΡ. *Caput laureatum.*
ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Luna, et astrum.* (Mus. Caes. Morelli l. c.)

Havercampo hic numus propter typum similem Byzantium referendus videtur c), quae sententia minus tuta.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput nudum.*
ΚΑΙΣΑΡ. *Simpulum, urceus, securis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Antica incerta.
CЄBACTOC. *Capricornus.* AE. II. III. (Morelli tab. XLII. et XLVII.)

Nimium vagi sunt utriusque numi typi, quia ad unum Caesarem pertinent.

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput nudum.*
ΠΛΑΤΩΝ. *Caput Platonis philosophi.* AE. II.

Est apud Morellium tab. XLI. n. 25, in Miscellaneis Sponii p. 140, in Spanhemii Caess. Iuliani p. 6. Eum etiam Patinus singulari dissertatione illustravit, quae exstat in Gronovii Antiq. Graec. Tomo IX., si modo illustrare est, Platonis vitam, instituta, praecepta recoquere, nulla facta mentione eorum, quae ad numum ipsum, ejusque verisimilem patriam pertinent.

Antica incerta.
ΚΑΙΣΑΡ. *Templum rotundum quatuor columnarum, intra quod aquila legionaria.* AE. II. (Morelli tab. XLII. n. 7.)

Templum est Martis Vltoris. Satis vel ex hoc numo apparet, urbes Graecas etiam typis Romanis in moneta sua usas.

Numi coloniarum incertarum.

Caput Augusti nudum.
M. EGN. Q. OCT. IIVIR. S. P. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Morelli tab. XXXIII.)

Exstant etiam numi Tiberii cum lite-

a) Ad Morell. Impp. T. I. p. 457. b) l. c. c) l. c.

ris P. S. S. C. Varios hos numos descripsi adcurate in moneta Carthaginis, quam vide, etsi certum non sit, eos huc pertinere.

IMP. CAESAR. *Caput nudum.*
I. S. P. D. V. S. P. IIVIR. C. I. C. P. *in medio:* P. P. D. D. AE. II. (Morelli ibid.)

Similes numos complures recitavi item in moneta Carthaginis, in qua conjecturas meas proposui.

CAESAR. AVGVSTVS. *Caput nudum.*
Q. TERENTIO. CVLLEONE. PROCOS. *Caput Apollinis laureatum.* AE. II.

Vide, quae de hoc numo disputavi in familia Terentia.

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput laureatum.*
C. VAR. RVF. SEX. IVL. POL. IIVIR. Q. *Instrumenta pontificalia.* AE. II. (Morelli tab. XXXIII.)

Conjicit Florezius, hunc numum Carthagini Novae tribuendum [a]).

AVG. *Caput Augusti nudum.*
Colonus arans. AE. III. (Mus. Caes.)

IMP. CAESAR. AVGVTSVS. *Caput nudum.*
COL. IVL. *in aliis addito* AVG. *Colonus arans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hos numos videri tribuendos Beryto Phoenices, dixi in moneta hujus coloniae.

Numi incerti alii.

Numos inscriptos: S. CATO. PR. vel PALIK. PR., ac similes descripsi in numis Cyrenaicae, quorsum videntur pertinere.

Numos, in quorum aversa est C. A. intra lauream, ante Pellerinium Caesaraugustae Hispaniae tributos, recitatos vide in Caesarea Paniade Trachonitidis.

Iudicium
de variis Augusti numis, sintne commatis Romani, an peregrini.

Videmus passim ab antiquariis numos plerosque omnis metalli, qui imperatoris caput exhibent, modo Latine inscripti sint, aut coloniae indicium, proconsulisve mentionem non offerant, Romanam monetam, seu in urbe percussam existimari. Alia mihi mens, cui plane persuasum est, magnam eorum partem provinciis exteris deberi. Cum de horum compluribus istud certum sit, cur non idem quoque judicium ferri possit de aliis tum, cum fabrica, metallum, volumen, aliaeque peristases ejus fidem faciunt? Rem uno tantum ut exemplo confirmem, quae caussa suasit antiquariis, ut numos Augusti, aliorumque, in quorum aversa comparet S. C. coronae quernae, vel laureae inclusum, esse in Syria cusos statuerent? Sane nota S. C. suadebat potius, eos Romanam monetam profiteri. Tamen quod fabrica essent a Romana multum diversa, compertum est, eos exterae regioni tribuendos. Quod ad ferendum de his numis judicium valuit, valere etiam ad alios debere nemo negaverit, quando in iis eadem, aut similis ratio deprehenditur. Nequaquam vereor, ne ea, quae hic disseram,

a) Medall. de Esp. T. II. 652.

saltem potiore sui parte minus probentur iis, qui longo usu didicere, de numorum patria ex eorum modo, ac cultu arbitrari, quod judicium nullis praeceptis acquiri potest, sed tractandis componendisque varii generis numis denique obtinetur. Quo in examine ut ordine procedam, controversos Augusti numos secundum metallum, et varias magnitudines in judicium vocabo, sic tamen, ut nolim eorum pertinacius impugnare sententiam, quibus justae in nonnullis aliter sentiendi causae praesto erunt. Atque ut principio ambiguum omne tollatur, ajo, me nomine *commatis Romani* intelligere monetam illam, quae seu a principibus Romanis in urbe, vel extra eam ab eorum praefectis, seu in urbe senatus R. auctoritate signata est; nomine *commatis peregrini* eam, quam provinciarum urbes auctoritate propria, vel secundum concessa sibi a Romanis jura quacunque de causa cuderunt.

* * *

Numi aurei: sunt hi omnes in moneta Romana solito volumine, pondere, ac modo, dempto uno maximi moduli, quem supra ad annum V. C. 759 exhibui, qui, cum unicus sit, materiam justam praesenti disputationi non sufficit.

* * *

Numi argentei monetae Romanae denariorum, aut quinariorum modum habent. Sunt tamen etiam ex hoc metallo non pauci Augustei maximae formae, quos utrum credi possit in urbe signatos, jure potest dubitari. Nam primum juxta vetus institutum experientia insuper comprobatum Romanorum moneta argentea denariis, quinariis, sestertiis constabat; per Graeciam autem, et Asiam non paucos argenteos majoris formae cum imperatorum capite lingua in aliis Graeca, in aliis Latina fuisse signatos, probant numi urbium Cretensium, Cistophori Asiatici, numi Antiochiae Syriae, Alexandriae Aegypti etc. Deinde suppetunt indicia alia non aspernanda, numos similes in urbibus Graecis fuisse signatos. Placet inquirere in numos hujus generis, quos Morellius in una eademque Augusti tabula XIII. confertos proposuit. Ex his numus V. inscriptus: COM. ASIAE. typo templi hexastyli in Asia certo cusus est, ut pluribus docui supra ad annum V. C. 735. Postremum numero XI. et inscriptum: PAX esse verisimiliter partum Asiae proconsularis, supra pagina 83 ostendi. Ara cum duobus cervis in numo III. non obscure Dianam Ephesiam arguit. Fasciculus sex spicarum in numo IV. typus est in Romanorum moneta insuetus; at eum passim offerunt numi Aegyptii, et aliarum Graeciae Asiaticae urbium, et revera Vaillantius in numis Trajani tetradrachmum citat cum eodem typo, et inscriptum Graece [a]). Eundem typum videbimus infra in numo medii aeris Latine quidem inscripto, sed cum nota S. C. absit, jure arguo, eum extra Romam prognatum. Exstant etiam similia tetradrachma cum capite Nervae, quae ipse Vaillantius praeco pronunciare audet signata Alexandriae Aegypti

a) Num. praest. T. II. p. 128 edit. Rom.

Numi I. et II. typo Sphingis, et capricorni Augustum proxime contingunt. Lectus igitur est ab urbibus Graecis ad captandam principis benevolentiam, quam ob causam ab ejus quoque aetatis Thraciae, Commagenes, et Parthiae regibus capricornus monetae illatus est. Eodem fine Augusti praeclara facta, quae in reliquis numis proponuntur, urbes Graecae signavere, ac praecipue famigeratam illam signorum Parthicorum restitutionem, quod nolim per conjecturam tantum adsertum credi, nam supra inter numos Graecos incertarum urbium pag. 131 numum similis argumenti protuli.

Iure ergo hanc mihi videor posse stabilire legem, argenteos maximi moduli in urbe signatos non esse, argento solis denariis, et quinariis contento, sic ut si qui justum denarii pondus excedunt, non verear, in peregrina illos moneta putare, atque istud non modo observatum superiore imperatorum aevo (nam aevo inferiore alia monetae Romanae ratio valuit) sed etiam stante republica, ut monui in tractatu de numis consularibus capite VI. Et vero tetradrachmum semper tum exteram monetam fuisse habitum, docet Volusius Maecianus: *Victoriatus nunc tantundem valet, quantum quinarius olim, et peregrinus numus loco mercis, ut nunc TETRADRACHMVM* et *DRACHMA, habebatur.*

* * *

Numi aenei. De moneta aenea hujus aetatis haec ex numis ipsis comperimus. Imperante I. Caesare cum hujus capite, aut epigraphe moneta aenea in urbe signata non est, ut in hujus numis diximus. Habemus deinde numos cum capite, et inscriptione Octaviani nondum Augusti, quos descripsi supra pag. 80, verum de his dubitare liceat, sintne revera commatis Romani, ut mox infra disputabo. Videtur ergo mos aeneam monetam imperatoris capite insigniendi primum sub Octaviano tandem Augusto invectus; nam cum hujus capite, vel saltem epigraphe copiosos habemus aeneos I. et II. formae, ex quibus ii, qui certe in urbe cusi sunt, notam S. C. non omittunt. Nam tum, ut numi aperte loquuntur, transactum est inter Augustum, et senatum, ut jus feriundi auri et argenti penes principem, et aeris penes senatum esset, quod constante lege usque ad Gallienum deinceps est retentum, de quo instituto alibi egimus [a]). Quicunque ergo aenei notam S. C. inde ab hoc tempore omittunt, omnes illi, demptis paucissimis, officinae exterae partus sunt habendi. Et sane oculus tractandis numis eruditus deprehendet in singulis aliquid a monetae R. fabrica, volumine, metalli vel colore, vel crassitie, typis, inscriptionis modo abludens. Primum igitur in judicium veniant.

Aenei maximi moduli. Hac aetate numi hujus formae, etiam commatis peregrini, perrari sunt. Quinque solum ejus generis demptis Contorniatis reperit Morellius, eosque delineatos stitit tabula XXIII. Ex his secundus, in quo S. C. intra quernam, est Antiochiae Syriae, vel vicini tractus, ter-

---

a) Vol. I. Proleg. gen. cap. XIII.

tius, in quo C. A. intra lauream, verisimiliter Caesareae Augustae Trachonitidis, quartus et quintus Caesaraugustae, et Patriciae coloniarum Hispaniae. De primo forte dubitabunt aliqui, quem propterea hic describam subjectis observationibus, ut spero, non inutilibus.

CAESAR. PONT. MAX. *in aliis:* CAESAR. AVGVSTVS. DIVI. F. PATER. PATRIAE. *Caput laureatum.*

ROM. ET. AVG. *Ara inter duas Victorias basi insistentes.* AE. max. mod. vel I. II. III. formae.

Antiquarii disserentes de numis his, qui omnibus in museis obvii sunt, et cujus generis postremus cum capite Neronis est in museo Caesareo, in varias abiere sententias. Ne incassum longior sim, satis esto eorum, qui nostram aetatem propius contingunt, Schlegelii, et Havercampi judicia referre [a]). Vtrique indubitatum est, omnes hos numos signatos Romae, at discrepant in designanda eorum publice signatorum causa.

Schlegelius censet, ex his numis satis probari, vivo etiam Augusto in urbe dedicatam aram, et templum, et factum istud circa annum V. C. 741, cum in numo Augustus jam PONT. MAX. dicatur, quin ex Sex. Rufo regionem quoque nominat, in qua sacrae illae aedes stetere. At enim Augusto, quamdiu in vivis erat, nullos honores divinos habitos in urbe, procul dubio est, cujus argumenta, jam supra ad numos DIVI Augusti proposita, hic repetere non vacat. Ergo vivo Augusto numi hi in ipsa urbe feriri non potuere. Haec ipsa argumenta cum invicta viderentur Havercampo, cumque ex Suetonio, aliisque constet, Augusto in provinciis passim aras et templa fuisse constituta, censuit, senatum R. hoc typo servientium populorum in principem studium voluisse testari, non tamen indicari cultum divinum principi in urbe decretum.

At vero si modo statuamus, omnes hos numos extra urbem in provincia quapiam fuisse cusos, necesse non erit, aut cum Schlegelio contra dignissimorum fide historicorum auctoritatem temere adserere, Augustum jam vivum Romae consecratum, aut cum Havercampo dictum effugium comminisci. Argumenta autem cusae foris hujus monetae habeo non pauca, eaque validissima, I. Augustus divinum sui cultum, quem in urbe fieri vetuit, extra eam liberaliter admisit. Ex innumeris testimoniis, quae proferre longum foret, nonnulla, quae in promptu habeo, proferam. Suetonius [b]): *Provinciarum pleraeque super templa, et aras ludos quoque quinquennales paene oppidatim constituerunt.* Adde testimonia Taciti, et Appiani supra ad DIVI Augusti numos recitata, ex quibus partim apparet, ei hos honores profligato Sex. Pompejo, atque adeo satis mature habitos. Aram Augusto apud Tarraconem erectam, ejusque super ea salsum dictum jam memoravimus in moneta hujus urbis. De Lugduno audiendus Strabo [c]). *Templum ab omnibus communi nomine Gallis decretum Cae-*

a) Ad Morellii Impp. T. I. p. 335 et 341. b) Cap. 59. c) L. IV. p. m. 292.

sari Augusto ad hanc urbem ad concursum fluviorum est positum. Illud aram habet memorabilem cum inscriptione gentium LX. numero, et imagine singularum, item aliam magnam. Aram hanc dedicatam fuisse V. C. 744, tradit Suetonius a), sed Dio jam biennio ante Lugduni ad aram Augusti festum diem celebratum docet b). Livius insuper creatum sacerdotem C. Iulium Vercondaridubium Aeduum memorat c). Arae Narbone Martio erectae meminit etiam epigraphe Gruteriana d). Quapropter licuit Ovidio canere e):

Templa Quirinus
Liber, et Alcides, et modo Caesar habent.

Sed quod numos praesentes propius contingit, jam supra ad annum V. C. 735 plura attuli testimonia, per provincias *Romae* simul *et Augusto* passim templa fuisse dedicata. His addo inscriptionem, quae hodieque legitur Polae in Istria fronti aedium inscripta: ROMAE. ET. AVGVSTO. CAESARI. DIVI. F. PATRI. PATRIAE f). Herodem M. Caesareae Palaestinae ἀγαλματα το μεν Ρωμης, το δε Καισαρος constituisse, perhibet Fl. Iosephus g). Insigne illud templum, quod Mylasenses Cariae exstruxere, et cujus epistylio in hunc diem inscriptum legitur: Ο. ΔΗΜΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΘΕΟΥ. ΥΙΩΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΜΕΓΙΣΤΩ. ΚΑΙ. ΘΕΑΙ. ΡΩΜΗΙ. h), viventi utique adhuc Augusto, eique sociato Romae cultu est dedicatum. In marmore Cymes Aeolidis, quod edidit comes Caylus i), dicitur Polemon sacerdos ΤΑΣ. ΡΩΜΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΘΕΩ. ΥΙΩ. ΘΕΩ. ΣΕΒΑΣΤΩ. Ergo et Cymaei habuere templum Romae, et Augusti adhuc vivi, et in hoc marmore insuper ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ, ut in numis Pergamenis, appellatur. II. Praestita haec utrique numini veneratio ipsis etiam numis extra urbem haud dubie cusis est consignata. Supra ad annum V. C. 735 descripsi numum, qui exhibet templum a COM*muni* ASIAE. ROM*ae* ET. AVGVST*o* erectum. Nemo credo inficiari volet, perinde ac templum in ipsa Asia constitutum indicatur, ita et numum ipsum in Asia signatum. Ergo et his, de quibus agimus, numis diversa ab Roma ipsa patria inquirenda. III. Si numi hi essent in urbe signati, non abesset nota S. C., quae in numis aeneis certi commatis Romani sub Augusto cusis abesse nunquam solet. IV. Sunt ex numis hujus argumenti complures maximae formae, at hujus aevi numi Romae signati tanti voluminis non sunt, quantum tamen non pauci in Hispanicis, aliisque coloniis percussi praeferunt. V. Paucissimos habemus numos aeneos I. formae commatis R., in quorum antica sculptum esset Augusti adhuc vivi caput, de quo mox agetur infra. Nullo ergo pacto verisimile, monetarios in feriundis id genus numis voluisse ejus aetatis morem quacunque ex causa placitum infringere. Denique VI. si consulatur eorum fabrica ipsa, facile perspiciet

a) In Claud. c. 2. b) L. LIV. §. 32. c) in Epitom. L. 137. d) pag. 229. e) Amor. L. III. el. VIII. v. 51. f) Pocock descript. Orient. T. III. §. 425. g) Antiq. L. XV. c. 13. h) Chishull Ant. Asiat. p. 207. i) Rec. d' Ant. T. II. p. 189.

oculus tractandis numis adsuetus, eam nimio differre ab illa, quae opus Romanum continuo solet distinguere. Sane in museo Caesareo exstat id genus numus cum capite Neronis fabricae tam barbarae, et literis aversae tam hiulcis, ut nullo pacto verisimile videri possit, eum in urbe lucem vidisse.

Esse igitur numos hos omnes ex urbe amoliendos, nemo credo jam ambiget. At minus tutum urbem statuere, quae hanc mercem parturivit; nam Augusti cultus, ut hactenus videre licuit, ad omnes orbis R. provincias valuit. Expensis omnibus liceat demum conjicere, eos Lugduno Galliae natales suos debere. Suadet istud ejus oppidi hoc aevo celebritas summa, in qua Augustus ipse complures annos substitit, ut turbis Germanicis ex propinquo invigilaret, saepe etiam Tiberius, ac Drusus, ut taceam Claudium Aug. in hac urbe natum. At vero praecipua causa hos Lugduno numos tribuendi est conspicua in his numis ipsa Augusti ara, peculiari cum religione, et secundum Strabonem totius Galliae nomine consecrata, sic ut dies, quo haec solennia peragebantur, in perpetuum festus esset, qui mos Dionis adhuc aevo obtinuit. Ad eam vivo adhuc Augusto convenisse quotannis eodem die festo Galliae primores ad concipienda vota, eodem loco narrat Dio [a]). Neque deerat urbi officina monetaria; nam teste Strabone [b]) a praefectis Romanis aurea ibi, et argentea moneta excudebatur. Admodum igitur verisimile, occasione diei ejus festae signatos tum hos numos, atque in vulgus missos. Ad idem Lugdunum verisimile est pertinere inscriptionem apud Muratorium [c]), in qua C. Iulius dicitur SACERDOS. ROMAE. ET. AVGVSTO. AD. ARAM. QVAE. EST. AD. CONFLVENTEM, nempe Rhodani, et Araris, juxta quem hanc aram stetisse ex Strabone vidimus, ut et consentit Mahudelius, qui in citatam inscriptionem ponti apud Santones insertam commentatus est [d]).

* * *

Aenei I. formae. Sunt obvii cum nomine IIIviri monetalis, sic ut in una parte sit: OB. CIVIS. SERVATOS intra quernam, in altera S. C. in medio numi. In solis numis P. Lurii Agrippae, M. Maecilii Tulli, et M. Salvii Othonis est caput Augusti, cui Victoria retro stans lauream alligat, qui numi spectato volumine nonnihil ad maximum modulum accedunt. Quo loco non inutile videtur animadvertere, demptis trium horum IIIvirorum numis non exstare numos alios primae formae commatis indubitate Romani, quibus Augusti vivi caput insertum esset, quamvis illud in numis II. formae sit obvium; ajebam, Augusti vivi; nam in numis I. formae cum epigraphe DIVVS. AVGVSTVS a Nerva restitutis, cujus tamen archetypon desideratur, Augusti caput est obvium. Non hic moror numos illos, in quorum antica est: CAESAR. DIVI. F. *Caput nudum Octaviani*, in aversa: DI-

a) L. LIV. §. 32. b) l. c. c) pag. 222. n. 5. d) B. L. Tom. III. hist. pag. 216.

VOS. IVLIVS. et vel: *Caput I. Caesaris laureatum*, vel: *eadem epigraphe intra lauream.* (Morelli tab. XXIIII.) Nam induci ego non possum, ut credam, numos hos in urbe esse signatos; habent enim spectata fabrica, et metallo nescio quid monetae Gallicae, quam dederunt coloniae Copia, Vienna, Nemausus, in quarum praeterea numis obvium esse solet utriusque Caesaris caput. Praeterea in numo simili musei Caesarei literae, vocabula DIVOS. IVLIVS constituentes, adeo sunt inter se confusae, ut credibile non sit, matricem tot sphalmatis scatentem in urbis luce curantibus IIIviris monetalibus confectam. Accedit, hos numos pondere et volumine deficere a numis commatis Romani primae formae, et superare numos II. formae, sic ut cum neutra ejus aetatis classe probe conveniant. Eadem lex, quae sub Augusto obtinuit, valuit etiam sub Tiberio, cujus quoque numis primae formae caput illatum non est, etsi illud in numis II. formae perpetuum sit, perinde ac in numis M. Agrippae. De moneta I. Caesaris hic non ago, cujus alioqui vivi numos aeneos commatis R. vix habemus, ut suo loco monuimus.

Ex his exemplis satis apparet, Augusto et Tiberio imperantibus neque horum, neque aliorum, quibus monetae jus permissum fuit, capita in aere I. formae signari solita fuisse, addo etiam, de quo infra, III. formae, in quem usum solum II. formae aes, aurumque praeterea, et argentum valuit, in quo Augusti, Agrippae, Tiberii, Drusi junioris, et Germanici capita sunt obvia. Has propter causas amplianda est lex a Ioberto lata: *spurios esse numos omnes I. formae, qui caput solum I. Caesaris sistunt* [a]). Adcuratius haec sic ferenda videtur: *Numi omnes aenei I. formae I. Caesaris, Augusti, Tiberii, aut ex horum familia his imperantibus signati, qui horum capita, ac praeterea commatis Romani indicia praeferunt, in adulterinorum numero censentor.* Ex quorum tamen numero, ut dixi, eximendi aenei I. formae IIIvirorum Lurii, Maecilii, Salvii, in quibus obvium est Augusti caput, sed a victoria coronatum, ac praeterea illud singulare, quod fabrica, ac volumine magnopere ab aliis Augusti aeneis I. formae abludunt. Quare videntur hi ejusdem anni fuisse IIIviri, et fuerit aliqua causa nobis ignota, cur a solita lege discesserint proponendo Augusti caput in magno aere, ac praecipue cum Victoria retro stante, quae peristasis in aliis Augusti numis non observatur. Varii hujus instituti causas curiosius rimari taedet, et nolo inanes conjecturas texere, contentus per observationes adcuratius institutas proposuisse, quid Romanis ea aetate in monetae cudendae negotio constitutum fuerit. Qui in numos offenderint doctrinae a me propositae adversantes, viderint quaeso, an non aut νοθειας, aut commatis peregrini notam praeferant. Primus Caligula suum, ac aliorum etiam capita in aere magno exstare voluit, ut suo loco patebit.

* * *

Aenei II. formae. Hi plerumque

a) Sc. des méd. T. II. p. 24.

caput Augusti, alii solam ejus epigraphen offerunt. Ex his ii, qui reliquae inscriptioni, vel typo notam S. C. addunt, (demptis iis, qui Antiochiae cusi censentur, sed quos satis distinguit fabrica) certe Romae sunt signati. Reliqui, qui hac nota carent, et exstant vulgati apud Morellium tab. XXVIII., judicium subeant.

Qui in aversa caput I. Caesaris, vel DIVOS. IVLIVS intra coronam, vel ROM. ET. AVG. cum ara exhibent, eorum censura jam in praecedentibus peracta est. Supersunt:

IMP. CAESAR. *Caput Augusti nudum.*

AVGVSTVS. *Capricornus imminente cornucopiae intra lauream.*

Supra in argenteis monui, hunc typum saepe ab exteris fuisse usurpatum ad observandum Augustum, cumque absit nota S. C., possumus numum peregrini commatis suspicari. Addo opportune, typum capricorni ab urbibus Graecis revera adhibitum, quod arguit additum CEBACTOC in numis, quos dedit Morellius tab. XLVII. n. 39. 40.

IMP. CAESAR. *Caput Augusti, prae quo lituus.*

AVGVSTVS. *Sex spicae colligatae.* (Mus. Caes.)

De peregrino hoc typo egi item supra in argenteis.

CAESAR. *Caput nudum.*

AVGVSTVS. *intra lauream* (Mus. Caes)

Hi numi fabricam peregrinam non dissimulant. Non dubitem esse Syros, vel vicini tractus, cum quibus belle conspirant.

* * *

Aenei III. formae. Iudicium de his minus impeditum, atque ex praecedentibus facile colligere est. Eadem de causa numi citati apud Morellium tab. XLIII., qui S. C. non addunt, externa moneta habendi sunt; item qui Augusti caput sistunt; nam primus fuit Nero, cujus caput aeneis commatis R. numis III. formae insertum est. Non hic loquor de numis hujus formae, qui tesserae potius sunt, aut quidvis aliud, quam numi, de quibus agemus olim in pseudomoneta. Numos Romanos hujus generis, ac aetatis alios non novi, praeterquam eos, qui incudem, lituum etc. additis S. C. et nominibus IIIvirorum monetalium exhibent, de quibus egi supra pag. 124, qui tamen omnes neque epigraphen, neque caput Augusti sistunt.

MAGISTRATVS ET HONORES.

Omitto, quae ad titulos IIIviri, Augusti, trib. potestatis, aliosque seu honores, seu obitos magistratus pertinent, quae omnia videri possunt in Annalibus, aut explicata in numis. Restant aliqua dicenda de principis nostri consulatibus, et titulo imperatoris.

Consul.

Augustum consulatus XIII. obivisse, jam plane certum, exploratumque eruditis habetur, et satis jam constat, male secundis avibus consulatum XIV. fuisse intrusum Errori ansam olim dedit catalogus consulum Dionis libro LV. praefixus, in quo ad annum V. C. 754

notatus credebatur Γ. Καισαρ Σεβαςος ιδ, *C. Caesar Augustus XIV.* id est: consul. At compertum subinde est, pro hoc legendum: Γ. Καισαρ Σεβαςȣ ὑιος, *C. Caesar Augusti F.*, nimirum filius naturalis M. Agrippae, qui fuit certus ejus anni consul. Vide hanc litem copiose disputatam, sed et confectam apud Pagium a). Eundem errorem resuscitavit Morellius promulgando numum Augusti Antiochenum cum inscripto consulatu XIV., quin et alium cum consulatu XV., sed quas maculas jam abstersi in commentariis ad numos Antiochiae Vol. III. p. 273. seq.

Imperator.

Augustum titulo imperatoris tanquam praenomine, seu quo imperium orbis significabatur, inde ab anno V. C. 725 ex S. C., quin jam ante hoc tempus fuisse usum, diximus supra pag. 83. Restat controversia de eodem titulo, sed qui ex victoriis partus est, iterato.

Augustum ex victoriis hunc titulum multiplicasse, certum est ex numis, marmoribus, historicis. Quoties eum auxerit, diserte tradit Tacitus b): *nomen imperatoris semel atque vicies partum*, quod testimonium ex monumentis mox infra adversus Norisium confirmare conabor, qui ejus veritatem in suspicionem adduxit. De iterationis numero cum constet, certi tamen non sumus, in quos annos singuli repetiti imperii numeri incidant. Mediobarbus ad singulos annos imperatoris numeros ita locat, ut satis appareat, hunc ordinem partim ex Goltzii aliorumque suspectis numis, partim temere fuisse constitutum. Videri posset, hujus iterationis modum ex victoriarum numero posse colligi. At frustra. Nam primum non omnes nobis victorias scripto prodidere historici, quod patebit ex iis, quae infra ad Imperatoris XXI. titulum notabo. Deinde fuere victoriae quaedam insignes, ob quas certum est, ab Augusto hunc titulum non fuisse iteratum. Ita constat, victos V. C. 739 Rhaetos, et anno sequente Bosporanos, quin propterea titulus augeretur. Ex victoria Caji Caesaris de Armeniis circa annum V. C. 756 etsi *devictis, aut in fidem receptis bellicosissimis ac maximis gentibus*, ut cenotaphium Pisanum loquitur, novum decus non additum. Dubitatur etiam jure de victoriis Cantabricis, licet eas suo ductu retulit V. C. 729. Contra accidit, ut titulum iteraret etiam ex causa leviore. Refert Dio ad V. C. 759, tam Augustum, quam Tiberium imperatoris nomen de Germanis accepisse, quamvis nihil memorabile eo bello gestum sit, barbaris mox ad pacem petendam conversis. Quaecunque igitur causa fuit, cur Augustus novos imperatoris titulos aut admiserit, aut neglexerit, istud certum, sola esse monumenta, quae instruere nos possint, quibus annis singulae iterationes competant.

Repudiato igitur ordine illo, quem nimio fallacem hactenus antiquarii proposuere, alium hic ex testimoniorum veterum fide proponam. At cum etiam haec non raro in vado destituant, eum tamen ex hac disquisitione fructum fe-

a) Critica Baron. ad ann. V. C. 754. b) Annal. I. 9.

remus, quod inde, quae certa sunt, quaeque incerta, abunde licebit colligere. Tenenda igitur illa, et quae incerta sunt, historiae R. studiosi deinceps ex monumentis, quae lucem postea videbunt, stabilire satagant.

IMP., nempe imperatoris primo titulum ei fuisse decretum, cum contra Antonium Mutinam tenderet, et quidem suadente Cicerone, quoniam istud exercitum habenti necessarium esset, ipse hic oratorum princeps testatur [a]). Eundem ei titulum fuisse oblatum V. C. 711 victo ad Mutinam Antonio, narrat Dio [b]).

IMP. II. III. IV. V. De hac iteratione altum apud omnes silentium, neque Caesar ea in numis suis usus est, simplice constanter IMP. contentus, etsi in synchronis M. Antonii numis legatur IMP. ITER. IMP. TER. IMP. IIII. Ex Mediobarbi sententia fuit IMP. II. anno V. C. 716, quo tamen ipso anno fatetur Caesaris classem a Menecrate Sex. Pompeji duce fuisse profligatam. IMP. III. V. C. 718 de superato Pompejo. IMP. IV. ex victoria Actiaca V. C. 723, demum IMP. V. de capta Aegypto V. C. 724. Cum Mediobarbo fere conspirat Schlegelius in suis ad numos Morellianos commentariis, nisi quod adserat, Caesarem dictum IMP. II. ex bello Perusino, quod anno V. C. 717 confectum miro anachronismo memorat [c]). Sequitur ex horum doctrina, Caesarem tam fuisse animo impotente, ut ex victoriis per bella civilia partis imperatoris honores sibi vindicaret, at non de victis V. C. 721 Dalmatis, nimirum barbaris, et hostibus externis, ex qua tamen victoria justum triumphum egit. Verum necesse fuit, viros eruditos in haec absurda praecipites agi, cum numos Goltzianos, infaustos scilicet partus civitate donassent. Alius igitur verisimilior constituendus ordo. Cum constet ex Orosio, quem mox citabo, Caesarem ex victoria ad Actium dictum IMP. VI., necesse est, imperatoris II. III. IV. V. titulos totidem intra lauream Mutinensem, et Actiacam relatis victoriis tribuere, actum erit IMP. II. ex victoria Philippensi, IMP. III. ex capta Perusia, IMP. IV. ex victo Sex. Pompejo, IMP. V. ex victis Dalmatis. Quod si cui minus adrideant tituli ex bello Philippensi et Perusino capti, praecipue cum satis verisimile videatur, neque M. Antonium ex victoria apud Philippos iterasse imperatoris titulum, et bellum Perusinum non tam bellum reip., quam privatum Caesaris fuerit, et brevi tempore, nulla ad acquirendum imperatoris decus justa victoria, finitum, praesto sunt decora alia bellica Caesari ante victoriam Actiacam parta, quae memoriae prodidit Dio [d]), nimirum C. Carinatem devictis Morinis, Suevisque triumphasse. Addit, de iis triumphum etiam egisse Caesarem, *quoniam victoria ad summae rei praefectum imperatorem referri solebat.* Partas etiam fuisse victorias in Africa, et Hispania, indubitatum; nam in Fastis triumphalibus ad annum V. C. 719 Capitolinum legitur triumphasse Statilius-

---

a) Philipp. XIV. ad Brut. epist. 15. b) L. XLVI. §. 38. c) Tom. I. p. 127. d) L. LI. §. 21.

Taurus ex Africa, Norbanus Flaccus ex Hispania. Sed haec decidi non poterunt, nisi inscriptionum ope tenebris his lux aliquando adfundatur.

IMP. VI. Diserte Orosius [a]: *Caesar sextum imperator appellatus*, nempe ex victis ad Actium Antonio, et Cleopatra V. C. 723.

IMP. VII. Hoc titulo usus est Caesar V. C. 725, ut invicte docet marmor, quod supra pag. 82 descripsi, in quo cum COS. QVINCT. jungitur IMP. SEPT. Causa iterati honoris esse potest vel Cleopatra anno praecedente in Aegypto victa, vel capta Aegyptus, vel Moesia anno hoc 725 per Crassum subacta, ut refert Dio. Mallem posterius, nam I. ex eodem bello, etsi plures relatae essent victoriae, semel tantum imperatoris titulus sumebatur, ut diserte tradit Dio [b]. At Caesar ex victoria Actiaca, quae utique belli cum Cleopatra pars fuit, titulum imperatoris, ut vidimus, jam multiplicavit, tametsi verum sit, hanc legem non semper religiose fuisse observatam. II. Quia revera Dio hanc Crassi in Moesiam expeditionem enarrans addit, Caesarem ob eam imperatoris titulum sumpsisse.

IMP. VIII. Vnicum monumentum se mihi obtulit, cujus ope fluctuans haec dignitas nonnihil circumscribatur. Lego in mormore Muratorii [c]: IMP. CAESARI. DIVI. F. AVGVSTO. COS. XI. IMP. VIII. TRIBVNIC. POTEST. III. Coepit Augusti trib. potestas III. anno V. C. 733 die XXVII. Iunii, et eodem die anni sequentis exspiravit. Ergo intra hoc tempus fuit imperator VIII., et cum proxime viderimus, eum V. C. 725 fuisse imperatorem VII., ab hoc anno iterationis causa indaganda. Eam facile suppeditat seu bellum Cantabricum ab ipso Augusto gestum, et feliciter sopitum V. C. 729, seu bellum Germanicum, cui praefuit M. Vinicius, a quo eodem anno 729 partum per victorias Augusto titulum imperatoris narrat Dio [d]. Adserit Norisius, numos Augusti inscriptos: ARMEN. RECEP. IMP. VII. signatos anno V. C. 734 occasione Armeniae revera ab Augusto per Tiberium receptae, atque hinc refert, Augustum eo anno fuisse imperatorem VII [e]. At vero Augusti trib. potestas III., in qua is secundum citatum marmor fuit imperator VIII., jam in Iunio ejusdem anni 734 exivit, ac tum coepit trib. potestas IV., quae vero in Armenia per Tiberium gesta sunt, ante adultam aestatem fieri non potuere, ut patebit Dionis ejus anni historiam persequenti. Ex his, quae modo compendio disputavi, non pauca in historiae, et rei numismaticae commodum eruuntur. Nam I. docemur, Augustum jam habuisse imperatoris VIII. titulum saltem ante exactum Iunium V. C. 734. II. Numos inscriptos: ARMEN. RECEP. IMP. VII. referri non posse ad Tiberii in Armeniam anno V. C. 734 expeditionem, cum is Armeniam intraverit tempore, quo Augustus jam fuit IMP. VIII., ex quo sequitur, citatos numos ante hunc annum fuisse cusos, ut revera eos ad annum V. C. 725

a) L. VI. c. 19. b) L. LX. §. 21. c) pag. 220. n. 8. d) L. LIII. §. 26. e) Cenot. Pis. diss. II. c. 9 et 17.

descripsi, quem consule. III. Augustum hunc titulum adoptasse verisimiliter jam V. C. 729, ut ex Dione probavi.

IMP. IX. Reperitur in numis cum trib. pot. V. Coepit haec in Iunio V. C. 735. Vidimus eum in tribunatu III. imperatorem VIII. Intra hoc tempus Augustus signa militaria a Parthis recuperavit, quod is victoriae instar habuit, et per Tiberium Armeniam cepit, cujus causa signati numi: ARMENIA. CAPTA, quae etiam verisimilis videtur iterati imperii causa.

IMP. X. Occurrit saepe in numis, sed omissa trib. potestate. Hic titulus Augusto V. C. 741, vel sequente accesserit, forte cum Agrippa Pannonios repressit.

IMP. XI. jungitur cum trib. potestate XI. in marmore Muratorii a). Cadit haec in annos V. C. 741 et 742. Posteriore hoc anno captus hic titulus, ut revera Dio narrat b), illo Augustum ob relatas a Tiberio de Pannoniis victorias imperatoris nomen iterasse.

IMP. XII. notatur in insigni inscriptione mirabilis obelisci Solis, in qua Augustus dicitur praeterea COS. XI. TRIB. POT. XIV. Coepit haec potestas sub finem Iunii V. C. 744. Verisimile est, hunc numerum confectum anno praecedente 743, ad quem narrat Dio, Augustum propter Drusi in Germania victorias imperatoris sibi nomen peperisse.

IMP. XIII. dicitur Augustus in marmore Gruteri c): PONTIFEX. MAXIMVS. IMP. XIII. COS. XI. TRIB. POTEST. XV. NERONE. CLAVDIO. DRVSO. T. QVINCTIO. CRISPINO. COS. Iniverunt hi consulatum Kal. Ian. V. C. 745, at Augusti trib. potestas XV. incepit primum in fine Iunii ejusdem anni. Altero igitur hujus anni dimidio Augustus certo fuit imperator XIII. Drusus hoc anno ad ipsum Oceanum penetravit.

IMP. XIV. Teste Harduino d) arcui triumphali, cujus rudera supersunt Segusione, seu Suzae Pedemontii, inscriptum legitur: IMP. CAESARI. AVGVSTO. DIVI. F. P. M. TRIBVNIC. POTESTATIS. XV. IMP. XIIII. Coepit Augusti trib. potestas XV. in Iunio anni V. C. 745. At cum ex articulo praecedente noverimus, Augustum sub initium hujus tribunatus XV. fuisse imperatorem XIII., et hic adhuc primum sequentis anni 746 dimidium complectatur, ad haec ex Dione constet, Augustum et Tiberium hoc anno 746 ex hujus adversum Germanos rebus gestis imperatoris titulum accepisse, jure argui potest, Augusto imperatoris XIV. titulum posteriore hoc anno accessisse. Non hic dissimulandum, alios in hujus arcus inscriptione pro IMP. XIIII. legere IMP. XIII., de quo vide Muratorium e). Si Gruterum audimus f), qui epigraphen recitat, quam exstitisse in tropaeo Alpium refert Plinius, Augustus etiam in trib. potestate XVII. fuit IMP. XIIII. Nimium faciles Grutero istud adserenti aures praebuit Norisius g). Nam teste Harduino in omnibus MSS. codicibus Plinii sibi notis legitur: IMP.

a) Pag. 442. n. 6. b) L. LIV. §. 33. c) pag. LXI. n. 1. d) ad Plin. L. III. c. 20. e) pag. 1095. tab. II. et III. f) pag. 226. n. 7. g) Cenot. Pis. diss. II. c. 17.

XIIII. TRIBVNICIAE. POTESTATIS, nullo ad hanc addito numero [a]). Certum tamen ex inscriptionibus, eum numerum per plures deinceps annos non fuisse auctum. Sic apud Gruterum Augustus dicitur TR. POT. XVII. IMP. XIV [b]). Trib. potestas XVII. cadit in annos V. C. 747. 748. Romae supra portam S. Laurentii legitur: IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. AVGVSTVS. P. M. COS. XII. TRIBVNIC. POTESTAT. XIX. IMP. XIV. RIVOS. AQVARVM. OMNIVM. REFECIT. Consulatum XII. inivit V. C. 749, et eodem anno vergente ad finem Iunio trib. potestatem XIX. Apud Muratorium [c]) legitur: IMP. CAESAR. DIVI. F. AVG. PONTIF. MAXIMVS. COS. XII. COS. DESIGNAT. XIII. IMP. XIV. TRIBVNICIA. POTESTATE. XX. Indicatur annus V. C. 751, cujus desinente Iunio exivit trib. potestas XX., et quo designatus fuit COS. XIII. processurus ad sequentes Kalendas Ian. Duravit hic numerus verisimiliter usque ad annum V. C. 759, ut mox videbimus.

IMP. XV. Pighius ex fide Panvinii marmor recitat, in quo Augustus compellatur: PONT. MAX. TRIB. POTEST. XXVIII. COS. XIII. P. P. IMP. XV. Coepit trib. potestas XXVIII. in Iunio V. C. 758, et eodem sequentis anni 759 exspiravit, quo posteriore eum hoc decus iterasse censeo; nam revera Dio ad hunc annum narrat, Augustum et Tiberium ob res adversum Germanos prospere gestas accepisse nomen imperatoris. Apud Gruterum est idem numerus XV. junctus cum TR. POT. XXVIIII. COS. XIII [d]). Aliud marmor idem Pighius, et Gruterus ex Panvinio citant, in quo Augustus dicitur PONT. MAX. TRIB. POT. XXX. IMP. XV. COS. XIII. PATER. PATR. Coepit Augusti tribunatus XXX. in Iunio V. C. 760.

IMP. XVI. habetur in marmore Muratorii [e]), et jungitur cum titulis COS. XIII. TR. POT. XXXII. P. P., qui congruunt annis V. C. 762 et 763.

IMP. XVII. XVIII. XIX. Hos titulos reticent monumenta, constituendos vero esse intra trib. potestates XXXII. et XXXIV., ex marmore Muratorii mox citato, et numis sequentibus docemur, atque adeo intra annos V. C. 762 et 764. Intra hos annos perpetua fuere cum Pannoniis, Dalmatis, et Illyriis bella, et narrat Dio ad annum V. C. 763, Augusto et Tiberio ob victos Dalmatas imperatoris titulum partum.

IMP. XX. Exstant numi certi aenei, inscripti: IMP. XX. TRIBVN. POT. XXXIIII. Hanc potestatem auspicatus est in Iunio V. C. 764. Idem numerus etiam comparet in epigrammate pontis Ariminensis Augusto anno 767, nempe extremo ejus vitae, dedicato, quod mendose a Grutero descriptum, a Norisio, qui illud persaepe ipse legit, sic restitutum est [f]): IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. PONTIF. MAXIM. COS. XIII. IMP. XX. TRIBVNIC. POTEST. XXXVII. P. P. Inivit haec potestas vergente ad finem Iunio V. C. 767.

---

a) L. c. b) pag. 187. 10. c) pag. 220. 10. et 442. 2. d) pag. 1082. 2. e) pag. 441. 1. f) Cenot. Pis. diss. II. c. 17.

IMP. XXI. Toties Augustum fuisse adclamatum imperatorem, docet Tacitus sub examinis hujus principium citatus. At Norisius eum vicies tantum fuisse imperatorem existimat ex citato epigrammate pontis Ariminensis [a]). Nam cum hoc praecone dicatur IMP. XX. in tribunatu XXXVII., qui coepit die XXVII. Iunii V. C. 767, ipse vero diem obiverit necdum exactis II. mensibus, nimirum die XIX. Augusti, et non constet, ob quam victoriam sub exitum vitae imperator fuerit salutatus, quia hac tempestate legiones in Germania in castris aestivis fuerant locatae, suspicatur leviter, forte vicies tantum ab Augusto imperatoriam dignitatem fuisse repetitam. Verum non solus Tacitus hunc numerum Augusto largitur, sed et Dio [b]): *ὥςε καὶ ἐν ἐικοσιν ὄνομα ἀυτοκράτορος σχειν*, *sic ut semel vicies imperator diceretur*, qui locus etsi aperte in mendo cubet, ut jam adverterunt eruditi, tamen rei sensus, quantum satis est, tralucet. Item in monumento Ancyrano, quod illustris Chishull prioribus castigatius edidit, tabulae I. versu 19 legitur: ET. APPELLA - - - - - MEL. IMPERATOR, quod alio modo suppleri commode nequit, quam legendo: *et appellatus sum vicies et semel imperator.* Neque obest, non constare de victoria intra binos hos menses relata; non enim ab historicis omnia memoriae prodita sunt. Sic, ut alia praeteream, testibus fastis Capitolinis V. C. 715 triumphavit Marcius Censorinus ex Macedonia, V. C. 720 Statilius Taurus de Africa, Norbanus Flaccus de Hispania, quin de gestis eorum bellis, et reportatis victoriis quidquam adnotatum a scriptoribus reperianus.

PRETIVM.

Aurei - - - - - - - - - - -	C.
Aureus max. mod., quem vide ad annum V. C. 759. -	Vnicus.
Argentei - - - - - - - - -	C.
Argentei max. mod., sed commatis peregrini - -	RR.
Aenei max. mod. commatis Rom. - - - -	O.
Aenei max. mod. commatis peregrini - - - -	R.
Aenei I. et II. formae - - - - - - - -	C.
Aenei III. formae commatis Rom. - - - -	R.
Aenei III. formae commatis peregrini - - - -	C.
Numi Graeci et coloniarum in genere - - -	C.
Alexandrini - - - - - - - - -	RR.

a) Cenot. Pis. diss. II. c. 17. b) L. LII. §. 41.

L I V I A.

Livia Drusilla nata V. C. 697 patre Livio Druso, qui, quod ex gente Claudia in Liviam adoptatus est, *Claudianus* dictus fuit a). Nupta Ti. Claudio Neroni haud multo post grave adivit salutis ac fortunarum discrimen. Nam maritus, quod eorum, qui in Campania agros perdiderant, patrocinium profiteretur, seseque ducem palam ferret, post oppressas ab Octaviano per Perusiae deditionem L. Antonii partes cum uxore, et vix bimo filio Tiberio praecipite per avia fuga in Siciliam evasit V. C. 713 b). Permisso in urbem reditu Caesar Liviae illecebris captus eam sibi a marito impetravit, et licet Druso gravidam repudiata prius Scribonia duxit V. C. 716 c). Eam Caesar, quoad vixit, retinuit, dilexitque, ac probavit unice, ac perseveranter d). Fuit marito annis fere XV. superstes, obiitque aetate extrema annos nata LXXXVI. *) V. C. 782 e). Mulier fuit magnae mentis, ac consilii, at simul regnandi avida, quem in finem cavit solicite, ut Augusti benevolentiam perpetuo conservaret, quod consecuta est sanctitate domus priscum ad morem, et exquisita pudicitia, comitate, viri mandata exsequendo lubenter, ejusque vagos amores, tanquam nesciret, dissimulando f). Nihil non egit, ut filium Tiberium imperii heredem designaret; at obstabant Marcellus, Cajus, Lucius, Agrippa Postumus, quorum propiora per Augusti sororem et filiam fuere jura, quorum omnium mortis praematurae invidiam Livia non obscure tulit g). Quare eam *gravem in remp. matrem*, *graviorem domui Caesarum novercam* dixit Tacitus h). Credebatur etiam ipsius Augusti mortem medicatis ficubus maturasse, quod suspicio fuit, eum cum Agrippa exule in gratiam rediturum i). Ergo propter has artes merito *Vlyssis stolati* nomen abstulit, quod ei a Caligula inditum refert Suetonius k). Ab Augusto supremis tabulis in gentem Iuliam adoptata post ejus mortem *Augusta*, et *Iulia* dicta est, de quo infra plura disputabuntur. Sub filii principatu multa ambitiose ac arroganter egit, rebusque se publicis propalam miscuit reluctante licet filio, sed ad vim tardiore, quoniam imperium matri debuit. Ausa aliquando, cum effigiem D. Augusti dedicaret, Tiberii nomen suo postscribere l). Sane ejus taedio

---

a) Velleius L. II. c. 75. Sueton. in Tib. c. 3. b) Velleius l. c. Dio. c) Tacit. Ann. V. c. 1. d) Sueton. in Aug. c. 62. e) Tacit. l. c. Dio L. LVIII. §. 2. f) Tacitus, Dio II. cc. g) Tacitus, Dio. h) Ann. I. 10. i) Tacit. Ann. I. 5. Dio L. LVI. §. 30. k) in Calig. c. 23. l) Tacit. Ann. III. c. 64.

*) Plinius Liviae annos tribuit duntaxat LXXXII. (L. XIV. c. 6.) at cum ex Suetonio fere certum sit, eam Tiberium enixam mense Novembri V. C. 712, sequeretur, anno illam aetatis XI. vix completo nupsisse Tiberio, quod Romanorum moribus adversatur. Verior igitur Dionis sententia, quam citavi.

victum ex urbe discessisse Capreas plerisque creditum. Istud satis compertum, eum neque matri decumbenti, neque ejus funeri adfuisse, et ne coelestis ei religio decerneretur, palam obstitisse, quam tamen serius Claudius constituit.

Proles habuit ex Ti. Nerone TIBERIVM subinde Augustum et DRVSVM dictum a nobis *seniorem*. Augusti thorus sterilis. *Ex Livia*, inquit Suetonius [a]), *nihil liberorum tulit, cum maxime cuperet. Infans, qui conceptus erat, immaturus est editus.*

* * *

Antequam Liviae numos explicare adgredior, monendum, hanc Augusti uxorem, cui Liviae Drusillae nomen fuit, mortuo marito dictam *Iuliam Augustam*, nimirum in gentem Iuliam ex mariti testamento adoptatam. Copiosa istud veterum testimonia credere jubent. Tacitus agens de Augusti supremis tabulis [b]), *Livia*, inquit, *in familiam IVLIAM, nomenque AVGVSTAE adsumebatur*, atque idem sibi constans refert infra [c]), prohibuisse Tiberium, quo minus matri decerneretur *ara adoptionis*, nempe in gentem Iuliam. Suetonius [d]): *heredes instituit Tiberium, et Liviam, quos et ferre nomen suum jussit.* Et Dio commemorans res ab Augusti obitu constitutas ait [e]): *Liviam, quae jam IVLIA et AVGVSTA appellabatur.* Plinius [f]): *IVLIA AVGVSTA prima sua juventa Tiberio Caesare ex Nerone gravida etc.* Harduinus hoc loco praefert lectionem *Livia Augusta*, sed quod in causa propria judicium solide impugnat Bimardus [g]). Verum audiamus et testimonia coaeva. Legimus in lapide Muratorii [h]). CERERI. IVLIAE. AVGVSTAE. DIVI. AVGVSTI. (uxori) MATRI. TI. CAESARIS. AVGVSTI. etc. Adde Velleium [i]): *Livia ---- quam postea conjugem Augusti vidimus, quam transgressi ad deos sacerdotem, ac FILIAM.* Denique Ovidius [k]):

Sic AVGVSTA novum IVLIA numen erit.

Quem versum ab Ovidio exsule fastis post Augusti mortem insertum jure arguunt Spanhemius [l]), et Massonus in ejus vita ad annum V. C. 767. Et confirmantur haec numis, qui eam, quoad maritus vixit, constanter *Liviam*, at hoc mortuo constanter *Iuliam Augustam* vocant, ut patebit. Fl. Iosephus eam per prolepsin etiam vivo Augusto semper appellat Iuliam.

At vero gravissimis his veterum scriptorum oraculis more suo insultat insanientis sapientiae magister Harduinus, dejeratque, Liviam nostram nunquam mutasse nomen, et memoratam frequenter in numis *Iuliam Augustam* non esse Liviam, sed Iuliam Augusti ex Scribonia filiam, nam et hanc a Tiberio sub imperii aditum caesam inter aniles fabulas refert, ut dicetur in hujus numis. Adserit item, Liviam vivo adhuc marito dictam fuisse *Augustam*. Ergo, concludit, Livia semper est Livia, ea-

---

a) In Aug. c. 63. b) Ann. I. 8. c) ibid. c. 14. d) in Aug. c. 101. e) L. LVI. §. 64. f) L. X. c. 55. g) ad Iobert T. II. p. 275. h) pag. 222. n. 3. i) L. II. c. 75. k) Fast I. 536. l) Tom. II. p. 274.

dem Iulia ne semel quidem. Livia ubique est Livia, in urbe, Aegypto, Iudaea, et Gallia; eadem nusquam est Iulia. Haec late in Operib. sel. p. 704, quibus in commentis fideles nactus est asseclas Iobertum, sed praeclare a Bimardo refutatum [a]), et Panelium [b]). Vtut jam nemo sanus Harduini insanias serio refutaverit, mearum tamen istud esse partium existimo, quod numis praeterea rem agit, quorum adeo aut exploranda fides, aut vera statuenda explicatio, sed quae judicia ex sequentibus catalogis collige.

Numi
nomine LIVIAE, et vivo Augusto signati.

Commatis Romani numus vivo marito signatus non exstat.

In numis Graecis:

ΛΙΟΤΙΑ vel ΛΙΒΙΑ, in numis Alabandae Cariae, et Aezanis Phrygiae. (Morelli, Arigoni.)

ΘΕΑ. ΛΙΒΙΑ, in numis Methymnae Lesbi, (Morelli, Pellerin.) Clazomenarum Ioniae. (Pellerin.)

ΛΙΒΙΑΝ. ΗΡΑΝ. *Caput Liviae.*
ΙΟΤΛΙΑΝ. ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ. ΧΑΡΙΝΟΣ. *Caput Iuliae Augusti* F. AE. III. (Vaill. num. Graec. p. 7. Haym. T. II. p. m. 222. Theupoli.)

Nimirum seduli Graeci consecrationem maturavere. Sic et in numis Ilici Tarraconensis eadem Livia appellatur IVNO. In marmore Aluntii Siciliae, quod ex Gualterio recitat princeps Turris Muciae [c]), legitur: LIVIAE. AVGVSTI. DEAE. MVNICIPIVM.

ΚΑΙΣΑΡΑ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. — ΤΙβεϱιον ΣΕΒαςȣΤΙΟΝ. *Capita adversa, Augusti laureatum, Tiberii nudum.*
ΛΙΒΙΑΝ. CΜΤΡΝΑΙΩΝ. ΚΟΡΩΝΟΣ. *Caput Liviae.* AE. III. (Vaill. num. Graec. p. 6.)

* * *

Procedant jam numi ab Harduino citati:

ΛΙΟΤΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Caput Liviae.*
ΠΑΤΡΟΣ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Geminum cornucopiae.* AE. II. (ex mus. Foucault.)

Ergo, inquit Harduinus, Livia cum hoc nomine conjunxit Augustae titulum. At vero dubitare liceat, utrum in hoc numo vere legatur ΣΕΒΑΣΤΗ, et non potius ΣΕΒΑΣΤΟΤ. Sic enim revera inscriptum alium loco proximo citat ipse Harduinus. Atque istud sic habere palam comprobat epigraphe aversae ΠΑΤΡΟΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ, quae certe non alia de causa in gignendi casu posita est, quam ut conjungatur cum ΣΕΒΑΣΤΟΤ partis anticae.

ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΝ. *Capita duo jugata Augusti et Liviae.*
Templum. (ex mus. Foucault.)

Ergo, infert Harduinus, Livia jam vivo Augusto fuit Augusta. At enim an usque adeo certum, in hoc numo esse caput Augusti, et non verius Tiberii? Quoties quaeso a numorum praeconibus hoc in judicio fuit peccatum? praecipue cum numi similes esse soleant mi-

a) Sc. des méd. T. II. p. 274. b) de numo Tarrac. p. 138. c) Iscriz. di Palermo pag. 193.

nuti, aevo extriti, et, quod aeri fatale, exesi.

Numos alios ad hanc causam pertinentes vide in numis proximis cum nomine Iuliae Augustae.

* * *

In numo Cypri, quem descripsi in moneta hujus insulae, est: LIVIA. IMPeratoris CAESaris.

Coloniae numum cum nomine Liviae nondum videre licuit.

Numi
nomine IVLIAE et AVGVSTAE
mortuo Augusto signati.

Numi commatis Romani.

S. P. Q. R. IVLIAE. AVGVST. *Carpentum a binis mulis tractum.* TI. CAESAR. DIVI. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXIIII. *in medio:* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Ex addita trib. potestate XXIIII., quam Tiberius numeravit annis V. C. 775 et 776, patet, numum signatum viva adhuc Iulia, quam demum mortuam V. C. 782 supra diximus. Carpentum partis anticae habiti honoris divini indicium videri posset, ut revera visum Nonnio, quia in numis consecrationis Iuliae Titi quoque visitur, verum constat, etiam vivis hunc honorem fuisse permissum, aut sibi adrogatum, quin et decretum mortuis, etsi non consecratis, ut pluribus disputabitur infra in numis Domitillae. De Agrippina Claudii Tacitus a): *Suum quoque fastigium Agrippina extollere altius, carpento Capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus, et sacris antiquitus concessus.* Veterem legem recitat Livius b): *ne quà mulier juncto vehiculo in urbe, nisi sacrorum publicorum causa veheretur.* At Dio narrat c), Agrippinae carpenti honorem, quo in ludis veheretur, a senatu fuisse decretum. De Messalina Claudii Suetonius d): *currum ejus Messalina uxor carpento secuta est.* Et Dio e): *Senatus Messalinae primum in consessu locum, quem et Livia habuit, et ut carpento uteretur, decrevit.* Iam vero Liviae fuisse indultum carpenti honorem, praeterquam quod istud reticent scriptores, etiam eo nomine potest ambigi, quod nolebat Tiberius immodicis ornamentis matrem impotentem efferi, neque istud in Messalina, et Agrippina arrogantiae fuisset argumentum, et propter novitatem culpandum, si jam Iuliae fuisset permissum. Planiorem explicandi carpenti viam suppeditat Tacitus f). Refert hic ad V. C. 775, Iuliam Augustam atroce valetudine fuisse tentatam, atque tum *supplicia diis, ludosque magnos a senatu decretos.* Revera in eundem annum, ut dixi, scripta in numo trib. potestas XXIIII. incidit. At quis ignorat, tam in supplicationibus, quam ludis carpenta procedere solita? Numi igitur tam inscriptio, quam typus declarant illud, quod factum revera adserit Tacitus. Ceterum difficile est admodum, veram semper carpentorum, quae feminarum numi exhibent, rationem adferre, cum eorum, ut hactenus vidimus, variae

---

a) Ann. XII. 42. b) L. XXXIV. c. 1. c) L. LX. §. 33. d) in Claud. c. 17. e) L. LX. §. 22. f) Ann. III. 64.

fuerint causae, ac fines, jam insignia sacerdotii, jam decretus a senatu honos, jam arrogantia, jam indicium pompae Circensis, et supplicationum, jam memoria vita functae, ut patebit ex numis Agrippinae senioris, et Domitillae. Signum praeterea fuisse luxus, et impotentiae muliebris, testimoniis veterum comprobavit Spanhemius [a]). Similia carpenta occurrunt etiam in numis Sabinae, et Faustinae junioris adhuc vivae. Connectenda cum his sunt, quae ad numum sequentem continuo disseram.

* * *

PIETAS. *Caput muliebre velatum.* VESTA. S. C. *Dea sedens d. Palladium, s. hastam.* AE. II.

Numum hunc forte unicum Morellius ex museo Schwarzburgico citat. Ad explicandum ejus sensum, et aetatem proponenda sunt sequentia monumenta, et testimonia:

I. Exstat inscriptio, quae secundum Gruteri emendationem sic legenda est [b]):

PIETATI. AVGVSTAE
EX. S. C. QVOD. FACTVM. EST. D.
HATERIO. AGRIPPA. C. SVLPICIO.
GALBA. COS.
TIB. CL. CAES. AVG. GERM. PONT.
MAX. TRIBVN. POT.
XXIIII. COS. IIII. IMP. VIII. P. P.
DEDICAVIT.

Per consules Haterium, et Sulpicium certum est, senatusconsultum istud latum V. C. 775. Adde numos Caesaraugustanos cum epigraphe PIETATIS. AVGVSTAE, quos dabimus infra in numis commatis peregrini.

II. Exstant numi Drusi junioris, in quorum antica idem est typus, nimirum: PIETAS. *Caput Pietatis velatum*, in aversa reliquis ejus titulis additur: TR. POT. ITER., ex quo numus tribuendus anno V. C. 776.

III. Refert Tacitus ad eundem annum 776, decretum fuisse a senatu, ut, *quotiens Augusta theatrum introisset, ut sedes inter Vestalium consideret* [c]).

Ex omnibus his apparet, Tiberium in hoc matris periculo, quod ad numum praecedentem indicavi, ut PIVS in eam videretur, PIETATI AVGVSTAE vovisse, et dedicasse illud, cujus causa proposita est citata inscriptio. Et erat tum adhuc, nisi simulata fuit, inter matrem, filiumque concordia, ut advertit Tacitus [d]). Haec igitur filii in matrem pietas, quam marmor praedicat, in monetam quoque migravit, eamque Drusus officii in aviam causa in suis pariter numis exstare voluit. Verisimile tamen fit ex eo, quod ad numerum III. monui, numum, in quo sumus, a senatu V. C. 776 in Iuliae honorem signatum, sic ut in antica typo Pietatis Tiberii in matrem studium, in postica typo Vestae senatus in Augustam observantia commendetur, qua honorificum ei in theatro locum decrevit. Forte hic honos tum a senatu delatus causa fuit, cur deinde Claudius, cum coelestes honores Iuliae decerneret, sacrum hunc ritum a Vestalibus obeundum curaverit, ut refert Dio [e]). De aede etiam Vestae praeclare est merita,

---

a) Tom. II. p. 278. b) pag. 101. n. 1. c) Ann. L. IV. c. 16. d) Ann. III. 64.
e) L. LX. §. 5.

cum orto juxta eam incendio intervenit ipsa, populumque hortata est quo enixius opem ferret [a]),

Quaeri opportune hic potest, sitne revera in hoc numo caput Liviae sub deae Pietatis habitu propositum, ut existimavit Havercampus commentator? Forte istud negari non possit. Nam etsi hac aetate permissum nondum fuit, mulieris vivae, etsi Augustae, effigiem numis commatis Romani inferre, licuerit tamen, eam deae nomine velatam proponere. Sunt etiam, qui existiment, capite muliebri, quod exstat in obviis Tiberii aeneis II. formae, juxta quod scriptum: PIETAS. AVG. vel: SALVS. AVG., vel IVSTITIA, ejusdem sisti Liviae imaginem. Istud certum, eadem esse in his capitibus oris lineamenta, sic, ut aut in omnibus necesse sit referri Liviam, aut in nullo. Obstat tamen huic judicio, quod caput in his numis nonnisi mulierem mediae aetatis arguit, omnium minime octogenariam, quam illa aetatem circa istud tempus tulit, quo hi numi signati sunt. Litem facile decideret gemma vetus, quae vulgata exstat in Museo Florentino [b]), in qua juxta caput simillimum legitur: LIB. AVG., id est: *Livia Augusta*, nisi in commentario adderet Gorius, epigraphen hanc parum sibi antiquam videri. Rectius fecisset vir eruditus, si plane antiquam negasset. Nam haec mulier cum nomine Liviae nunquam titulum Augustae conjunxit. Liviae effigiem nuspiam habemus magis veram, magisque explicatam, quam in numo coloniae Romulae, quem dabimus infra, cum quo licebit numos hujus argumenti contendere.

Cum numo, in quo nunc explicando occupatus fui hoc loco jungendi alii similis argumenti, sed a metallo illustres, quos quia palam spurios judico, libenter fuissem aspernatus, nisi a viris non vulgaris famae pro genuinis editos viderem.

PIETAS. *Caput muliebre velatum.*

VESTA. S. C. *Dea sedens d. Palladium, s. hastam.* AV. m. m.

Hujus generis bini sunt in museo Caesareo, et quod singulare, diversae matricis uterque. In his non metallum modo, sed et pondus spectabile, nam aureos nostrates X. etiam excedunt. Horum complures in museis nostris vidi, et a multis genuinos agnitos, quos inter unum Gorium nominasse sufficiat, qui similem inter conspicuos ex auro maximi moduli numos in museo Florentino proposuit. Sunt hi numi affabre omnino, atque ad veterem modum scite facti, sic ut primo aspectu etiam expertum in fraudem possint inducere, utraque autem numi superficies tam anxie ad numi aenei, in quo nunc sum, prototypon efficta est, ut ne quidem desideretur S. C. a moneta aurea Augustorum constanter extorre. Iuvat hoc loco commemorare eruditi Apostoli Zeno de his judicium, quod ipse anno hujus saeculi XLVI. ad abbatem Olivierum scripserat, et exstat inter ejus epistolas Venetiis editas Tom. III. p. 420. *Hic numus*, ait, *artis est modernae, et in multorum manibus versatur. Vidi ejus similes plures*

a) Suet. in Tib. c. 50. b) Tom. I. tab. II. n. 3.

viginti non in Italia solum, sed etiam Germania; cusi autem sunt ante annos LX. vel LXX. Monachii in aula electoris, quo loco exculptae pariter sunt plures matrices variorum imperatorum, Augusti, Pertinacis, Vespasiani, et in auro ejusdem ponderis expressae, quos numos vidi ipse, sed ab iis emundis, quoniam novae artis erant, abstinui. Vtrum veros eorum natales edixerit vir illustris, mihi ignotum. Certe aliorsum factum istud non comperi. Satis tamen puto ad causam meam, eos a viro magni in scientia nostra nominis spurios quoque esse agnitos, in quorum agmen tuto transscribentur. Ad hoc confirmandum judicium valebit etiam numus sequens:

IVLIA. IMP. T. AVG. F. AVGVSTA. *Caput Iuliae Titi.*
VESTA. S. C. *Dea sedens d. Palladium, s. hastam.* AV. m. m. AE. II.

Haud ita pridem hunc numum museo Caesareo cupide intuli, ut tanto facilius praecedentium malam fidem possem comprobare. Aureus ejusdem est cum illis elegantiae, ac fere etiam ponderis. Nemo non videt, cum matrice aversae, quam illi offerunt, conjunctam aliam, quae Iuliae Titi caput insculptum habuit.

Addo aliam ejusdem farris:

ΙΓΗΝΑΙΟΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Iovis laureatum.*
VESTA. S. C. *Dea sedens d. Palladium, s. hastam.* AV. m. m. (Mus. Caes.) AR. m. m. (Mus. Neumann.)

Hunc numum adpendentem aureos nostrates V. et grana X. Frölichius sibi conspectum videtur genuinum agnovisse, nam, ubi eum recenset, nullam injicit fraudis suspicionem [a]). Videtur hic numus idem esse cum eo, qui nunc est in museo Caesareo, nam in examen vocatus deprehensus est idem habere pondus, quod indicavit Frölichius. Pars aversa ejusdem est cum prioribus elegantiae, et haud dubie ejusdem matricis. Minus scite fabricatum caput anticae modernam manum continuo prodit. Alioqui antica ex Coorum numo, aversa ex numis Romanis capta numum hybridam facile condemnat.

Neque ab horum conlegio separandus sequens:

ΙΓΗΝΑΙΟΣ. ΚΩΙΩΝ. *Caput Iovis laureatum.*
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. m. m.

Numum prodidit Scipio Maffeius [b]). Dubium continuo legenti oritur, quid Lysimacho communionis cum Co insula intercesserit. At qui praecedentium turpes natales agnoscit, non dubitabit, hunc quoque numum prioribus sociare. Eundem serius ipse vidi in museo Neumanni, sed haud dubie manus recentis. Facem impostori praetulerit numus Goltzii [c]), in quo juxta caput simile, seu Iovis sit, seu Aesculapii, legitur: ΙΓΗΜΑΝΟΣ. ΚΩΙΩΝ.

* * *

Numi commatis peregrini.

In numis Graecis: ΙΟΥΛΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ, vel: ΙΟΥ. ΘΕΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. In numo apud Morellium, qui Ephesi videtur, juxta ejus caput legitur: ΑΡΤεμις ΣΕΒΑστη. Sunt etiam non pauci

a) Not. elem. p. 150. b) Veron. ill. P. III. p. 238. c) in Ins. tab. XXI.

inscripti ΙΟΥΛΙΑ additis imperantis Tiberii annis, quos in numis Tiberii in Iudaea signatis recitavi. (Vol. III. p. 497.) In numo urbis ignotae, quem infra in numis Iuliae Augusti ex Scribonia filiae describam, sed qui nostrae huic Iuliae certo debetur, dicitur ΚΑΡΠΟΦΟΡΟΣ, *frugifera*, velut altera Ceres.

Memorandi adhuc numi aliqui propter litem ab Harduino intentatam, de qua egi supra in numis cum nomine *Liviae.*

ΙΟΥΛΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. ΜΗΤΗΡ. *Caput Liviae.*

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput nudum* AE. III.

Vaillantius hujus numi index caput aversae dixit esse Augusti, obtulitque hoc pacto ridendi Harduino ansam, quod, quam veteres fuisse Augusti adoptione filiam dejerant, jam et mater statuatur, qui adeo, ut judicium istud corrigeret, nomine *Iuliae* in hoc numo adserit intelligendam Agrippinam, nomine *Caesaris* Caligulam [a]). Quam multa huic obstent sententiae, piget referre. Praestabit dicere, nomen ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ pertinere ad Tiberium, qui et Caesar fuit, et Augustus, literis ΤΙ. aut omnino suppressis, aut forte ex numo aeris minuti profugis.

* * *

ΣΕΒΑΣΤΟΙ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΣΙΠΥΛΟΥ. *Capita jugata Augusti et Liviae.*

ΤΙΟΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. *etc. Capita Caji et Lucii se respicientia.* AE. III. Vide numos Magnesiae Lydiae.

ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΗ, *in alio:* ΣΕΒΑΣΤΟΙ. *Capita Augusti, et Liviae vel jugata, vel adversa,* in numis Pergami. AE. III.

ΣΜΥΡΝΑΙΟΙ. ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ. *Capita jugata Augusti, et Liviae.*

ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ. ΚΟΛΥΒΑΣΙΟΥ. *Vesta stans etc.* Vide numos Smyrnae. AE. III.

Nescio, qui factum, ut numi hi fugerent oculatum Harduinum, quorum ope comprobare utique facile poterat, Liviam vivo adhuc marito dictam fuisse Augustam, quia vocabulum ΣΕΒΑΣΤΟΙ multitudinis numero ipsam etiam Liviam aperte complectitur. At enim parum me judice ex his numis est subsidii. Sunt omnes voluminis perexigui, literae minutissimae, et pleraeque adeo evanidae, ut in iis alius illud, alius aliud legat. Confer lectionem Vaillantii cum lectione Morellii, qui numos hos plerosque in numis Liviae aeri incisos stitit. Equidem lectionis in his aut suspectae, aut inique experimentum ipse feci. Vaillantius in antica numi I. adserit inscriptum ΣΕΒΑΣΤΟΙ, et in aversa ΤΙΟΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. Verum in simili musei Caesarei non ΣΕΒΑΣΤΩΝ, sed ΣΕΒΑΣΤΟΥ sine dubio legitur. Quare jure arguo, etiam in antica legendum ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Nam si in hac Augustus et Livia poterant dici ΣΕΒΑΣΤΟΙ, nescio, cur in aversa Cajus, et Lucius non potuissent dici ΤΙΟΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ; si enim hi adoptione fuere filii Augusti, fuerunt etiam Liviae. At scripsit monetarius ΣΕΒΑΣΤΟΥ, cur?

---

a) Opp. sel. p. 706.

non aliam certe ob causam, quam quia tum Livia Augustae titulum nondum habuit. In numo ex citatis tertio non legendum ΣΕΒΑΣΤΟΙΣ, sed ΣΕΒΑΣΤΩΙ, invicte comprobavi in numis Smyrnae. Sed ne in molesta causa diutius frustra verser, ajo iterum, hos numulos sic vitiatos male in testimonium arcessi, et videtur verisimile, quando juxta capita duo jugata vere legitur scriptum ΣΕΒΑΣΤΟΙ, tum semper intelligendos Tiberium, et Liviam, non Augustum et Liviam. Atque etiam, si forte nonnunquam nomine ΣΕΒΑΣΤΟΙ in numo quopiam non possent intelligi, nisi Augustus et Livia, tanti tamen puto gravissimorum virorum, quae principio protuli, testimonia, Liviam Augusto vivo nunquam dictam Augustam, ut contrariis provincialium, et quidem Graeculorum adulantium exemplis non possint everti, sed vocabuli sensus potius explicatione videatur molliendus. Poterat enim Livia συλληπτικως, sive per consortium Augusti dici Augusta eodem modo, quo serius frequenter videbimus, Caesares quoque per consortium cum patribus Augustis Augusteum titulum participare. Ad haec cum hactenus viderimus, et visuri simus deinceps quoque, Liviam in numis, et marmoribus dici propalam *deam*, *Iunonem*, *Cererem*, multo utique levius putandum, si Graeci eam jure suo dixere Σεβαϛην, quod vocabulum in eorum lingua aliud non significat, quam *venerabilis*. Sed haec necessarii tantum effugii causa adjeci. Nam cum, ut vidimus, jam saepius malam antiquariorum fidem in legendis his numulis sim expertus, possum jure conjicere, etiam in aliorum lectione ab iis fuisse peccatum.

Numos binos Liviae alios, sed quos Iuliae Augusti filiae perperam tribuit Pellerinius, vide infra in hujus numis.

* * *

Coloniae, atque inprimis Hispaniae et Africae, cumulate observavere Liviam. Earum turpis adulatio hic notanda, quoniam ad ejus Augustae historiam pertinet.

IVLIA. AVGVSTA. GENETRIX. ORBIS. *Caput Iuliae laureatum globo impositum, superne lunula.*

PERM. DIVI. AVG. COL. ROM. *Caput Augusti radiatum imminente astro solis.* AE. I. (Mus. Caes.) Est coloniae Romulae Baeticae.

Narrat Dio [a], repertos fuisse, qui Iuliam *matrem patriae, ac genitricem* appellandam censerent. Ea sententia contemptim Romae habita a provinciis tamen, ut ex hoc numo perspicimus, cum plausu accepta fuit, eoque fuere liberaliores, quod totum terrarum orbem ejus utero inclusere. *Genitrix orbis* dicitur etiam in marmore Antiquariae Hispaniae reperto, quod est apud Muratorium [b]). Laurea Iuliae addita insolitus sane in femina capitis cultus est. Solis, et Lunae symbola saepius Augustorum, Augustarumque capiti addita videmus, quibus notari Aeternitatem dicetur in numis Trajani.

a) L. LVII. §. 12. b) pag. 222.

* * *

AVGVSTA. MATER. PATRIAE. *Iulia velata sedens d. pateram, s. hastam.*

IMP. CAESAR. AVG. *Caput Augusti laureatum.* AE. I. (Mus. Caes. Vaill. num. praest. T. I. p. 2, ubi et delineatus exstat, Morelli in Augusto tab. XXVII. n. 12.)

Male Vaillantius hunc numum inter aereos ex S. C. percussos recitat, cum tamen notam S. C. non offerat, certo fere constanter commatis peregrini indicio, etsi coloniae nomen abest, quod non raro in numis coloniarum Hispaniae, Galliae, et Africae abesse solet. Opus vero esse peregrinum, is, qui est in museo Caesareo, liquido comprobat. Accedit, in numis aeneis I. formae adhuc Tiberio imperante, et quidem Romae signatis nondum solita fuisse signari Augustorum capita, de qua lege plura supra memoravi in numis Augusti. Dicitur Iulia in hoc numo AVGVSTA MATER PATRIAE. Dio, et Tacitus ex aliquorum sententia Iuliae *matris patriae* titulum decretum perhibent. Illius verba paullo ante citavi; hic [a]: *alii parentem, alii matrem patriae appellandam censebant*, at uterque addit etiam, hunc honorem a Tiberio matri obnixe negatum, quod confirmat quoque Suetonius [b]). Qui titulus in urbe negatus fuit, admiserunt provinciae, perinde ac supra in Augusto vidimus, vetuisse hunc, templa sibi in urbe poni, quae tamen foris statui permisit. Dubitari possit, sitne numus hic signatus Augusto vivo, an mortuo. Vivum adserere videtur pars aversa, in qua nulla ejus consecrati comparent indicia, at omnia vivi. Tamen quoniam in numo dicitur AVGVSTA, et MATER PATRIAE, quos titulos certum est ex citatis auctoribus ei vivo marito aut non fuisse decretos, aut non oblatos, dubitari nequit, eo vita functo esse signatum.

Typus etiam anticae observatu dignus, nam occurrit frequenter in numis in urbe, et extra eam cusis, nempe: *mulier velata sedens d. pateram, s. hastam,* quo habitu persaepe Vesta in numis commatis R. sistitur. Eadem mulier comparet primum in numis aeneis II. formae Romae sub Tiberii trib. potestate XVII. signatis, deinde in numo D. Augusti in hujus moneta descripto, extra urbem vero in copiosis numis urbium Hispaniae, et in Africa Vticae, et Hipponis. Dubium non videtur, hac effigie etiam in numis Romanis exhiberi Iuliam, cum ea plene referat effigies illas, quae sunt in numis dictarum urbium, et in praesente, non raro etiam additur ipsius Augustae nomen. Praeterea cum tot urbes, atque inter se longe dissitae eadem omnino forma ac cultu Iuliam effinxerint, necesse est, eas certum aliquod, et late conspicuum, et fors auctoritate publica decretum exemplar prae oculis habuisse, secundum quod ejus imaginem in moneta sua conformavere. Non desunt ejus exemplaris in ipsa urbe aliqua indicia. Teste Dione [c]) Livia ex filii Drusi morte languida solatii causa statuis donata fuit.

a) Ann. I. 14. b) in Tib. c. 50. c) L. LVI. §. 2.

Videntur eae aliquam numinis speciem prae se tulisse, ut supra Iuliam deae Pietatis specie propositam vidimus, atque verisimiliter Vestae, quoniam ejus sedentis habitu toties, ac tam diversis ab urbibus expressam habemus. Et cum Vesta quidem Iuliae aliquid intercessisse communionis, citatus supra numus non obscure indicat, in cujus antica verisimile dixi esse propositum caput Iuliae sub Pietatis habitu, et in aversa est Vesta sedens. Sane et Ovidio dictam Vestam videmus [a]):

Esse pudicarum te Vestam, Livia, matrum.

Novi, quid opponi possit. Verisimile nempe non videri, Tiberium, qui matris suae cupiditati eo restitit, ut *non ullum insignem honorem eam recipere publice pateretur* [b]), permisisse matris effigiem deae Vestae attributis palam in urbe decorari, et qui divinos honores mortuae negasset, eos adhuc vivae deferri non adversatum. At videmus, Tiberium quoque in numis aeneis I. formae, qui inscribuntur: *civitatibus Asiae restitutis*, omni numinis cultu palam propositum. Sedet nimirum ipse, d. pateram praefert, s. hastam, supposito pedibus scabello, quae omnia unita praesentem deum arguunt. Ex quo colligere licet, Tiberium, etsi publice praeferret, se divinos honores aspernari, tamen non adversatum iis, qui ejus simulacro divini cultus speciem addidere. Quare neque adversatus videtur iis, qui simili honore matrem adfecere, et quidem mox ab adito imperio, quo tempore propter recentem impetrati imperii memoriam plus adhuc matrem observaverat. Qua in re operae pretium animadvertere, hanc Iuliae effigiem Vestae ritu sedentis primum reperiri in numis Tiberii cum ejus trib. potestate XVII., quam ille inchoavit V. C. 768, nempe anno Augusti mortem consequente. Ergo ea statua paullo post Augusti mortem ab adulante senatu fuerit posita, et ab ea exemplum in provincias datum. Quin multo adhuc serius, nimirum V. C. 776 permisit Tiberius Asianis petentibus, ut sibi, et matri templum apud Smyrnam statueretur [c]). Videtur igitur honores aliquos interdum matri non invidisse, modo non essent ejus generis, qui principatus in rep. administranda speciem praeferrent.

* * *

AVGVSTA. MATER. PATRIAE. VIBII. *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam.*

IMP. TI. CAES. AVG. COS. III. *Caput Tiberii laureatum.* AE. I. (Theupoli p. 664.)

En alterum numum, a priore solo principis capite diversum. Eum auctor ejus catalogi Vticae vindicat. Opportune istud, sed tamen de lectione Vibii dubito.

* * *

SALVS. AVGVSTA. PERM. AVGVSTI. *Caput muliebre nudum.*

IVLIA. AVGVSTA. C. A. E. *Iulia sedens d. spicas, s. hastam.* AE. I. (Florez in numis Emeritae.)

---

a) De Ponto L. IV. ep. XIII. v. 29. b) Suet. in Tib. c. 50. c) Tacit. Ann. IV. c. 15.

Pars antica haud dubie deprompta est ex Romanis Tiberii numis, ut universim observo, Hispaniae urbes typos ex ejus imperatoris numis frequentes mutuatos. In aversa videmus Iuliam, quam jam sub Vestae, Pietatis, Iunonis, Dianae persona conspeximus, nunc etiam Cereris specie sisti. Non ab Hispaniae tantum urbibus Cereris ritu culta est Iulia, nam repertum est in insula Gaulo marmor, quod servavit Muratorius a), in quo legitur:

CERERI. IVLIAE. AVGVSTAE
DIVI. AVGVSTI. MATRI
TI. CAESARIS. AVGVSTI. etc.

Etiam in numis Hipponis Africae sedet instar Cereris, quin et eundem typum mox dabimus in ejus consecratae numo Romano. Nomen ΚΑΡΠΟΦΟΡΟΥ, quod ei tribuitur in numo, qui infra in moneta Iuliae Augusti filiae describetur, ex Cereris quoque natura est. ΠΡΟΝΟΙΑ, *Providentia*, dicitur in basi marmorea, quae exstat Athenis, cujus epigraphe incipit: ΙΟΥΛΙΑΝ. ΘΕΑΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΝ. ΠΡΟΝΟΙΑΝ b):

* * *

PIETATIS. AVGVSTAE. C. C. A. *Caput muliebre velatum.*

IVNIANO. LVPO. PR. C. CAESAR. C. POMPON. PARRA. IIVIR. *Templum 4 columnarum.*

PIETATIS. AVGVSTAE. C. C. A. *Templum 6 columnarum.*

TI. CAESAR. *etc.* TR. POT. XXX. *Tiberius togatus sedens d. pateram, s. hastam.*

Vterque numus est coloniae Caesaraugustae. Prior certe signatus est imperante Tiberio, nam offert in aversa Iunianum Lupum praefectum, tum C. Caesarem, subinde Augustum, et C. Pomponium Parram IIviros, qui omnes memorantur etiam in numo Tiberii c). Numus alter indicio tribunatus XXX. cusus est intra annos V. C. 781 et 782, quorum hic fuit Liviae postremus. Existimat Florezius, in his numis exhiberi templum, quod Caesaraugustani honori Tiberii, et matris Iuliae posuerint. Revera, inquit, teste Tacito d) venisse legatos Hispanos, orantes, ut exemplo Asiae delubrum Tiberio, matrique ejus exstrueretur. Verum is venisse legatos non ex Hispania citeriore, in qua sita Caesaraugusta, sed ulteriore narrat, et Tiberius huic eorum voluntati potius restitit. Accedit, templa in his numis proposita diversae esse structurae, non unum idemque utriusque honori dicatum. Verior igitur videtur sententia, Caesaraugustanos cognita Tiberii in matrem pietate PIETATI. AVGVSTAE in templis suis sacrificasse secundum ea, quae supra ad numum inscriptum PIETAS observavi.

DIVA IVLIA.

Iulia non continuo post excessum coelestes honores nacta est, Tiberio, cui invisa pridem mater fuit, id palam prohibente, quasi, ut ferebat, istud ipsa noluisset e). Nepos Claudius magis in aviam propensus, quam in matrem filius,

a) Pag. 222. n. 3. b) Antiquit. of Athens. p. 6. c) Florez. tab. IX. n. 3. d) L. IV. c. 37. e) Tacit. Ann. V. 20. Suet. in Tib. c. 51. Dio L. LVIII. §. 2.

ei *divinos honores*, *et Circensi pompa currum elephantorum Augustino similem decernendum curavit* a). Et Seneca b): *Divam Augustam aviam suam*, *quam ipse deam esse jussit*. Omnes ergo numi, in quibus Iulia divae nomine decoratur, inde a Claudio signati sunt.

DIVA. AVGVSTA. *Iulia sedens d. spicas*, *et florem papaveris*, *s. facem*.

DIVVS. AVGVSTVS. S. C. *Caput Augusti radiatum*. AE. II. (Mus. Caes.)

Claudii singularem in Augustum, et Iuliam pietatem commemorat Suetonius c): *Conversus hinc ad officia pietatis jusjurandum neque sanctius*, *neque crebrius instituit*, *quam per Augustum*, agitque continuo de honoribus Iuliae supra recitatis. Et Dio d): *Aviam Liviam non modo certaminibus equestribus honoravit*, *sed consecravit etiam*, *ejusque effigiem dedicavit in templo Augusti*, *ac rem sacram ei fieri a Vestalibus mandavit*, *mulieresque per nomen ejus jurare jussit*.

AVGVSTVS. AVGVSTA, in numis Neronis aureis, et argenteis, quos vide.

DIVA. AVGVSTA. *Iulia stans d. pateram*, *s. hastam*.

IMP. SER. GALBA. CAESAR. AVG. *Caput Galbae laureatum*. AV. AR. (Mus. Caes.)

Quae fuerint Galbae causae observandi Liviam, in ejus numis dicetur.

DIVA. IVLIA. AVGVSTA. *Caput Iuliae spicis coronatum*.

Sine epigraphe. Ipsa sedens in bigis elephantorum d. hastam, *s. ramum praetendit*. AR. (Harduin in Plinii Tom. I. tab. VI. ad pag. 401.)

Numus hic, si modo genuinus, de quo dubitem, ad hanc Iuliam certe pertinet, suadente etiam curru elephantorum, de quo mox egi. Harduinus eum Iuliae Augusti filiae adjudicat, quam istud inique, dicetur in hujus numis.

DIVAE. IVLIAE. AVGVSTI. FILIAE.

DIVVS. AVGVSTVS. PATER.

Numum sic obiter citat Spanhemius, eumque haud ignotum vocat e). Qualiscunque est fidei, contra historiam non peccat, ut ex dictis patet.

Numi spurii.

DIVA. LIVIA. DIVI. AVG. *Caput Liviae velatum*.

CONSECRATIO. S. C. *Pavo*. AE. I. (Morelli.)

De numi hujus fide magnopere dubitat commentator Havercampus f), cum quod *Livia* pro *Iulia* legitur, tum quod eum ex Octavio Strada haustum testatur. Tamen Erizzus visum sibi eundem numum ait, sed spectata fabrica multo serius percussum g). Crederem verius, numum inter adulterinos ablegandum. Alioqui quis ignorat, in priscorum antiquariorum indiciis ἀκρίβειαν passim desiderari? Ad haec verbum CONSECRATIO ante Trajani imperium numis inscriptum non fuit. Grata tamen fuit Harduino ejus mentio, quod confirmare sententiam suam videbatur, Liviam scilicet nunquam dictam fuisse Iuliam. Mecum si sensisset praeclarus Bi-

a) Suet. in Claud. c. 11. b) in Apocoloc. c) in Claud. c. 11. d) L. LX. §. 5. e) Tom. II. p. 273. f) pag. 477. g) Discors. p. 102.

mardus, necesse non fuisset, in ejus numi explicatu ad tuendam historicorum fidem uti effugio, parum, ut videtur, ad persuadendum idoneo.

De spuriis Liviae aureis, in quibus hinc PIETAS, illinc VESTA. S. C., actum supra.

PRETIVM.

Aurei, et argentei Liviae vivae - - - - -	O.
Signati sub Nerone, et Galba - - - - - -	C.
Aenei I. formae comm. R. cum ejus solum epigraphe sub Tiberio - - - - - - - -	C.
Aenei II. formae comm. R. cum nomine DIVAE -	C.
— — In numis Tiberii sub capite Pietatis, Salutis, Iustitiae - - - - - - - -	C.
Aenei III. formae comm. R. - - - - - -	O.
Aenei omnis formae urbium Graecarum, vel coloniarum	R.
Alexandrini - - - - - - - - - -	R.

OCTAVIA.

C. Octavio, et Atia progenita, soror Augusti, Suetonio dicta Octavia minor a). Iam ante, quam bellum civile cum Pompejo erumperet, nupta fuit C. Claudio Marcello, qui etsi hoc pacto I. Caesaris esset adfinis, (nam fuit Octavia Iuliae sororis suae neptis) tamen in consulatu suo, quem V. C. 704 gessit, Caesaris consiliis acerrime restitit b). Fertur etiam a Iul. Caesare Pompejo fuisse destinata ad retinendum inter se, et Pompejum necessitudinem c)*). Mortuo V. C. 714 marito Marcello, et circa idem tempus Fulvia M. Antonii uxore

---

a) In Aug. c. 4. b) Dio L. LX. §. 59. Suet. in Iulio c. 27. c) Suet. l. c.

*) His omnibus palam contradicit Plutarchus, cujus verba sunt: (in M. Anton. p. 929 E.) *Erat Caesari soror Octavia major, at non ex eadem matre. Nata enim est ex Ancharia, at ipse serius ex Atia.* Pergit deinde narrare, eam primum Marcello, deinde M. Antonio nuptam fuisse. Certum sane, Augusto binas fuisse sorores Octaviae nomine, quarum una fuit filia Octavii et Anchariae, altera ejusdem Octavii, et Atiae, eodem ergo patre et matre genita, ut dixi in Augusto sub initium. At vero non Octaviam Anchariae, quod vult Plutarchus, sed Octaviam Atiae fuisse Marcelli, deinde Antonii uxorem, manifeste colligitur ex Suetonio narrante, (in Iulio c. 27.) Iul. Caesarem ad retinendam Pompeji necessitudinem desponsare ei voluisse Octaviam sororis suae Iuliae neptem, quae C. Marcello nupta erat. At Octavia Anchariae dici non potuit Iuliae neptis. Deinde idem

frater Octavianus eam adhuc praegnantem cum M. Antonio copulavit postulantibus istud bonis omnibus, quo firmius esset inter utrumque IIIvirum saepe dissidentem pacis vinculum [a]). Revera ortas triennio post lites feliciter composuit, maritumque in Orientem comitata est, qui tamen in Corcyram appulsus in Italiam redire illam jussit, per causam, ne periculorum belli Parthici consors esset [b]). Subinde V. C. 719 iter ad maritum ingressa, sed ab Antonio accepto ejus propositi nuncio subsistere Athenis jussa est, Cleopatra nihil non agente, ut eam ab Antonii conspectu arceret [c]). Nam Octaviam sic amaverat Antonius, ut tamen Cleopatram praeferret. Quare Romam regressa habitavit in mariti domo educandis suis cum ex Marcello, tum Antonio liberis sedulo intenta, donec V. C. 722 aperto jam inter utrumque IIIvirum bello inde per vim extrusa, ac repudiata esset. Deinceps a fratre Augusto, cui propter prudentiam ac morum integritatem chara comprimis fuit, liberaliter habita mortem demum oppetiit secundum Dionem V. C. 743, secundum Suetonium, ut ex ejus verbis colligitur [d]), anno sequente. Ejus insignes virtutes luculente praedicat Plutarchus in vita Antonii variis locis, praecipue cum eam *χρημα θαυμαςον γυναικος*, *mulierem admirabilem* appellat [e]), et Seneca [f]).

Proles ex Marcello.

I. *M. Marcellus*, de quo mox.

II. *Marcella major*, cujus res incertae.

III. *Marcella minor*. Ea primum Agrippae nupsit, verum mortuo Marcello Augustus consentiente Octavia jussit Agrippam repudiare Marcellam, filiamque suam Iuliam Marcelli viduam sibi sociare. Marcella subinde Iulo Antonio nuptui data est [g]).

Ex M. Antonio.

I. *Antonia major*, nupta L. Domitio Ahenobarbo Neronis avo.

II. *Antonia minor*, nupta Druso Liviae filio. Quam minorem alii vocant, Tacito dicitur major, ut dicetur infra in numis Antoniae Drusi.

---

a) Appian. B. C. L. V. c. 64. Dio L. XLVIII. §. 31. Plut. in Ant. p. 929. b) Dio L. XLVIII. §. 54. Appian. B. C. L. V. c. 95. c) Plut. l. c. p. 940. d) in Aug. c. 61. e) in Anton. p. 929. f) Consol. ad Marciam c. 2. et ad Polybium c. 34. g) Plut. in Ant. p. 955. Vellcius L. II. c. 93. Suet. in Aug. c. 63.

hic Marcellus a Dione dicitur Iul. Caesaris *per nuptias adfinis*, *ἐξ ἐπιγαμιας προσηκων*, (L. XL. §. 59.) qui tamen eam adfinitatem obtinere non poterat ducta Octavia Ancharia, quae ad Caesaris domum non pertinuit, sed altera Atiae. Consentit denique Tacitus quoque, qui Domitium Ahenobarbum Agrippinae jun. maritum *propinquum Caesaribus sanguinem* vocat, *nam is aviam Octaviam praeferebat*. (Annal. IV. 75.) Atqui Octavia Octavii, et Anchariae filia Caesarum sanguis dici non potuit.

Numi:

Desunt numi commatis Romani. Ex peregrinis insignis praestantiae est sequens:

DIVVS. AVG. IMP. OCTAVIA. *Capita adversa Augusti, cui superne imminet astrum solis, et Octaviae, supra quam lunula.* TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. VII. P. M. *Caput Tiberii nudum.* AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Cui provinciae numus hic natales suos debeat, incertum. Videtur eo fine signatus hic numus, ut intelligatur, Tiberium ad Augusti familiam, in quam adoptatus tantum fuit, pleno jure pertinere. Praeclari hujus cimelii jam olim meminit Frölichius a).

* * *

Caput Octaviae a multis creditur sisti jugatum cum capite mariti Antonii in numis cistophoris, variisque aeneis praefectorum classis ejus IIIviri. Verum sunt eruditi alii, qui muliebre illud caput esse Cleopatrae existimant, de qua lite multa disputavi in numis aeneis M. Antonii. Rursum alii Octaviae caput jugatum cum capite M. Antonii viderunt in numo Sinopes Paphlagoniae, sed eos fuisse deceptos, demonstravi in numis ejus coloniae.

Alium etiam Corcyrae protulerunt eruditi, in quo comparent Antonii et Octaviae capita jugata adjecta insuper utriusque epigraphe, sed hanc a falsario scite fuisse intrusam, dixi in moneta hujus insulae.

Certum igitur illustris hujus feminae caput habemus in numo unico musei Caesarei, quem recitavi.

MARCELLVS.

M. Claudius Marcellus natus patre C. Claudio Marcello, et Octavia Augusti sorore, ac verisimiliter circa annum V. C. 710, nam fuit senior Tiberio, nato V. C. 712. Vt pax inter Octavianum, et Sex. Pompejum firmaretur, ei anno V. C. 715 desponsa est Pompeja ejusdem Pompeji filia b). Res tamen eventu caruit. V. C. 729 duxit Iuliam Augusti filiam, ac cum haud dubius esset patrui in imperio successor, is honores ejus maturavit, sic ut admodum adolescens pontificatu, et aedilitate, aliisque honoribus extraordinariis ornaretur c), verum spes omnes mors praematura incidit V. C. 731 suspectis de ea Liviae consiliis Tiberio suo intentae d). Praeclarae ejus juvenis indolis praecones locupletes fuere Seneca e), et Virgilius f).

Numi spurii aut suspecti.

Caput juvenile nudum.

---

a) Animadv. in num. urb. p. 123 edit. Flor. b) Dio L. XLVIII. §. 38. Appian. B. C. L. V. c. 73. c) Tacit. Ann. L. I. c. 3. Dio L. LIII. §. 25. d) Dio L. LIII. §. 30, 33. e) Consol. ad Marciam c. 2. f) Aen. VI. sub fin.

P. LICINIVS. STOLO. PRAEF. VRB. IIIVIR. A. A. A. F. F. *Clypeus, pars navis, pharetra, apex pontificalis.* AE. max. mod. praegrandis voluminis. (Mus. Caes.)

Caput puerile nudum.

P. LICINIVS. STOLO. IIIVIR. A. A. A. F. F. *in medio:* S. C. AE. I. (Morelli in Aug. tab. XXV. n. 19. ex mus. reg. Gall. Spanheim ex Mus. Medic. Tom. II. p. 316.)

Numus prior ex Romano Carthusianorum museo in Caesareum migravit, et caput anticae pro Marcello venditatum fuit, quo nomine, etsi ex aliorum potius sententia, editus est a Frölichio in Cimelio Vindobonensi parte II. Eundem delineatum stitit Havercampus inedito a se Orosio ad L. VI. c. 20, at in eo caput Augusti agnoscit. Vtrique tamen erudito viro numisma suspectum videtur. At me judice non inter suspecta, sed palam adulterina ablegabitur, quod mihi illud adcurate contemplanti ex fabrica, aliisque modis facile patuit. Et ridiculum sane, *praefectum urbis*, quod munus nonnisi viris summis, et ab aliis honoribus conspicuis delatum fuit, eodem tempore fuisse etiam IIIvirum monetalem, quae dignitas prima fuit iis, qui ad remp. accesserunt.

Numum alterum Havercampus Caji Caesaris esse putat [a]), Spanhemius Marcelli. Alii juvenem Augustum praetulere. Mihi hi quoque numi adulterini videntur cum ob alias causas, tum quod sub Augusti imperio rarissime in aeneis I. formae capita signari sint solita.

M. AGRIPPA.

M. Vipsanius Agrippa tam obscuris natalibus ortus fuit, ut ipse Vipsanii nomen quasi argumentum paternae humilitatis tolleret, et se tantum M. Agrippam dici vellet [b]), nolletque Caligula ob ignobilitatem ejus se vel nepotem credi, vel dici [c]). Cum Plinius eum dicat mortuum quinquagesimo primo aetatis anno, et Nicolaus Damascenus Augusto majorem natu adserat, eruit ex his testimoniis Norisius, Agrippam natum ineunte anno V. C. 691 [d]). A puero simul cum Octavio educatus, ac singulari amicitia conjunctissimus fuit [e]). Apolloniae etiam cum eo versabatur, cum nuncius de caede I. Caesaris adlatus est [f]). Arduum deinde suum ac plenum periculis propositum urgens Octavianus nihil egit, nisi conscio, duce, ac adprobante Agrippa. Hujus virtuti debuit summotum Sex. Pompejum, exutum imperio M. Antonium, victos Cantabros, et Astures, Bosporanos ad obsequium revocatos, et pacatam postrema expeditione Pannoniam, quae bella omnia supra in Augusto per annales digesta reperies. Meritorum praemia fuere consulatus terni, quorum pri-

a) Ad Morellii Impp. p. 351. b) Seneca L. II. controvers. XII. sub. fin. c) Suet. in Calig. c. 23. d) Cenot. Pis. diss. II. c. 2. e) Nicol. Damasc. de educ. Tug. f) Suet. in Aug. c. 94.

mum gessit V. C. 717., alterum 726, tertium 727. Quin et anno V. C. 733 generum sibi Augustus adscivit data ei in matrimonium filia Iulia inde ab anno 731 M. Marcelli vidua, suadente istud Maecenate his verbis: *tantum jam Agrippam fecisti, ut vel gener tuus fiat, vel occidatur necesse sit* [a]). V. C. 736 tribuniciam ei potestatem contulit [b]) subinde V. C. 741 in aliud quinquennium prorogatam [c]). Anno demum V. C. 742 redux e bello adversum Pannonios in Campania morbo exstinctus est mense Martio Augusto Romae quinquatrus peragente [d]). Vir fuit inter summos, quos orbis unquam tulit, numerandus, quam laudem jure sibi vindicat cum propter res bello ac pace praeclarissime gestas, tum quod cum hac laude incredibilem moderationem, raro in homine tantae fortunae exemplo, conjunxit, et, si Agrippa minus est in ore hominum, quam tanta virtus videbatur promereri, in causa est, quod rerum gestarum gloriam magis virtuti Augusti, quam suae tribuendam credi voluit. Ad honores non accessit, nisi ad eos vocatus, multosque ultro oblatos, ut triumphos ac titulos, tanquam non sibi, sed uni Augusto debitos, recusavit. Atque ea quidem modestia non solum versus principem, sed ejus etiam domum fuit. Sane cum Augustus V. C. 731 gravi valetudine ad extrema deductus suum Agrippae annulum tradidisset, eumque honorem tanquam sibi debitum Marcellus invideret, ipse recreato mox Augusto, ut omnem juveni affectati imperii suspicionem adimeret, in Asiam concessit [e]). Nihil vero magis admirere, quam aequabilem ejus, ac perpetuo sibi constantem propositi rationem. Nam cum a tenero instituisset, omne suum ingenium ac vires ad unum ornandum Augustum conferre, in eo consilio usque ad vitae finem perseveravit, et si quando hic ejus consiliis non obtemperaret, tantum abfuit, ut animum obstinaret, ut etiam Augustum multo alia volentem egregie, ac fideliter adjuvaret. Sic cum is V. C. 725 bellis civilibus penitus profligatis auctor principi restituendae reip. esset, sed hic Maecenatis consilium secutus principatum retinere pergeret, non modo inique non tulit suam fastidiri sententiam, verum etiam converso consilio, quidquid in se erat opis, ad stabiliendum Augusto, et administrandum sancte et integre imperium contulit, effecitque, ut aut non sentiret populus conversum reip. statum, aut libertatem veterem non magnopere desideraret. Quo praeclaro instituto consecutus est, ut non haberet antiquitas perfectius aliud eorum exemplar, quos ministros regios, aut consiliarios appellamus, atque ipse a fastu omni, ac ambitione alienus major esset invidia, quae vulgo inconsultos principum amicos solet evertere. Cum bellica gloria pacis etiam artes egregie conjunxit. Cum seditionem res spectabat seu in urbe, seu provinciis, praesto continuo fuit Agrippa ab Augusto missus, cujus praesentis

a) Dio L. LIV. §. 6. b) Dio L. LIV. §. 12. c) ibid. §. 28. d) Dio l. c. e) Dio L. LIII. §. 30 seq.

auctoritate dissidia mox conquievere. Neque minus in reliqua ejus vita eluxere magnificentia, liberalitas, artium honestarum studium, animi excelsi certa argumenta, quas ille naturae dotes edendis spectaculis, exstruendis aedibus publicis, aquis in urbem deducendis, quorum operum pars hodieque Romae perdurat, abunde vulgavit. Mortuus summus hic vir ad maximos elatus honores, non virtute bellica magis, quam sapientia vitae acquisitos, gener Augusti, eique per tribuniciam potestatem paene aequatus, viditque ante obitum filios Cajum et Lucium in Caesaris familiam adoptatos. Mortuum non populus magis, quam Augustus ipse luxit, ejusque ossa illata sunt ipsius Augusti mausoleo [a]). Ejus historiam praeclare conscriptam a Blondio vide in Memoriis Paris. Inscript. Tom. XL. p. 37.

Vxor I. *Pomponia* T. Pomponii Attici Ciceroni perfamiliaris filia, nuptiarum conciliatore M. Antonio IIIviro. Ex his nata *Vipsania Agrippina* prima Tiberii uxor, de qua in Tiberio. Vide Corn. Nepotem [b]), et Senecam [c]).

Vxor II. *Marcella minor* Octaviae filia, ex qua habuisse liberos, testatur Suetonius [d]).

Vxor III. *Iulia* Augusti filia. Hanc repudiata priore duxit V. C. 733, quo ex matrimonio nati sibi *Cajus*, *Lucius*, *Agrippa* postumus, et proles feminae *Agrippina* nupta Germanico, et *Iulia* nupta L. Aemilio Paulo [e]), sed deprehensa in D. Silani adulterio ab Augusto in Trimetum maris Adriatici insulam ejecta tolerato XX. annorum exilio mortua est V. C. 781 [f]).

Numi:

M. AGRIPPA. COS. DESIG. *scriptum in area numi.* *Caput Octaviani vel solum, vel addito capite I. Caesaris.* AV. AR. (Morelli in fam. Vipsan.)

Numos hos signatos fuisse ante annum V. C. 717, supra in numis Augusti docui.

M. AGRIPPA. PLATORINVS. IIIVIR. *Caput Agrippae corona murali mixtis navium rostris redimitum.* CAESAR. AVGVSTVS. *Caput laureatum.* AV. (Mus. Caes.)

Alii, sed caput Agrippae nudum. AR. (Mus. Caes.)

Notanda primum in hoc numo corona ex navium rostris contexta, quam *navalem*, *classicam*, *rostratam* vocant veteres. Hanc ei impertivit Octavianus victo pugna maritima Sex. Pompejo, quo honore nullum unquam Romanorum ornatum passim adserunt scriptores, et quidem Velleius [g]), Livius [h]), Seneca [i]), Dio, qui eam coronam praeterea auream vocat [k]). Sed Plinius coronam rostratam etiam M. Varroni a Pompejo M. ex piraticis bellis datam dixit [l]). Hanc Maro eleganti carmine celebrat [m]):

a) Pedo Albinov. de morte Drusi. b) in vita Attici. c) Epist. XXI. d) in Aug. c. 63. e) Suet. in Aug. c. 64. f) Tacit. Ann. III. c. 24 et IV. c. 71. g) L. II. c. 81. h) in epitome L. CXXIX. i) de benefic. c. 32. k) L. XLIX. §. 14. l) L. XVI. §. 3. m) Aen. VIII. v. 682.

Parte alia ventis, et dis Agrippa secundis
Arduus, agmen agens, cui belli insigne superbum
Tempora navali fulgent rostrata corona.

Et Ovidius loquens de Agrippa a):

Navalique gener cinctus honore caput.

Observanda deinde corona muralis, seu turrita. Quo eam tempore promeritus fuerit, ex veteribus non eruo. Platorinus ad familiam Sulpiciam pertinet.

* * *

M. AGRIPPA. COS. TER. COSSVS. LENTVLVS. *Caput Agrippae corona murali et rostrata decorum.*

AVGVSTVS. COS. XI. *Caput laureatum.* AV. AR. Restitutus in AR. a Trajano. (Morelli, Mus. Caes.)

* * *

M. AGRIPPA. L. F. COS. III. *Caput cum corona rostrata.*

S. C. *Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem.* AE. II. Restitutus a Tito et Domitiano.

Numus hic, si quis alter, obvius. Neptunus ad Agrippam jure pertinet, qui maxima bella, Siculum, et Actiacum mari confecit, quique Sex. Pompejum, qui Neptuni se filium palam ferebat, maris dominatu exuit. Corona rostrata Agrippam ab Octaviano post victoriam Siculam honoratum supra diximus. Post Actiacam dono accepit caeruleum vexillum b), nempe ex undae marinae colore, ut et Sex. Pompejus, quo se certius Neptuni filium faceret, paludamento caeruleo usus est teste Appiano.

* * *

M. AGRIPPA. L. F. COS. III. *Caput Agrippae laureatum.*

TI. CAES. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXIIII. *in medio numi* S. C. AE. II.

Numi hujus duplex exemplar reperit Panelius, quorum unum fuit in museo Foucault, nunc Farnesiano, eoque praeeunte docuit, nequaquam Augusto imperante mortuum Agrippam, quod prodidit scriptorum grex, sed vixisse adhuc sub Tiberio, et quidem in ejus trib. potestate XXIIII. id est, anno V. C. 775, adhibitumque ad bella gerenda pro rostrata lauream sibi coronam emeritum c). Huic prodigio aut nemo habeat fidem, aut aeque credat Liviana illa: bovem in Aventino locutam, et similia. Qui sobrie judicabunt, horrebunt turbare pios Agrippae manes, sed potius statuent, restitutam memoriam ejus viri, cujus Tiberius per filiam Vipsaniam Agrippinam fuit gener, quamque a marito eximie fuisse dilectam constat. Istud plane persuadet numus alius praesenti simillimus, et in eodem Tiberii tribunatu cusus, nisi quod pro imagine Agrippae habet imaginem Augusti eum epigraphe: DIVVS. AVGVSTVS. PATER, quem vide in numis Tiberii ad annum V. C. 775. Ergo quo tempore Tiberius renovavit memoriam patris Augusti, eundem etiam honorem habuit Agrippae, cujus virtuti Augustus, et quod sequitur, Tiberius quoque summum fastigium debuere.

a) In Arte L. III. v. 392. b) Dio L. LI. §. 21. c) de Numo Tarracon. p. 76.

Numi restitutionum.

Eos supra descriptos vide in tractatu de numis restitutionum.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

Numum Graecum cum Agrippae capite satis certum non habemus. Vaillantius in numo Alabandae hujus effigiem vidit, sed jam ad hanc Cariae urbem monui, propter variantes editorum descriptiones judicium istud non satis firmum videri. Goltzianus, quem Morellius in Agrippae numis postremum edidit, tuto potest contemni. Sestinius nuper Ephesium cum Agrippae, et Iuliae capite vulgavit [a]), sed quem vix genuinum puto, ut dixi in moneta Ephesi. Miror, ab his urbibus Agrippae honores numismaticos negatos, cum tamen satis diu Orienti cum imperio praefuerit, et de earum in Agrippam affectu, aut verius adulatione ex antiquo marmore constet: Ο. ΔΑΜΟΣ. ΘΕΟΝ. ΣΩΤΗΡΑ. ΤΑΣ. ΠΟΛΙΟΣ. ΜΑΡΚΟΝ. ΑΓΡΙΠΠΑΝ. ΤΟΝ. ΕΥΕΡΓΕΤΑΝ. ΚΑΙ. ΚΤΙΣΤΑΝ. Repertum istud fuisse in Lesbo testatur Chishull [b]), et sane diutius in Lesbo moratum Agrippam, testatur Dio [c]).

Achullae Byzacenes Africae numum insignem suo loco descriptum vide, cujus epigraphe est Latina, etsi colonia non fuerit, nimirum more Africae urbium magis in occidentem vergentium.

Etiam in numo Sex. Catonis procos., haud dubie Cyrenaico, ejus habetur effigies [d]). Item in numo oppidi incerti cum mentione P. QVINCTILI. VARI, quem dedimus in familia Quinctilia.

* * *

Coloniarum.

Ei monetam dedicavere Caesaraugusta, cujus numi signati sunt imperante Caligula, Gades, Nemausus.

Colonia incerta cum epigraphe C. C. I. P., de quo numo vide monetam Carthaginis.

PRETIVM.

Commatis Romani:		
	Aurei - - - - - - - - -	RRRR.
	Argentei - - - - - - - - -	RR.
	Aenei I. et III. formae - - - - - - -	O.
	II. formae - - - - - - -	C.
Commatis peregrini.		
	Vrbium liberarum - - - - - -	RRR.
	Coloniarum - - - - - - - -	R.

a) Lettere T. IV. p. 112. b) Ant. Asiat. p. 186. c) L. LIII. §. 32. d) Pellerin. Rec. I. p. XXIII.

IVLIA AVGVSTI F.

Nata ex Augusto et Scribonia V. C. 715. Biennio post desponsata Antyllo M. Antonii filio a), et si verum est, quod ex M. Antonii scriptis narrat Suetonius b), etiam Cotisoni Getarum regi. Sed haec eventu caruere: nam matrimonio tandem juncta fuit Marcello Octaviae filio V. C. 729, hoc praemature vita functo M. Agrippae V. C. 733, et post hujus mortem Tiberio V. C. 743. Mulier fuit libidinis extremae, quae corpus suum obvio cuique vulgaret, atque ea propter adsequi pronum est, quam illa gravis fuerit Agrippae, severo, ac priscorum morum viro, et erat rumor ea aetate constans, et quem neque ipse Tiberius inficiabatur, hunc non alia magis de causa secessisse Rhodum, quam ne uxoris infamiam pati coram cogeretur c). Filiae scelera Augusto diu incomperta, tandem cum atrociora essent, quam ut celari possent, tam graviter perculere patrem, ut non dubitaret, haec domus suae opprobria indicare senatui, diuque abstineret congressu hominum, quin de ea etiam morte punienda cogitaret d). Tandem detectis omnibus ejus impudicitiae exemplis, iis, qui cum ea consuevere, aut supplicio adfectis, quos inter fuit Iulus Antonius M. Antonii IIIviri filius, aut in exilium pulsis ipsa in Pandatariam relegatur V. C. 752 comitante eam ultro matre Scribonia e), tamque Augustus fuit obstinato adversus omnem clementiam animo, ut cum serius exilium deprecaretur populus, responderet, citius aquam igni mixtum iri, quam eam in patriam revocatum; cumque populus ad infirmandum ejus sententiae rigorem copiosum ignem in Tiberim dejiceret, eousque perseveravit in proposito, ut tamen redire in continentem ex insula, in qua quinquennium latuit, et habitare Rhegii addita severa custodia permitteret f). Contra vetuit testamento, eam, ejusque ex Agrippa filiam Iuliam maternae impudicitiae aemulam in suomet sepulcro humari g). Iram patris intenderint etiam consilia parricidae, quae in ea palam facta refert Plinius h). Tiberius imperium adeptus eam continuo sic clausit, ut prae aerumna et fame interire misere cogeretur eodem adhuc anno V. C. 767 i). Ceterum Macrobius in ea literarum amorem, multamque eruditionem, ac praeterea mitem humanitatem commendat, quae ingentem feminae gratiam ab ipsa fortuna auctam conciliavere, ac nonnulla ibi ejus argute dicta commemorat k).

Proles ex uno Agrippa enixa est, quas supra in Agrippa recensui.

---

a) Dio L. XLVIII. §. 54. b) in Aug. c. 63. c) Tacit. Ann. I. 53. Dio L. LV. §. 9. d) Suet. in Aug. c. 65. e) Dio L. LV. §. 10. f) Suet. c. 65. Dio l. c. §. 13. g) Suet. Dio L. LVI. §. 32. h) L. VII. §. 46. i) Tacit. Ann. I. c. 53. Zonaras. k) Saturn. L. II. c. V.

Numi:

Commatis Romani.

Horum nullus hactenus cognitus. Exstat tamen probabile ejus caput in denario C. Marii Trogi, quem in numis Augusti ad annum V. C. 737 descripsi, et quidem in consortio filiorum Caji et Lucii Caesarum.

Commatis peregrini.

ΙΟΥΛΙΑΝ. ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ. *Caput Iuliae.*

ΛΙΒΙΑΝ. ΗΡΑΝ. ΧΑΡΙΝΟC. *Caput Liviae.* AE. (Haym. Tom. II. p. 222. Vaillant.)

Numus patriam dissimulat, suspicari tamen Smyrnam, vel Pergamum facit. Signatum vivo Augusto praeter alia arguit nomen *Liviae*, quo Augusti uxor vivo marito praedita fuit. ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ, *Veneris*, nomen a Graecis per adulationem inditum cum ejus vitae infamia egregie componitur.

ΙΟΥΛΙΑ. *Caput muliebre velatum*, in numo Tripolis Cariae, quo exhiberi nostram hanc Iuliam, in ejus urbis moneta verisimile dixi.

Numum Ephesi: M. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΙΟΥΛΙΑ. *Capita Agrippae, et Iuliae*, quem vulgavit Sestinius a), valde suspectum existimo.

Ejus etiam mentio fit in numo filii Agrippae Postumi.

Soli sunt hi numi, quos sibi Iulia nostra possit vindicare. Si arbitrum Harduinum audias, cumulatas habebis ejus opes; nam ei decernendos putavit numos omnes, qui *Iuliae Augustae* epigraphen offerunt, de quo ejus perverso judicio satis disputavi in moneta Liviae, cui ii haud dubie sunt tribuendi. Nollem ad lapidem eundem offendisse insignem Pellerinium, qui sequentes binos huic Iuliae tribuit b):

ΣΕΒΑΣΤΗ. ΕΔΕΣΣΑΙΩΝ. *Caput Iuliae.*

ΤΙ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Tiberii nudum.* AE. II.

Cum Tiberius in hoc numo dicatur *Augustus*, numus hic eo imperante signatus est, qui tamen in primis curis habuit, uxorem e medio tollere. Imperium is adivit exeunte Augusto V. C. 767, et eodem adhuc anno Iuliam ad mortem adegit. Praeterea an verisimile est, Edessenos Macedoniae voluisse uxorem spretam, in Italiae angulo exulem, ipsi Tiberio propalam invisam cum marito in eadem moneta sociare, eique titulum *Augustae* addere, quem eam unquam tulisse nullo monumento probari potest? Est ergo numus hic Iuliae Tiberii matris.

ΙΟΥΛΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Caput Iuliae.*

ΚΑΡΠΟΦΟΡΟΣ. L. ΛΔ. *Manus tres spicas tenens.* AE. III.

Annus XXXIV. numo inscriptus annum imperii Augusti notare non potest. Nam etsi ejus initium figamus ad autumnum anni V. C. 723, a quo Antiochenses quoque aeram deduxere, numus hic, quoniam in hac sententia signatus esset ab autumno V. C. 756, neque Liviae, neque ejus privignae Iuliae poterit competere; non Liviae, quoniam ea hoc anno et Iuliae, et Augustae nomine adhuc caruit; non Iuliae, quia jam inde

a) Lettere T. IV. p. 112. b) Mel. II. p. 18.

a IV. annis cum ignominia in insulam ejecta fuit, neque Augusta unquam vocata est. Annus ergo hic ad propriam urbis cujuspiam epocham certo pertinet, et caput anticae certo est Iuliae matris Tiberii. Hoc cum indubitatum sit, epocha in numo notata non potuit incipere ante autumnum anni V. C. 734; nam si huic addatur annus numi 34, is signatus esset ab autumno V. C. 767, at hoc demum anno circa autumnum Livia per Augusti testamentum coepit vocari Iulia, et Augusta. Pellerinius ex fabrica conjicit, numum in aliqua Phoenices urbe signatum. Constat Augustum anno 734 in Syria moratum, et plures ejus tractus urbes ab eo anno initium tempora sua computandi sumpsisse. Teste ipso Pellerinio tam epigraphe ΚΑΡΠΟΦΟΡΟΣ, quam typus spicarum ad Cererem pleno jure pertinent; at supra, in numis Liviae abunde comprobavimus, eam passim per provincias Cereris ritu cultam fuisse, novo argumento, numum hunc Liviae vindicandum.

Nullum ergo alium hujus Iuliae certum numum habemus praeter eos, quos supra indicavi, Graecos. Pellerinius vero nimium fisus est lineamentis, juvenilioribus, quam ut senem jam Liviam decere possent. At lineamenta in numis exteris certa criteria non adferunt.

CAIVS ET LVCIVS CAESARES.

Cajus natus patre M. Agrippa, matre Iulia Augusti filia anno V. C. 734, et anno 737 statim post natales fratris Lucii ab Augusto adoptatus C. Caesar dici coepit, cumque uterque frater ex patris mente haud dubius esset imperii successor, coeperunt etiam maturari honores. Praeter minores illos, qui in numorum explicatione memorabuntur, Cajus V. C. 748 in proximum annum V. designatus consul, 749 dictus princeps juventutis. V. C. 753 in Asiam proficiscitur cum proconsulari imperio [a]), 754 hujus anni consul bellum in Parthos, qui sese Armeniae rebus miscuere, parat, idque anno sequente pace cum barbaris transacta feliciter componit. Propempticon vere aureum, quo ad hoc bellum exeuntem prosecutus est Ovidius, vide in ejus Arte [b]). V. C. 756 dum Artageram Armeniae urbem obsidet, et incautius in colloquium cum hoste procedit, per insidias grave vulnus accipit. Exin animo aeger, et jubente Augusto Romam reversus Limyrae Lyciae exstinguitur V. C. 757 die XXI. Februarii, ut praeclare ex Cenotaphio Pisano eruit Norisius [c]). Livia mortis praematurae suspicione non caruit testibus Tacito [d]), et Dione apud Zonaram.

Vxorem habuit *Liviam* Drusi et An-

a) Zonaras ex Dione. b) L. I. v. 177. seq. c) Diss. II. c. 17. d) Ann. L. I. et IV. sub fin.

toniae filiam a), nuptam subinde Druso juniori. Suetonius b), et Dio c) eam *Livillam* vocant. Proles ex ea non reliquit.

* * *

Lucius Caji frater natus V. C. 737 paullo post natales ab Augusto una cum fratre adoptatur. V. C. 750 secundum Zonaram, at ex mente Norisii V. C. 752 dictus princeps juventutis, et designatus consul post quinquennium processurus, magistratum tamen non inivit; nam V. C. 755, cum ad exercitus Hispanienses tenderet, Massiliae Galliae inopinato morbo ereptus mense Augusto, ut erudite colligit Norisius d). Detectum serius Kalendarium Antiatinum ejus inferias diei XX. Augusti adfigit.

Vxor destinata fuit *Aemilia Lepida*, ut tradit Tacitus e).

Quae ad utriusque Caesaris historiam pertinent, multo labore, et insigni adcuratione ex monumentis sibi cognitis explicavit cardinalis Norisius in opere, quod *Cenotaphia Pisana* inscripsit.

Numi CAII solius.

Commatis Romani:

AVGVSTVS. DIVI. F. *Caput laureatum, vel corona querna redimitum.*

C. CAES. AVGVS. F. *C. Caesar in equo currente s. hastam, et clypeum, retro aquila legionaria inter duo signa militaria.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Havercampus propter adstituta signa militaria credidit exhiberi Caji adversus Parthos profectionem. Verum ad militarem eamque adeo longinquam expeditionem non ibatur effreni cursu. Verisimilius est, Cajum proponi ludum Trojam obeuntem, quem eum jam septennem egisse testatur Dio ad annum V. C. 741 f). *Augustus theatrum Marcelli dedicavit, ludisque ejus rei gratia factis Trojam inter alios patricios pueros nepos Augusti Cajus lusit.* Ergo Cajus jam tum obibat munus, quod deinceps principibus juventutis proprium fuisse nonnulli existimant, et quem honorem Cajo et Lucio jam tum animo destinabat Augustus. Non turbent Havercampum signa militaria, nam hic ludus revera militaris fuit, atque ut eum Virgilius, haud dubie Cajum sub Ascanii imagine innuens, describit g):

Vade age, et Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum,
Ducat avo turmas, et sese ostendat in armis.

Quin videmus etiam, in numis sequentium Caesarum, qui inscribuntur PRINCEPS IVVENTVTIS, saepe juxta ipsum Caesarem defixa signa militaria. Sed de hoc argumento disseremus plura in tractatu de *Principe juventutis.*

* * *

Commatis peregrini.

C. CAESAR. PONT. COS. *Caput nudum.*

AVGVSTVS. PONT. MAX. *Caput Augusti laureatum.* AE. II. (Vaill. num. praest. T. I. p. 7. Morelli Impp.)

a) Tacit. Ann. IV. c. 40. b) in Claud. c. 1. c) L. LVIII. §. 11. d) Cenot. Pis. diss. II. c. 15. e) Ann. III. c. 23. f) L. LIV. §. 26. g) Aen. L. V. 548.

Numum hunc inter eos refert Vaillantius, qui senatusconsulto signati sunt; verum cum nota S. C. absit, quae in certis commatis R. hujus aetatis nunquam abesse solet, dubium non est, eum in colonia quapiam signatum, nam coloniae non raro nomen suum reticuere. De pontificatu, et consulatu Caesaris infra recurret mentio.

* * *

Colonia Traducta numos frequentes in utriusque Caesaris honorem signavit. In numo coloniae incertae ejus caput corona radiata circumdatur adposito fulmine, ut et in alio Smyrnae percusso. Vtrumque numum vide in Morellii Impp. Videntur ergo coloni Cajo et Iovis et Apollinis honores largiti, quod tribuendum provinciarum licentiae. Alterius coloniae certae numus cum capite solo Caji vix exstat.

* * *

Numos Graecos ejus nomine signavere Byzantium, Smyrna, Magnesia Ioniae, Thessalonica, aliaeque, quos vide apud Morellium, Gessnerum etc. Tripolis Cariae insignem, et integerrimum edidi ex museo Vitzaiano. (Num. vet. p. 215.)

Epigraphe in his numis est: ΓΑΙΟΣ, vel ΓΑΙΟΝ, vel ΓΑΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ, vel ΓΑΙΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΥΙΟΣ.

Numi LVCII solius.

Commatis Romani.

Hujus classis non exstant Lucii numi.

Commatis peregrini.

L. CAES. AVG. F. PRINC. IVVENT. *Caput nudum.*

AVGVST. TRIB. POT. PONT. MAX. *Caput laureatum.* AE. II. (Vaill. num. praest. T. I. p. 8. Morelli Impp.)

Perperam hic quoque numus a Vaillantio monetae Romanae inseritur, ut supra ad similem Caji numum monui. Est igitur coloniae incertae.

Coloniarum certarum numos habemus Iuliae Traductae, et Laeliae.

Vrbium Graecarum numi exstant Caesareae Bithyniae, et Elaeae Aeolidis apud Vaillantium, et Pellerinium. (Mel. II. p. 19.) Epigraphe in his: ΛΕΥΚΙΟΣ, vel ΛΕΥΚΙΟΝ. In numo Elaeae: ΛΟΥΚΙΟC. ΚΑΙCΑΡ.

Numi cum CAII et LVCII effigie.

Commatis Romani.

C. L. CAESARES. AVGVSTI. F. COS. DESIG. PRINC. IVVENT. *Cajus et Lucius velati et togati stantes d. hastam cum clypeo humi attinent, superne capeduncula, et lituus.*

CAESAR. AVGVSTVS. DIVI. F. PATER. PATRIAE. *Caput laureatum.* Obvii in AV. et AR.

C. L. CAESARES. PRINC. IVVENTVTIS. *Vterque eques citato gradu dexteram attollit.*

CAESAR. DIVI. F. PAT. PA. *Caput nudum.* AR. (Pellerin Mel. I. pag. 192.)

Egregii sunt hi numi ad illustrandam utriusque Caesaris historiam, dignique, qui per singulas partes adcuratius explicentur.

CO*n*S*ules* DESIG*nati*. Audiendus Tacitus [a]): *Nam genitos Agrippa Cajum ac Lucium in familiam Caesarum induxerat necdum posita puerili praetexta, principes juventutis appellari, destinarique consules specie recusantis flagrantissime cupiverat.* Et Suetonius [b]): *tenerosque adhuc ad curam reip. admovit, et consules designatos circum provincias exercitusque dimisit.* Quo anno consules designati fuerint, definit marmor Ancyranum: *Honoris mei causa senatus populusque R. annum quintum et decimum agentis* (Cajum et Lucium) *consules designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium.* Secundum haec verba Cajus natus V. C. 734 anno demum 748 agebat annum XV., ac tum designatus est consul. In marmore, quod ex Panvinio citat Norisius [c]), legitur de eodem Cajo: *quem cos. populus creavit ann. nat. XIV.*, ergo in hoc lapide annorum tantum completorum habetur ratio. Revera Cajus post quinquennium, ut ait Ancyranum, excluso nimirum anno 748 processit consul V. C. 754. Cum secundum verba ejusdem marmoris eodem modo actum fuerit cum fratre Lucio, isque natus sit V. C. 737, necesse est eum designatum consulem V. C. 751, vel ex mente Norisii 752, utque ex eadem lege magistratum iniret V. C. 757, at quo minus id fieret, morte praeventus est.

PRINC*ipes* IVVENT*utis.* Hunc iis honorem tributum, historici, numi, marmora affatim testantur. In Cajo tempus definit Zonaras, factum nimirum istud V. C. 749, cumque idem referat, anno sequente Lucium eosdem consecutum honores, quos superiore Cajum, apparet, hunc titulum cum Lucio communicatum V. C. 750.

Stat uterque velatus, et togatus, habitu nimirum sacro, superne hinc lituus, inde capeduncula, quorum situs in numis variat teste Pedrusio [d]), sic ut in aliis sit lituus ex parte dextera, in aliis sinistra. Capeduncula certo ad Cajum pertinet, nam teste Dione sacerdotium abstulit V. C. 748. Caji pontificatus comprobatur etiam ex numismate supra in ejus solius moneta citato, in quo is dicitur PONT. COS., et inscriptione Gruteri [e]):

C. CAESARI. AVGVSTI. F.
PONTIFICI. COS.
DESIGNATO.
PRINCIPI. IVVENTVTIS.

Lituus refertur ad Lucium Caes., utpote auguratus indicium. Fuisse eum augurem, probat marmor Gruteri eodem loco vulgatum:

L. CAESARI. AVGVSTI. F.
AVGVRI. COS.
DESIGNATO.
PRINCIPI. IVVENTVTIS.

quibus adde marmora alia ibidem proposita cum iisdem titulis.

Hastam et clypeum uterque Caesar tenet. Vtrumque armorum genus ab ordine equestri accepere, cum principes juventutis appellati sunt. Narrat Dio [f]): Caji et Lucii vita functorum *parmas et hastas, quas aureas ab equitibus, cum virilem togam sumerent, accepere,*

---

a) Ann. L. I. c. 3. b) in Aug. c. 64. c) Cen. Piss. dis. II. c. 3. d) Mus. Farnes.
e) pag. 234. 4. f) L. LV. §. 12.

in curia suspensas. At hae in monumento Ancyrano majoris fidei argenteae dicuntur: *Equites autem Romani universi principem juventutis utrumque eorum parmis et hastis argenteis donatum appellaverunt* [a]). Simili clypeo Neronem principem juventutis ab equestri ordine donatum ejus numus docet.

Hi numi signati sunt intra annos V. C. 752 et 753, non prius, nam Augustus, qui in illis *pater patriae* nuncupatur, anno primum 752 hunc titulum abstulit; non serius, nam anno 754 Cajus non amplius erat *consul designatus*, sed reipsa consul. Ex imperatorum numis non alios magis prae his barbarae monetariorum officinae imitari amabant; tantus eorum numerus operis plane inculti, aut verius ridendi superat.

Numus alter insignis est, primum quia rarissimus, ex uno nempe Pellerinio cognitus, deinde quia eundem hunc typum serius imitatus est Caligula in Drusi et Neronis Caesarum numis.

* * *

Commatis peregrini.

In paucis numis urbium *non coloniarum* utriusque simul exhibentur capita. Sistuntur in numis Alabandae Cariae, Achullae Byzacenes, Pergami Mysiae, (Pellerin. Mel. II. pag. 19.) Smyrnae. (Vaill.)

* * *

In numis coloniarum, ac praecipue Hispaniae saepius occurrunt. Singulares sunt, quos hic descriptum eo, signatos Caesaraugustae, non quales Vaillantius, aliique male ad archetyporum fidem edidere, sed quales Florezius:

IMP. AVG. *Statua Augusti velata togata basi imposita d. simpulum.* — C. CAES. COS. DES. *Statua C. Caesaris togata basi imposita.* — L. CAESAR. *Statua L. Caesaris togata basi imposita.*

CAESARAVGVSTA. IIVIR. CN. DOM. AMPIAN. C. VET. LANCIA. *Tria signa militaria.* AE. I.

IMP. AVGVSTVS. TRIB. POTES. XX. *Caput laureatum.*

CAESARAVGVS. CN. DOM. AMP. C. VET. LANC. IIVIR. *Sacerdos arans.* AE. II.

Alterum hunc numum causa inscripti tribunatus XX. certum est signatum a Iunio exeunte V. C. 750 usque ad idem tempus anni 751, intra quod IIviri Caesaraugustae fuerunt Cn. Domitius Ampianus, et C. Vettius Lancianus, cumque in numo priore iidem legantur IIviri, dubitari non potest, uno eodemque anno utrumque numum signatum. In priore C. Caesar dicitur *consul designatus*, atque talis fuit inde ab anno V. C. 748, at omittitur hic titulus in Lucio, qui nonnisi V. C. 751, vel 752 fuit consul designatus, ut altius diximus. Hic ergo numus offert tria signa Augusto, ejusque filiis a rep. Caesaraugustana erecta. Iudice Florezio Cajus et Lucius proponuntur praetextati, quod quidem, saltem in Cajo, falsum est; nam is jam anno V. C. 749 togam virilem induit. Quin et auctor est Zonaras, etiam Lucium ea V. C. 750 fuisse donatum, ut in numis Augusti ad utrumque hunc annum observavimus.

a) Chishull Ant. Asiat. p. 173.

* * *

CAESARES. GEMINI vocantur in numo Tarraconis, stantque togati jungentes dexteras, vel parmam humi attinentes, ut in denariis Romanis. (Florez tab. XLIV. n. 7 et 8.)

AGRIPPA POSTVMVS CAESAR.

M. Agrippa mortuus V. C. 742 uxorem Iuliam Augusti filiam reliquit gravidam, quae mox filium enixa est, quem Augustus in memoriam chari sibi Agrippae, ac doloris levamen Agrippam vocari voluit [a]), dictusque est *postumus*, quoniam patre jam e vivis sublato in lucem prodivit. Eum Augustus V. C. 757 audita C. Caesaris morte una cum Tiberio adoptavit [b]), eique anno proxime sequente togam virilem decrevit absque tamen honoribus iis, quos eadem occasione Cajo et Lucio fratribus impertivit [c]), crediderim, quod ejus ingenium veritus erat. Tacitus eum rudem bonarum artium, et robore corporis stolide ferocem vocat, nullius tamen flagitii compertum [d]). Atrocius alii, ingenio fuisse sordido, et feroce, et servilibus moribus criminantur, solitum exercere piscatum, ex quo Neptuni ipse sibi nomen sumpserat, ira insuper praecipite, qui Liviam tanquam novercam, et ipsum Augustum, quod Agrippae patris bona sibi retinuerat, conviciis proscindere ausus est [e]). Haec pueri vitia, haud dubie in majus aucta a Livia, saeva in Augusti domum matre, ut Tiberium suum propius admoveret, permovere Augustum, ut eum abdicaret, et primum Surrentum, mox Planasiam vicinam Corsicae insulam summoveret anno V. C. 760 [f]). Habuit tamen Augustum exsulis Agrippae desiderium [g]), et incesserat rumor, paucos ante menses, antequam vita excederet, clam Planasiam ad videndum nepotem, profectum, ubi inter lacrimas, et caritatis signa spes facta juveni, fore ut avi penatibus restitueretur [h]). Quod ne fieret verita Livia, medicatis ficubus mariti supremum diem accelerasse refert Dio [i]). Eo mortuo Agrippam Tiberius nondum vulgata patris morte, ut tanto magis securum opprimeret, per adpositum custodiae centurionem interfici jussit V. C. 767 anno aetatis XXVI. [k]).

Numi:

Commatis Romăni non exstant.

Commatis peregrini duo cogniti.

AGRIPPA. CAESAR. CORINTHI. *Caput Agrippae nudum.* C. HEIO. POLLIONE. ITER. C. MVSSIDIO. PRISCO. IIVIR. *intra coronam ex apio.* (Morelli, Vaill. Mus. Theupoli.)

Agrippa in hoc numo appellatur Caesar, quod revera in Caesaris familiam

a) Dio L. LIV. §. 29. b) Velleius L. II. c. 102. 103. Suet. in Aug. c. 65. c) Dio. d) Ann. I. 3. e) Suet. in Aug. c. 65. Dio L. LV. §. 32. f) Suet. l. c. Dio l. c. Tacit. Ann. I. 3. g) Plin. L. VII. §. 46. h) Tacit. Ann. I. c. 5. i) L. LVI. §. 30. k) Suet. in Tib. c. 22. Tacit. Ann. I. c. 6.

adoptatus erat. Id cùm factum fuerit V. C. 757, ac mox V. C. 760 abdicatus ab Augusto, et in insulam deportatus, necesse est, numum hunc intra hoc triennium fuisse signatum.

ΑΓΡΙΠΠΑΣ. ΑΓΡΙΠΠΟΥ. ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΙΟΥΛΙΑΣ. ΥΙΟΥ. *Agrippa togatus stans.*

ϹЄΒΑϹΤΩ. ΘЄΩ. *Caput Augusti nudum.* AE. III. (Ex mus. reg. Gall. Harduin Chron. vet. test. p. 573, Morelli Impp. Sestini lettere T. IV.)

Egregius hic numus, cujus tamen ignoratur patria, Agrippae nostri praeterea parentes M. Agrippam, et Iuliam manifestat. Havercampo, cum in parte numi aversa Augustum *dei* titulo ornatum videret, atque ideo numum eo mortuo cusum opinaretur, mirum omnino videtur, quoniam vix sublato e vivis Augusto Agrippa violenta morte periverat, qua ratione invisum Tiberio caput ab urbe Graeca inferri monetae potuerit. His laqueis quo se expediret, fingit, numum imperante Claudio cusum ad servandum domus Augustae memoriam. Inanes me arbitro curae, cum constet, Augustum etiam vivum a Graeciae urbibus instar dei cultum, et hoc etiam nomine compellatum, cujus exempla in numis vel sola Pergamus suppeditat. Gravius in numi hujus explicatione deliquit Frölichius, qui Harduinum antesignanum secutus numum hunc Agrippae II. Iudaeae regi Agrippae I. filio tribuit, (Not. elem. p. 228.) cumque hujus mater a Iosepho *Cypros* appelletur, existimat, eam sibi honoris causa *Iuliae* nomen adposuisse. Reddatur numus Agrippae Romano, et nulla erit molesti effugii causa.

NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS
vulgo DRVSVS SENIOR.

Natus V. C. 716 patre Ti. Claudio Nerone, matre Livia, non tamen in domo paterna, sed Octaviani, tertio mense, ex quo hic Liviam Druso gravidam permittente marito uxorem duxit, vulgato propterea versu: *beatis trimestres liberos nasci* a). Praenomen ei primum *Decimi*, deinde *Neronis* fuit b), quo constanter in numis inscribitur, nimirum: NERO. CLAVDIVS. DRVSVS, sic ut nominibus *Neronis et Claudii* paternam stirpem, Drusi maternam ex gente Livia indicet. Nam teste Suetonio c) *insertus est et Liviorum familiae adoptato in eam materno avo*, et Pedo Albinovanus in consolatione ad Liviam d): *Materni celeber nomine Drusus avi.* Ad honores citius, quam per leges liceret, procurante Augusto admotus e) inde ab anno V. C. 739 per sexennium usque ad vitae exitum bellis Germanicis vacavit, Suevos, Sicam-

a) Suet. in Claud. c. 1. b) Suet. ibid. c) in Tib. c. 3. d) vers. 146. e) Dio L. LIV. §. 10. 19.

bros, Cheruscos, Frisios partim coercuit, partim servire Romanis coegit. Trans Rhenum fossam immensi operis ad eum frenandum perfecit, quae Suetonii adhuc aetate *Drusina* dicta est, et hodieque cum admiratione conspicitur [a]). V. C. 745 inito consulatu iterum in Germaniam profectus ad Albim usque primus Romanorum penetravit, atque etiam ultra hunc arma promovisset, nisi obvia ei species barbarae mulieris humana major ultra proferre signa Latino sermone prohibuisset [b]). Recessit igitur, contractoque per iter morbo, antequam ad Rhenum perveniret, exstinctus est in complexu Tiberii audito fratris periculo tempestive advecti [c]). Livius mortuum scribit equo supra crus collapso [d]). Ejus mors in Kalendario Antiatino figitur ad diem XIV. Septembris. Funus Romam perlatum, et laudantibus publice Tiberio et Augusto reliquiae in Augusti sepulcro conditae sunt inter collatos liberaliter honores postumos, quos in ejus numis commemorabo [e]). Fuit Augusto ob virtutem, ac mores integros eximie probatus, sic ut in concione ejus funebri deos precaretur, *similes ei Caesares suos facerent, sibique tam honestum quandoque exitum darent, quam illi dedissent* [f]). Valerius Maximus ejus continentiam, et in conjugem fidem cumulate commendat [g]). Erat etiam populo jucunda ejus recordatio, nam credebatur, si rerum potitus foret, libertatem redditurus [h]). Fuere, qui Drusum hunc ex numorum testimonio dictum Caesarem adsererent, quod refutabimus in numis Drusi junioris.

Vxor: *Antonia minor*, de qua infra.

Liberi *Germanicus Caesar*, *Claudius* subinde Augustus, *Livia*, seu *Livilla*, quam supra nuptam C. Caesari vidimus, et nuptam infra Druso Caesari Ti. filio videbimus.

Numi:

NERO. CLAVDIVS. DRVSVS, GERMANICVS. IMP. *Caput Drusi laureatum, in aliis nudum.*
DE. GERMANIS. *Arma Germanica decussatim posita.* AV. AR.

De *Neronis* praenomine in synopsi vitae egimus. *Germanici* cognomen ipsi post mortem, ad ipsos etiam filios, posterosque propagandum, inditum fuit [i]), et confirmat Pedo [k]):

Gaudebuntque suae merito cognomine gentis.

Et Ovidius [l]):

Et mortem, et nomen Druso Germania fecit.

Adjicitur titulus IMP*eratoris*, testante Tacito, ab Augusto Drusum privignum imperatoris nomine ornatum [m]). Atque hoc forte titulo ejus caput corona laurea cingitur, ut notabimus in tractatu de cultu capitis Augustorum. Pars aversa ejus de Germanis victorias, ut sequentes alii typi omnes, depraedicat.

* * *

Eadem adversa.
DE. GERM. *vel:* DE. GERMANIS, *in-*

a) Suet. ibid. Tacit. Hist. L. XIII. c. 53. b) Suet. l. c. Dio L. LV. c. 1. c) Dio l. c. Pedo Albinov. de morte Drusi v. 89. d) Epit. L. CXL. e) Dio L. LV. §. 1. 2. f) Suet. l. c. g) L. IV. c. 3. h) Suet. l. c. Tacit. Ann. I. c. 33. i) Suet. in Claud. c. 1. Dio l. c. §. 2. k) de morte Drusi v. 337. l) Fast. I. 597. m) Ann. I. 3.

scriptum arcui triumphali, super quo Drusi statua equestris inter duo tropaea. AV. AR.

Referente Dione a) Druso post mortem ob res adversum Germanos prospere gestas decreti sunt honores statuarum, et arcus triumphales, et Suetonius marmoreum arcum cum tropaeis in via Appia decretum memorat b).

Dubium non videtur, omnes hos Drusi numos signatos fuisse imperante Claudio, qui patris memoriam commemorandis ejus praeclare gestis renovari voluit. Id tametsi ex citatis hic aureis et argenteis probari non possit, tamen verisimile fit ex aeneis, qui continuo describentur.

* * *

NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERMANICVS. IMP. *Caput Drusi nudum.*

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. S. C. *Vir togatus d. ramum tenens, sedensque inter congeriem armorum.* AE. I.

NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERMAN. IMP. S. C. *arcus triumphalis, ut supra in aureis, sed sine* DE. GERM.

Eadem epigraphe sine S. C. *Caput Claudii laureatum.* AE. I. (Morelli Impp.)

Aenei omnes, nisi qui restituti sunt, se a Claudio Drusi filio percussos testantur. Typus aversae in numo priore haud dubie effictus est ad exemplar statuarum, quas supra Druso decretas diximus. Erant hae pars ornamentorum triumphalium, quae viris mortuis, et de rep. bene meritis conferri solebant. Ejus generis erant, quae Trajanus imperium auspicatus naturali suo patri constituit, ut dicetur. Eodem modo Macrinus Caracallae *duas statuas equestres, pedestres duas habitu militari, sedentes civili habitu duas, item divo Severo duas triumphales* dicari voluit c).

* * *

DRVSVS. *Caput nudum.* AR.

Hunc denarium edidere Vaillantius, et Morellius dissimulata altera numi superficie inter numos Caligulae, qui adeo avi sui restituit memoriam, ut aviae Antoniae numos signavit.

* * *

NERO. CLAVDIVS. DRVSVS. GERMANICVS. IMP. *Caput nudum.*

S. C. *Spes gradiens* AE. I. (Morelli.)

NERO. CL - - - MANICV. IMP. *Caput nudum.*

SPES. *Spes gradiens.* AE. I. (Mus. Caes.) Fabricae rudioris.

Aversa haec obvia in numis Claudii, a quo verisimile dixi omnes Drusi numos cusos, atque etiam *Spem* ex certa causa impensius a Claudio observatam, dicam in hujus moneta. Numus alter rudioris operis signatum se in provincia quapiam profitetur sumpto a moneta urbis exemplo, quod et omissum S. C. comprobat.

Numi restitutionum.

Hos descriptos vide altius in tractatu de hac numorum classe.

---

a) L. LV. c. 2. b) in Claud. c. 1. c) Capitolin. in Macrino.

* * *

Numi commatis peregrini.

ΔΡΟΥΣ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΑΝΤΩΝΙΑ. *Capita Drusi nudum, et Antoniae velatum se respicientia.*

Caput Claudii. AE. (Mus. Christinae tab. L. Mus. Caes. in Claudio, Morelli in Claud. tab. VIII.)

Alium video ab eruditis huic Druso tribui, in cujus aversa sunt capita TIBerii et ΓΕΡ*manici*, sed hunc aliorsum pertinere, in numis Drusi junioris probare conabor.

* * *

Coloniae unicum, eumque incertae, vulgatum reperio apud Morellium:

NERO. CLAVD. DRVSVS. GERMANICVS. *Caput nudum.*

Caput nudum, et epigraphe Claudii. AE. II.

Havercampus numum hunc Romae signatum autumat, at deest S. C. certa nota commatis R. Colonia nomen suum reticuit, ut factum saepe. Museum non citat Morellius, in quo numum vidit.

PRETIVM.

Aurei, et argentei - - - - - - -	R.
Aenei I. formae - - - - - - - -	C.
II. et III. - - - - - - - -	O.
Graeci et coloniarum - - - - - - -	RRRR.

ANTONIA.

Nata M. Antonio IIIviro, et Octavia Augusti sorore, dicta minor a Suetonio a), et Plutarcho b), nam major nupta fuit Domitio Ahenobarbo. Sed Tacitus hanc Drusi uxorem constanter majorem vocat c). Nupta Neroni Claudio Druso Tiberii fratri plurium liberorum mater exstitit d), ex quibus patri, quem mors praematura V. C. 745 abstulit, superstites fuere *Germanicus* maternae virtutis aemulus, sed quem ipsa tumulo inferri vidit, *Livia*, seu *Livilla*, uxor primum Caji Caesaris, hoc mortuo Drusi Caesaris conjux et subinde carnifex, quia Sejano jungi cupiverat, atque hoc caeso fertur ab ipsa matre inedia interempta, quam filiae scelerum pudebat e), denique *Claudius*, quem imperantem videre amplius non licuit. Marito carissimo e vivis erepto, etsi florens forma et aetate, alteras nuptias aversata est, egregia fide mariti amorem pensando f). Cajum Caesarem, dictum Caligulam, suum ex filio Germanico nepotem, post mortem Liviae in domum suam recepit, eum-

a) In Claud. c. 1. b) in M. Anton. sub. fin. c) Ann. IV. 44 et XII. 64. d) Suet. in Claud. c. 1. e) Dio L. LVIII. §. 11. f) Val. Max. L. IV. §. 3.

que omnibus officiis fovit [a]). Neque hic, cum primum imperium auspicaretur, ingratus in aviam exstitit collatis in eam summis honoribus, quos in explicandis numis recensebo. At eandem serius, quod ab ea aliquando objurgaretur, taediis ad mortem adegit, dato etiam, ut quidam putant, veneno [b]), quae ab omnibus propter formae excellentiam, et conjunctum raro ea aetate exemplo pudorem communes laudes, atque amorem promerita est, sic ut Val. Maximus adserere non dubitaverit, eam laudibus virilem familiae suae claritatem supergressam [c]). Honores postumos, quos ei filius Claudius decrevit, continuo proferemus.

Proles continuo dedimus.

Numi:

ANTONIA. AVGVSTA. *Caput Antoniae spicis coronatum.*
SACERDOS. DIVI. AVGVSTI. *Duae taedae cum corollis.* AV. AR.

Proponitur Antonia capite spicis coronato instar Cereris, quo cultu jam vidimus propositam Liviam, et videbimus Agrippinam juniorem. Dicitur AVGVSTA, et SACERDOS. DIVI. AVGVSTI, quos honores praeclare confirmat Dio, cum narrat [d]), Antoniam a Caligula *Augustam* et *sacerdotem Augusti* factam omnesque Vestalis honores ei tributos. Refert etiam Suetonius [e]), Caligulam in Antoniam aviam, quidquid unquam Livia Augusta honorum cepisset, uno S. C. congessisse. At novimus, Liviam ab excessu Augusti non modo dictam Augustam, sed etiam Augusti sacerdotem [f]). Typus aversae ad ritum hujus sacerdotii videtur pertinere, sed Vaillantius ad sacra Cereris vocat. Vt certum est ab ipsis his titulis, numum hunc ante Caligulae imperium signari non potuisse, sic plane verisimile est, imperante Claudio lucem vidisse. Nam tota haec aversa in ejus quoque numis reperitur, atque is multus fuit in restituenda majorum memoria.

* * *

Eadem adversa, in aliis caput absque corona spicea.
CONSTANTIAE. AVGVSTI. *Mulier stans d. oblongam facem, s. cornucopiae.* AV. AR.

Cum in priore numo viderimus, taedas ad ritum sacerdotii Augusti referendas, taeda numi praesentis simulacro mulieris, haud dubie Antoniae, addita idem videtur sacerdotium indicare. At labor est epigraphen cum typo componere. Havercampus constantiam Antoniae indicari putat, qua illa in toro viduo perseveravit, et filiam Livillam ad mortem adegit. Verum si haec constantia ad Antoniam pertinet, cur ea virtus secundum epigraphes sensum tribuitur Augusto? Nam tum scribendum fuerat AVGVSTAE, non AVGVSTI. Accedit, obviam hanc esse epigraphen in numis filii Claudii, eamque adeo ejus videri propriam, ut videbimus in ejus moneta. Ceterum si epigraphe ad

a) Suet. in Calig. c. 10. b) Suet. in Calig. c. 23. Dio L. LIX. §. 3. c) l. c. d) L. LIX. §. 3. e) in Calig. c. 15. f) Dio L. LVI. §. 46.

Claudium, typus ad Antoniam pertinet, difficile est, hujus dissidii causam exponere.

* * *

ANTONIA. AVGVSTA. *Caput nudum.*

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. (*in aliis additur* P. P.) S. C. *Mulier velata stans d. simpulum.* AE. II.

Obvii sunt hi numi. Havercampus, aliique typo aversae Claudium Aug. pontificis habitu exhiberi putant. In numis integerrimis musei Caesarei instituto novo examine sigillum illud certam video exhibere mulierem, nullo autem pacto Claudium, cujus lineamenta etiam in exigua pictura non fallunt. Proponitur ergo ipsa Antonia sub Vestalis habitu, nimirum a Caligula omnibus Vestalium honoribus ornata, ut ad numum primum ex Dione docuimus. Mirum scilicet visum eruditis, cum epigraphe sit Claudii, non etiam typum ad eum pertinere. Sed eundem dissensum jam etiam in numo praecedente observavimus.

Hos ergo honores Antoniae a Caligula et Claudio decretos numi descripti confirmant. Addunt Dio [a]), et Suetonius [b]), Claudium parentibus Druso et Antoniae ludos equestres in eorum natalibus constituisse, et matri insuper carpentum, quod per Circum duceretur. Quo magis laudanda Claudii in matrem pietas, quae toties filio stuporem, socordiamque exprobraverat, ut in hoc docebimus. Templi Antoniae meminit Plinius [c]). Hunc grati filii adfectum edocti Aegyptii Antoniae vultum in aversa numorum Claudii signavere.

Numi spurii.

ANTONIA. AVGVSTA. *Caput nudum.*

TI. CLAV. CA. AVG. P. M. TR. P., *in medio* S. C. *omnia intra lauream.*

Vaillantius in prima editione numorum praestantiorum praesentem numum inter aeneos Antoniae recensuit. Baldinus in editione Romana ejusdem operis Tom. I. p. 14 Vaillantium corrigit, adserendo, numum hunc esse argenteum, et servari in gaza Medica. Istud si verum, an praetereundum sine animadversione fuerat, impressam illi notam S. C. nullo alio hactenus exemplo? Odi molestam multorum loquacitatem, verum ad rem novam, et omnino insolentem non subsistere, antiquarium arguit, ea quae ad se maxime pertinent, parum curantem. Haec ejus notae peristasis fidem facit, aut numum esse aeneum, aut si argenteus est, haud dubie spurium, quo modo certe spurius est similis argenteus II. formae, et crassiusculus, quem haud ita pridem nactus sum. Idem numus aeneus, sed maximi moduli, exstat in museo Caesareo huc illatus ex Carthusianorum museo Romano, sed eum jam Frölichius suspectum dixit [d]), neque ego dubitem, esse plane adulterinum. In museo reginae Christinae ab Havercampo edito inter numos II. formae recensetur.

---

a) L. LIX. §. 5. Part. II. pag. III. b) in Claud. c. 11. c) L. XXXV. pag. 697. d) Cimel. Vindob.

* * *

Commatis peregrini.

ANTONIA. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Caput muliebre velatum.*

Γ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Caput Calligulae laureatum.* AE. II. (Pellerin Mel. II. p. 21.)

Ex hoc numo alter fere similis Morellii corrigendus est, qui pro Γ. ΚΑΙΣΑΡ. legit T. ΚΑΙΣΑΡ, quo in numo Havercampus το T legit Τιβεριος; cum vero hoc imperante Antonia Augustae titulo gavisa nondum fuerit, censet, numum signatum sub Claudio, et a Thessalonicensibus tam Tiberii, quam Antoniae memoriam renovatam. Sed raro T solum ad notandum Tiberium pro TI. ponitur, et ex numo Pelleriniano plus quam verisimile est, a Morellio lectum T pro Γ, in quibus literis saepe ab antiquariis peccatum novimus. Ergo litera Γ. intelligendus Γαϊος Caligula.

Alterius urbis Graecae numi non memorantur, dempto, quem supra citavi, una cum capite Drusi.

* * *

Coloniae Corinthi numos cum Antoniae capite habemus:

ANTONIA. AVGVSTA. *Hujus caput.*

M. BELLIO. PROCVLO. IIVIR. COR. *duplex cornucopiae.* (Pellerin Rec. II. p. V. Phil. Venuti duoden. num. exposit.)

Alius similis, sed: P. VIPSANIO. AGRIPPA. IIVIR. (Theup.)

Hi numi, ut per se propter raritatem insignes sunt, sic etiam eo commendandi, quod alios Corinthi numos egregie illustrant, et quidem, quos ea propter hic descriptum eo:

C. CAESAR. AVGVS. *Caput nudum.*

M. BELLIO. PROCVLO. IIVIR. COR. *Pegasus volans.* (Vaill. Mus. Caes.)

Eadem adversa.

P. VIPSANIO. AGRIPPA. IIVIR. COR. *Pegasus volans.* (Vaill. Mus. Caes.)

Patinus, Vaillantius, Harduinus, auctor musei Theupoli, aliique in binis hic descriptis numis caput Augusti viderunt. Cum catalogum musei Caesarei contexerem, non tam horum auctoritatem secutus, quam quod signati in utroque musei Caesarei numo vultus Augustum non diffiteantur, eos Augusto tribuere non dubitavi, cum tamen eosdem Caligulae tribuerent Morellius a), et Pellerinius b). Obfirmatus eram in mea sententia, quod in his numis appellatio *Germanici* desit, quae in numis Caligulae cum commatis R. saltem primorum annorum, tum coloniarum abesse vix unquam solet. Argumentum Havercampi hos numos Caligulae vindicantis, quod praeter vultus lineamenta, ut praetendit, etiam praeponatur praenomen Caji Augusto Caligulae proprium, minus firmum est propterea, quod ipse Augustus in numis tam Romanis, quam coloniarum Caji quoque praenomen usurpet; sic numo gentis Caniniae inscribitur: C. C. AVGVSTI, et idem in numo Caesaraugustae dicitur: C. CAESAR. AVGVST. c) in quo tum Havercampus ipse, tum Florezius caput Augusti agnoscunt. Aliter sensis-

a) In num. Calig. b) Mel. I. p. 262. c) Morelli in gente Caninia, Florez.

sem, si tum, cum catalogum adornaveram, ad praesentes Antoniae numos reflexissem animum. Hi, quoniam Antoniam *Augustam* dicunt, ex praeceptis hactenus datis ante Caligulam feriri non potuere, et quoniam ea honorificum hunc titulum ab nepote Caligula demum abstulit, indubitatum est, hos numos sub Caligula lucem vidisse. Ergo cum in numis Antoniae M. Bellius Proculus, et P. Vipsanius Agrippa IIviri memorentur, necesse est, numos inscriptos: C. CAESAR. AVGVSTVS eodem tempore signatos, atque adeo numos hac inscriptione insignes esse Caligulae, non Augusti. Corrigendum igitur est horum antiquariorum, ac meum, qui hos tum secutus sum, judicium, et numi omnes, qui Vipsanium Agrippam, et Proculum IIviros exhibent, Caligulae aetati restituendi. Novum igitur argumentum habemus, quam parum fidei habere liceat lineamentis, quae offerunt numi commatis peregrini.

Alexandrini item sub Claudio signati exstant.

PRETIVM.

Aurei, et argentei - - - - - -	RR.
Aenei I. et III. formae - - - - -	O.
Aenei II. formae - - - - - - -	C.
Numi Graeci - - - - - - -	RRR.
Coloniarum - - - - - - - -	RRRR.
Alexandrini - - - - - - - -	RRR.

TIBERIVS NERO.

Ti. Claudius Nero natus ex patricia Claudiorum familia cum ex patre Ti. Claudio Nerone, tum ex matre Livia Drusilla, cujus gens naturalis Claudia item fuit, verum ejus patre in Liviorum familiam adoptato huic ex adoptionis lege adnumerata fuit [a]). Natus est Aemilio Lepido, et Munatio Planco cos. V. C. 712, ut ex actis, fastisque collegit Suetonius [b]), et colligitur ex Tacito, qui eum V. C. 790 mortuum octavum, et septuagesimum aetatis annum egisse tradit [c]), et Dione [d]). Dies nativitatis fuit XVI. Novembris [e]). Infantiam habuit graviter exercitam. Nam cum se pater L. Antonio applicuisset, atque hujus turbis capta Perusia finis esset impositus V. C. 713, reliquis a factione discedentibus dissidere ipse ab Octaviano perrexit, bellumque novum in Campania conflavit. Sed hanc quoque procellam Octaviani for-

a) Suet. Tib. c. 3. Tacit. Ann. V. 1. b) Cap. 5. c) Ann. VI. 50. d) L. LVIII. §. 28. e) Suet. l. c. Dio L. LVII. §. 18.

tuna dissipante primum in Siciliam ad Sex. Pompejum, inde ad M. Antonium cum uxore Livia, et Tiberio necdum bimo profugit. Restituta mox Antonium inter, et Octavianum pace pater Tiberius venia facta Romam rediit, ac paullo post V. C. 716 Liviam Tiberii nostri matrem petenti Octaviano cessit. Sumpta virili toga, quod factum V. C. 727 die XXIV. Aprilis definiunt fasti Verii, quae deinde ejus per adolescentiam fuerint res geste, compendio enarrat Suetonius [a]), ducta intra istud tempus Vipsania Agrippina M. Agrippae filia. Majora mox mandante Augusto aggressus, quae nunc per annales compendio enarrabimus.

V. C. 734. Armeniam cum exercitu ingressus regnum Tigrani restituit, ac pro tribunali diadema imposuit, ex quo coepit summum imperium agitare animo. Recepit etiam signa M. Crasso a Parthis adempta [b]).

V. C. 738. Praetor, simulque in Galliam cum Augusto proficiscitur. (Dio.)

V. C. 739. Rhaetos una cum fratre Druso subigit. (Dio.)

V. C. 741. Consul collega Quinctilio Varo.

V. C. 742. Pannonios ad obsequium revocat, et negato triumpho honoribus triumphalibus ornatur. (Dio).

V. C. 743. Iubetur repudiare Vipsaniam Agrippinam, et Iuliam Augusti filiam, et M. Agrippae viduam ducere. Dalmatas ac Pannonios denuo infestat. (Dio.)

V. C. 745. Fratris Drusi in Germania exstincti corpus Romam refert. Ob victos Dalmatas, ac Pannonios ovans urbem intrat. (Dio.)

V. C. 746. In Germanos movet ducto secum C. Caesare. Rebus compositis imperator dicitur, et triumphus decernitur, consulque iterum designatur. (Dio.)

V. C. 747. Consul II. de Germanis triumphat. Denuo ad bellum Germanicum exit. (Dio.)

V. C. 748. Augustus, quo Caji et Lucii Caess. insolentiam reprimeret, Tiberio trib. potestatem in quinquennium confert [c]). Rhodum recedit praetenta laborum requie, et studiorum amore. Alii istud consilii captum taedio uxoris, alii, ne praesens Cajo et Lucio obstare videretur, credidere. Posteriorem causam ipse serius confessus est [d]). Vitam in insula popularem ac civilem egit, semel tantum trib. potestatis jure exercito, quod factum narrat Suetonius [e]).

V. C. 753. Exeunte trib. potestatis quinquennio reditum Romam desiderat, sed quia reluctante Augusto discessit, non impetrat. Substitit igitur Rhodi quasi legatus ab Augusto, sed abditus in agris mediterraneis, et deposito patrio habitu ad pallium, et crepidas redactus, atque indies contemptior, praecipue cum Cajus Caesar tum in Orientem profectus, cui apud Samum occurrerat, sibi alienior esset compertus [f]).

V. C. 755. Post octennii secessum deprecante Livia, et permittente Cajo Caes. restituitur patriae, ea tamen lege, ne quam partem reip. attingeret [g]). Per-

a) Cap. 7. b) Dio, Sueton. c. 9. c) Dio, Suet. c. 9. d) Suet. c. 10. 11. e) cap. 11. f) Suet. c. 12. 13. g) Suet. c. 14. 15.

peram scribit Dio, Tiberium Romam redivisse nonnisi mortuis Cajo et Lucio Caess. a).

V. C. 757. Ad hunc usque annum Tiberii tituli fuere: TI. CLAVDIVS. NERO. Ergo ad annum aliquem priorem pertinet numus Gadibus Baeticae signatus:

NERO. *Caput Tiberii nudum.*
TI. CLAVDIVS. *Simpulum.* (Florez. tab. XXVII. n. 2.)

Verum eodem hoc anno mortuo Cajo Caesare Augustus V. Kal. Iul. Tiberium, et una Agrippam postumum adoptavit, jusso tamen antea Tiberio adoptare Germanicum fratris Drusi filium b). Translatus ergo in familiam Iuliam deinceps dictus est TIBERIVS CAESAR, et quoniam ex familia Claudia exsertus fuit, more recepto CLAVDIANVS vocabatur, quo titulo usus est in dedicatione aedium Castorum c).

Eodem tempore data Tiberio trib. potestas in decennium. Fuit ergo anno

V. C. 757 P. X. 4.
TR. P. VI. COS. II. PONT. IMP.

Addendi enim quinque trib. potestatis anni, quam eum obivisse diximus ab anno V. C. 748 usque 753. Nam a posteriore hoc anno usque ad praesentem 757 cum Rhodi, tum Romae vitam omnino privatam egit. Profectus subinde ad bellum Germanicum d) ineunte hyeme Romam revertitur e).

Numi hujus anni inscripti: TI. CAESAR. AVGVSTI. F. COS. II. TR. POT. VI. AVGVR. PONT. IMP. III. unius Goltzii fide nituntur, ex quo has quisquilias hausere Mediobarbus, et Morellius.

V. C. 758 P. X. 5.
TR. P. VI. VII. COS. II. PONT. IMP.

Tiberius bellum adversus Germanos resumit.

Numus, qui a Mediobarbo ad hunc annum citatur, est Goltzianus.

V. C. 759 P. X. 6.
TR. P. VII. VIII. COS. II. PONT. IMP.

Ad Visurgim, et Albim penetrat, atque inde *imperator* dicitur f). Avocatur ad bellum Pannonicum, et Illyricum, quod gravissimum omnium externorum bellorum post Punica, et triennio gestum refert Suetonius g).

V. C. 760 P. X. 7.
TR. P. VIII. IX. COS. II. PONT. IMP.

Tiberio Germanicus cum novo exercitu auxilio mittitur. (Dio.)

V. C. 761 P. X. 8.
TR. P. IX. X. COS. II. PONT. IMP.

Bellum Illyricum a Tiberio et Germanico finitur. (Dio.)

---

a) L. LV. c. 11. b) Suet. c. 15. Velleius L. II. c. 102. 103. c) Dio L. LV. §. 27.
d) Dio. e) Velleius L. II. c. 104. 105. f) Dio. g) Cap. 16.

V. C. 762 *P. X.* 9.
TR. P. X. XI. COS. II. PONT. IMP.

Exeunte hyeme revertitur Tiberius, et magnis honoribus accipitur, quorum partem a senatu decretam Augustus inhibet [a]). Germanicus apud exercitum relictus novo bello cum Dalmatis implicatur. (Dio.)

V. C. 763 *P. X.* 10.
TR. P. XI. XII. COS. II. PONT. IMP. V.

Bellum Dalmaticum una cum Germanico aegre conficit. Ex eo uterque dictus *imperator*. (Dio.) Ad expiandam Vari cladem in Germaniam mittitur. Ex hoc casu decretus illi triumphus differtur.

Hoc demum anno incipiunt certi Tiberii numi:

TI. CAESAR. AVGVSTI. F. IMPERAT. V. *Caput nudum.*
PONTIFEX. TRIBVN. POTESTATE. XII. *in medio:* S. C. AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum, ut ait Vaillantius.
CERES. S. C. *Dea sedens d. spicas, s. facem.* AE. I. (Morelli. Vaill.)

* * *

TI. CAESAR. AVGVSTI. F. IMPERATOR. V. *Caput Tiberii nudum.*
Sine epigraphe. Templum multis columnis ac statuis conspicuum, inter quod figura sedens d. pateram, s. cornucopiae, epistylio inscriptum: S. P. Q. R. AE. max. mod. (Morelli Impp. de Camps numi max. mod. Beger Thes. Br. T. III. p. 87.)

Magna, ut vides, nomina hunc numum adprobavere, verum sunt non pauca, quae eum mihi suspectum reddunt, et quidem forma maximi moduli ab hac aetate saltem in numis Romanis aliena, tum et caput hujus formae numo insertum, quod ante Caligulam rarissimum, ut dixeram in numis Augusti. Sane nullum novi Tiberii numum sincerum, nisi II. formae, qui commatis R. sit, et ejus Augusti caput offerret, ac novi praeterea, quoniam numi majoris formae cum capite Tiberii avide expetuntur, multos fraudis ignaros obtrusis numis similibus turpiter fuisse deceptos. Est idem numus in museo Caesareo, sed haud dubie falsus, ex quo patet, impostorum artem in fingendis id genus numis sese exercuisse. Supra in numis D. Augusti pag. 126 numum protuli cum eadem plane aversa, sed quem ipsum quoque spurium suspicabar. Verisimile videtur, falsarios formam templi cepisse ex numo Tiberii, quem dabimus ad annum V. C. 787.

V. C. 764 *P. X.* 11.
TR. P. XII. XIII. COS. PONT. IMP.

Tiberius et Germanicus constitutis in Germania rebus Romam redeunt. (Dio.)

a) Dio, Suet. c. 17.

V. C. 765 *P. X.* 12.
TR. P. XIII XIV. COS II. PONT. IMP.

Tiberius de Pannoniis Dalmatisque triumphat die XVI. Ianuarii [a]). Augustus Germanicum senatui, senatam Tiberio commendat. (Dio.)

V. C. 766 *P. X.* 13.
TR. P. XIV. XV. COS. II. PONT. IMP.

Lex lata a consulibus, uti Tiberius provincias communiter cum Augusto administraret. Augustus Tiberio iterum trib. potestatem confert [b]).

TI. CAESAR. AVG. F. TR. POT. XV. *Caput nudum.*
CAESAR. AVGVSTVS. DIVI. F. PATER. PATRIAE. *Caput Augusti laureatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Tiberius in quadrigis triumphalibus d. ramum, s. sceptrum cum aquila.
Eadem aversa. AV. AR. (Mus. Caes.)

Exhibet hic numus triumphum Tiberii de Pannoniis, ac Dalmatis, quem ei decretum ad annum V. C. 763 diximus. De eo Velleius [c]): *In urbem reversus jam pridem debitum, sed continuatione bellorum dilatum ex Pannoniis Dalmatisque triumphum egit.* Idem narrat Suetonius [d]). Auctores veteres definite non edisserunt, sitne triumphus hic actus anno hoc, vel praecedente. Recentiores praecedentem malunt, numi praesentem, nam trib. potestatem XV. numis his inscriptam Tiberius nonnisi mense Iulio anni praesentis auspicatus est. Ceterum potuit hujus triumphi memoria in numis serius signatis renovari, ut certe in numis anni sequentis renovata est.

V. C. 767 *P. X.* 14.
TR. P. XV. XVI. COS. II. PONT. IMP.

Tiberius ab Augusto in Illyricum ad res ibi constituendas missus, mox a Livia propter Augusti gravem valetudinem revocatus apud Nolam Campaniae patrem adhuc spirantem reperit. (Velleius L. II. c. 123. Suet. c. 21.) Is paullo post die XIX. Augusti moritur. (Dio.)

Eodem anno ex a. d. XIV. Kal. Sept.
AVGVSTVS.
TR. P. XVI. COS. II. PONT. IMP. VII.
Sex. Pompeio, Sex. Appuleio cos.

Augusto vita functo, necdum vulgata ejus morte Agrippam Postumum in Planasia exulem rerum novarum metu interimi jubet [e]), ac mox Iuliam Augusti filiam Rhegio a patre inclusam, suamque uxorem inedia conficit [f]). Patrem publice sepelit, et inter divos refert. Exercitus fiducia mortis in seditionem versos ad pacem revocat, Germanicos per Germanicum, Pannonium misso filio Druso.

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. *Caput laur.*

---

a) Fasti Verrii p. 14. b) Dio, Suet. in Tib. c. 21. c) L. II. c. 121. d) Cap. 20.
e) Tacit. Ann. L. I. c. 6. Suet. c. 22. f) Tacit. Ann. I. c. 53.

IMP. VII. TR. POT. XVI. *Imperator in quadrigis triumphalibus s. sceptrum cum aquila, d. ramum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Renovatur hoc typo memoria triumphi ante biennium a Tiberio acti.

* * *

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. VII. *Caput nudum.*

CLEMENTIAE. S. C. *Clypeus, cui insculptum adversum caput Clementiae.* AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

MODERATIONI. S. C. *Clypeus, cui insculptum adversum caput Moderationis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Bini hi numi intra quinque primos Tiberii Aug. annos signati sunt docente titulo IMP. VII., nam certo ex numis constat, Tiberium saltem V. C. 772 se scripsisse IMP. VIII. Affectabat autem principio imperii *Clementiam* et *Moderationem* nondum certo rerum suarum statu, ac causa Germanici anxius, quem propter res gestas, et populi summum studium et idoneum principatui, et paratum successorem metuebat [a]). Igitur exemplo I. Caesaris, quem Suetonius scribit [b]), *MODERATIONEM, CLEMENTIAMque tum in administratione, tum in victoria belli civilis admirabilem exhibuisse*, necesse duxit, principio imperii ad stabiliendas res suas arcessere virtutes ab animo suo, quod exitus docuit, nimio alienas. Sane multo adhuc serius Tiberii gratia ara *Clementiae* S. C. decreta fuit [c]). Similes numi etiam serius signati sunt, quod ex addito IMP. VIII. patet. Adversa numi prioris nova non est. Exstat enim eadem, seu inscriptionem spectes, seu typum, in denario Paulli Lepidi gentis Aemiliae.

V. C. 768 *P. X.* 15.

TR. P. XVI. XVII. COS. II.

IMP. VII.

Druso Caes. C. Norbano Flacco cos.

Incipit

PONTIFEX MAXIMVS.

Germanicus Cattos impetit, et *imperator* a Tiberio dicitur [d]). Arminium persequitur, et caesis Vari militibus inferias mittit [e]).

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

IMP. VII. TR. POT. XVII. *Imperator in quadrigis triumphalibus d. lauri ramum, s. sceptrum cum aquila.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Postremus hic numus est, qui Tiberii de Pannoniis triumphum ante tres annos actum jactat, estque rarus cum hac trib. potestate.

* * *

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

PONTIF. MAXIM. *Mulier sedens d. hastam, s. ramum.* AV. AR.

Pontificatum maximum Tiberius non statim ab adito imperio suscepit, sed anno sequente VI. idus Martias. Docet istud insigne marmor Gruterianum, cujus postrema verba sunt [f]): VI. IDVS.

a) Dio L. LVII. §. 13. b) in Iul. cap. 75. c) Tacit. Ann. IV. 74. d) Tacit. Ann. I. 58. e) Tacit. f) pag. 228. n. 8.

MARTIAS. QVIA. HAC. TI. CAES. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATVS. EST. Fasti Verrii ipsos etiam consules Drusum et Norbanum, qui fuerunt hujus anni, addunt [a]).

Hos numos hoc loco recenseo, non quod praesente tantum anno signati sunt, sed quoniam primi pontificatum maximum memorant. Quin jure inter numos Tiberii vagos collocandi sunt; nam inde ab hoc anno usque ad ejus mortem denarii aurei, et argentei (de quinariis aureis non loquor) praeter hos cum capite Tiberii signati non sunt, si nonnullos consecrati Augusti demas. Vnde rationem in promptu habemus, cur numi cum hoc typo tanta hodiedum copia suppetant. In solo Florentino M. Ducis museo duos et triginta ejusdem exempli aureos reperi. Magnus etiam eorum numerus fuit in Caesareo. Excluso omni alio typo debebat horum numerus annorum XXII. spatio immensum augeri. Quare inde ab hoc anno potes denarios Tiberii aureos vel argenteos perinde raros, ac obvios dicere; istud, quia cum hac epigraphe, et typo ingens eorum vis superest, illud, quia cum alio typo vix alii exstant. Immota haec monetae Tiberianae lex plane ex Tiberii ingenio fuit nihil immutare cupientis, nimirum, ut ait Tacitus [b]) *causae variae traduntur* (imperiorum in provinciis continuatorum) *alii taedio novae curae*, *semel placita pro aeternis servavisse.* Eadem constantia observatur in quinariis aureis typo perpetuo Victoriae sedentis. Major in aeneis varietas, sed novimus etiam, monetam auream, et argenteam ad imperatorem, aeneam ad senatum pertinuisse

Mulierem sedentem partis aversae sunt, qui Iuliam matrem existiment. Non credo, Tiberium, qui publicis matris honoribus palam semper est adversatus, voluisse sibi matrem in moneta sua sociari. Ad haec quid addita *pontificis maximi* epigraphe ad Iuliam? Verius igitur est symbolica pontificatus ejus imago, quae ramum lustralem ejus muneris attributum manu praefert.

Numum hunc restituit Trajanus.

* * *

TI. DIVI. F. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

TR. POT. XVII. *Victoria globo insidens lauream aptat.* Quin. AV.

Haec quinariorum aureorum ratio jam coepit sub Augusto, et per totum Tiberii imperium porrigitur.

* * *

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. IMP. VII. *Caput nudum.*

PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XVII. S. C. *Mulier capite velato sedens d. pateram, s. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

De signo aversae, quo haud dubie Iulia mater proponitur, actum supra in ejus numis.

* * *

Commemorandus hic numus alius insignis, etsi commatis peregrini.

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. VII. P. M. *Caput nudum.*

DIVVS. AVG. IMPER. OCTAVIA. *Ca-*

a) Foggini p. 28. b) Ann. I. 80.

pita adversa, *Augusti*, *cui superne imminet astrum solis*, *et Octaviae*, *supra quam lunula.* AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Egregium hoc numisma jam supra in numis Octaviae sororis Augusti descripsi, et explicavi. Cum in eo Tiberius dicatur P. M. et IMP. VII., pontificatum autem maximum susceperit anno praesente, et V. C. 775 desiverit titulus IMP. VII., necesse est, eum intra hos annos signatum.

V. C. 769 *P. X.* 16.
TR. P. XVII. XVIII. COS. II. P. M. IMP. VII.
T. Statilio Tauro, *L. Scribonio Libone cos.*

Germanicus in Cheruscos profectus Arminium gravi praelio superat [a]). Aquilam, et signa a Varo amissa recuperat [b]).

Vnicum numum, qui hujus sit anni, eumque aeneum II. formae profert Morellius inscriptum: PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XVIII. S. C. sine mentione musei.

V. C. 770 *P. X.* 17.
TR. P. XVIII. XIX. COS. II. DES. III. P. M. IMP. VII.
C. Caelio Rufo, *L. Pomponio Flacco cos.*

Tiberius consul III. designatur [c]). Germanicus per speciem honoris ab exercitu avocatur, et VII. Kal. Iun. de Cheruscis, Cattis, Angrivariis triumphat [d]). Exeunte anno Tiberii jussu ad componendas Orientis res in Syriam proficiscitur. Archelaus Cappadociae rex, quod Tiberium Rhodi agentem neglexerat, Romam evocatur, et praesens in senatu fictorum criminum accusatur; at is longa aetate invalidus ante sententiam seu naturali, seu advocata morte obit. Ejus regnum in provinciam redigitur [e]). Duodecim Asiae urbes nocturno terrae motu collabuntur, et Tiberii liberalitate recreantur [f]). Tacfarinas Numida bellum in Africa suscitat, vinciturque a Furio Camillo [g]).

Numum aeneum II. formae a Morellio descriptum reperio, qui ad annum praesentem est vocandus, in cujus aversa: PONTIF. MAXIM. TRIB. POT. XVIII. COS. DES. S. C., sed museum rursus non citat, neque hunc numum alibi reperi.

V. C. 771 *P. X.* 18.
TR. P. XIX. XX. COS. III. P. M. IMP. VII.
Tiberio Aug. III. Germanico Caes. II. cos.

Germanicus Zenonem Polemonis filium populari Artaxiae nomine Armeniae regem nominat. Cappadociae, et Commagene in provinciam per Germanicum redactis magistratus Romanos praeficit [h]).

TI. DIVI. F. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*
TR. POT. XX. *Victoria globo insidens lauream aptat.* Quin. AV. (Morelli.)

---

a) Tacit. Ann. II. 17. b) ibid. c. 25. 41. c) Tac. Ann. II. 42. d) ibid. c. 41. e) ibid. c. 42. f) ibid. c. 47. Dio. g) Tac. Ann. II. 52. h) Tac. Ann. II. 56. Suet. in Calig. c. 1.

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. VII. *Caput nudum.*
PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XX. *in medio* S. C. AE. II. (Morelli.)

V. C. 772 *P. X.* 19.
TR. P. XX. XXI. COS. III. P. M. IMP. VII.
M. Iunio Silano, L. Norbano Flacco cos.

Germanico et Druso ob constitutas in Oriente, et Germania res ovatio decernitur a). Tiberius Rhascuporidem Thraciae regem caesi Cotyos ex fratre nepotis reum fraude aggressus Romam allicit, mox Alexandriae necandum curat. Germanicus apud Epidaphnen juxta Antiochiam artibus Cn. Pisonis Syriae praefecti, ejusque uxoris Plancinae exstinguitur b).

Aeneum II. formae Morellius ex museo regis Galliarum recitat, in cujus parte aversa: PONT. MAXIM. COS. III. IMP. VIII. TR. POT. XXI. *Caduceus intra duplex cornucopiae.* (Tab. VIII. n. 3.) In hujus numi praeconio repugnat titulus IMP. VIII. pro VII., ut mox patebit ex numis anni 774.

V. C. 773 *P. X.* 20.
TR. P. XXI. XXII. COS. III. DES. IV. P. M. IMP. VII.
M. Valerio Messala, M. Aurelio Cotta cos.

Agrippina cum mariti Germanici cineribus urbem intrat. Cn. Piso ejus mortis reus actus sententiam voluntaria morte praevertit. Tacfarinas bellum in Africa renovat, geritque varia fortuna c).

TI. DIVI. F. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*
TR. POT. XXII. *Victoria globo insidens lauream aptat.* Quin. AV. (Morelli.)
TI. CAESAR. DIVI. AVGVSTI. F. AVGVSTVS. *Caput laur.*
PONT. MAXIM. COS. III. IMP. VII. TR. POT. XXII. *Caduceus inter duplex cornucopiae.* AE. II.

Numus hic est integerrimus in museo Caesareo, cujus adserti rationem mox dabimus ad annum sequentem.

V. C. 774 *P. X.* 21.
TR. P. XXII. XXIII. COS. IV. P. M. IMP. VIII.
Tiberio Aug. IV. Druso Caes. II. cos.

Tiberius consul IV. cum filio Druso consule II. Per hunc annum absens ipse in Campania fuit. Iulius Florus, qui Treviros, Iulius Sacrovir, qui Aeduos solicitaverant, immisso exercitu opprimuntur d). Iunio Blaeso proconsulatus Africae, et bellum adversus Tacfarinatem mandatur e).

Aeneum II. formae exhibet Morellius in cujus parte aversa legitur: PONT. MAXIM. COS. IIII. IMP. VIII. TR. POT. XXIII. *Caduceus inter duplex cornucopiae.* (Tab. VIII. n. 5.)

Quo anno Tiberius IMP*eratoris* VIII. titulum sumpserit, inter scriptores modernos controversum, cujus dissensus

a) Tac. Ann. II. 64. b) Tac. Ann. II. Dio. c) Tac. Ann. III. d) Tacit. Ann. III. 40. e) Tacit. Ann. III. c. 35.

causa ab iniqua numorum lectione petenda. Mediobarbus ejus tituli exordium jam ad annum V. C. 769 refert. Et juvabat hanc sententiam causa verisimilis; nam eodem anno Tiberium a milite in loco praelii adversus Arminium duce Germanico commissi salutatum imperatorem docuit Tacitus [a]). At non usum Tiberium delato hoc honore, et haud dubie per invidiam Germanici, probant numi annorum proxime sequentium, in quibus adhuc IMP. VII. compellatur, et a Mediobarbo ipso citati, quo magis ejus viri negligentia reprehensionem meretur.

Morellius in numis Tiberii Tab. VIII. n. 2. numum ex museo regis Galliarum cum hac epigraphe sistit:

PONT. MAX. COS. III. IMP. VIII. TR. POT. XX., vi cujus testimonii Tiberius fuisset IMP. VIII. jam V. C. 771, vel saltem 772, in quos annos cadit Tiberii consulatus III., et ejus trib. potestas XX.

Idem hic numus sic temere descriptus aliis duobus eadem tabula continuo sequentibus pestifer exstitit, quorum haec proponitur epigraphe:

Num. 3. PONT. MAXIM. COS. III. IMP. VIII. TR. POT. XXI.

Num. 4. PONT. MAXIM. COS. III. IMP. VIII. TR. POT. XXII.

Non sine certa ratione adsero, errorem numi I. fluxisse in duos proxime sequentes. Nam facile ex ipsis iconismis apparet, antea in iis pro IMP. VIII. sculptum fuisse, ut oportuit, IMP. VII., sed subinde numerum VII. in VIII. perperam correctum, quod ex nigriore harum notarum in tabula aenea colore manifeste deprehenditur. Nimirum sive ipse Morellius, sive, qui in hanc tabulam commentatus est, Havercampus, cum in numo I. viderent conjunctum IMP. VIII. cum TR. POT. XX., tanto magis VIII. imperatorii honoris numerum ad sequentes trib. potestates valere censuerunt, atque adeo re non satis mature discussa nimium seduli ex numi primi scabie, quae tolenda potius fuit, reliquos contaminavere.

Eundem numum, flagitiosum nempe ducem, secutus ipse, cum catalogum musei Caesarei conficerem, quoniam Morellio tot ab adcuratione praeconiis celebrato, qui numum ipse vidit, et delineavit, omnem fidem habebam, quam hodie in hoc ejus Impp. opere non raro ambiguam, et falacem reperio, IMP. VIII. titulum pariter ad trib. potestatem XX. adfixi, et mox in numis binis ejusdem musei non satis integris secundum exemplar Morellianum num. 3 propositum legendum censui IMP. VIII. TR. POT. XXI. [b]). Serius numum ejus generis integerrimum, quem ad annum V. C. 773 proposui, nactus sum, qui horum numorum epigraphen tam ambigue saepe propositam plene stabilit inscriptus:

PONT. MAXIM. COS. III. IMP. VII. TR. POT. XXII.

atque hoc modo idem quoque describitur a Goltzio [c]), in museo C. de Pfau, et Theupoli.

At hoc demum anno Tiberium dictum IMP. VIII., evincit epigramma pontis Ariminensis, in quo is dicitur TRIB.

---

a) Ann. II. 18. b) Part. II. p. 95. c) Num. Tiberii tab. VIII. n. 1.

POTEST. XXII. COS. III. IMP. VIII. [a]) quae quidem notae omnes ad anni hujus partem priorem pertinent.

Ad numos Tiberii aeneos, quos hoc anno, et praecedentibus proximis descripsi, quique pro typo habent duplex cornucopiae cum caduceo, observandum merito, notam S. C. praeter monetae aeneae morem perpetuo abesse, atque idem observo etiam in aeneis cum eodem typo numis Vespasiani ad annum V. C. 827, et Domitiani ad V. C. 826, ut adeo, quoniam soli id genus numi ea carent, necesse sit, certam aliquam causam subesse. Eam ab ipso typo petendam existimo, nimirum quod cornucopiae, et caduceus, utpote senatus populique symbola, senatus mentionem supplent. Illa autem insignia utrique huic ordini esse propria, docet vetus gemma, quam proposuit Wildius [b]), in qua expressum cornucopiae, et caduceus, scripto juxta: SEN. POP. QVE. ROM. Ex simili causa in obviis Caligulae numis cum epigraphe: S. P. Q. R. P. P. OB. CIVES. SERVATOS, suppressum est S. C., quia senatus auctoritas jam in inscriptione indicatur.

V. C. 775 P. X. 22.

TR. P. XXIII. XXIV. COS. IV. P. M. IMP. VIII.

D. Haterio Agrippa, C. Sulpicio Galba cos.

Druso filio trib. potestatem confert [c]). Asylorum per Asiam licentiam coercet [d]). Iunio Blaeso re adversus Tacfarinatem bene gesta insignia triumphi, et quod postremo tunc factum, *imperatoris* titulum confert [e]).

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. IMP. VIII. *Caput nudum.*

PONTIF. MAXIM. TRIBVN. POTEST. XXIIII. *in medio* S. C. AE. II. (Mus. Caes.)

* * *

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXIIII. *in medio* S. C.

CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS. *Imperator togatus capite laureato sedens pedibus scabello fultis d. pateram, s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.) Restitutus etiam a Tito.

Numus tam fabrica, quam argumento insignis. Ad annum V. C. 770 ex Tacito docuimus, XII. Asiae urbes terrae motu ingente adflictas Tiberii liberalitate surrexisse. Id beneficium copiosi auctores alii depraedicant, quorum verba citat Schlegelius hujus numi interpres [f]). Quod ad urbium numerum attinet, cum Tacito consentit Plinius [g]). Enumerat ille Sardianos, Magnetes a Sipylo, Temnios, Philadelphenos, Aegeatas, Apollonienses, Mostenos, Hyrcanos, Hierocaesaream, Myrinam, Cymen, Tmolum, alii XIII. XIV. XV. enumerant, complexi nimirum urbes, quae aliis subinde annis eodem fato procumbentes beneficam Tiberii manum sensere, quod accidisse Cibyrae Phrygiae, et Aegis Achaiae ad annum V. C. 776 refert Tacitus. Revera praecla-

a) Grut. p. 160. 2. b) Gemm. sel. num. 92. c) Tac. Ann. III. 56. d) ibid. c. 60. e) ibid. c. 72. 74. f) Morelli Impp. T. I. p. 578. g) L. II. §. 86.

rum illud marmor, quod exeunte saeculo superiore apud Puteolos effossum est, Caesari Tiberio dicatum, XIV. figuras muliebres exhibet cum subscriptis urbium totidem Asiaticarum nominibus, quae eadem sunt cum iis, quae memorat Tacitus, additis praeterea Epheso, et Cibyra.

Ad explicandam aversae imaginem commemorandum omnino Phlegontis Tralliani testimonium [a]), qui ex Apollonio refert, Tiberii aetate complures, et illustres urbes terraemotu eversas, quas subinde imperator propriis sumptibus refecit, pro quo beneficio colossus ei dedicatus Romae in foro juxta aedem Veneris, adstitutis urbium singularum simulacris. Quod disertis verbis enarrat Phlegon, illud ipsum in citato marmore Puteolano, oculis videmus, quod haud dubie secundum exemplar Romanum scalptum fuerit, et ad depraedicandam Tiberii liberalitatem Puteolis dedicatum. Colosseum autem illud memoratum Phlegonti simulacrum haud dubium videtur fuisse eodem cultu, quo in praesente numo Tiberius proponitur. Nihil huc confert marmor Puteolanum, cujus tantum basis superest, signo, quod ei imminuisse verisimile est, temporum injuria deperdito. De hujus monumenti Puteolani forma, et erudito argumento qui plura nosse cupiet, adeat prolixam de eo Laurentii Gronovii dissertationem insertam Tomo VII. Thesauri antiquitatum Gronovii, et Belleyum [b]).

Simulacro ipsi, ut illud offert numus, nihil pro praesente, et manifesto numine deest. Adsunt patera, hasta, scabellum. Ergo cum ajunt Tacitus, ac Suetonius, Tiberium honores divinos aversatum, id forte sub ejus principatus initio, et necdum satis firmo imperio verum fuerit, serius magnificentius de se senserit, aut saltem, ut nunquam cultum coelestem a suis exegerit, ita non obstiterit, si habebatur, perinde atque idem ille Augusti nomen non usurpabat, audiens tamen, aut scriptum legens ferebat [c]). Sane anno sequente permisit sibi, ac matri templum apud Smyrnam dedicari, matrem vero omni deae cultu propositam videmus supra in ejus Augustae numis.

Videtur colossus hic Tiberianus hoc demum anno finitus, et dedicatus, ac subinde numis insertus. Video tamen apud Belleyum [d]), Mediobarbum, et in aliis catalogis memorari trib. potestatem XXI. numis similis argumenti inscriptam, unde sequeretur, monumentum illud biennio post eam calamitatem dedicatum. In catalogo musei Caesarei typographi lapsu scriptum legitur TR. POT. XXIII.

* * *

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXIIII., *in medio:* S. C.

DIVVS. AVGVSTVS. PATER. *Augustus capite radiato sedens d. extenta ramum, s. hastam, juxta ara, vel mensa.* AE. I. (Mus. Caes.)

---

a) De reb. mirab. c. 13. b) B. L. T. XXIV. p. 128. c) Dio L. LVII. §. 8. d) l. c. p. 129.

Tacitus in actis hujus anni [a]): *Sub idem tempus Iuliae Augustae valetudo atrox necessitudinem principi fecit festinati in urbem reditus, sincera adhuc inter matrem filiumque concordia, sive occultis odiis; neque enim multo ante, cum haud procul theatro Marcelli effigiem D. Augusto Iulia dicaret, Tiberii nomen suo postscripserat.* En annum numi per tribunatum XXIIII. praeclare cum anno Taciti conspirantem, quo dubitari nequit, effigiem numi esse eandem cum illa, quam Tacitus memorat. At exstat testimonium aliud priore praestantius. Legitur in Fastis Verrii ad diem XXIV. Aprilis: SIG. DIVO. AVGVSTO. PATRI. AD. THEATRVM. MAR - - - IVLIA. AVGVSTA. ET. TI. AVGVSTVS. DEDICARVNT. Ex numo, et Tacito habemus annum, quo dedicatio haec peracta, epigramma ipsum mensis diem, nempe XXIIII. Aprilis adsignat, praeterea eandem offert in verbis formulam, quam numus, et confirmat, quod refert Tacitus, Iuliam Tiberii nomen suo postscribere ausam, denique gravem Iuliae valetudinem nonnisi post hunc diem potuisse ingruere.

Huic numo sociandus alter cum capite Agrippae eodem hoc anno cusus, quem dedimus supra in ejus numis.

* * *

Succedunt numi in Iuliae Aug. honorem signati:

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXIIII., *in medio:* S. C.

S. P. Q. R. IVLIAE. AVGVST. *Carpentum a binis mulis tractum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Similis adversa.

IVSTITIA. *Caput muliebre.* AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

SALVS. AVGVSTA. *Caput muliebre crinibus retro in nodum ligatis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Tres hos numos jam explicavimus in numis Liviae.

V. C 776 *P. X.* 23.

TR. P. XXIV. XXV. COS. IV. P. M. IMP. VIII.

C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere cos.

Drusus Ti. filius uxoris Liviae, et Sejani conspiratione veneno e medio tollitur [b]). Tiberius Neronem et Drusum Germanici liberos senatui commendat [c]).

TI. DIVI. F. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

TR. POT. XXV. *Victoria globo insidens lauream aptat.* Quin. AV. (Mus. Caes.)

V. C. 777 *P. X.* 24.

TR. P. XXV. XXVI. COS. IV. P. M. IMP. VIII.

Ser. Corn. Cethego, L. Visellio Varrone cos.

Tacfarinate in acie caeso diuturnum in Africa bellum duce P. Dolabella procos. finitur [d]).

Similis priori cum TR. POT. XXVI. Quin. AV. (Morelli.)

---

a) Ann. III. 64. b) Tacit. Ann. IV. sub init. c) ibid. cap. 8. d) Tacit. Ann. IV. 25.

V. C. 778 *P. X.* 25.
TR. P. XXVI. XXVII. COS. IV. P. M. IMP. VIII.
M. Asinio Agrippa, Cosso Corn. Lentulo cos.

Cremutius Cordus accusatus, quod Brutum et Cassium Romanorum ultimos dixerat, mortem, quam certam praevidit, inedia ultro arcessit [a]).

Hic annus ut factorum publicorum, ita numorum sterilis.

V. C. 779 *P. X.* 26.
TR. P. XXVII. XXVIII. COS. IV. P. M. IMP. VIII.
C. Calvisio Sabino, Cn. Corn. Lentulo Getulico cos.

Tiberius specie dedicandi templa apud Capuam Iovi, apud Nolam Augusto in Campaniam abit, urbem nunquam posthac revisurus. Alii ferebant extrusum matris impotentia, alii, discessisse, ut reconderet voluptates, alii suasu Sejani, ad quem absente principe cuncta devolvi necesse erat [b]).

TI. DIVI. F. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*
TR. POT. XXVIII. *Victoria sedens lauream aptat.* Quin. AV. (Morelli.)

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. VIII. *Caput laureatum.*
PONT. MAX. TR. POT. XXIIX. S. C. *Orbis cum gubernaculo.* AE. II. (Morelli.)

Haec aversa frequenter subinde redibit mutato solum trib. potestatis numero. Typus est symbolicus, indicans *gubernatum* Tiberii auspiciis terrarum *orbem.*

V. C. 780 *P. X.* 27.
TR. P. XXVIII. XXIX. COS. IV. P. M. IMP. VIII.
M. Licinio Crasso, L. Calpurnio Pisone cos.

Apud Fidenas conlapsum amphitheatrum strage L. millium seu obrutorum, seu graviter sauciorum [c]), ad quem feralem nuncium Tiberius, qui jam Capreis se clauserat, in continentem transit, potestatemque omnibus sui adeundi facit.

Desunt certi hujus anni numi.

V. C. 781 *P. X.* 28.
TR. P. XXIX. XXX. COS. IV. P. M. IMP. VIII.
App. Iunio Silano, Silio Nerva cos.

Frisii commoventur. In urbe caedes insidiae, calamitates suetae [d]).

TR. P. XXX. *typo victoriae solito.* Quin. AV. (Morelli.)

V. C. 782 *P. X.* 29.
TR. P. XXX. XXXI. COS. IV. P. M. IMP. VIII.
L. Rubellio Gemino, C. Fufio Gemino cos.

Iulia Augusta moritur. Matre remota magis furunt Tiberius et Sejanus [e]).

---

a) Tacit. Ann. IV. 34. b) Tac. Ann. IV. 57. c) Tacit. Ann. IV. 62. Suet. c. 49.
d) Tac. Ann. IV. e) Tacit. Suet. Dio.

TR. POT. XXXI. *in similibus* Quinariis. AV. (Morelli.)

V. C. 783 *P. X.* 30.
TR. P. XXXI. XXXII. COS. IV. DES. V. P. M. IMP. VIII.
L. Cassio Longino, M. Vinicio Quartino cos.

Agrippina Germanici in Pandatariam, ejus filius Nero in Pontiam insulam per vim ejicitur [a]). Alter filius Drusus in palatio arcte custoditur [b]).

TR. POT. XXXII. *typo obvio Victoriae.* Quin. AV. vel: *Orbis cum gubernaculo.* AE. II.

V. C. 784 *P. X.* 31.
TR. P. XXXII. XXXIII. COS. V. P. M. IMP. VIII.
Tiberio Aug. V. L. Aelio Sejano cos.

Nero fame necatur [c]). Sejanus hoc anno Tiberii in consulatu conlega affectati non obscure imperii reus principis artibus irretitur, caeditur, et in scalas Gemonias abjicitur. Livia olim Drusi jun. uxor, comperto, ejus et Sejani insidiis peremptum Drusum, morte ipsa quoque adficitur.

Defectum numorum commatis R. suppleant peregrini.

Epigraphe et caput Tiberii. MVN. AVGVSTA. BILBILIS. TI. CAESARE. V. L. AELIO. SEIANO. *Corona querna, intra quam:* COS. AE. I. (Florez aliique.)

Vix alius exstat numus peregrinus, in quo par consulum signatum habeatur. Eadem Bilbilis cum ante annos XIII. tertium Tiberio consulatum gratularetur, conlegam tamen omisit, etsi is esset ipse Germanicus Tiberii filius, scripto tantum in numis: TI. CAESARE. III. COS. (Florez.) Causa igitur fuit adulatio in Sejanum, qui potestate aequatus ipsi Tiberio ejus etiam futurus successor passim ferebatur. Idem Florezius alium numum nactus est priori plane similem, sed in quo verba AELIO. SEIANO extrita sunt, non fortuito, sed de industria, quod reliquae literae omnes integerrimae persuadent. Nimirum ut ex fastis ejus erasum fuit nomen, ita idem tentavit in hoc numo manus infensa memoriae spurcissimi hominis. Idem suo Bilbilitano numo accidisse narrat Havercampus [d]), atque idem multo ante Montfauconus [e]), ex quo repetito actu orbis in projectum hominem odium intelligas.

Etiam in binis Caesaraugustae numis memoratur TR. POT. XXXIII., in quibus typus est: *Imperator togatus sedens d. pateram, s. hastam,* nimirum ut in numis *civitates Asiae restitutas* praedicantibus supra ad annum V. C. 775 descriptis, ex quibus adeo Caesaraugustani typum mutuati sunt.

V. C. 785 *P. X.* 32.
TR. P. XXXIII. XXXIV. COS. V. P. M. IMP. VIII.
Cn. Domitio Ahenobarbo, M. Furio Camillo cos.

In urbe caedes, et maleficia solita.

---

a) Suet. c. 54. b) Tac. Ann. VI. 23. c) Suet. in Tib. c. 54. in Calig. c. 7. Dio L. LVIII. d) ad famil. Morelli in praef. p. 16. e) Diar. Ital. p. 443.

Quinarii AV. et AE. II., ut supra ad V. C. 779. (Morelli.)

V. C. 786 *P. X.* 33.
TR. P. XXXIV. XXXV. COS. V. P. M. IMP. VIII.
Sex. Sculpicio Galba, L. Corn. Sulla cos.

Drusus Germanici F. fame in palatio exstinguitur [a]), mater item Agrippina seu morte voluntaria, seu subtractis alimentis [b]).

Quinarii AV. soliti, et AE. II. typo *caducei* (Morelli.)

V. C. 787. *P. X.* 34.
TR. P. XXXV. XXXVI. COS. V. P. M. IMP. VIII.
Paullo Fabio Persico, L. Vitellio cos.

Vetera in urbe malorum argumenta [c]).

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXXVI. *in medio:* S. C. In aliis: TR. POT. XXXVII. *vel* XXXIIX.
Sine epigraphe. Templum multis columnis ac statuis conspicuum, intra quod figura sedens d. pateram, s. cornucopiae. AE. I. (Mus. Caes.)

Dubium non videtur, templum partis aversae esse Augusti; nam ait Tacitus [d]), Tiberium templum parentis sui *a se perfectum contemptu ambitionis, an per senectutem, non dedicavisse.* Perfecit ergo Tiberius hoc templum jam senio gravis, qualis revera jam fuit in trib. potestate XXXVI. agens nimirum aetatis annum LXXV., et videntur monetarii templum illud dedicationi proximum hoc et sequentibus annis in numis proposuisse. Accedit, similis architecturae templum conspici in numo D. Augusti, quem proposui in hujns moneta pag. 170.

* * *

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXXVI. (*in aliis* XXXVII. *vel* XXXIIX.) *in medio:* S. C.
Sine epigraphe. Quadrigae triumphales nullo insistente. AE. I. (Liebe Gotha p. 276. Mus. Caes.)

Conjecit Schlegelius [e]), typo currus triumphalis rectore vacui notari triumphum Tiberio decretum quidem, sed non actum. Istud cum contigerit anno V. C. 763, quo Tiberius maesta ob cladem Varianam civitate meritum ex victa Dalmatia triumphum in aliud tempus conjecit, non dubitavit vir eruditus, praesentium numorum typo destinatum illum, sed in praesens omissum triumphum demonstrari. En numi explicatum inde ab annis XXIV. petitum. Haec si tenenda sententia, licebit etiam de numis Augusti cum simili typo vacui rectore currus ab Aquillio, et Durmio IIIviris circa annum V. C. 734 signatis adfirmare, iis quadrigis triumphalibus innui Augusti triumphum ex victa V. C. 721 Dalmatia promeritum, sed quem propter turbidas M. Antonii res tum omisit, ut taceam typum similem minime rarum in familiarum numis.

a) Tac. Ann. VI. 23. b) ibid. c. 25. c) Tacit. Dio. d) Ann. VI. 45. e) ad Morelli Impp. p. 577.

Quod si revera hac imagine intelligendus triumphus decretus, sed omissus, malim ejus delati honoris causam a tempore praesenti petere, quod bellorum turbidis vacuum non fuit, ejus vero neglecti causam verisimilem suppeditat Tacitus ad V. C. 789, cum ait [a]): et pro ingenio cujusque quaesiti decretique in principem honores; quos omiserit, receperitve, in incerto fuit, ob propinquum vitae finem.

* * *

Sunt etiam cum trib. potestate XXXVI. aenei II. formae cum obviis typis *orbis*, *et caducei*, et I. formae *Augusti consecrati*.

V. C. 788 P. X. 35.

TR. P. XXXVI. XXXVII. COS. V. P. M. IMP. VIII.

C. Cestio Gallo, M. Servilio Noniano cos.

Tiridates Parthiae, Mithridates Armeniae agente Tiberio praeficiuntur.

Exstant hujus anni Aenei I. formae typis *Augusti consecrati*, vel *templi*, vel *currus triumphalis*, item Aenei II. formae typis *caducei*, et *orbis*, quos annis proximis dedimus.

V. C. 789 P. X. 36.

TR. P. XXXVII. XXXVIII. COS. V. P. M. IMP. VIII.

Sex. Papinio, Q. Plautio cos.

Clitae Tauri accolae rebelles a L. Vitellio Syriae praeside vincuntur [b]).

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. *Caput laureatum.* TR. POT. XXXVIII. *Victoria globo insidens lauream aptat.* Quin. AV. (Mus. Caes.)

Adde iterum Aeneos I. formae typis *Augusti consecrati*, vel *templi*, vel *quadrigarum triumphalium*, et Aeneos II. typis *orbis* vel *caducei*.

V. C. 790 P. X. 37.

TR. P. XXXVIII. COS. V. P. M. IMP. VIII.

Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino cos.

Tiberius defectus viribus et semianimis a C. Caesare multae vestis injectu praefocatur XVII. Kal. Apriles aetatis anno LXXVIII. apud Misenum [c]).

Ejus viri variam indolem, ac mores, copiose descripsere Suetonius, Tacitus, Dio, sic compendio, et graphice proponit Tacitus [d]): *Morum quoque tempora illi diversa; egregium vita famaque, quoad privatus, vel in imperiis sub Augusto fuit; occultum ac subdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus, ac Drusus superfuere. Idem inter bona, malaque mixtus incolumi matre; intestabilis saevitia, sed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitve; postremo in scelera simul, ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore, ac metu suo tantum ingenio utebatur.*

Inter divos relatus non est. Nam cum Caligula primum a senatu petiisset,

---

a) Ann. VI. 45. b) Tacit. Ann. VI. 41. c) Tac. Ann. VI. 50. d) Ann. VI. 51.

ut ei omnes Augusto tributi honores decernerentur, cum hi non essent statim decreti, non alia mortuum re, quam publica sepultura decoravit [a]). Quare etiam in numo Alexandrino, qui imperante Nerone signatus est, dicitur tantum TIΒΕΡΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ, estque ejus caput laureatum, cum tamen Augustus et Claudius in ejusdem aevi numis dicantur ΘΕΟΙ, et caput radiatum offerant.

Vxor I. *Vipsania Agrippina*, M. Agrippae filia, quam eximie dilexit [b]), verum repudiare jussus est ab Augusto V. C. 742., ut Iuliam Augusti F. duceret. Data subinde in matrimonium Asinio Gallo sola omnium Agrippae liberorum miti obitu excessit V. C. 773 [c]). Filium habuit *Drusum*, de quo mox. Numis ipsa caret.

Vxor II. *Iulia* Augusti ex Scribonia filia, cum qua primo concorditer vixit, mox dissedit, a patre propter libidines in exilium ejecta, quo tempore maritus Rhodi vixit [d]). De ea vide plura supra in ejus numis. Ex hoc matrimonio natus Aquileiae filius, sed mortuus infans [e]).

* * *

Numi hujus partis anni non exstant certi, quanquam et huc pertineant numi trib. potestate XXXVIII. inscripti, quos descripsimus inde ab anno V. C. 787.

* * *

Numi restitutionum.

Hos dedi in tractatu de numis restitutionum.

Numi commatis peregrini.

Graecae urbes liberae non paucae numos cum Tiberii capite signarunt, qui patriae mentionem vix omittunt.

Coloniarum numi plus difficultatis pariunt, de quorum patria in compluribus jure dubitatur, ut qui inscribuntur C. C. I. P. vel, C. I. PA. vel: P. P. D. D. vel: P. S. S. C. quos descriptos vide inter numos Carthaginis.

Adde aeneos variae formae cum epigraphe: ROM. ET. AVG., qui sunt perfrequentes, et de quibus, quorsum pertineant, judicavi in numis Augusti commatis peregrini.

NOMINA AC TITVLI.

Claudianus, Germanicus.

De nomine *Claudiani* egimus in Annalibus ad V. C. 757. *Germanicus* dictus est propter res a Germanico praeclare gestas [f]). Claudiani nomen et numi, et marmora hactenus nota ignorant, ut et Germanici nomen numi, sed habet istud marmor apud Gruterum [g]).

Augustus.

Augusti nomen ad Tiberium hereditario jure pertinuit, illud tamen non ap-

---

a) Dio L. LIX. §. 3. b) Suet. in Tib. c. 7. c) Tacit. Ann. I. 12, et Ann. III. 19. d) Suet. in Tib. c. 7. e) Suet. l. c. f) Dio L. LVII. §. 8. g) pag. 101. 1.

petiit, ut diserte Suetonius [a]): *ac ne Augusti quidem nomen, quamvis hereditarium, ullis nisi ad reges ct dynastas epistolis addidit.* Dio, qui primum obiter scribit, eum Augusti nomen non accepisse [b]), paullo post apertius in haec verba [c]): *Augusti nomen non quidem usurpabat, audiens tamen, aut scriptum legens ferebat.* Quare etiam ferebat, se in numis omnibus, et publicis epigrammatis continuo, ex quo imperium adivit, dici Augustum.

Pater patriae.

Hoc honoris vocabulo eum perpetuo abstinuisse unanimis est scriptorum omnium sententia. Suetonius ait [d]): *cognomen patris patriae, et civicam in vestibulo coronam recusavit*, idque alibi copiosius confirmat [e]). Idem adserit Dio binis locis [f]), et Tacitus [g]): *Nomen patris patriae a populo saepius ingestum repudiavit*, idque alibi iterato inculcat [h]). Historicorum oraculum confirmant numi omnes, ac marmora, si qua sunt certae fidei. Quare satis mirari non possum Mediobarbum, qui nullo auctore Tiberium statim mortuo Augusto *patrem patriae* dictum temere adserit, idque tanto magis, quod ipse nullum profert numum eo titulo inscriptum. Eodem errore Patinus, fors ducem Mediobarbum secutus Tiberio numum tribuit inscriptum ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ [i]), qui per hanc ipsam epigraphen est Augusti, aut alterius, modo non Tiberii.

Pontifex maximus.

Vide, quae de hoc dicta sunt ad annum V. C. 768.

Imperator.

Imperatoris titulo tanquam praenominis abstinuit quoque, ut testatur Suetonius [k]): *Praenomen imperatoris - - - recusavit*, et Dio in eadem verba [l]), qui et alibi tradit, imperatorem se nisi a militibus vocari passum non esse [m]). Consentiunt numi, et marmora, in quibus ejus tituli non scribuntur: IMP. TI. CAESAR, sed simpliciter: TI. CAESAR. Valeant ergo numi uni Goltzio comperti cum epigraphe ΑΥΤΟ. ΤΙΒΕΡΙΟΥ. etc.

Imperatorem tamen a victoriis se dici sustinuit. Vidimus in annalibus ex numis, Tiberium in trib. potestate XII. fuisse imperatorem V., atque sub ipsum imperii aditum imperatorem VII. Reliqui igitur numeri inter victorias praecedentes dispertiendi, quarum quidem meminere historici, quin tamen semper adderent, ex quibus acclamatus sit imperator. Tres victorias refert Dio, quas ea acclamatio consecuta est, nimirum ad V. C. 746, 759, 763, reliquas dissimulat. Velleius Tiberii res bello gestas, antequam imperio solus potiretur, enarrans, ait, eum *septem triumphos meritum, tribus fuisse contentum* [n]). Ex quo apparet, eum septies dictum imperatorem ex rebus gestis, ex quibus septenos triumphos est promeritus. At quae fuerint hae victoriae ac

---

a) Cap. 26. b) L. LVII. §. 2. c) ibid. §. 8. d) Cap. 26. e) Cap. 67. f) L. LVII. §. 8. L. LVIII. §. 12. g) Ann. I. 72. h) Ann. II. 87. i) Numi Impp. p. 58. k) Cap. 26. l) L. LVII. §. 2. m) ibid. §. 8. n) L. II. c. 122.

triumphi hujus tituli feraces, difficile est decidere; nam neque ex omnibus victoriis Augustus Tiberio triumphum, aut imperatoris titulum decerni est passus, atque hunc indulsit etiam tum, cum bellum nulla memorabili re patrata finiebatur, ut supra ad imperatoris Augusti titulos observavimus. Mediobarbus quidem septemplicem hunc titulum certis annis adfigit, at monumenta, quibus nititur, Goltziana sunt, atque alia dubiae fidei.

Fuisse Tiberium V. C. 747 imperatorem II., colligitur ex marmore Gruteri [a]), quo is dicitur COS. ITERVM. IMP. ITERVM. *ludos votivos pro reditu Augusti fecisse.* Hos ludos Dio peractos docet dicto anno 747, additque, Tiberii tunc in Germania absentis nomine eos obitos a C. Caesare. Imperatoris VII. titulum obtinuit Tiberius usque ad annum V. C. 774, quo dici coepit IMP. VIII., ut supra ad eundem annum demonstravi, etsi interea nobiles aliae victoriae intercederent, neque, quoad vixit, eum deinceps iteravit, ut adeo ejus mortui tituli fuerint, quos enarrat marmor Gruteri [b]):

OSSA
TI. CAESARIS. DIVI. AVG. F.
AVG. PONT. MAX.
TR. POT. XXXIIX.
IMP. VIII. COS. V.

PRETIVM.

Aurei, et argentei - - - - - - -	C.
Argentei signati in variis Cretae urbibus, et Caesareae Cappadociae vario modulo - - -	RRR.
Aenei max. mod. commatis R. - - - - -	O.
I. formae - - - - - - - -	R.
II. formae - - - - - - - -	C.
III. formae - - - - - - - -	O.
Aenei max. mod. commatis peregrini, praecipue coloniarum - - - - - - - -	RR.
I. II. III. formae - - - - - - -	R.
Alexandrini - - - - - - - -	RR.

a) Pag. XI. 1. b) pag. 236. 1.

DRVSVS TI. F.

Natus Tiberio, et Vipsania Agrippina non satis certo V. C. anno, maturatisque honoribus V. C. 764 quaestor [a]), 767 consul designatus, ac tum missus a Tiberio patre in Pannoniam ejus exercitum regionis excessu Augusti novis rebus studentem ad obsequium revocavit [b]). V. C. 768 consul, 773 ob res Germaniae compositas, et Vannium regem Suevis impositum ovans urbem intrat [c]). V. C. 774 consul iterum, 775 trib. potestatem a patre accipit [d]). Neque diu post haec superfuit aetate media exstinctus. Nam Sejani potentiae adversus ejus etiam os in jurgio verberaverat [e]), qui vindictae cupidus, ac jam pridem ejus caedem animo volvens consilio cum Livia Drusi uxore communicato, quam antea sibi adulterio obstrinxerat, V. C. 776 sui securum veneno e medio tollit [f]). Scelus tum propter Sejani metum coopertum, hoc tandem V. C. 784 caeso vulgatum est faciente indicium Apicata Sejani uxore, quae cum suos quoque ex hoc liberos paternae calamitati involutos videret, dolore amens misso ad Tiberium libello auctores prodidit, seque mox ipsam iteremit [g]). Fuit hic Drusus bello habitus idoneus, at animi fluxioris, et remissioris vitae [h]). Vili etiam sanguine gaudebat [i]), usque adeo ejus fama vulgata, ut acutissimi quique gladii *Drusiani* vocarentur [k]). Temulentia, et potandi libidine patrem aequavit, reliquis omnibus rebus inferior habitus [l]). Eum publice funeratum dixit Cassiodorus [m]).

In numis tantum dicitur *Drusus Caesar*, at omnia ejus nomina complectitur marmor apud Chandlerum [n]), quod eum vocat ΝΕΡΩΝΑ ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΥΙΟΝ ΔΡΟΥΣΟΝ.

Vxor *Livia*, et promiscue a veteribus dicta *Livilla*, Caji Caesaris vidua, filia Drusi senioris, et Antoniae, soror Germanici, et Claudii, mulier libidinis extremae, et Sejani adulteriis patens. Particeps caedis mariti re patefacta aliis Tiberii jussu necata, aliis tradita matri Antoniae, et ab hac inedia ad mortem adacta proditur [o]). In marmore apud Sponium ejus fit mentio: CYRVS. LIVIAE. DRVSI. CAES. MEDICVS, quo nomine Sponius parum consulte intelligi Liviam Augusti uxorem credidit [p])

Liberi: *Tiberius*, et N. gemelli, de quibus infra. *Iulia* desponsata primum Sejano teste Zonara, sed eventu caruit propositum. Nupta dein V. C. 773 Neroni Germanici filio [q]), hoc caeso maritum nacta est Rubellium Blandum eque-

---

a) Dio L. LVI. §. 25. b) Tac. Ann. I. 14. 24. c) Tac. Ann. III. 19. et XII. 29. d) Tac. Ann. III. 56. e) Tac. Ann. IV. 3. f) Tac. Ann. IV. 3. 8. Dio L. LVII. §. 22. Suet. in Tib. c. 62. g) Dio L. LVIII. §. 11. h) Suet. in Tib. c. 52. i) Tac. Ann. I. 76. k) Dio L. LVII. §. 13. l) Dio ibid. §. 14. Plin. H. N. L. XIV. m) in Chron. ad ann. 776. n) Inscr. ant. p. 52. n. XV. o) Dio L. LVIII. §. 11. p) Misc. p. 142. q) Tacit. Ann. III. 29.

stris familiae V. C. 786 [a]). Imperante Claudio occisa fuit V. C. 796 urgente per aemulationem Messalina [b]).

Numi:

DRVSVS. CAESAR. TI. F. TR. P. *Caput nudum.*

TI. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. XXV. *Caput Tiberii laur.* AR. (Vaill.)

Ex inscripta utriusque Caesaris trib. potestate apparet, numum signatum V. C. 776. Ceterum dubitare liceat, an revera in hujus numi aversa notetur tribunatus XXV. Nam etsi sic legatur in nova Romana Vaillantii editione, in vetere tamen legitur XXXV. Tanto major suspicandi causa, quod idem Vaillantius, cum eundem ipsum numum in Tiberii moneta describit, revera legi TR. P. XXXV. adserit. Quanquam et alium sic delineatum sistit Morellius:

DRVSVS. CAES. TI. AVG. COS. II. P. TR. P. (*sic omnia.*) *Caput nudum.*

TI. CAES. AVG. P. M. T. P. XXV. *Caput Tiberii laur.* AR. (Morelli tab. IX. n. 1.)

Editor Morellius museum, in quo numus lateat, non citat.

DRVSVS. - - - COS. II. TR. P. IT. *Caput nudum.*

TI. CAES. - - - TR. P. XXXIV. *Caput Tiberii laur.* AR. (Mus. Caes.)

DRVSVS. C. - - AVC. COC. II. R. P. (*omnia sic*) *Caput nudum.*

TI. CAES. AVC. P - - - RT. XXXV. *Caput Tiberii laur.* AR. (Mus. Caes.)

DRVSVS. CAESAR. TI. AVG. F. COS. II. TR. POT. *Caput Drusi.*

TI. CAES. AVG. P. M. TR. P. XXXV. *Caput Tiberii.* AV. (Mediobarb.)

DRVSVS. COS. II. R. P. *Caput nudum.*

TI. CAES. AVG. P. M. R. P. XXXV. (*sic*) *Caput Tiberii laur.* AR. (Morelli tab. IX. n. 3)

DRVSVS. AVC. COC. II. Q. T. (*sic*) *Caput nudum.*

TI. CAES. AVG. P. P. TR. P. XXXV. *Caput laureatum.* AR. (Morelli l. c. n. 5.)

Numos hos studiosius descripsi propterea, ut tanto luculentius appareat, eos omnes extra urbem signatos. Nam primum Tiberius in argentea sua moneta nunquam hac capitis epigraphe est usus, quae in praesentibus numis legitur. Deinde non modo desunt integra vocabula, aut saltem eorum primae notae ad efficiendum verum sensum, sed etiam elementa ipsa aut sunt disjecta, aut minus Latina, aut alia aliis temere substituta. Ad haec *Patris Patriae* mentio in numo postremo quam parum conveniat Tiberio, satis ex iis apparet, quae supra ad hujus Caesaris titulos notavimus, nisi forte Morellius ex hoc numo P. P. pro P. M. inique excepit. Verisimile videtur, numos hos omnes Caesareae, quae Cappadociae regno paullo ante in provinciam redacto denarios plurimos cum Augustorum capite etiam Latine inscriptos signavit, et aliquoties aureos quoque, cusos fuisse.

a) Tac. Ann. VI. 27. b) Dio L. LX. §. 18. Seneca in Octavia v. 944.

Quod si in hac inscriptionum perversitate stari potest notata in his numis trib. potestate XXXIV. XXXV. Tiberii, eorum aetas perquam vicina est iis temporibus, quibus detecto Sejani et Livillae crimine pater Tiberius filii Drusi caedem gravissimis poenis ultum ivit, qua Caesaris perspecta voluntate quaecunque ea urbs hinc patris, illinc filii ante novennium mortui imaginem in numis proposuerit. Atqui et Harduinus fabricam in iis prorsus a Romana abludentem agnovit, dum horum binos *fabricae Hispanicae*, *ac rudis* dicit [a]). Pellerinio id genus plures ex Epiro adlatos testatur Belleyus [b]).

* * *

DRVSVS. CAESAR. TI. AVG. F. *Caput nudum.*

TI. CAESAR. AVG. F. AVGVSTVS. *Caput laur.* AE. I. vel II.

Hunc numum vix credam in urbe signatum, quia nota S. C. in eo desideratur, et quoniam medius est inter aeneam primae, et secundae formae monetam commatis R., quod ex eruditorum variis judiciis apparet. Nam Vaillantius eum aeneis I. formae accenset [c]), Morellius II. [d]). Alibi hic numus non exstat, et videtur ipse Morellius picturam ex Vaillantii imagine mutuatus, qui forte, ut saepe alias ab eo erratum, coloniae nomen in numo scriptum non viderit.

* * *

DRVSVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. *Caput nudum.*

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXIII. *in medio* S. C. AE. II. (Pembrock Part. III. tab. 47.)

* * *

DRVSVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. PONT. TR. POT. II. *in medio:* S. C.

Sine epigraphe. Caduceus inter duplex cornucopiae, quorum singulis insertum caput puerile. AE. (Mus. Caes.)

Sunt haec capita Tiberii, et N. gemellorum Drusi filiorum, de quibus infra. Numus hic certo signatus est V. C. 776, nam tum Drusus trib. potestatem II. est auspicatus, et mox ipse, ac N. gemellus vivendi finem fecere. Typus ipse symbolicus eleganter fecunditatem, et felicitatem imperii notat.

* * *

DRVSVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. *Caput nudum.*

PONTIF. TRIBVN. POTEST. ITER. *in medio:* S. C. AE. II. (Mus. Caes.)

Fuisse Drusum pontificem, numi docent, ac mormora. Haec insuper eum flaminem Augustalem produnt, ut docet inscriptio Gruteri, quae omnes ejus titulos complectitur [e]):

DRVSO. CAESARI. TI. AVG. F.
DIVI. AVGVSTI. N. DIVI. IVLI.
PRO. N.
PONTIF. FLAM. AVG. TR. POT. II.
COS. II.

Sodalem Augustalem eum prodit quoque Tacitus [f]), et marmor apud Fa-

a) Hist. Aug. p. 710. b) B. L. T. XXXIII. hist. p. 195. c) Num. praest. T. I. p. 11. d) Num. Drus. n. 17. e) pag. 236. f) Ann. I. 54.

brettum eum *pontificem*, *augurem*, *sodalem Augustalem* vocat [a]).

* * *

DRVSVS. CAESAR. TI. AVGVSTI. F. TR. POT. ITER. *in medio:* S. C.

PIETAS. *Caput muliebre velatum.* AE. II. (Mus. Caes.)

Supra in numis Liviae verisimile dixi, capite aversae proponi Liviam Drusi aviam, quo loco vide et reliqua, quae ad praesentis numi explicatum pertinent.

Numi restitutionum.

De his egimus Vol. V. in tractatu singulari.

Numi commatis peregrini.

Numi Graeci:

Exstant aenei II. formae absque mentione urbis, fabricae barbarae, in cujus describenda aversa conspirant omnes, nempe:

TIB. ΓΕΡ. ΚΑΙΣΑΡΕΣ. *Duo capita nuda se respicientia.*

Verum pars adversa misere ab antiquariis torquetur, quorum varias sententias audire opere pretium.

ΔΡΟΥΣΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ. ΥΙΟΣ. *Caput laureatum, hinc lituus, illinc simpulum.*

Ita numum hunc descripsit Morellius [b]), censuitque, exhiberi Drusum seniorem, et in aversa Tiberium fratrem, et Germanicum Drusi filium. Delineavit numum ex museo regis Galliarum. Serius eundem restituit ex museo Schwarzburgico [c]). Eandem lectionem Belleyus ex numo Pelleriniano promulgavit [d]).

Harduinus epigraphen anticae ex numo regis Galliarum eodem modo describit, at in capite anticae Drusum juniorem, in postica ejusdem Drusi gemellos Tiberium, et, ut ipse alterum anonymum appellat, Germanicum videt [e]).

ΔΡΟΥΣΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. *Typus idem.*

Vaillantius his verbis eundem numum describit, et caput anticae esse Drusi junioris, posticae capita Tiberii Drusi filii, et Germanici adserit [f]). Eodem modo numi similis epigraphen effert Petrus Fundi auctor musei Theupoli [g]), ut et Arigonius [h]), sed certum videtur, ambos nullo adhibito criterio Vaillantii praeconium secutos.

Tam Morellii, quam Vaillantii lectio jure suspecta visa est magno Spanhemio, sic ut, ad utrum Drusum referendus sit numus, decidere vereretur, etsi nonnihil in seniorem inclinaret [i]), eumque fere sequitur Liebeus ejusdem numi index [k]).

Meam qui de hoc numo requiret sententiam, sic habeto, quanquam quae dicturus sum, jam fere praeceperint Spanhemius, et Liebeus. Epigraphe numi I., si de Druso seniore capiatur, repugnat fidei omnium tam monumentorum, quam historicorum; nam pri-

a) De Col. Traj. p. 90. b) Specim. p. 155. c) Impp. domus August. Tab. VII. p. 22. d) B. L. T. XXXVIII. hist. p. 190. e) ad Plin. T. I. p. 729. f) Num. Graec. p. 9. g) p. 839. h) Num. Graec. Sect. II. tab. 3. i) de praest. num. Tom. II. p. 320. k) Goth. num. p. 302.

mum Drusus senior Caesaris titulum nunquam habuit testibus numis, neque historicorum unus quispiam meminit, hunc Drusum fuisse adoptatum. Perperam, credo, eruditus Beauvais ad numum Pellerinianum in colonia signatum provocat, in quo Druso *Caesaris* titulus additur [a]). Is in universo Pellerinii opere nusquam memoratur, quem certe insignis is vir propter rei insolentiam describere non neglexisset, si revera Drusi senioris is numus esset. Sane cl. Beauvais eum videtur numum intelligere, quem Pellerinius in quapiam Africae colonia cusum commemorat, sed quem ipsum vir eruditus non seniori, sed juniori Druso largitur [b]). Alium numum citat auctor musei Theupoli, in quo juxta capita Antoniae, et Drusi senioris praetenditur epigraphe: ΑΝΤΩΝΙ - - - ΔΡΟΥ. ΚΑΙΣ. ΓΕΡ. [c]) at vix fidem merebitur monumentum aevo adrosum, quod addita puncta satis ostendunt, cujus veram epigraphen sistit numus integerrimus musei Caesarei: ΔΡΟΥ. ΚΛΑΥ. ΓΕΡ. ΑΝΤΩΝΙΑ. Enimvero si Caesar unquam fuisset hic Drusus, eum titulum in gentis suae decus non omisisset filius Claudius, qui ad imperium evectus copiosis in omni metallo numis patris memoriam restauravit. Deinde non video, qua ratione dici possit *Augusti filius* is, qui in Caesarum familiam per adoptionem non transivit. Dubium item auget additus lituus, et simpuvium, nam etsi non repugnet, eum fuisse augurem, tamen istud monumento quopiam probari nequit.

Verisimilior quidem esset Harduini sententia, eam epigraphen ad Drusum jun. pertinere adserentis. Verum cur contra receptum, ac constantem morem hic Drusus dicitur ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ. ΥΙΟΣ pro ΤΙ. ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ. ΥΙΟΣ? Deinde, quod idem ait, aversam sistere gemellos hujus Drusi, merum est commentum; nam veterum nemo prodidit, alteri anonymo fuisse nomen Germanici, neque constat, quae causa fuerit inditi infanti hujus nominis, quo neque pater, neque avus in moneta usi sunt.

Vaillantii lectionem, secundum quam Drusus jun. dicitur ΚΑΙΣΑΡ. ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, non moror, nam sphalma offert canorum, et quod vix cadere posse videatur in virum, qui vitam in explicandis numis tanta cum laude exegit. Mirum etiam, in aversa cum Tiberio Drusi jun. filio conjungi Germanicum, qui illo nondum nato mortem jam obivit in Syria, etsi illius nativitas, et hujus obitus in eundem annum V. C. 772 incidant.

Ergo tutissimum, omni de his numis judicio abstinere, dum de certa anticae inscriptione denique constet. Hactenus editos labe non carere, satis inde colligitur, quod iis legendis eruditorum judicia variant, et hos etiam aliquid dedisse conjecturae, et supplevisse literas mancas, saltem in Morellio certum, qui in numo Schwarzburgico confidenter legit ΔΡΟΥΣΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ. ΥΙΟΣ [d]), in quo tamen eodem numo Liebeus praeter - - - - ΚΑΙΣΑΡ. ΑΥΓΟΥ - - - nihil certi vi-

a) Hist. abreg. T. I. p. 86. b) Mel. I. p. 260. c) pag. 839. d) Impp. num. dom. Aug. tab. VII. n. 22.

dit. Etiam in numo simili musei Caesarei praeter ΚΑΙΣΑΡ perspicuum nihil est. Tempori igitur expediendum dubium relinquatur.

* * *

In Cypro cum epigraphe Latina signati Drusi numi, quod persuadet propositum in iis templum Veneris Paphiae, etsi insulae, aut sitae in ea urbis omnis mentio absit. Vaillantius eos inter urbes colonias, aut quae Latii jure donatae sunt, propter unam epigraphen Latinam recenset, sinistro sane instituto, ut diximus in tractatu de numis coloniarum.

In numis Sardium fingitur sedens cum Germanico, de quibus agemus in numis Germanici.

In coloniarum, ac praecipue Hispaniae numis recurrit frequentius, et quidem solus in numis Italicae, in consortio cum Iulia avia, aut Germanico in numis Romulae, et Tarraconis.

Insignem alium in incerta Africae colonia signatum edidit Pellerinius [a]), quem descripsi in numis Carthaginis.

PRETIVM.

Aureus apud unum Mediobarbum.

Argentei	- - - - - - - -	RRR.
Aenei I. formae	- - - - - - - -	R.
II.	- - - - - - - -	C.
III.	- - - - - - - -	O.
Numi Graeci	- - - - - - -	RRR.
Coloniarum	- - - - - - -	R.
Alexandrini	- - - - - - -	RRRR.

TIBERIVS et N. GEMELLI.

Anno V. C. 772 Druso juniori ex Livia sua duo virilis sexus una nati sunt magna Tiberii voluptate, et immodica jactatione, ut qui cuncta etiam fortuita ad gloriam vertebat [b]). Horum uni fuisse nomen Tiberio constat. Alterius appellatio ignota. *Drusum* vocat Tristanus [c]), *Germanicum* Harduinus [d]), sed neuter ullo auctore rem probat. Alterius hujus nulla habenda ratio, quoniam infans adhuc quadriennio post V. C. 776 mortuus est [e]). Infelicior alter vitam aliquamdiu protraxit, spretus a Tiberio, velut conceptus esset ex adulterio cognita matris Liviae libidine [f]). Heres tamen ex testamento ae-

---

a) Mel. I. p. 260. b) Tac. Ann. II. 84. c) Comm. hist. T. I. p. 171. d) in nota ad Plinii Tom. I. p. 729. e) Tac. Ann. IV. 15. f) Suet. in Tib. c. 62. Dio L. LVIII. §. 23.

quis cum Cajo Caligula partibus est relictus [a]), et consors imperii constitutus [b]). Verum hanc Tiberii voluntatem Caligula imperium adeptus mox senatusconsulto evertit fratre imperio exuto, adoptavit eum tamen, ac principem juventutis dixit [c]), sed mox quaesita causa interfecit V. C. 790 [d]). Lege Philonem Iudaeum infelicem juvenis exitum tragice describentem [e]). Lapis prope portam Flaminiam nuper effossus infelicem hunc adolescentem eo loco fuisse sepultum testatur hoc epigrammate: *Tib. Caesar Drusi Caesaris F. hic situs est* [f]).

Numi:

Capita Tiberii, et N. Amaltheae cornui imposita, absque tamen inscriptione, comparent in numis aeneis I. formae Drusi Caesaris patris, quos supra in hujus moneta descripsi.

Vtriusque etiam caput in numo Graeco videre sibi visus est Harduinus, sed quam sententiam supra in ejusdem Drusi numis confutavi.

GERMANICVS.

Natus Druso seniore, et Antonia minore V. C. 739, nam V. C. 772, quo mortuus est, agebat annum aetatis XXXII. [g]). Germanici nomen traxit a patre Druso, ut supra in hujus numis dictum. V. C. 757 adoptatus a Tiberio Augusti jussu, Caesar Tiberii filius, Augusti nepos appellari coepit. V. C. 760 quaesturam obiit, et Tiberio ad bellum Dalmaticum subsidio missus est [h]). Ex rebus hoc bello praeclare gestis insignia triumphalia, et praetorios honores meruit V. C. 763 [i]). Anno sequente una cum Tiberio proconsulari imperio in Germaniam ad expiandam Vari caedem impressionem facit [k]). V. C. 765 consul, 767 sub Augusti exitum legionibus apud Rhenum impositus utriusque exercitus seditionem Tiberium aversantis, atque ipsummet imperio admovere volentis, sopivit, minatus, ni absisteret, se in sui caedem paratum, atque effecit constantia, ut haud multo post in Tiberii verba juraret. Quae subinde continuato Germaniae bello praeclare gesserit, quosque inde honores abstulerit, in Tiberii annalibus digesta sunt. V. C. 771 consul iterum apud Nicopolin Achaiae procedit [l]), et quidem conlega Tiberio, missusque in Orientem Artaxiam Armeniae praeficit, Cappadociam et Commagenem in provinciam redigit, V. C. 772 profectus in Aegyptum cognoscendae antiquitatis causa, ex hac in Syriam, Pisonis Syriae praefecti, ejusque uxoris Plancinae injurias, contumelias, malas artes perpessus, neque quacunque moderatione declinare valens in morbum incidit, cujus vim augebat persuasio veneni a

a) Suet. in Tib. cap. ult. b) Dio L. LIX. §. 1. Philo de legat. ad Cajum. c) Suet. in Calig. c. 15. Dio L. LIX. §. 8. d) Suet. in Cal. c. 23. Dio l. c. e) Legat. ad Cajum p. 549 seq. f) Foggini Fasti Verrii p. 132. g) Suet. in Cal. c. 1. h) Dio L. LV. §. 31. i) Dio L. LVI. §. 17. k) Dio l. c. §. 25. l) Tac. Ann. II. 53.

Pisone propinati, mortuusque est Epidaphne juxta Antiochiam die IX. Octobris [a]). Ejus vulgata mors incredibile, quanto dolore, luctu, consternatione per imperium, atque in ipsa urbe palam accepta sit, nemine sibi ab apertis in Tiberium contumeliis moderante, quem communis vox, occulto jussu Pisonis veneficiis objectum Germanicum, arguebat. Neque deerat orationi fides. Nam an ausuros Pisonem, et Plancinam palam obtrectare Caesari cum summa potestate in Orientem misso, nisi id sibi per Tiberium et Iuliam licere novissent? Et constabat satis, invisum Tiberio Germanicum, quem propter communem populi adfectum, et hujus inflammatum adversum se odium paratum successorem metuebat. Non tenuit modum populi indignatio; nam subversae deorum arae, tanquam imperii pignus male custodivissent, lapidata templa, lares in publicum abjecti. Ipsos etiam barbaros tenuit miseratio, et erat quoddam velut justitium non per imperium modo R., sed per totum terrarum orbem indictum. Sane non habet omnis aetatis memoria inde ab Alexandro M. alium, cujus mors tam acerbe, ac dolore magis sincero accepta sit, neque id solum concepto ex tempore luctu, verum in multos annos continuato, sic ut in ejus liberorum rebus laetis propter parentem gauderent una Romani, et dolerent in adversis. Nactus est virtutis suae praecones omnes, quicunque res Romanas literis consignavere, ejusque cum corporis, tum animi decora, fortitudinem, ingenium, eloquentiam, doctrinamque praecellentem, comitatem in socios, mansuetudinem in hostes amplissimis laudibus extulere [b]). Ejus cineres ab Agrippina uxore ex Syria Romam delati in Augusti sepulcro conditi sunt.

Vxor *Agrippina*, de qua infra.

Liberi. Novem ex Agrippina tulit, sex reliquit superstites, *Neronem*, et *Drusum* Caesares, de quibus infra, *Cajum* dictum *Caligulam*. Duorum filiorum, sed qui infantes mortui sunt, nomina conservant lapides duo ante annos non multos in urbe versus portam Flaminiam eruti. In horum uno: *Tiberius Caesar Germanici Caesaris F. hic crematus est.* In alio: *C. Caesar Germanici Caesaris F. hic crematus est.* In tertio Caesaris nomen extritum vetat, quo minus omnium sex liberorum marium nomina teneamus [c]). Tres sexus feminini, *Agrippinam*, de qua, cum fuerit nupta Claudio, agetur post hujus Augusti numos, *Drusillam*, et *Iuliam Livillam* [d]). De utraque agam infra post Caligulam in hujus sororibus.

Numi Germanici eo vivo signati.

GERMANICVS. CAESAR. *Germanicus in quadrigis triumphalibus, s. scipionem cum aquila.*
SIGNIS. RECEPT. DEVICTIS. GERM. S. C. *Germanicus paludatus stans d. extenta, s. aquilam legionariam.* AE. II.

a) Kalend. marm. Antiat. b) Suet. in Cal. c. 1 seq. Dio, Tacitus. c) Foggini Fasti Verrii p. 132. d) Suet. in Calig. c. 7.

Illustris hic numus, etsi obvius, signatus est V. C. 770, quo ex A. D. VII. Kal. Iun. de variis Germaniae victis gentibus celebrem triumphum egit, ut supra in Tiberio ad eundem annum notavi. Eum triumphum pars adversa testatur. Aversa per inscriptionem DEVICTIS. GERM. hanc de iisdem gentibus victoriam, et triumphi causam eloquitur; altera epigraphes pars SIGNIS. RECEPT*is* insigne illud factum continet, quo egregius hic princeps amissas Variana clade aquilas, et in luco a barbaris defossas investigavit, ac repertas revexit, de quo prolixe agit Tacitus [a]). Aquilam, quae sola ex ea clade apud Chaucos supererat, his victis recuperavit P. Gabinius V. C. 794 [b]).

Numi Germanici ab ejus obitu signati.

A. Caligula filio.

GERMANICVS. CAES. P*ater* C. CAES. AVG. GERM. *Caput nudum.*

C. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT. *Caput Caligulae aut nudum, aut laureatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Quam fuerit Caligula sub imperii principium in majores suos pius, dicetur in ejus vita. In patris memoriam Septembrem *Germanicum* dici voluisse, testatur Suetonius [c]).

* * *

GERMANICVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. *Caput nudum.*

Epigraphe solita Caligulae addito vario trib. potestatis numero, in medio: S. C. AE. II. (Mus. Caes.)

* * *

A Claudio fratre.

Aeneum I. formae a Claudio in Germanici honorem signatum prodidere ex museo regis Galliarum Vaillantius [d]), et Morellius, sed de hujus fide dubitat ipse Vaillantius, cum aliis. Ast est genuinus sequens:

GERMANICVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. *Caput nudum.*

Epigraphe Claudii Aug., in medio: S. C. AE. II. (Mus. Caes.)

Numi restitutionum.

Eos vide Vol. V. in singulari de iis tractatu.

Numi commatis peregrini.

Graecae urbes variae Germanici caput, et epigraphen in numis signavere, sed qui ad ejus historiam nihil conferunt praeter sequentes illustres, quos ei Sardiani in consortio cum Druso juniore Ti. filio dedicavere. Eccos:

ΔΡΟΥΣΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΑΔΕΛΦΟΙ. *Vterque Caesar togatus sedens, quorum unus lituum, alter simpulum tenet.*

ΕΠΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΚΛΕΩΝΟΣ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. *Corona querna, intra quam:* ΚΟΙΝΟΥ. ΑΣΙΑΣ. AE. II. (Morelli Impp.)

a) Ann. L. II. 25. et 41. b) Dio L. LX. §. 8. c) in Calig. c. 15. d) Num. praest. T. I. p. 15.

ΔΡΟΤΣΟΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΕΣ. ΝΕΟΙ. ΘΕΟΙ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ. *Idem typus.* ΓΑΙΟΤ. ΑΣΙΝΙΟΤ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΤΠΑΤΟΤ. *Corona querna, intra quam:* ΚΟΙΝΟΤ. ΑΣΙΑΣ. AE. II. (Ibid.)

In his numis Drusus, et Germanicus vocantur primum ΑΔΕΛΦΟΙ, *fratres*, quod fuere non natura, sed adoptione, uti satis per vices dictum est, deinde ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ, *fratres sese mutuo amantes*, neque istud per adulationem Graeculam Sardianorum, a quibus docente numo primo signati hi numi, ut subinde Graeci Caracallam, et Getam inter se dissidentes appellavere φιλαδελφυς, sed ex vero. Nam etsi divisa, et discors iis una viventibus aula fuit, tacitis hinc in Drusum, illinc Germanicum studiis, tamen fratres egregie concordes, et proximorum certaminibus inconcussi mansere [a]). Germanicus item, cum a Tiberio V. C. 770 in Orientem mitteretur, ab itinere in Dalmatiam divertit, ut fratrem ibi agentem viseret [b]). Neque Drusus Pisoni, necati per insidias Germanici reo, aequum sese ostendit [c]). Vocantur denique ΝΕΟΙ. ΘΕΟΙ, *novi dii*, istud sane pro Graecorum genio, qui Olympum colonis implevere. Non placet Morellii judicium, qui propter haec ipsa epitheta utrumque in deorum numerum relatum, hosque numos post eorum e vita excessum signatos adserit [d]). Non enim credo necesse esse, proferre exempla honoris divini adhuc vivis tributi, et multa sunt, quae prohibent credere, eos mortuos denique in numis conjunctos.

Ad typum quod attinet, uterque sacri sui muneris attributum manu praefert. Eos vero studiosius in moneta proponendos curavit C. Asinius Pollio proconsul, quia hujus ipsius Drusi fuit frater uterinus, communi utrique matre Vipsania Agrippina, de quo vide, quae in numis gentis Asiniae docui. Fuisse vero Germanicum augurem, et flaminem Augustalem, docent marmora Gruteri [e]), et Sponii [f]), tum Tacitus [g]).

Etiam functo vita Germanico honores monetarii ab urbibus Graecis habiti, et quidem in consortio uxoris Agrippinae, vel filii Caligulae. Visum nempe sic captare Caligulae benevolentiam, quem in parentes egregie pium videre. Numi hi signati sunt apud Mytilenen, quae utrique honores divinos largitur, scribendo: ΘΕΟΝ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ. ΘΕΑΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ [h]), tum apud Smyrnam, Magnesiam a Sipylo [i]), et Polyrhenium Cretae.

Coloniae Corinthus, et variae per Hispaniam Germanico dedicavere numos, et Caesaraugustani, et Oscenses eo jam mortuo imperante Caligula.

a) Tac. Ann. II. 43. b) l. c. 53. c) l. c. III 8. d) Specim. p. 157. e) pag. 236. 4. f) Miscell. p. 266. g) Ann. I. 62. h) Morelli Impp. Tom. I. pag. 534. i) l. c.

PRETIVM.

Aurei, et argentei - - - - - -	RR.
Aenei I. et III. formae commatis R. - - -	O.
Aenei II. formae - - - - - - -	C.
Aenei urbium liberarum, et coloniarum - -	R.

AGRIPPINA GERMANICI.

Nata M. Agrippa, et Iulia Augusti filia, nupta subinde Germanico, eique propter fidem, pudicitiam, atque animum plus quam in femina intrepidum insigniter probata fuit. Labem tantis virtutibus aspersere aemulatio muliebris, atque ingenium ferox, nisi excusent feminam eo loco natam, et consciam vitae caste, et integre actae, quod adversum impurissimas Tiberii, et Liviae criminationes, et Plancinae mulieris impudentissimae injurias sumpsit superbiam quaesitam meritis. Rebellantem sub Augusti mortem exercitum Germanicum sua quoque auctoritate, ac precibus coercuit. V. C. 770 maritum in Orientem consectata testis fuit atrocissimarum injuriarum, quas Germanico suo Cn. Piso Syriae praeses, sibi vero hujus uxor Plancina, uterque haud dubie ab Augustis subornatus, intulerunt, viditque biennio post propinato, ut credebatur, ab hoc veneno maritum suum exstinctum. Collectis Germanici cineribus Romam cum liberis properat, iisque Augusti tumulo illatis sola educandis liberis vacat. At vero Tiberium alioqui, ab se alienum propter suspicionem veneni, quod ab eo sibi porectum iri palam metuebat, magis adversum se irritat, qui illam aliis praeterea illatis causis vinciri et excusso a centurione oculo (usque adeo contra vim obnixa erat) in Pandatariam ejici jussit V. C. 783. Ea in insula triennio post V. C. 786 seu voluntate, seu negatis alimentis diem obit XV. Kal. Novembres, eodem die, quo ante biennium Sejanus. Ejus audita morte Tiberius jactavit clementiam suam, *quod non laqueo strangulata, neque in Gemonias abjecta foret* [a]. Tam acerbe praeter omne fas habitae memoriam filius Caligula imperio admotus continuo restituit, ut mox videbimus.

Numi:

Hi omnes post ejus mortem a proximis Tiberii successoribus signati sunt.

AGRIPPINA. MAT. C. CAES. AVG. GERM. *Caput Agrippinae.*

C. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT. *in aliis:* C. CAESAR. AVG. PON. M. TR. POT. III. COS. III. *Caput Ca-*

a) Tacit. L. VI. 25.

ligulae, *vel nudum*, *vel laureatum*. AV. AR. (Mus. Caes.)

AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI. *in aliis*: AGRIPPINA. M. F. GERMANICI. CAESARIS. *Caput Agrippinae.*

S. P. Q. R. MEMORIAE. AGRIPPINAE. *Thensa a binis mulis tracta.* AE. I. (Mus. Caes.) Etiam max. mod. citatur a Morellio.

Vterque numus Caligulae pietatem in matrem docet, quam testantur quoque scriptores, quos inter luculentius Suetonius a): eum justis Tiberio solutis confestim Pandatariam ad transferendos matris cineres advolasse, tempestate turbida, quo magis pietas emineret, et per Tiberim Romam subvectos intulisse Mausoleo. Addit, inferias matri annua religione institutas, et eo amplius Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur. Vide etiam Dionem b). Carpentum istud in numis aeneis altero loco descriptis comparet, quos tamen vix credam sub Caligula, sed a Claudio demum signatos, ut ex sequentibus patebit.

Nomine MEMORIAE intelligitur pietas, qua mortuum sanguine juncti prosecuti sunt solutis pro dignitate justis funebribus, collaudatis publice virtutibus, posito monumento, aut illatis in monumentum patrium cineribus. Vnde questus est palam Iulianus Imperator c), quod Constantius caesum per nefas Gallum Caesarem *ουδε των πατρωων μεταλαχειν ειασε ταφων, ουδε της ευαγους ηξιωσε* ΜΝΗΜΗΣ, *ne paterno quidem inferui sepulcro*, *neque pia memoria dignatus est.* Hoc vocabulum inde a Claudio Gothico frequenter consecrationis numis inscriptum legitur. Vide, quae de eo praeterea monebimus in tractatu de numis consecrationum.

* * *

AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI, *vel:* AGRIPPINA. M. F. GERMANICI. CAESARIS. *Ejus caput.*

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P., *in medio:* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Ex his numis patet, Claudio quoque charam fuisse memoriam Agrippinae fratris Germanici uxoris. Dicitur in his numis Agrippina M*arci* A*grippae* F*ilia*, atque existimo, numos omnes sic inscriptos, etiam qui Claudii nomen non praeferunt, sub hoc signatos. Non enim credo, monetarios sub Caligula ausuros fuisse facere mentionem M. Agrippae, a quo, tanquam ignobilis prosapiae, is nolebat credi sese ortum ducere d), quod saltem mihi concedent antiquarii illi, qui ademptum universae Hispaniae a Caligula signandae monetae jus ideo existimant, quoniam eo imperante ausi essent numos Agrippae imagine insignes cudere, tanquam eo obscurum Caesaris genus voluissent in publicum efferre. Adde, in numis aureis supra descriptis, qui certe sub Caligula signati sunt, literas M. F. revera non exstare.

a) In Calig. c. 15. b) L. LIX. §. 3. c) ad S. P. Q. Athen. pag. 271. d) Suet. c. 23.

* * *

Epigraphe, et caput, ut in praecedentibus.

S. P. Q. R. P. P. OB. CIVES. SERVATOS. *intra coronam quernam.* AE. max. mod.

Numum hunc edidit Vaillantius ex museo de Camps, et restituit Morellius, qui, si genuinus est, et omni fraudis suspicione vacuus, videtur monetarii errore pars aversa, quae ad Claudium, nullo autem pacto ad Agrippinam pertinet, cum hujus antica temere sociata.

Numus restitutus.

Agrippinae imaginem in aeneo I. formae restituit Titus additis in aversa ejus titulis, quem vide descriptum in numis restitutionum.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

Harum nonnullae numos dedicavere Agrippinae seu soli, seu in consortio cum Germanico, vel Caligula. Male huic Morellius largitur numum Aezanitarum Phrygiae inscriptum: ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΝ. Haec Agrippina nunquam Augustae titulum tulit. Est ergo Agrippinae Claudii, etsi verum sit, ΘΕΑΝ non raro inscribi, uti ejus maritum ΘΕΟΝ, ut legitur in numo eximio, qui propter alias praeterea causas meretur adcuratius describi, explicarique.

ΘΕΟΝ. ΓΕΡΜ. - - - ΜΥΤΙ. *Caput Germanici nudum.*

ΘΕΑΝ. ΑΙΟΛΙΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΥΤΙ. *Caput Agrippinae.* AE. II. (Pellerin Rec. III. pag. 229.)

In hoc numo praeter nomina ΘΕΟΥ et ΘΕΑΣ observari quoque meretur vocabulum ΑΙΟΛΙΝ, quod esse integerrimum adfirmat Pellerinius, sed a variis antiquariis ex numis similibus male hactenus lectum, ut ipse pagina ultima ejusdem voluminis inter additiones latius enarrat. Quod ad ejus explicationem attinet, sic de eo judicat editor: *Existimamus, vocem* ΑΙΟΛΙΝ *monetarii lapsu exortam, cum pro ea scribendum fuerit* ΙΟΥΛΙΑΝ. *Revera Agrippina IVLIAE nomen habuit, quod ei fuisse praenomen, ex historicis constat, etsi illud dissimulent numi hactenus cogniti.*

Non satis argumentum expendit Pellerinius, cum haec scriberet. Huic Agrippinae IVLIAE nomen nunquam fuit; nam nata est ex M. Agrippa, et ipsa, quod constet, in gentem Iuliam nunquam adoptata, etsi in eam cooptatus fuisset maritus Germanicus. Non quidem ajo repugnare nomen *Iuliae*, nam habuit matrem Iuliam, et quod amplius est, sororem Iuliae nomine, ex matris utique nomine indito. At neque numi, neque marmora Agrippinam nostram *Iuliam* appellant. Fecerintne istud historici, ut ait Pellerinius, ignoro. Nullum certe hoc loco, quod plerumque more suo facit, testem advocat. At Iuliae nomen habuisse alteram Agrippinam hujus filiam, et uxorem Claudii, prodidere numi marmora, historici, idque jure, nam fuit filia Germanici genti Iuliae inserti. Errasset ergo monetarius scribendo ex Pellerinii mente ΙΟΥΛΙΑΝ, et nomen impertiendo, quod eam tulisse nullo monumento probari potest.

Sed neque erravit monetarius vocando Agrippinam ΑΙΟΛΙΝ, quod ei nomen honoris causa inditum confirmant primum historia, deinde monumenta certa alia. Numum diximus percussum apud Mytilenen Lesbi insulae urbem. Fuit Lesbus non modo Aeolidi adsita proxime, verum ea ipsa ab Aeolibus habitata. Quare Scylaci dicitur *νησος Αιολις*, et Eustathio *μητροπολις των Αιολικων πολεων* a), et Stephanus b): *Λεγονται και οἱ τον Λεσβον ὀικεντες Αιολεις*, *et Aeoles vocantur ii*, *qui Lesbum incolunt*. Ipsa etiam lingua fuit Aeolum, quod praeter alia demonstrant carmina Alcaei, et Sapphus indigenarum. Constat vero ex Tacito c), Germanicum Tiberii jussu V. C. 771 in Orientem profectum subsistere longius in hac insula coactum propter Agrippinam uxorem, quae mox Iuliam Livillam partu enixa est. Huic Germanici in insula morae, et quod nata illi apud se filia, tribuendus Lesbiorum in eum principem, ejusque familiam adfectus, quem et copiosi numi in hujus honorem signati produnt. Satis igitur causae, cur ii universam Germanici familiam honoris causa civitate donarent, qui honos frequens fuit in urbibus Graecis, neque oblatum aspernati sunt reges, ac principes. At cum Lesbii origine essent Aeolos, Agrippinae inditum nomen ΑΙΟΛΙΣ, quod est gentile femineum ductum a masculino *Αιολιος*, cujusque accusandi casus flectitur in *Αιολιδα*, vel *Αιολιν*, ut habet numus. Denique sententiam hanc invicte stabilit marmor eximium vulgatum a Muratorio d), et quod plurimum huc facit, in ipsa Aeolia repertum:

Ο. ΔΗΜΟΣ.
ΝΕΡΩΝΑ. ΙΟΥΛΙΟΝ.
ΚΑΙΣΑΡΑ. ΠΑΙΔΑ.
ΘΕΟΥ. ΝΕΟΥ. ΓΕΡΜΑ
ΝΙΚΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ
ΚΑΙ. ΘΕΑΣ. ΑΙΟΛΙ
ΔΟΣ. ΚΑΡΠΟΦΟ
ΡΑΣ. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑΣ.

Marmor dedicatum est Neroni Caesari, de quo mox, filio Germanici, et Agrippinae, quam item marmor numi exemplo ΑΙΟΛΙΝ vocat. Marmor aliud, Mytilenaeum item, perhibet ΜΑΡΚΟΝ. ΓΡΑΝΙΟΝ. ΓΑΙΩ. ΥΙΟΝ - - - ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΗΣΑΝΤΑ. ΘΕΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΑΣ. ΑΙΟΛΙΔΟΣ. ΚΑΡΠΟΦΟΡΩ. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑΣ. *κ. τ. λ.* e). Est haec Agrippina prioris filia, Claudii uxor, et ipsa quoque, ut dixi, Lesbiorum civitate donata, ac propterea dicta ΑΙΟΛΙΣ.

His Lesbiorum numis adde numum Graece inscriptum, cusum a Leptitanis Africae, quos adi.

* * *

Coloniarum.

Hujus generis numos cum capite Agrippinae nostrae habemus signatos Caesaraugustae, et Apameae Bithyniae. Male posterioris hujus coloniae numos Vaillantius, et Havercampus tribuunt Carthagini Africae, cum legerent C. I. C. pro C. I. C. A. Male item Morellius, et Havercampus hujus Agrippinae monetae inserunt numum, in cujus antica: AGRIPPINA. AVGVSTA in X GEN.

a) Ad Dionys. Perieg. v. 536. b) in *Αιολια*. c) Ann. II. 54. d) Nov. thes. p. 228. 1.
e) Pocock Inscr. ant. p. 46. 9.

COL. COR. Diximus, hanc Agrippinam nunquam *Augustam* dictam. Est adeo hic quoque numus Agrippinae junioris. Accedit, quod haec aversae inscriptio in numis Corinthi Neronis primum aetate coepit, qua ipsa Agrippinae quoque junioris numi cusi sunt.

In coloniae cujuspiam moneta puto etiam sequentem:

TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. IMP. *Caput Tiberii nudum.*

AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI. *Caput Agrippinae.* AE. I. (Haym. T. I. tab. 24. n. 3.)

Spurium crederem, nisi ejus fidem Haymius tueretur. Adeo maligne Tiberius cum Agrippina, quam is aversatus est, sociatur. Videtur coloniae, quae numum hunc feriit, aliud propositum non fuisse, quam ut revereatur binos imperantis tum Caligulae parentes, Tiberium, cujus is fuit nepos adoptione, et Agrippinam, cujus fuit filius natura.

PRETIVM.

Aurei, et argentei - - - - - -	RR.
Aenei I. formae - - - - - - -	C.
II. et III. formae - - - - - -	O.
Aenei commatis peregrini - - - - -	RR.

NERO ET DRVSVS

Germanici filii.

NERO Germanici filiorum natu maximus lucem vidit circa annum V. C. 760. Pontificatum V. C. 773, togam virilem 776 accepit [a]), quo ipso anno post mortem Drusi Tiberii filii a Tiberio commendatur senatui una cum fratre Druso [b]). At per Sejani criminationes, et Tiberii infensum in domum Germanici animum judicatus hostis [c]) in Pontiam insulam V. C. 783 ejicitur, et anno sequente fame necatur. Ejus moderationem, et mitem indolem commendat Tacitus. Caligula frater adito imperio ipse in Pontiam profectus collectos cineres laudabili pietate Augusti mausoleo intulit [d]).

Vxor desponsata ei primum fuit *Iunia* Silani filia, sed matrimonium secutum non est; nam

Iulia Drusi junioris filia eidem nupta fuit V. C. 773 [e]). Liberi non produntur.

---

a) Tac. Ann. III. 29 et IV. 4. b) Tac. Ann. IV. 8. c) Suet. in Tib. c. 54 et in Calig. c. 7. d) Suet. Dio. e) Tac. Ann. III. 29, Dio L. LX. §. 18.

* * *

DRVSVS Germanici filiorum alter natus circa annum V. C. 761 togam virilem sumpsit V. C. 776 [a]), commendatusque a Tiberio senatui una cum fratre eodem anno, praefectus urbis Tacito ad annum V. C. 778 memoratur [b]). Fuit juvenis atroce ingenio, qui propter cupidinem potentiae contra ipsum fratrem Neronem cum Sejano conspiravit [c]). At luit mature poenas; nam paullo post eversum fratrem cum ipse proximus esset, qui Sejano obstaret, iisdem petitus artibus in ima palatii parte arcte custoditur. Dilata mors fuit non propter miserationem, sed ut haberet Tiberius, quem Sejano ad necem tum destinato, si vim pararet, posset opponere, populi studiis facile in Germanici filium inclinantibus. Illo necato Tiberius sui securus alimenta Druso subtraxit, ex quo tempore mandendo ex culcita tomento miserabili escae genere nonum in diem vitam toleravit V. C. 786 [d]). Cineres dispergi jussit Tiberius, ne unquam sepulturae honos haberi posset [e]). Desponsatam ei fuisse sororem Othonis, qui subinde imperium degustavit, refert Suetonius [f]).

Numi Neronis, et Drusi.

Sub Tiberio numis commatis Romani honorati non sunt. At habemus numos Caesaraugustae, in quibus hinc caput Tiberii, illinc: NERO. CAESAR. DRVSVS. CAESAR. IIVIR. *Caput utriusque nudum, vel togati sedentes, et jungentes dexteras.* (Florez.) Eodem modo vocantur *Quinquennales* in numis Novae Carthaginis. (Ibid.) In numis Vticae legitur: NER*one* CAES. Q. PR. in aliis: DRV*so* CAES. Q. PR. Functi ergo in provincia Africa sunt munere provinciali, etsi non satis constet, utrum decurtata haec vocabula legenda sint Q*uaestore* PR*ovinciae*, an Q*uaestore* PR*opraetore*, quod posterius esse magis probabile, latius olim disputavi [g]).

* * *

Sub Caligula.

NERO. ET. DRVSVS. CAESARES. *Vterque equo decurrens.* C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TR. P. (*vario numero*) P. P. *in medio:* S. C. AE. II.

Obvii et elegantes sunt hi numi, quos Caligula, cum sub imperii aditum amorem in suos a Tiberio peremptos ad conciliandam populi benevolentiam adfectasset, in fratrum honorem feriri jussit. De ejus in Neronem adfectu tum vulgato egi supra in Neronis vita. Equestri hoc typo usi jam sunt Cajus et Lucius Agrippae filii.

a) Tac. Ann. IV. 4. b) Ann. IV. 36. c) Tac. Ann. IV. 6. d) Suet. in Tib. c. 54. Tac. Ann. VI. 23. Dio L. LVIII. §. 13. e) Suet. Dio l. c. f) in Othone c. 1. g) Vol. IV. p. 248.

CAIVS vulgo Caligula.

Natus V. C. 765 patre Germanico, matre Agrippina pridie Kal. Sept. [a]) et quidem apud Antium, ut prolixe probat Suetonius [b]). Sub excessum Augusti V. C. 767 apud exercitum Rheni inferioris erat, fuitque adhuc infans percarus militibus, qui illi per castrenses facetias *Caligulae* nomen imposuere, quod ad conciliauda vulgi studia sueto militibus pedum tegmine uteretur [c]). V. C. 770 profectus in Syriam cum patre, eo intra biennium mortuo cum matre Romam reversus, hac relegata in domum Iuliae proaviae, hac mortua ad Antoniam aviam migravit. V. C. 784 decoratus pontificatu [d]), mortuis per vim fratribus Nerone ac Druso, ac cujus solus ipse insidias vitaverat, Sejano, jam non dubius in imperio successor, V. C. 786 quaestor nominatur, Capreas a Tiberio accitur, atque uno eodemque die togam sumit, barbamque ponit [e]). Reliquo tempore cum Tiberio vixit dissimulatis domus suae caedibus, tanquam ad se non pertinerent, atque omnibus obsequiis adeo principem obiens, ut vulgo diceretur, *nec servum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse* [f]). V. C. 790 Tiberium apud Misenum graviter decumbentem, ac animam fere interclusam vix recipientem hortatu Macronis praefecti praetorio injectu vestium, ut fertur, oppressit XVII. Kal. April. [g]). Dio istud factum docet VII. Kal. Apriles [h]).

* * *

Caligulae nondum Augusti numos sola nobis Carthago Nova Hispaniae offert, juxta cujus caput nudum scriptum: C. CAESAR. TI*berii* N*epos*. (Florez.)

V. C. 790 P. X. 37.
TR. POT. P. M. GERM.
inde a Kal. Iul. COS.
Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino cos.

Mortuo Tiberio urbem ingressus coacto senatu Tiberium Drusi jun. filium, quem senior coheredem, et in principatu collegam supremis tabulis scripserat, ex S. C. imperio exuit. Tiberio justa funebria amplissime solvit. Mense imperii VIII. graviter decumbit [i]). Ex morbo recreatus Tiberium fratrem adoptat, principem juventutis dicit, subinde interficit [k]). Consulatum suffectum Kal. Iul. collega Claudio patruo init, et post duos menses abdicat [l]).

C. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT. *Caput nudum, in aliis laureatum.*

---

a) Sueton. Lamprid. in Commodo, Kalendar. marm. Capranic. b) in Calig. cap. 8. c) Tac. Ann. I. 41. Suet. c. 6. Dio L. LVII. §. 5. Victor in Caess. Seneca de const. sap. c. 18. d) Dio L. LVIII. §. 7. e) Dio L. LVIII. §. 23. Tacit. Ann. VI. 20. Suet. c. 10. f) Suet. c. 10. g) Tac. Ann. VI. 50. Suet. in Tib. et Calig. h) L. LVIII. sub fin. i) Philo Legat. ad Cajum p. 548. k) Dio, Sueton. l) Suet. c. 17. Dio L. LIX. §. 6 et 7.

DIVVS. AVG. PATER. PATRIAE. *Caput Augusti radiatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. P. M. TR. POT. *in imo:* PIETAS. *Pietas velata sedens d. pateram, s. parvae figurae innixa.* (*In aliis:* TR. POT. II. III. IIII.)

DIVO. AVG. S. C. *Templum magnificum 6 col., ante quod Caesar velatus stans d. pateram supra aram, adstat victimarius taurum attinens, inde camillus s. pateram tenens.* AE. I. (Mus. Caes.) Alium similem, sed max. mod., et in cujus antica est ipsius Caligulae protome, citat Vaillantius, (Num. praest. T. I. p. 17.) et Morellius, sed Vaillantius ipse hunc numum admodum suspectum censet, cujus sententiae facile subscribo.

Primi Caligulae numi singularem ejus in majores suos, tum etiam consanguineos vivos pietatem praedicant, quam scriptores quoque testatam reliquere. Frustra in his Tiberium requiremus, cui decretos omnes a senatu post excessum honores dempta sepultura publica negavit a), cujusque memoriam adeo volebat obliteratam, ut nunquam se in numis scriberet TI. NEP*otem*, etsi frequenter DIVI. AVG. PRON*epotem*.

Augustum, de quo in his numis agitur, principio imperii summis laudibus extulit, adeo, ut oratio, quam in Tiberii funere dixit, plus Augusti, et patris Germanici, quam hujus commendationem complecteretur b). Aversa alterius numi dedicationem templi Augusto sacri sistit, quam a Caligula maxima celebritate, et sumptu peractam scribit Dio c), avia etiam Antonia tum adhuc viva ejus sacerdote constituta. Illud Augusti templum, quod semiperfectum reliquerat Tiberius, Caligula demum absolvit d). Adstituitur taurus victima, nempe ut legitur in fragmentis fratrum Arvalium: DIVO. AVGVSTO. BOVEM. MAREM. DIVAE. AVGVSTAE. VACCAM.

Eodem modo Caligula restituit memoriam Germanici, et Agrippinae parentum in numis omnis metalli, item Neronis et Drusi fratrum in aeneis II. formae, quos in horum numis descriptos vide.

* * *

C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PON. M. TR. POT. *Caput laureatum.*

AGRIPPINA. DRVSILLA. IVLIA. S. C. *Tres mulieres stantes cum cornucopiae, quarum dexterior d. simul columellae innititur, s. adstantem mediam contingit, media d. pateram, sinisterior d. gubernaculum.* AE. I. (Mus. Caes.) Similem, sed AE. II., exhibet Patinus e). Schlegelius hujus typi numos citat cum TR. POT. III. IIII. (Morelli Impp. T. I. p. 652.) sed de quorum fide dubito.

Proponuntur hoc numo tres Caligulae sorores, de quibus singulis agetur post hujus numos. De tribus simul sumptis universim hic notandum, eas a fratre sub imperii exordium, cum pieta-

---

a) Dio L. LIX. §. 3. b) L. LIX. §. 3. c) ibid. §. 7. d) Suet. in Tib. c. 47. in Calig. c. 21. e) Num. Impp. p. 70.

tem in suos captandae causa benevolentiae adfectabat, summo loco habitas, sic ut omnibus sacramentis sororum nomina suo adjici juberet [a]), eis omnes Vestalium honores tribueret, adeoque in iis fureret, ut singillatim omnes frater constupraret. Versa insania omnes dempta Drusilla, quae prius obiit, in insulas relegavit [b]). Cum ergo integer adhuc constaret amor, signati numi praesentes, quibus tres sorores *Securitatis*, *Pietatis*, et *Fortunae* imagine conjunguntur.

Non absimilis aureus citatur etiam a variis antiquariis, sed iis minus fide dignis.

* * *

C. CAESAR. AVG. PONT. MAX. TR. POT. *Capita jugata Caligulae nudum, et Drusillae.*

AGRIPPINA. IVLIA. *Capita adversa Agrippinae, et Iuliae sororum.* AV.

Singulares hos numos propter insolentiam confictos crederem, nisi eorum probitati praeclari IIIviri ἀυτοπται fidem facerent, Baldinus, qui eum ex museo Strozziano citat [c]), Liebeus ex museo Saxogothano [d]), et Morellius, qui eum haud dubie ex eodem museo hausit. Sejungitur Drusilla a reliquis sororibus, et cum Caligula jugatur, testante historia, Drusillam revera a fratre justae uxoris loco habitam, de quo plura infra in ejus numis.

* * *

Antica non proditur.

DRVSVS. *Caput Drusi sen. nudum.* AR.

Numum hunc proponunt Vaillantius, et Morellius inter numos Caligulae, qui adeo feriundo hoc numo memoriam avi sui renovavit.

* * *

C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. *Caput nudum.*

IMPERATOR. PONT. MAX. AVG. TR. POT. *Simpulum et lituus.* AR.

Bina insolentium horum numorum exemplaria citari video; unum prodit Baldinus ex museo Apostoli Zeno [e]), alterum Liebeus ex Saxogothano [f]), ex quo eum antea jam edidit Morellius, etsi signum solitum leonis non adjiciat. Insolentes hos numos voco primum propter titulum IMPERATOR, qui in aliis Caligulae numis commatis R. addi nunquam solet, neque ratione praenominis, ut illud adjecere Augustus, aliique, neque cognominis per victorias parti, ut hactenus omnes, etsi videamus hunc titulum instar cognominis additum in numis quarundam Hispaniae coloniarum, Bilbilis, Caesaraugustae, Carthaginis Novae, Ercavicae, et in marmore apud Muratorium [g]), sed hoc quoque ab Hispanis inscripto, quod infra ad adfictum Caesoniae numum producam. Abstinuit ergo hoc titulo tanquam praenomine secutus exemplum Tiberii, et tanquam cognomine, quia revera eo imperante victoria nulla parta est. Refert quidem Dio [h]), eum, cum in Gallia versaretur, septies ab exercitu adclamatum imperatorem. Verum ut tota ea expeditio, sic et adcla-

---

a) Suet. c. 15. b) Dio L. LIX. §. 3 et 22. c) Vaill. num praest. T. II. pag. 49. d) pag. 57. e) Vaill. Num. praest. T. II. p. 50. f) pag. 244. g) pag. 225. h) L. LIX. §. 22.

matio fuit ludicra, perinde ac teste Ioanne Antiocheno idem Caligula ex adulteriis, quibus Galliam omnem, et Britanniam subegerat, *imperator* saepius, et *Germanicus*, et *Britannicus* appellatus est [a]). Sed haec scommata monetam publicam non inquinavere. Quo sensu in praesente numo vocabulum IMPERATOR accipiatur, non liquet. In citatis Hispaniae numis cognominis locum obtinet. AVG. partis aversae legi nequit AVG*ustus*, cum hic titulus jam anticam occupet; ergo AVG*ur*, perinde ac legimus in numis Vespasiani AVGVR. PON. MAX., quin et in numis successoris Claudii. Istud in praesentibus numis typus litui tanto certius stabilit.

* * *

C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PON. M. TR. POT. *In aliis:* TR. P. III. *vel* IIII. P. P. *Caput laureatum.*

ADLOCVT. COH. *Imperator in suggestu stans dexteramque tendens quinque milites cum aquilis adstantes adloquitur.* AE. I. (Mus. Caes. Theup.)

Schlegelius numorum Morellianorum interpres censet, typo aversae intelligi concionem, quam habuit Caligula conscenso suggestu in medio pontis, quem per stolidum ingenium mari Puteolos a Baulis dirimenti imposuit, quod factum narrat Dio [b]). Verum repugnant tempora. Complures id genus numi docente epigraphe signati sunt in ejus trib. potestate I., quae incidit in annum V. C. 790, at enim stolidam ejus per pontem expeditionem Dio biennio post enarrat, atque etsi demus, omissum forte numerum trib. potestatis, tamen certum est, in numis V. C. 792 percussis nunquam abesse titulum P. P., qui in horum non paucis abest, et hoc anno non amplius ejus titulis additum nomen *Germanici.* Certum ergo est, numos hujus argumenti cum citata hac epigraphe signatos primo ejus imperii anno, et haud dubie indicari concionem, in qua adlocutus est cohortes praetorianas, cum primum principatum adivit, repetitumque serius eundem typum, seu quod pleraque suae monetae argumenta restituta saepenumero sunt, seu quod alias quoque cohortes suas meditata oratione est adlocutus, ut revera eum fuisse eloquentem non inficiatur Tacitus [c]), Suetonius [d]), et Iosephus [e]), cujus ridiculum exemplum proponit Dio [f]). Ex omnibus hujus generis numis abest nota S. C. An quod non jubente senatu, sed principe percussi sunt, qui inter praetorianos dividerentur? Hic adlocutionis militaris ritus nunc primum occurrit, saepius subinde in imperatorum moneta rediturus. Adloquentem tum tendere dexteram solitum fuisse, jam indicavit Cicero in Gabinium invectus [g]): *cum palam populi Romani imperator, instructo exercitu, dexteram tendens, non ad laudem milites hortaretur, sed omnia sibi et empta et emenda esse clamaret.*

Eadem epigraphe. In aliis: TR. P. III. IIII. *Caput nudum.*

VESTA. S. C. *Dea sedens d. pateram s. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

---

a) Excerpt. Peiresc. p. 805. b) L. LIX. §. 17. c) Ann. XIII. 3. d) Cap. 53.
e) Ant. Iud. L. XIX. c. 2. §. 6. f) L. LIX. §. 19. g) de Provinc. cons. c. 4.

Vestae cultus Caligulae ex praecipuis unus fuisse videtur. Nam cum aviam Antoniam, sororesque suas ornare intenderet, eis Vestalium honores largitus est [a]. Hic typus saepe in numis Tiberii aetate cusis comparet, quo verisimiliter adumbratam fuisse Liviam, in hujus moneta diximus.

* * *

Eadem epigraphe. Caput nudum.

S. C. *Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem.* AE. II. (Morelli, Theupoli.)

Typus obvius in numis M. Agrippae, quem tamen typum non selegerit senatus ad restituendam Agrippae memoriam, quam invisam fuisse Caligulae noverat. Forte quia faventem pietati suae habuit hunc deum, cum ad transferendos circa hoc tempus matris, fratrumque cineres mare ingressus est tempestate adeo turbida, ut ne quidem Silanus socer committere se discrimini auderet, quod ipsum illi fatale fuit [b].

* * *

C. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT. *Caput nudum.*

S.P.Q.R. OB. C. S. *intra coronam quernam.* AR. (Mus. Pfau.) Exstat etiam aeneus I. cum hac aversa. (Morelli.)

De hoc aversae typo vide annum sequentem.

* * *

C. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT. COS. *Caput nudum.*

Sine epigraphe. Caput Augusti radiatum inter duo astra. AV. AR. (Mus. Caes.)

In hoc numo primus se Caji consulatus offert, quem ingressus est Kalendis Iul., ut supra dictum. Astra Augustum sideribus receptum notant. Liberaliores Graeci ejus capiti septem sive triones, sive planetas circumdedere, ut videbimus infra in numis commatis peregrini.

V. C. 791 *P. X.* 38.

TR. P. I. II. COS. DES. ITER. P. M. GERM.

M. Aquila Iuliano, P. Nonio Asprenate cos.

Incipit P. P.

Soaemo regnum Arabum Ituraeorum, Cotyi Armeniam minorem, Rhoemetalci Cotyos ditionem, Polemoni Polemonis filio paternum regnum permittit [c].

Verba Dionis sunt [d]: *Mox ita regios mores sumpsit, ut omnia, quae tanto imperii sui tempore Augustus, et ea quidem singillatim sibi decreta vix accepit, quorum etiam nonnulla Tiberius omnino recusavit, hic uno die arripuerit, tantum* Patris Patriae *nomine, neque eodem quidem in longum tempus dilato.* Commode cum Dione conspirant numi, quorum non pauci, quos continuo recensebimus, Caligulam jam in prima trib. potestate Patrem Patriae appellant, ex quorum adeo testimonio is honorem hunc abstulit aut exeunte anno praecedente, aut initio praesentis. Sed dabimus etiam ex Morellio quinarium aureum, qui hunc titulum adhuc in TR. POT. ITER. omittit, ex quo sequeretur, Caligulam initio tribunatus II. illo praeditum nondum fuisse. Quam numorum discordiam

---

a) Dio L. LIX. §. 3. b) Suet. c. 15 et 23. c) Dio L. LIX. §. 12. d) L. LIX. §. 3.

ut amoliamur, statuendum necessario, aut Morellium in numo suo literas P. P. forte evanidas non observasse, quod in volumine ejus minuto accidere facile poterat, aut, sed quod minus verisimile, in Caligulae numis non semper numerum trib. potestatis fuisse additum, scriptumque nonnunquam TR. POT. pro TR. POT. II. III. etc. secundum quam legem is ineunte II. tribunatu Pater Patriae nondum fuisset.

C. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT. *In aliis:* TR. POT. III. COS. III. *vel* TR. POT. IIII. COS. IIII. *Caput laureatum.*

S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *intra coronam quernam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PON. M. TR. POT. *In aliis:* TR. POT. III. *vel* IIII. *Caput laureatum.*

S. P. Q. R. P. P. OB. CIVES. SERVATOS. *intra coronam quernam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Diximus paullo ante ex Dione, Caligulam acceptasse honores, quorum nonnullos Tiberius omnino recusavit. En tibi in hoc numo praeter titulum patris patriae civicam quoque coronam, quod utrumque in Tiberii moneta non reperitur, et jure, nam secundum Suetonium [a]) Tiberius *cognomen patris patriae, et civicam in vestibulo coronam recusavit.* His ergo numis compertum nobis est, istud decus Augusto ex merito partum, etiam decretum Tiberio, sed recusatum, a Caligula satis mature arreptum, et deinceps in moneta obtrusum, eoque indignius, quo minus servatorum civium praemia merebatur is, qui civitati universae unicum esse collum optaverat, quod unico ictu demeteret.

* * *

C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. *Caput laureatum.*

P. M. TR. POT. ITER. *Victoria globo insidens lauream aptat.* Quin. AV. (Morelli.)

Hujus numi propter omissum titulum P. P. paullo ante memini. Istud quinariorum aureorum genus coeptum sub Augusto, et per totum Tiberii imperium continuatum etiam in Caligula durasse, hoc, et alio anni V. C. 793 quinario docemur.

V. C. 792 *P. X.* 39.

TR. P. II. III. COS. II. DES. III. P. M. P. P.

Cajo Aug. II. L. Apronio Caesiano cos. Desinit GERMANICVS.

Kalendis Ian. procedit consul iterum et post dies XXX. abdicat [b]). Exhausto per insanos apparatus et spectacula aerario locupletum civium strage pecuniam corradit, subinde in Gallias abit, has quoque expilaturus [c]).

Germanici nomen in hujus anni numis non legitur, neque deinceps amplius. Succedit saltem in aeneis anni praesentis epigraphe:

C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TR. P. III. P. P.

Typos jam in numis annorum praeteritorum vidimus dempto numo uno insignis argumenti, quem hic describo:

a) In Tib. c. 26. b) Suet. c. 17. Dio L. LIX. §. 13. c) Dio L. LIX. §. 21.

C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. S. C. *Pileus libertatis.*
COS. DES. III. PON. M. TR. P. III. P. P., *in medio:* RCC. AE. III.

Exhausto per bella civilia aerario Augustus constituit vectigal centesimae auctionum, seu rerum venalium, verum onus istud anno V. C. 768 *deprecante populo edixit Tiberius, militare aerarium eo subsidio niti* a). V. C. 770 redacta in provinciam exstincto Archelao Cappadocia professus est Tiberius, *ejus fructibus levari posse centesimae vectigal, et ducentesimam in posterum statuit* b). V. C. 784 ad pecuniam jam multo attentior Tiberius rursum pro ducentesimae vectigali centesimam instituit c). V. C. 791 *Caligula comitia populo reddidit, quae ei Tiberius ademit, et vectigal centesimae sustulit* d). Restituta igitur fuit Tiberii vetus ducentesima. Hoc demum anno ipsam etiam *ducentesimam* fuisse a Caligula remissam, aperte loquuntur hi numi inscripto: *Remissa* CC., atque istud confirmat Suetonius e): *ducentesimam auctionum Italiae remisit*, etsi tempus non definiat. Et constantem fuisse hanc liberalitatem, probant sequentium annorum Caligulae numi, in quibus beneficium istud a grato senatu recolitur. *Remissam quadragensumam* videbimus infra in numis Galbae inscriptum: R. XL. De his vectigalibus vide plura apud Brotier in notis ad Taciti Annal. L. XIII. c. 31. Tamen veterem hanc sententiam in conjecturis habet cl. Sanclementius f), persuasus marmore Muratorii, in quo legitur g):

CAIVS. CAESAR. DIVI. AVGVSTI
PRONEPOS. AVGVSTVS
S. C.
CONSVL. TERTIO
PONTIFEX. MAXIMVS
TRIBVNICIAE. POTESTATIS
QVARTO. PATER. PATRIAE
REI. CENSITAE. CONSERVATOR.

Ex quo apparet, virum cel. explicationem literarum RCC. ex postremo titulo *Rei Censitae Conservator* peti velle. Vtinam aut Muratorius, aut Sanclementius nos aliqua de singulari hoc elogio Caligulae dato edocuissent. Enimvero cum has siglas jubente senatu monetae illatas videamus, necesse est, istud marmoris elogium, siquidem illud his siglis RCC. expressum esse intelligere velimus, imperatori publice, atque in urbe fuisse delatum, ac tum mirum profecto, ejus nobis memoriam non a scriptoribus, aut monumentis urbis, sed lapide Adriano conservari. Optandum foret, ut eum vir quidam eruditus secundis curis inspiceret. Sed haec quoque nos spes destituit, cum eum jam ex oculis evanuisse testetur Muratorius. Praestat igitur, veterem sententiam, ac tam praeclaris, quas dedi, auctoritatibus confirmatam retinere.

Pars adversa pileo libertatis aliud Caligulae in populum beneficium commemorat, nempe libertatem, dum ei comitia a Tiberio olim adempta restituit, ut mox ex Dione vidimus, et consentiente Suetonio h): *tentavit et comitiorum more revocato suffragia populo reddere.*

---

a) Tacit. Ann. I. c. 78. b) Tac. Ann. II. c. 42. c) Dio L. LVIII. §. 16. d) Dio L. LIX. §. 9. e) cap. 16. f) de vulg. aera p. 86. g) pag. 1992. 5. h) cap. 16.

V. C. 793. *P. X.* 40.

TR. P. III. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.

Cajo Aug. cos. III. sine conlega.

Consulatum III. init solus Lugduni Galliae, et ad idus Ian. abdicat a). Ptolemaeum Iubae F. ad se evocatum propter magnificentiae ostentationem enecat b). Profectus ad Oceanum tanquam Britannis facturus bellum jussit milites legere conchylia, regressusque est velut victor Oceani spoliis onustus c). L. Vitellius Syriae praefectus Artabanum Parthum Armeniae imminentem ita perculit, ut omisso consilio statuis Augusti, et Caji sacrificaret d).

C. CAESAR. AVG. PON. M. TR. POT. III. COS. III. *Caput laureatum.*

S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *intra coronam quernam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. S. C. *Pileus libertatis.*

COS. TERT. PON. M. TR. P. III. P. P., *in medio* RCC. AE. III. (Mus. Caes.)

Exstant plures alii numi cum TR. P. III. sed spectatis typis nihil novi adferunt.

Eodem anno.

TR. P. IIII. manentibus reliquis.

In aeneis I. et II. formae epigraphe:

C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. P. M. TR. P. IIII. P. P.

In aeneis III. cum nota RCC. additur praeterea:

COS. TERT. PON. M. TR. P. IIII. P. P.

Typi sunt annorum priorum.

* * *

Antica non proditur.

P. M. TR. POT. IIII. *Victoria insidens globo lauream aptat.* Quin AV. (Baldin. ad Vaill. ex mus. Palatii.)

V. C. 794. *P. X.* 41.

TR. P. IV. COS. IV. P. M. P. P.

Cajo Aug. IV. Cn. Sentio Saturnino cos.

Consulatum IV. abdicat VII. idus Ian e). Paullo post non. Kal. Febr. a conjuratis, Cassio Chaerea, et Cornelio Sabino occiditur f).

Imperium adiit magno populi R. gaudio, nulla tamen certa ratione, sed propter inveteratum in patrem Germanicum adfectum. Et visus erat respondere orbis votis per multa pietatis specimina, justitiam, et moderationem. Sed patuit continuo, has ipsi virtutes non fuisse insitas, sed ex Tiberii ingenio fluxisse, ut principatum simulatione consolidaret. Nam nihil est crudelitatis, insaniae, sordium, et extremae infamiae, quod non cum voluptate perpetrasset. Equum suum, nomine *Incitatum*, ad coenam adhibuit adposito inaurato hordeo, et propinato in poculis aureis vino, creaturus et consulem, si vita superfuisset. Deos, deas-

a) Suet. c. 17. b) Dio L. LIX. 25. c) Dio l. c. Suet. c. 46. d) Dio l. c. §. 27.
e) Suet. c. 17. f) Dio, Sueton. Seneca de const. sap. c. 18, copiose Ioseph. Ant. Iud. L. XIX. cap. 1.

que omnes cultu est imitatus, factus jam Iuppiter, Bacchus, Hercules, jam Iuno, Diana, Venus. Neque defuere sibi consecrationis causae. Nam sicut, inquiebat, aliorum gregum magistri, bubulci, opiliones, non ipsi aut boves sunt, aut arietes, sic et se generis humani custodem hominibus praestare [a]). Pontem navibus junctis a Puteolis ad Baulos stravit, eumque cum militibus ingressus Puteolos hostiliter invasit, regressusque per eundem est triumphantis more Alexander M. dici gestiens. Insanis his moliminibus non toto vertente anno relictum a Tiberio vicies ac septies millies IIS. absumpsit. Reliqua incredibilis saevitiae, ac libidinis exempla qui volet, ex Suetonio, Philone, et Dione petat, et infra ex sororum ejus, ac uxorum serie poterunt colligi.

C. CAESAR. AVG. PON. M. TR. POT. IIII. COS. IIII. in AR. vetere typo *Coronae quernae*, vel: *capitis Augusti radiati.* (Mus. Caes.)

C. CAESAR. DIVI. AVG. PRON. AVG. S. C. *Pileus libertatis.*
COS. QVAT. (*sic*) PON. M. TR. P. IIII. P. P., *in medio:* RCC. AE. III. (Mus. Caes.)

Numus Caligulae post ejus mortem signatus.

C. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT. *Caput laureatum.*
TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. POT. IMP. VI. *Caput Claudii laureatum.* AR. (Mus. Apost. Zeno, nunc S. Floriani.)

Numum hunc edidit Khellius, qui adfirmat, non esse subaeratum. Tamen dubium non videtur, intercessisse fraudem aliquam seu novam, seu veterem. Nimio enim certum est, Claudium Caji memoriae fuisse, et esse debuisse infensum, neque ullus hactenus editus est numus Claudii cum titulo IMP. VI., ut jam observavit Khellius [b]). Ad haec tantum abfuit, ut Claudio imperante numi cum Caligulae capite signarentur, ut etiam omnes numi aenei, qui ejus imaginem praeferrent, conflari juberentur [c]), quod factum idem ad abolendam ejus memoriam testatur.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

Harum numos non infrequentes cum Caligulae capite in catalogis descriptos reperias. Insignes sunt, sed quorum patriam minus certo tenemus:

ΓΑΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗΜ. ΕΞΟΥΣ. ΤΠΑ. *Caput nudum transverso sceptro.*
Sine epigraphe. Signum Augusti d. pateram, s. hastam sellae insidentis in quadrigis elephantorum inter septem astra. In aliis desunt solae quadrigae. AR. m. m. (Mus. Caes. Morelli.)

Alius, sed caput Augusti radiatum inter septem astra. AR. III. (Mus. Caes. Morelli.)

Omnes hi typi exiguo discrimine sumpti sunt ex numis Romanis a Tiberio, et Caligula in Augusti honorem percussis. Verisimile videtur, eos signatos in Cretensium urbibus; nam Tiberii aeta-

a) Philo Legat. ad Caj. p. 556. b) Suppl. ad Vaill. p. 18. c) Dio L. LX. §. 22.

te cusos argenteos maximi moduli numos cum mentione Cretensium, aut etiam urbis Creticae habemus, et in quibus constans typus est Augustus, et Iuppiter Cretagenes, quos recensui in Cretae numis, quo loco proposui etiam numum *Iovis Cretagenis* inscriptione insignem, qui septem astris ambitur. Forte iidem Cretenses, quibus constabat de Tiberii, et Caligulae in Augustum adfectu, mortuum hunc Caesarem per adulationem Iovi suo Cretageni, ejus illi attributa largiendo, adsimilavere. Similes etiam exstant cum capite Claudii.

* * *

Vrbium coloniarum.

Imperante Caligula dempta Corintho et Sinope coloniae numos sola Hispania sufficit, sed haec ipsa hoc imperante jus monetarium penitus amisit, sic ut ejus regionis universae numi ultimi sint cum capite Caligulae, cujus causam in numis Hispaniae rimati sumus. Videtur istud accidisse saltem altero ejus imperii anno; nam in omnibus id genus numis titulis Caligulae additur GERMANICVS, quo epitheto in numis commatis Romani postea usus amplius non est, ad quod potissimum urbes exterae monetae suae inscriptionem conformavere.

Corinthi numi ad Caligulae imperium pertinent, qui IIviros M. Bellium Proculum, aut P. Vipsanium Agrippam inscribunt, quos recitavi supra in numis Antoniae Drusi, et qui a variis antiquariis Augusto perperam tributi fuere.

His addendi numi coloniae incertae:

C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. *Caput Caligulae.*
GERMANICVS. CAESAR. PVLCHRO. IIVIR. *Caput Germanici nudum.* AE. III. (Mus. Caes.)

In alio:

GERMANICVS. CAESAR. PVLCHRO. III. VARIO. IIVIR. (Mus. Caes.)

In alio:

GERM. CAESAR. DOSSENO. PVLCHRO. IIVIR (Morelli.)

Nomina ac tituli.

Claudius.

En tibi numum vulgatum a cl. Sestino a), qui est Iliensium Troadis:

ΤΙΒΕΡΙΟϹ. ΚΛΑΥΔΙΟϹ. ϹΕΒΑϹΤΟϹ. *Caput Claudii nudum.*
ΓΑΙΟϹ. ΚΛΑΥΔΙΟϹ. ϹΕΒΑϹΤΟϹ. ΙΛΙ. *Caput Caligulae nudum.* AE. III.

Bina reperio in hoc numo, quae fidei historicae non leviter adversantur, ac primum quidem, renovatam ab Iliensibus in monumento publico Caligulae memoriam, quam obliterari orbis universus praeoptavit. Paullo supra in eadem causa numum commatis R. perstrinximus. Levius istud. Fortius repugnat nomen gentile *Claudii* inique Caligulae tributum. Negari nequit, eum per avum Drusum ex gente Claudia genus duxisse; verum ex quo pater Germanicus a Tiberio Caesare adoptatus fuit, is cum progenie ex gente Claudia in Iuliam transivit, neque amplius *Claudius*, sed *Claudianus* dici potuit, quo ipso nomine revera usum fuisse Tibe-

a) Lettere Tom. IV. p. 110.

rium, in hujus numis ad annum V. C. 757 diximus. Atqui secundum hanc ipsam legem Rhescuporis Bospori rex, qui sibi Tiberii nomina addidit, sese in numis non dixit *Tiberium Claudium*, sed *Tiberium Iulium*. Denique nimium incaute egissent Ilienses, si Claudii nomen dedissent Caligulae, quem jam Tiberius observavit Claudianae domui infensum, et soli materno generi addictum a). Oportebit ergo hunc numum aut dicere confictum, aut epigraphen male lectam, aut certe Ilienses moris Romani ignaros.

Caligula.

Dixi principio, hunc Germanici filium ore vulgi Caligulam fuisse appellatum adjecta ejus nominis causa. At vero plebeium istud nomen ausum non est inferre pedem in monumenta publica, tam parum, quam serius nomina Caracallae, et Elagabali, illud per ignominiam datum Severi filio, hoc Soaemiadis filio. Non tamen hic praetereundum, quod refert Pagius b), testatum Toinardum, se numum Graecum vidisse, in quo *Caligulae* nomen legebatur. Non nego vidisse, sed numum fuisse antiquum, nego atque pernego.

Imperator.

Hoc titulo tanquam praenomine in numis Romanis usus non est. Eum tamen illi tribuit numus Mileti c), et nonnulla marmora. In numis coloniarum Hispaniae saepe dicitur IMP. instar cognominis. De hoc titulo latius egi supra in numis ad annum V. C. 790.

Pater Patriae.

Quando hunc titulum sibi addiderit, diximus ad anum V. C. 791.

Augur.

Legitur in numo, quem ad annum V. C. 790 proposui, et explicavi.

Germanicus.

Hunc titulum hereditarium habuit a patre et avo. Eo in numis inde ab anno V. C. 792 signatis usus amplius non est, ut dictum ad hunc annum.

Tituli alii.

Teste Suetonio d) dictus fuit *Pius*, *Filius castrorum*, *Pater exercitus*, *Optimus*, *Maximus*, et teste Ioanne Antiocheno etiam *Britannicus* ex vitiatis Britannorum scortis, ut diximus ad annum V. C. 790. *Bacchum* etiam vocatum, et Bacchicam vestem indutum prodivisse in publicum, narrat Athenaeus e). Verum hos titulos seu ab adulatione, seu intemperantia, seu malevolentia conceptos reticent numi, et marmora.

PRETIVM.

Aurei - - - - - - - - -	RR.
Argentei - - - - - - - - -	R.

a) Philo Legat. ad Cajum p. 551. b) Crit. Baron ad ann. Ch. 137. num. 8. c) Patin Num. Impp. d) Cap. 22. e) Dipnos. L. IV. p. 148.

Aenei I. et III. formae - - - - - -	R.
Aenei II. formae - - - - - - -	C.
Commatis peregrini:	
Argentei forma max. moduli, et denariorum urbis incertae - - - - - - -	RR.
Aenei urbium liberarum - - - - -	R.
Coloniarum Hispaniae - - - - -	C.
Aliarum - - - - - - - - -	RRR.
Alexandrini - - - - - - - -	O.

VXORES CALIGVLAE.

Omnium ejus uxorum, quas plures per intervalla habuit, exstant numi, sed commatis absque dubio adulterini, dempto Caesoniae numo, sed hoc ei falso adficto, ut mox patebit. Hos describere necesse non videtur, cum eorum mala fides etiam minus expertos mox advertat, et a nullo alicujus nominis antiquario memorentur.

Vxor I. CLAVDIA, dicta Suetonio *Iunia Claudilla*, filia M. Silani, quam duxit V. C. 786 a). Ea mortua est exeunte anno V C. 789 b). Suetonius amissam ex partu adfirmat c), Dio repudiatam V. C. 790 d).

Vxor II. LIVIA ORESTILLA. (*Cornelia Orestina* Dioni e), Xiphilino, Zonarae). Eam duxit V. C. 790 abductam sponso Pisoni, cujus nuptiis intererat, et necdum exacto altero mense repudiavit f).

Vxor III. LOLLIA. PAVLINA, quam ademit Memmio Regulo, duxitque V. C. 791, mox ejecit g). Eam se adhuc vidisse vivam, narrat Plinius, ejusque incredibiles opes commemorat, quas non ex liberalitate principis prodigi habuit, sed avitas; nam avus fuit M. Lollius rector juventutis Caji Caesaris Agrippae F., cujus per Orientem rapinae satis ex Tacito, aliisque cognitae. Occisa fuit ab Agrippina V. C. 802, quod spem nuptiarum Claudii habuisset h).

Vxor IV.

CAESONIA.

Pulsa Paullina Miloniam Caesoniam prius adulterio sibi cognitam duxit V. C. 792 i). Ea Caligulae neque per faciem insignem, neque aetatem amoribus aptam, sed per lasciviam perditam probata, et ardentius, constantiusque amata fuit k), ac tanto etiam subinde furore, ut jactaret, exquisiturum se vel fidiculis de Caesonia sua, cur eam tanto opere diligeret l). Et credebatur, propinatum ei a Caesonia amatorium poculum, sed quod in furorem verterit m).

a) Tac. Ann. VI. 20. b) l. c. 45. c) Cap. 12. d) L. LIX. 8. e) L. LIX. §. 8. f) Dio l. c. Sueton. c. 25. g) Suet. c. 25. Dio L. LIX. §. 12. h) Dio L. LX. §. 32. Tac. Ann. XII. 22. i) Dio L. LIX. §. 23. k) Suet. c. 25. l) Suet. c. 33. m) Suet. c. 50. Ioseph. Ant. L. XIX. c. 2. §. 4.

Natam ex ea filiam, dictamque *Iuliam Drusillam* per omnium dearum templa circumferens Minervae gremio imposuit, se autem indubitatum ejus esse patrem nullo certiore indicio agnovit, quam feritatis; nam infestis digitis in infantium una ludentium os solita est involare [a]). Caeso Caligula periere quoque uxor, et filia Drusilla haec parieti illisa, illa a centurione confossa [b]).

Numi Caesoniae tributi.

C. CAESAR. AVG. GERMANIC. IMP. P. M. TR. P. COS. *Caput laureatum.*
CN. ATEL. FLAC. CN. POM. FLAC. IIVIR. Q. V. I. N. C. *Caput muliebre nudum, juxta quod:* SAL. AVG. AE. II. (Florez tab. XVII. n. 7.)

Vaillantius, Begerus, Schlegelius, aliique capite aversae exhiberi Caesoniam credidere *Salutis Augusti* nomine velatam, ut olim Liviam. Eorum sententiam jam impugnavit Florezius, quoniam tituli trib. potestatis, et consulatus simplicis in primum Caligulae annum cadunt. At is Caesoniam nonnisi V. C. 792 duxit, quin uxoris eam nomine dignatus primum est, posteaquam Drusillam enixa est, etsi istud contigit tricesimo post eam ductam die [c]). Addo, in numis Caligulae V. C. 792 signatis non amplius legi titulum *Germanici*, et tum jam constanter titulum *Patris patriae*. Vnde patet, numum signatum primo imperii anno, Caligula tum aliis amoribus implicato. Dubium igitur non videtur, eo typo indicari vota a colonis Novae Carthaginis, cujus est hic numus, pro Augusti salute concepta, in cujus fidem conjungo inscriptionem ex Muratorio depromptam [d]):

C. CAESAR. AVG. GERMANIC. IMP.
P. M. TR. P. COS.
CN. ATEI. FLAC. CN. POMP. FLAC.
IIVIR. Q. V. I. N. C.
SAL. AVG.

Testatur Muratorius, hoc epigramma exstare Cordubae in quodam vase. Si verum est hoc indicium, (nam mira sane videatur tam religiosa concordia inscriptionum tam in numo, quam vase) docemur, revera pro principis salute apud Carthaginem publice sacrificatum, et excluditur omnis de Caligulae qualicunque uxore suspicio. Male Muratorius postremas secundi versus literas conjungit, et legendum opinatur QVINQuennales, cum legendum sit *Quinquennales Victricis Iuliae Novae Carthaginis*, ut in hujus numis diximus.

Panelius in catalogo musei le Bret numum aureum dedit, in quo hinc caput Caesoniae, illinc Caligulae, additque, pluribus eum antiquariis probari [e]). Interim liceat de ejus fide dubitare, praecipue cum narret cl. Beauvais, compertum serius, esse numum Agrippinae senioris, et per artem in Caesoniam mutatum [f]).

DRVSILLA. Caesoniae F.

De numis huic tributis, sed haud

a) Suet. c. 25. b) Suet. c. 59. Dio L. LIX. § 29. Ioseph. l. c. c) Suet. c. 25. Dio l. c. § 23. d) pag. 225. e) Mem. Trevoux. Octob. 1737. f) Abrégé Tom. III. pag. 400.

dubie spuriis vide mox infra in numis Drusillae Caligulae sororis.

Sorores Caligulae.

AGRIPPINA.

De ejus numis agetur post numos Claudii Aug., cujus ea uxor fuit.

DRVSILLA.

Germanico et Agrippina nata V. C. 770, et quidem apud Treviros, ut colligo ex Suetonio [a]), a Tiberio denupta L. Cassio Longino, ut diserte Tacitus [b]), et Suetonius [c]). Quare minor fides Dionis, M. Lepidum ejus maritum statuentis [d]). Caligula ad imperium evectus, cum sorores omnes constuprasset, insano in hac Drusilla amore furebat. Nam abductam Cassio in modum justae uxoris propalam habuit, aeger heredem imperii instituit. Ea V. C. 791 e vivis erepta adeo intendit dolorem, ut justitium indiceret, luctu in ipsas etiam provincias propagato [e]), et ridere tum, ac lavare capitale esset. Neque defuit, qui jurejurando adfirmaret, se ejus animam in coelum euntem vidisse, Livius Geminius senator [f]). Quapropter jure consecrata a fratre addito *Pantheae* nomine, omnesque in eam honores congesti, qui Liviae obtigere, nec unquam postea Caligula pro concione, nisi per nomen Drusillae dejeravit. Honores alios vide apud Suetonium [g]), et Dionem [h]).

Numi.

Commatis Romani.

Ejus nomen DRVSILLA numo aeneo I. formae inscriptum vidimus in numis Caligulae ad annum V. C. 790, in quo duae sorores Iulia, et Agrippina sociantur.

In alio aureo, quem eodem loco continuo subjeci, quidam antiquarii ejus caput cum Caligulae capite jugatum vident.

Numi falsi, aut suspecti.

DIVA. DRVSILLA. SOROR. C. CAESARIS. AVG. *Caput insolente diademate redimitum.*

IVLIA. DRVSILLA. F. C. CAESARIS. AVGVSTI. *Caput infantis cornucopiae impositum.* AE. I.

Hunc numum edidere Pedrusius [i]), et Baldinus ex praeconio Franc. Ficoroni ab hoc repertum in museo Barbarini [k]). Ab aliis ignoratur, neque adulterinum dubitem. Pedrusius Drusillam partis aversae putat puellam hujus nominis Caligulae ex Caesonia natam, cujus fortunam supra in Caesonia enarravi. Quid si esset Drusillae ex Caligula filia, ejusdemque cum matre nominis? nam lego apud Eutropium [l]): *stupra sororibus intulit, ex una etiam natam filiam agnovit.* Sed in numo suspecto longius esse curiosum piget.

---

a) In Calig. c. 8. b) Ann. VI. 15. c) Cap. 24. d) L. LIX. §. 11. et 22. e) Philo adv. Flaccum p. m. 525. f) Dio L. LIX. §. 11. Seneca in Apocol. g) Cap. 24. h) L. LIX. c. 11 et 15. i) Mus. Farn. Tom. VI. k) Vaill. Num. praest. edit. Rom. T. I. p. 17. l) Brev. L. VI.

* * *

DIVA. DRVSILLA. SOROR. CAESARIS. AVG. *Caput muliebre nudum.*

IVLIA. DRVSILLA. F. C. CAESARIS. AVGVSTI. *Cupido muliebris expansis alis.* AE.

Numus exstat in Patini Suetonio pag. 218, atque haud dubie ejusdem est cum priore fermenti; nam universim in hoc opere spurii cum genuinis temere sunt permixti, etsi hunc ibi genuinum agnoscat auctor. Aversae typum ingeniosus impostor effinxerit secundum id, quod de Germanici quopiam filio, qui infans adhuc mortuus est, narrat Suetonius a), et qui fuit *insigni festivitate, cujus effigiem habitu Cupidinis in aede Capitolinae Veneris Livia dedicavit. Augustus in cubiculo suo positam, quotiescunque introiret, exosculabatur.* Videmus ergo in priore numo typum captum ex numis Neronis et Drusi Caesarum, in altero ex hac Suetonii narratione.

* * *

Commatis peregrini.

Ejus saepe mentio fit in numis urbium Graecarum liberarum, in quorum antica plerumque reperitur caput fratris Caligulae.

In numis *Smyrnae* et *Pergami* ejus nomen absque epitheto scribitur, ipsa vero proponitur sedens d. spicas, s. hastam tenens, de quibus vide, quae in numis Smyrnae adnotavi.

ΘΕΑ. ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ, in numo Mileti. (Vaill.)

ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ, in numo Mytilenes. (Vaill. Morelli in Caligula tab. VI. n. 33.) *Augusta* dici potuit Drusilla, quoniam ei, ut in ejus vita vidimus, omnes, qui Liviae, honores tributi fuere.

ΔΡΟΥΣ. ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ, in numo Byzantiorum. (Panel ex le Bret Mem. Trevoux.)

IVLIA LIVILLA.

Haec postrema Germanici et Agrippinae filia a scriptoribus, et quidem iisdem, jam *Iulia*, jam *Livilla* dicitur. Nata est in insula Lesbo V. C. 771 b) a Tiberio V. C. 786 elocata M. Vinicio c). M. Minucianum ejus maritum vocat Iosephus d). A Caligula fratre honorata primum, mox sororum exemplo vitiata, denique ab eodem libidinis apud senatum accusata una cum Agrippina sorore in Pontias insulas ejicitur V. C. 792 e). Eo caeso reducta utraque a Claudio, bonaque restituta V. C. 794 f). At eodem adhuc anno artibus Val. Messalinae propter aemulationem formae praetextu adulterii cum Seneca extorris acta, ac paullo post occisa est g). Sepultam fuisse Romae prope portam Flaminiam testatur lapis ante annos non multos una cum lapidibus fratrum Caesarum erutus, in quo: LIVILLA. GERMANICI. C. - - - HIC SITA. EST h). Maritus Vinicius ob hanc caedem suspectus Messalinae ab hac item serius veneno necatur V. C. 799 i).

a) In Calig. c. 7. b) Tac. Ann. II. 54. c) Tac. Ann. VI. 15. d) Ant. L. XIX. c. 1. §. 14 et c. 4. §. 3. e) Dio L. LIX. §. 3 et 22. f) Dio L. LX. §. 4. g) Dio l. c. §. 8. Suet. in Claud. c. 29. h) Foggini Fasti Verrii p. 132. i) Dio l. c. §. 27.

Numi.

Commatis Romani:

In aeneo I. formae in numis fratris Caligulae supra ad annum V. C. 790 descripto exstat in consortio sororum adscripto IVLIA.

Item in aureo continuo ibi subjecto juncta cum sorore Agrippina.

Commatis peregrini.

ΙΟΥΛΙΑΝ. ΝΕΑΝ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ. ΜΥΤΙ. *Caput Iuliae.*
Γ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΜΥΤΙ. *Caligula velatus stans d. pateram.* AE. III. (Seguin Num. sel. p. 128. Vaill.)

Dicitur in hoc numo *Iulia junior*, nam superfuit tum adhuc Iulia senior Drusi jun. filia, utraque subinde a Claudio caesa. Fuit Lesbi urbibus ratio dedicandi huic Iuliae monetam, cum nata fuerit in hac insula, ut diximus.

TI. CLAVDIVS.

Natus Lugduni Galliae V. C. 744 Kalendis Augusti patre Druso seniore, matre Antonia, dictusque *Ti. Claudius Drusus* a). A puero inter sinistram valetudinem, metum, mulieres Liviam, et Antoniam, et viles paedagogos educatus stuporem, ac socordiam praetulit, sic ut mater eum portentum hominis, et a natura inchoatum tantum, ac si quem vellet socordiae arguere, stultiorem filio suo Claudio dicere soleret b). Quare neglectus ab ipso Augusto nihil praeter auguratus honorem abstulit, et heres nonnisi inter tertios, ac paene extraneos relictus c). Mortuo Augusto sodalis Augustalis nominatus b), ceterum a patruo Tiberio ab omnibus, quae petierat, reip. muniis exclusus abjecta spe dignitatis otio, ebrietati, contubernio sordidissimorum hominum se dedit e). Caligula, qui primo imperii anno tam mortuis ex familia sua, quam vivis honores omnes detulit, patruum quoque Claudium extulit, et V. C. 790 in consulatu suffecto conlegam a Kalendis Iul. in binos menses adscivit, et consulem iterum in annum IV. designavit f). V. C. 793 Caligula sese Iovem Latialem appellans Claudium sacerdotem suum dixit g). Tamen sub Caligula quoque vulgo despectus propter stuporem fuit, sed quae opinio ei saluti fuit. Nam caesis ex familia sua sexus virilis fere omnibus, etsi ipse quoque vitae discrimen adivit, propter socordiae opinionem evasit, quoniam nonnisi in ludibrium reservatus fuit h). Caeso non. Kal. Febr. V. C. 794 Caligula, eoque territus in palatio sese abdidit, verum deprehensus a praetereunte gregario, agni-

a) Suet. c. 2. Dio L. LX. §. 5. b) Suet. c. 3. Dio l. c. §. 3. c) Suet. c. 4. d) Tac. Ann. I. 54. e) Suet. c. 5. f) Suet. c. 7. g) Dio L. LIX. §. 28. h) Suet. in Calig. c. 23. in Claud. c. 9. Ioseph. Ant. L. XIX. c. 1. §. 2.

tusque imperator salutatur, deductusque in castra inter militum excubias proximam noctem egit. Consules, ac patres in Capitolio collecti dum de restituenda rep. deliberant, ipsique inter se parum concordant, postridie milites in Claudii nomen juravere, parendumque fuit armis ad vim paratis [a]).

V. C. 794 P. X. 41.

TR. P. COS. DES. ITER. P. M. P. P. IMP. II.

Caio Aug. IV. Cn. Sentio Saturnino cos.

Ad imperium evectus omnes statim decretos honores recipit dempto praenomine *imperatoris*, et titulo *patris patriae*, sed et hunc paullo post admittit [b]). Cassium Chaeream occidi jubet non dolore caesi Caji, sed principis, metu propriarum insidiarum [c]). Antiocho Commagenen a Cajo ademptam restituit, Iberis Mithridatem a Cajo in vinculis detentum remittit, alteri Mithridati Bosporum largitur data Polemoni Ciliciae parte. Agrippae tum Romae praesenti, et quo ad capessendum imperium consiliario est usus, Iudaeae regnum auget, fratri Herodi Chalcidenen adjudicat. Sulpicius Galba Chattos, P. Gabinius Chaucos vincunt [d]).

* * *

Observandum ad numos, quos continuo ad annum praesentem describam, eos omnes hoc anno signatos non fuisse, etsi simplex TR. P. nullo addito numero praeferant. Nam in numis hujus imperatoris aeneis I. et II. formae nullus unquam additur numerus. Additur quidem in aureis, et argenteis sed etiam omittitur in iis, qui absque dubio multo serius percussi sunt. Ita numi Claudii cum capite Agrippinae, vel Neronis ante annum V. C. 803 signari non potuere, tamen solum TR. P. absque augmento offerunt. Nihilominus numos omnes sic inscriptos etsi vagos, quando rationi temporum non repugnabunt, hoc loco proponam, quia hoc anno signari poterant, etsi reipsa signati forte non fuerint.

* * *

Deinceps, cum diversae in ejusdem anni numis occurrent inscriptiones capitis, eas compendii causa praemittam majoribus alphabeti literis distinctas quae deinde ad singulos numos adjicientur. Propositum istud perquam utile. Nam praeterquam quod inscriptionum varietatem ob oculos ponit, docet etiam, qua inscriptionis lege imperatores annis singulis usi sint, tum quae inscriptio in moneta aurea, et argentea, quae in aenea usurpata fuerit. Nam certum est, persaepe secundum statam legem epigraphen, quae in auro, et argento legitur, non reperiri in aere, et vicissim, ad quod cum non satis adverterent falsarii, alienas saepe numis suis inscripsere, quo ipso fraus ceterum scite ocultata patescit. Ad hoc vero institutum uno fere museo Caesareo usus sum, atque opportune quidem nam Romanae monetae opibus abundat, et de ejus sinceritate spondere ipse possum,

a) Dio, Suetonius, et prolixe Iosephus Ant. L. XIX. c. 3. b) Dio L. LX. §. 3. Suet. c. 12. c) Dio l. c. d) Dio l. c. §. 8. Ios. Ant. Iud. L. XIX. c. 3.

qua in causa multo inferior est catalogus Mediobarbi temere, et arbitrarie consarcinatus, in quo legas inscriptiones capitum, quibus Augusti iis, ad quos monetam refert, annis usi non sunt. Si aliorum eruditorum scriptis rarius uti possum, ipsi in causa sunt, cum plerumque, praeeunte malo exemplo Vaillantio posticas solum descripserint, capitis epigraphe dissimulata.

* * *

A. TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. *in AE. III.*
B. TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. *in AV. AR.*
C. TI. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. *in Au. AR.*
D. TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. *in AE. I. II.*
E. TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. *in AE. I. II.*
F. TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. *in AE. I. II.*

Vt lit. B. Caput laureatum.
IMPER. RECEPT. *inscriptum castris praetoriis, prae quorum porta miles stans d. hastam, juxta aquila legionaria.* AV. (Morelli Impp.)

Eadem adversa.
PRAETOR. RECEPT. *Imperator togatus stans dexteram jungit cum adstante figura militari s. aquilam legionariam tenente.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Illustres hi numi confirmant, quae supra de mira in consequendo imperio fortuna ex historicis docui. Numus primus inscriptus IMPER*atore*, RECEPT*o* typo castrorum praetoriorum exhibet id, quod narrat Suetonius [a]), *receptus intra vallum inter excubias militum pernoctavit*, ubi postridie ex testimonio Dionis [b]), *omnium consensu militum ei, velut ex imperatorio genere orto, ac viro bono imperium est delatum.* Numus alter: PRAETOR*ianis* RECEPT*is*, nempe *in fidem*, innuit sacramentum militare, cum eodem die praetorianos *armatos pro concione jurare in nomen suum passus est* [c]). In singularis hujus facti memoriam hi typi sequentibus quoque annis repetiti sunt.

* * *

Vt lit. B. Caput laureatum.
SACERDOS. DIVI. AVGVSTI. *Duae faces cum corollis.* AR. (Morelli, Mus. Caes.)

Quoniam tota haec aversa in matris quoque Antoniae numis comparet, suspicatur Havercampus, per monetarii incuriam matrices fuisse permutatas [d]). Verum ejus adserendi rationem non video. Nam aeque Claudius, atque Antonia, *sacerdos D. Augusti* fuit constitutus, et quidem ille jam a Tiberio, ut docet Tacitus [e]). Et videtur fuisse alia lectae hujus a Claudio aversae ratio. Nam praeterquam quod Augustum

a) Cap. 10. b) L. LX. §. 1. c) Suet. c. 10. d) ad Impp. Morelli T. II. p. 19.
e) Ann. I. 54.

usque eo observavit, ut sanctius nullum haberet jusjurandum, quam *per Augustum* [a]), videtur hoc typo usus ad abolendam alterius sacerdotii infamiam, ad quod suscipiendum ipse a Caligula adactus est, quando is se Iovem Latialem dixit [b]), aut alterius novi sacerdotii, quod innuit Suetonius [c]), pro cujus introitu coactus est ab eodem, impendere IIS. octogies, sic ut ad summas rei familiaris angustias decideret.

* * *

Vt lit. C. Caput laureatum.

CONSTANTIAE. AVGVSTI. *Mulier sedens dexteram ori admovet.* AV. AR. (Mus. Caes).

Vt lit. D. addito in aliis P. P. *Caput nudum.*

CONSTANTIAE. AVGVSTI. S. C. *Iuvenis galeatus tenui indumento usque ad genua, et pallio post tergum defluo amictus elata dextera digitum indicem vultui admovet, s. hastam.* AE. II. Obvius.

Typum numi alterius ab antiquariis varie descriptum reperio. Quem coram proposui, captus est ex quinque integerrimis musei Caesarei. Eadem epigraphe est etiam in numis Antoniae matris Claudio nostro imperante signatis, at in his variat typus, quem facit mulier stans d. facem oblongam, s. cornucopiae tenens. Quo loco hos numos recensui, dixi, difficulter posse epigraphen cum imagine componi, ipsam autem epigraphen haud dubie ad Claudium referendam, quod praesentes numi confirmant. Sed etiam in his difficile, imagines cum inscriptione componere, etsi dubium non videatur, respexisse monetarios ad Claudii vitam ab ipsa infantia inter contemptus, ludibria, timores toleratam, quibus omnibus malis invicta *constantia* superior evasit. Confirmat istud utriusque figurae tam muliebris, quam virilis gestus silentium sibi imperantis, in quo ipso magna constantiae pars est reposita. Binas mulieres silentii praesides suppeditat mytologia Romana, Angeronam, et Tacitam, de quibus olim copiosius egi [d]). Vtrum eadem suppeditet quoque similis naturae marem, qualis in Aegypto praedicabatur Harpocrates, mihi ignotum.

* * *

Vt lit. B. additis variis trib. potestatis numeris. Caput laureatum.

PACI. AVGVSTAE. *Mulier alata gradiens d. vestis sinum a pectore ad faciem adducit, s. caduceum tenet, humi praecedit serpens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Pro commodiore hujus typi explicatu conjungo numos sequentes:

1. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. *Caput Vespasiani laureatum.*

PACI. AVGVSTI. *Typus idem.* AV. (Mus. Caes.)

2. DIVVS. IVLIVS. *Caput I. Caesaris laureatum.*

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Typus idem.* AV. (Mus. Caes.)

3. TI. ΚΛΑΥΔΙΟΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΝ. *Capita adversa Claudii et Agrippinae.*

Α. ΓΕΣΣΙΟΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ, *in area* ΖΜΤ. *Typus idem.* AE. III (Morelli in

a) Suet. c. 11. b) Dio L. LIX. §. 28. c) Cap. 9. in Claud. d) Sylloge I. p. 71.

fam. Gessia, et in numis Agrippinae jun.)

Typus hic antiquariorum ingenia fatigavit prolato vario ejus explicatu. Dissensere etiam eo, quod nonnulli, ut Occoni, Tristano, Vaillantio visum, mulierem hanc admotam ori bullam deosculari dixere, cujus revera haec ejus imago speciem praebet. Verum plures ejus generis numi musei Caesarei curatius a me inspecti, ut et his non absimilis gemma, quae proditur in museo Odeschalcho [a]), manifeste docent, mulierem vestis partem, qua pectus tegitur, sursum adducere, quod Nemesis in veterum monumentis saepe peragit. Quod ad ipsius mulieris appellationem attinet, alii Victoriam, alii Pantheam, alii signum ex pluribus symbolis conflatum dixere. Istud certum per inscriptionem, hunc typum ad notandam *Pacem Augustam* adhibitum, et si epithetorum omnium vis ac significatio iis tributa rite perpendatur, ea perquam commode Paci, ejusque peristasibus omnibus poterunt subjici. Ita alae, et gradientis habitus indicant Victoriam, qua pax paritur, caduceus foedera, quibus pax coalescit, serpens pacem ope Minervae tam Victricis, quam Paciferae constitutam; nam serpens ejus deae frequens est comes, ut revera Minerva non multum absimili cultu, nimirum d. palmae ramum, s. Victoriolam tenens adstituto ad pedes serpente gradiens proponitur in numo Vespasiani, quem in hujus numis vagis describam, quique praesentes numos multum illustrat. Vestis sursum adducta, et quae in utramvis partem accommodari possunt, alae certam Nemesin faciunt, nimirum pacis sumpto de hostibus supplicio auctorem. Ita I. Caesarem caeso Pompejo M. velut de pace proxime imminente Nemesi dicasse delubrum, mox videbimus. Hanc Victoriam Nemesin exhibet denarius Hadriani musei Caesarei, in cujus aversa: VICTORIA. AVG. *Mulier alata gradiens d. vestem a pectore diducit, s. ramum.* Quare Nemesis Rhamnusia jure de se jactat in epigrammate Theaeteti [b]):

Αντιταλαντευω τας ἐλπιδας. ἐιμι δε και νυν
ΝΙΚΗ Ερεχθειδαις, Ασσυριοις ΝΕΜΕΣΙΣ.

Spei momenta moderor; sum vero nunc quoque
VICTORIA Atheniensibus, Persis NEMESIS.

Cum signum istud videamus numis illatum non tantum Romanis, sed etiam exteris, et propagatum per plures imperatores, apparet, fuisse famae in vulgus cognitae, imaginemque ex celebri quodam prototypo, quod alicubi PACIS inscripto nomine steterit, petitam. In Claudii praecipue numis, atque iis per varios annos signatis persaepe redit, quae etiam causa videtur, cur hunc typum Smyrnenses, ut docet numus III. inscriptus ZMT., eumque Claudio tantopere charum elegerint, atque istud tanto lubentius, quoniam Nemesis princeps fuit Smyrnensium numen. Eandem Nemesin offert etiam aureus singularis Vibii Vari, quem vide in numis gentis Vibiae.

a) Tom. II. num. 15. b) Anal. Brunck. T. II. p. 515.

Non videtur hoc loco alienum, ad illustrandos hos numos, ac praecipue numum ex propositis II. adducere testimonium Appiani [a]): *Adlatum sibi Pompeji caput videre non sustinuit I. Caesar, sed sepeliri jussit, et exiguum quoddam ibi delubrum ante urbem positum Nemesis delubrum vocavit, quod nostra aetate imperante Romanis Trajano et Iudaeorum in Aegypto genus exterminante ab his in belli usus eversum est.* Ergo Caesar Pompeji casum nam tam virtuti suae, quam Nemesi, seu divinae ultioni acceptum tulit, atque haud dubie ejus signum in illo delubro dedicavit, neque minus verisimile est, illud ab Iudaeis eversum turbis finitis a Trajano restitutum, et in ejus memoriam forte signatum ab hoc numum, in cujus una superficie caput I. Caesaris, in altera signum Nemesis cum attributo Pacis fingitur, quod is secundum vetus exemplar restituerit.

* * *

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. *Dextera bilancem tenens, intra cujus lances* PNR.

COS. DES. IT. PON. M. TR. P. IMP. *in medio:* S. C. AE. III. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Modius.

Eadem aversa. AE. III. (Mus. Caes.)

Bini hi numuli soli sunt, qui certos characteres praesentis anni offerunt; nam hoc tantum anno fuit COS. DESignatus ITerum. In reliquis numis ad hunc annum descriptis desideratur mentio consulatus, et, ut dixi, raro in ejus numis repetitae trib. potestatis numerus additur.

Literas PNR Havercampus cum aliis explicat: P*ondus* N*umi* R*omani.* (ad Morellii Impp. T. II. p. 41.) Forte melius: P*ondus* N*umi* R*estitutum.*

Alter numulus typo modii ad frumenti procurationem, cui praecipuam Claudius per imperium suum operam impendit, est referendus.

Vterque numus anno quoque sequente in consulatu II. est restitutus.

* * *

Vt lit. B. Caput laureatum.

VICTORIA. AVGVST. *Victoria d. pede globo imposito, clypeo inscribit.* Quin. AV. (Vaill. Morelli.)

Ad victoriam Britannicam typum refert Vaillantius. Verum in quinariis constans typus fuit Victoria, etiam cum nulla parta fuit.

* * *

Vt lit. E. Caput laureatum.

SPES. AVGVSTA. S. C. *Spes gradiens d. florem: s. pone vestem attollit.* AE. I. Obvius.

Hic Spei typus nunc primum comparet, deinceps in Augustorum moneta obvius. Sed exhibet museum Farnesianum binos Claudii aeneos I. formae, in quibus differt typus manente eadem epigraphe. Nam in horum uno est mulier eodem cultu gradiens, sed quae dexteram cum tribus militibus jungit, quod symbolum explicatum facilem praebet. At in altero clava Herculis solum typum facit, qui cum hac inscriptione omnino insolens est, et aenigmati propior. In Kalendario marmoreo Antiatino ad Kalendas Augusti legitur: TI. CLAV - - SPEI, et in Kalendario Capranicorum ad eundem diem: SPEI.

a) Bell. civ. L. II. c. 90.

AD. FORVM. HOLITORIVM. Constat item, eodem die natum Claudium. Tenemus igitur causam, cur tantopere Spem coluerit Claudius, quoniam eo die natus est, quo in Spei honorem concipi vota solita sunt.

* * *

Obvii sunt cum typis suis:

EX. S. C. OB. CIVES. SERVATOS *intra coronam quernam.* AV. AR. AE. I.

CERES. AVGVSTA. S. C. *Dea sedens d. spicas, s. facem.* AE. II.

LIBERTAS. AVGVSTA. S. C. *Libertas stans d. pileum, s. extenta.* AE. II.

S. C. *Pallas gradiens.* AE. II.

Numi majorum Claudii.

Pius in majores signavit numos frequentes cum imagine Drusi patris, Antoniae matris, Germanici fratris, et ejus uxoris Agrippinae, quos in singulorum numis descriptos vide. Commemorandi hic tamen sunt numi aurei, argentei, aenei I. formae, in quorum aversa:

DE. GERM. vel: DE GERMANIS. *Clypei Germanici decussati*, vel: *Arcus triumphalis posito superne equite.*

Etsi Claudius, et quidem hoc etiam anno, Germanos fregerit, ut dictum in annalibus, sic ut hi typi ad has ipsas Claudii victorias possint referri, tamen cum iidem reperiantur in numis Drusi perpetui Germanorum victoris, verisimilius est, eos adludere ad patris Drusi res de Germanis prospere gestas, quae in ejus moneta frequenter celebrantur.

V. C. 795 *P. X.* 42.
TR. P. I. II. COS. II. P. M. P. P.
IMP. III.
Ti. Claudio Aug. II. C. Caecina Largo cos.

Mauros, et Numidas variis praeliis coercet. Mauretaniam in Tingitanam, et Caesariensem provincias dispescit. Portum Ostiensem magnis sumptibus molitur. Furius Camillus Scribonianus Dalmatiae praefectus adversus Claudium seditionem movet, quae brevi sopitur auctore in insula Issa caeso [a]).

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. *Dextera bilancem tenens, intra cujus lances* PNR. Pro quo typo in aliis: *Modius.*

COS. II. PON. M. TR. P. IMP. P. P. *in medio:* S. C. AE. III. (Mus. Caes.)

De his typis egimus ad annum priorem.

Praeter hos nullum alium certum hujus anni reperi.

V. C. 796 *P. X.* 43.
TR. P. II. III. COS. III. P. M. P. P.
IMP. III. IV. V.
Ti. Claudio Aug. III. L. Vitellio II. cos.

Consulatum III. novo circa principem exemplo init, in locum demortui suffectus [b]). A. Plautius praemissus in Britanniam rem strenue gerit, at coorto graviore tumultu succedit ipse Claudius. Victis barbaris dictus aliquoties *imperator*, nec plus sedecim diebus in insula actis in continentem redit. Absenti a senatu decretus triumphus, ar-

a) Dio L. LIX. b) Suet. c. 14.

eus, ipsique ac filio *Britannici* nomen [a]).

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. III. *addito in aliis* IMP. V. *Caput laureatum.*

PACI. AVGVSTAE. *Typus, ut ad annum* 794. AV. AR. (Mus. Caes.)

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. *Modius.*

PON. M. TR. P. IMP. P. P. COS. III. *in medio:* S. C. AE. III. (Mus. Caes.)

V. C. 797 *P. X.* 44.
TR. P. III. IV. COS. III. P. M. P. P. IMP. V ---
L. Quinctio Crispino II. M. Statilio Tauro cos.

Romam redux de Britannis triumphat. M. Iulio Cottio paternum principatum, quem, ad Alpes cognomines habuit, auget, et regem nominat [b]).

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IIII. *Caput laureatum.*

IMPER. RECEPT. *vel:* PACI. AVGVSTAE. *ut ad annum* 794. AV. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 798 *P. X.* 45.
TR. P. IV. V. COS. III. P. M. P. P. IMP. V --
M. Vinicio II. Tauro Statilio Corvino cos.

Statuis ponendis modum praescribit [c])

Desunt certi hujus anni numi.

V. C. 799 *P. X.* 46.
TR. P. V. VI. COS. III. DES. IV. P. M. P. P. IMP. X. XI.
Valerio Asiatico II. M. Iunio Silano cos.

Nihil hoc anno ad posteros memorabile praeter solitas Messalinae et libertorum artes.

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. VI. IMP. XI. *Caput laureatum.*

DE. BRITANN. *vel:* BRITANNI. *vel:* BRITANNIS, *insrciptum arcui triumphali, supra quem statua equestris inter duo tropaea.* AV. AR.

Claudio ex victa Britannia jam V. C. 796 decreti a senatu honores fuere, et anno sequente triumphavit maximo apparatu, non tamen hactenus annorum praecedentium numi ejus victoriae testes reperti sunt. Numi hi exhibent arcum triumphalem, Dioni ἁψῖδα τροπαιοφόρον, quem idem praeter alios honores duplicem decretum memorat [d]). Addit Suetonius [e]), navalem quoque coronam fastigio Palatinae domus juxta civicam fixam trajecti, et quasi domiti Oceani insigne. Circa istud aevi Britannia simplice T scribi consuevit, et sic scribitur adhuc in numis Hadriani, et Antonini Pii. Et notum illud Maronis [f]).

Et penitus toto divisos orbe Britannos.

At sub Severo ea litera geminari coepit. Ergo Eustathius ad verba Dionysii Periegetae versu 284: ἔνθα Βρεττανοὶ nonnisi pro suae aetatis scribendi lege

a) Dio L. LX. b) l. c. c) l. c. d) l. c. §. 22. e) Cap. 17. f) Ecl. I. 67.

dicere poterat, poetam metri causa alterum T ejecisse.

* * *

Eadem adversa.

P. M. AVGVR. COS. III. *Imperator in quadrigis triumphalibus s. incertum quid tenet.* AR. (Mus. Caes.)

Rarissimus hic numus testis rursum est triumphi de Britannia acti. Ad pontificatus max. titulum addit alium *Auguris*, quod jam in Caligula vidimus, et videbimus in Vespasiano. Narrat Tacitus ad annum sequentem, Claudium Etruscae haruspicum disciplinae conservandae, et restituendae multum invigilasse [a]).

* * *

Eadem adversa.

IMPER. RECEPT. vel: CONSTANTIAE. AVGVSTI, vel: PACI. AVGVSTAE, vel: S. P. Q. R. P. P. OB. C. S., quos typos jam ad V. C. 794 contemplati sumus.

V. C. 803 *P. X.* 47.

TR. P. VI. VII. COS. IV. P. M. P. P.

IMP. XI - - XV.

Ti. Claud. Aug. IV. L. Vitellio III. cos.

Annum V. C. octingentesimum actis ludis saecularibus celebrat, post Augusti editionem quarto, et sexagesimo, sed quos perperam ab Augusto anticipatos dixit, et irrisa fuit praeconis vox invitantis more solenni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset, cum superessent adhuc, qui spectaverant, et quidam histrionum producti olim tunc quoque producerentur [b]), ex quibus Stephanionem prodit Plinius utrisque saecularibus saltantem [c]). Cheruscis petentibus Italicum, Flavii, Arminii fratris filium hactenus apud urbem habitum regem praeficit [d]). Corbulo Germanos, Vespasianus cum filio Tito Britannos infestant [e]).

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. VII. IMP. XIIII.

Caput laureatum.

PACI. AVGVSTAE. *solito typo* AR. Citatur a Mediobarbo.

* * *

Numum Mediobarbi, in cujus aversa: SAECVLARIA. SACRA, confictum nullus dubito.

V. C. 801 *P. X.* 48.

TR. P. VII. VIII. COS. IV. P. M. P. P.

IMP. XV - -

A. Vitellio, Q. Vipsanio Poplicola cos.

Censor conlega L. Vitellio Auli Aug. patre senatum supplet aliis senatoribus inde motis. Gallis transalpinis senatorum in urbe jus impertit, lustrumque hoc anno condit [f]). De tempore hujus censurae vide plura in numis Vitellii. Claudio Ostiae absente Messalina uxor C. Silio propalam in urbe nubit. Redux re comperta Claudius impotentem feminam uno cum adultero necari jubet [g]).

Desunt certi anni hujus numi, nisi quis approbare velit sequentem:

---

a) Ann. XI. 15. b) Tac. Ann. XI. 11. Suet. c. 21. c) H. N. L. VII. §. 49. d) Tac. Ann. XI. 16. e) Tacit. Dio. f) Tac. Ann. XI. 25. g) Tac. Ann. XI.

Antica non proditur.

CENSOR. *Imperator censor sellae curuli insidens considerat equum, quem eques adducit.* AV.

Numi hujus typum dedit Spanhemius [a]), et forte ex hoc restituit Morellius in numis Claudii; non enim musei indicium adjecit. Sed vereor, ne confictus sit secundum ea, quae Suetonius, et Tacitus de Claudii censura post multos annos restituta prodidere. Quae ad equitum probationem, et transvectionem pertinent, vide explicata a Spanhemio [b]), et cl. le Beau [c]).

V. C. 802 *P. X.* 49.

TR. P. VIII. IX. COS. IV. P. M. P. P. IMP. XVI.

C. Pompejo Longino Gallo, Q. Veranio cos.

Anni principio Agrippinam neptem ducit [d]). Parthis petentibus Meherdatem Arsacidam Romae obsidem detentum ad capessendum regnum remittit [e]). Mithridates Bosporanus nova adversus Cotyn moliens captus Romam perducitur [f]). Ituraei et Iudaei mortuis regibus Sohemo et Agrippa provinciae Syriae additi [g]).

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. VIIII. IMP. XVI. *vel* XVII. *vel* XVIII. *Caput laureatum.*

DE. BRITANN. *vel* CONSTANTIAE. AVGVSTI, *vel:* PACI. AVGVSTAE, *vel:* S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *typis solitis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 803 *P. X.* 50.

TR. P. IX. X. COS. IV. DES. V. P. M. P. P. IMP. - - XVIII.

C. Antistio Vetere, M. Suillio Nerulino cos.

L. Domitius adoptatur, inque familiam Claudiam, et nomen Neronis transit. Agrippina *Augusta* dicitur [h]). In oppidum Vbiorum colonia ducitur imposito ab Agrippina nomine [i]). L. Pomponius Cattos domat [k]). Caractacus Britanniae rex post IX. annorum bellum expugnatur, capiturque [l]).

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. X. IMP. P. P. *Caput laureatum.*

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. X. P. P. IMP. XVIII. *Caput laureatum.*

PACI. AVGVSTAE. *vel:* S. P. Q. R. P. P. OB C. S. *typis solitis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Numos Agrippinae, qui jam ab hoc anno procedunt, vide infra in ejus moneta.

V. C. 804 *P. X.* 51.

TR. P. X. XI. COS. V. P. M. P. P. IMP. XVIII. - - XXIV.

Ti. Claudio Aug. V. Ser. Cornelio Orfito cos.

Neroni virilis toga maturatur non-

---

a) Tom. II. p. 101. b) l. c. c) B. L. T. XXVIII. p. 23. d) Tac. Ann. XII. 5. seq. e) l. c. 10. f) l. c. 15. g) l. c. 23. h) Tac. Ann. XII. 25. 26. Marmor ap. Pighium T. III. p. 583 et Gruterum p. 113. i) Tac. l. c. 27. k) ibid. l) ibid. c. 31. seq.

dum expleto XIV. aetatis anno, designatur consul, quem magistratum iniret annum ingressus XX., imperium proconsulare extra urbem decernitur, et princeps juventutis dicitur [a]).

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. XI. IMP. P. P. COS. V. *Caput laureatum.*
PACI. AVGVSTAE. *vel:* S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *typis solitis* AV. AR. (Mus. Caes.)

Ab hoc etiam anno praecedunt numi Neronis Caesaris, quos vide in ejus moneta.

V. C. 805 *P. X.* 52.
TR. P. XI. XII. COS. V. P. M. P. P. IMP. - - XXVII.
P. Corn. Sulla Fausto, L. Salvio Othone Titiano cos.

Clitae, agrestis Ciliciae natio, rebelles perdomiti. Celebris in lacu Fucino naumachia [b]). Aquaeductus duos aquae Claudiae, et novae Anienis magnifice consummat, dedicatque [c]).

Certi hujus anni numi desiderantur.

V. C. 806 *P. X.* 53.
TR. P. XII. XIII. COS. V. P. M. P. P. IMP. XXVII.
D. Iunio Silano, Q. Haterio Antonino cos.

Nero Caesar annos natus XVI. Octaviam ducit [d]).

Ignoti numi hujus anni.

V. C. 807 *P. X.* 54.
TR. P. XIII. XIV. COS. V. P. M. P. P. IMP. XXVII.
M. Asinio Marcello, M. Acilio Aviola cos.

Claudium ex morbo decumbentem Agrippina medicato per Locustam veneficam boleto conficit III. idus. Octob. [e]).

Hoc fato obiit Claudius, casu, si quis alius, fortuito admotus imperio, quod neque speraverat, neque concupiverat. Susceptum principatum non tam suo, quam uxorum, et libertorum arbitrio administravit, talis plerumque, qualem esse eum aut expediret illis, aut liberet [f]). Quare lepide Seneca toto eum anno dixit celebrasse Saturni mensem, nimirum quo heris servi imperitabant [g]). Insigniora libertorum nomina Narcissus ab epistolis, Pallas fisci praefectus, Callistus supplicum libellorum magister, Felix spado, postea Iudaeae procurator, Mnester pantomimus Messalinae percharus, Polybius, Posides, Harpocras [h]), atque hi ad permovendum, quo vellent, principem non tam ejus stupore, quam nativo metu, quo levissima quaevis portenta facile admiserat, abusi sunt. Ita metu inductus fuit, ut ipsas dotis tabellas, quibus nuptiae Messalinae uxoris cum Silio instruebantur, consignaret [i]), et oblato alio metu impetratum, ut utrum-

a) Tac. Ann. XII. 41. Pighius ad hunc annum. b) Tac. Ann. XII. 55. 56. d) Frontin. de Aquaed. art. 13. d) Tac. Ann. XII. 58. e) Tac. Ann. XII. 66. Sueton. Seneca in Apocoloc. f) Suet. c. 25. g) in Apocol. h) Sueton. Dio, Seneca. i) Sueton. c. 29.

que trucidari juberet. Inde factum, ut omnes ii, qui eo imperante aliorum cupiditati obstitere, facile objecta ab uxoribus, aut libertis suspicione insidiarum e medio tollerentur. Stuporis, ac socordiae copiosa edidit specimina, praecipue cum in censura leges ferret ineptissimas, aut eos quos, necari jusserat, priorum oblitus postridie ad coenam vocaret. Innatam tamen quoque habuit saevitiem; nam nullum gratius illi spectaculum, quam videre gladiatores mutuis ictibus, vel a bestiis laniari, eorumque morientium miserabiles vultus videre [a]. Verum ea libido ad gladiatores tantum, et abjectos homines valuit. Revera non destituebatur animi bonis, erat non indoctus, historiarum ipse scriptor non inelegans, sed et hac in parte ineptivit alphabeti literas seu novas comminiscendo, seu antiquatas reducendo, et usui adeo publico adversando [b]. Mentis erectioris, ac perseverantis indicia fuere adita ab ipso Britannia, bellumque gestum, ingentes portus Ostiensis substructiones, lacus Fucini emissarium, aquaeductus in urbem perfecti, ex quo patuit futurum fuisse magnarum rerum non incapacem, si digna principe, sed ad quod fastigium destinatus nunquam fuerat, institutio accessisset.

De uxoribus, et liberis agetur infra.

Postremi hujus anni numi certi mihi ignoti.

Divus Claudius.

DIVVS. CLAVDIVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

EX. S. C. (*etiam sine epigraphe.*) *Thensa a quadrigis equorum tracta.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Auctoribus Tacito [c], Dione [d], et Plinio [e] coelestes Claudio honores mox ab ejus obitu decreti sunt. At Suetonius [f]: *Funeratus est solenni principum pompa, et in numerum deorum relatus, quem honorem a Nerone destitutum, abolitumque recepit mox per Vespasianum.* Quod mirum videatur; nam non modo Nero in inscriptionibus, et numis passim dicitur *Divi Claudii filius*, sed ipse Suetonius in Nerone [g] ait, ab hoc Claudium apparatissimo funere fuisse elatum, laudatum, CONSECRATVM. Intelligere ergo videtur honores reliquos decretos, intermissosque, ac praecipue templum D. Claudii coeptum ab Agrippina, sed a Nerone funditus destructum, quod subinde aedificatum a Vespasiano idem Suetonius narrat [h]. Non alia magis consecratio majore ab ipsis coaevis ludibrio excepta fuit. Nero lethales Claudio boletos *deorum escam* solebat appellare [i], et Iuvenalis [k]:

Minus ergo nocens erit Agrippinae
Boletus, siquidem unius praecordia pressit
Ille senis, tremulumque caput descendere jussit

---

a) Suet. c. 34. Dio L. LX. 13. b) Suet. c. 41. Tacit. Ann. XI. 13, et veteres grammatici. c) Ann. XII. 69. d) L. LX. §. 35. e) Paneg. c. 11. f) Cap. 45. g) Cap. 9. h) in Vesp. c. 9. i) Dio. l. c. k) Sat. VI. 619.

In coelum, et longa manantia labra
saliva.

Ejus tremorem capitis, manantem salivam, et incessum turpem, parumque firmum commemoraverunt etiam Suetonius ac Dio. Acerrime denique Claudium in coelum euntem insectatus est Seneca singulari libello, Dioni quoque memorato [a]), quem Αποκολοκυντωσιν, quasi *cucurbitae consecrationem* inscripsit, refertum multo quidem sale, sed supra modum amaro, et mixtis ex trivio jocis, qui philosophi gravitatem dedecent, turpiter infectum, nimirum aperta sui in exilium acti ultione, et Agrippinae adsentatione.

* * *

DIVVS. CLAVD. AVGVST. GERMANIC. PATER. *Caput Claudii laureatum.*

NERO. CLAVD. DIVI. CLAVD. F. CAESAR. AVG. GERM. *Caput Neronis juvenile.* AR. m. m. (Morelli Impp. T. II. p. 76.)

Numum hunc esse extra urbem signatum, dubium non est.

* * *

ΚΑΙΣΑΡ. ΘΕΟΣ. ΘΕΟΥ. ΥΙΟΣ. *Caput Claudii laur.*

ΝΕΡΩΝ. ΑΓΡΙΠ. *Capita adversa Neronis et Agrippinae.* AR. m. m. (Morelli ibid.)

Numus hic aut spurius est, aut epigraphe partis adversae male excepta; neque enim Claudius aut per natales, aut adoptionem dici potuit DIVI. FILIVS. Verior est numus sequens urbis item incertae:

ΘΕΟΣ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. *Caput radiatum.*

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤ. ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΗ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Capita adversa Neronis, et Agrippinae.* AR. m. m. (Morelli ibid.)

* * *

Alium consecrationis numum vide in tractatu de *Numis restitutionum.*

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

TI. CLAVD. CAES. AVG. *Caput nudum.*

COM. ASI. *Templum distylum, in quo mulier stans, et cornucopiae tenens imperatorem paludatum, et hastatum adstantem coronat; peristylio inscriptum:* ROM. ET. AVG. AR. m. m. (Vaill. Morelli, Mus. Theup.)

Hos numos signatos fuisse Pergami Mysiae, probare conati sumus in numis Augusti ad annum V. C. 735.

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. *Caput nudum.*

ROM. ET. AVG. *Ara intra duas Victorias.* AE. II. et IV. (Morelli, Theup.)

De his numis copiose egi supra in numis Augusti incertis.

TI. CLAVD. CAES. AVG. AGRIPP. AVGVSTA. *Capita jugata Claudii laureatum, et Agrippinae.*

DIANA. EPHESIA. *Signum Dianae Ephesiae.* AR. m. m. (Mus. Caes. Morelli.)

Similes argentei maximae formae cum aliorum quoque imperatorum ca-

a) l. c.

pite exstant, quos dubium non videtur Ephesi cusos. Vaillantius plures similes recenset.

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕ. ΓΕΡΜ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗΜ. ΕΞΟΥ. *Caput nudum.*

Sine epigraphe. Augustus capite radiato sedens d. pateram, s. hastam, et ambitur septem astris. In alio: *Simile Augusti signum, sed in quadrigis elephantorum.* AR. m. m. (Morelli.)

Alius, sed: Caput Augusti radiatum inter septem astra. AR. (Morelli.)

Numos similes produxi supra in numis Caligulae, unde explicatio petenda.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput nudum.*
ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Libertas stans d. pileum, s. extenta.* AE. II.

Numus integerrimus, et anecdotus musei Caesarei, urbisque incertae, quia praeter principis nomina, eaque, quod rarum, plene perscripta, nihil amplius enunciat. Typus aversae captus est ex numis Romanis, quos indicavimus.

* * *

Aeneos Graecos in consortio cum parentibus Druso, et Antonia vide in numis Drusi senioris.

* * *

Vrbium coloniarum.

Insignis ad domesticam Claudii historiam est numus coloniae Patrensis Achaiae:

TI. CLAVDIVS CAESAR. AVG. GERM. *Caput nudum.*
LIBERIS. AVG. COL. A. A. P. *Caput Britannici nudum inter capita sororum Antoniae, et Octaviae cornucopiae imposita.* AE. II. (Vaill.)

Similis typus est etiam in numo Claudii Alexandrino. De hac Claudii progenie infra singillatim agetur.

Illustrior alter, in quo ipsa horum liberorum nomina adduntur, sed coloniae incertae:

IMP. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. *Caput nudum.*
ANTONIA. BRITANNICVS. OCTAVIA - - - *Britannicus togatus stans inter sorores Antoniam, et Octaviam cornucopiae gerentes.* AE. II. (Morelli, Liebe p. 451.)

Captus est hic typus ex numo Caligulae, in cujus aversa tres ejus sorores exhibentur. An vera sit capitis epigraphe propter praenomen IMP., viderint Gothani, quamvis dari similis insolentia possit coloniae.

Numi restitutionum.

Hos vide in tractatu singulari.

Numi falsi, aut suspecti.

Aeneus I. formae, in cujus aversa: S. P. Q. R. AQVAS. CLAVDIAM. EX. FONTIBVS. etc. jam ab Occone obtrusus, subinde a variis probae notae antiquariis restitutus est. Sed ejus malam fidem post alios indicavere Havercampus [a]), et cl. Beauvais [b]).

* * *

CENSOR. *Imperator censor sellae curuli insidens etc.*

---

a) Morelli Impp. T. II. p. 24. b) Hist. abreg. T. III. p. 404.

Suspectum hunc numum jam dedi supra ad annum V. C. 801.

Nomina ac tituli Claudii.

Germanicus.

Narrat Suetonius [a]), Claudium fratre majore in Iuliam familiam adoptato *Germanici* cognomen adsumpsisse. At enim cognomen istud Claudio per Drusum patrem hereditarium ex S. C. fuit, ut istud idem Suetonius capite praecedente adfirmat. In ejus numis, quos per certos characteres constat signatos inde ab altero ejus imperii anno, vocabulum GERM. perpetuo abest, etsi dubium non videatur, numos hoc titulo insignes sequioribus quoque annis prodivisse; nam multi Claudii numi temporis notionem reticent, ut alias monui. In marmoribus Germanici nomen constanter additur.

Britannicus.

Istud cognomen Claudio, ejusque filio propter victorias Britannicas decretum diserte tradit Dio [b]), quod confirmare videtur numus aeneus citatus a Morellio [c]) et Patino [d]):

TI. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. ΒΡΙΤ. *Caput nudum.*

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΓΥΝΗ. *Caput Agrippinae.*

At vereor, ut sincere excepta sit epigraphe: nam in numo simillimo apud Vaillantium [e]), et Theupoli [f]) *το* ΒΡΙΤ. deest, neque istud aut in aliis numis, aut marmoribus reperitur. Videtur honoris istud vocabulum filio suo tanquam proprium reservasse. Iam ergo et Britannos, quos Virgilius *penitus toto divisos orbe* [g]), ac propterea lepide Pacatus *exules orbis* vocat [h]), suum coepit urgere fatum quos deinceps saepius materiam victoriarum, causamque dati principibus nominis intuebimur.

Pater patriae.

Claudium hunc titulum non statim ab adito imperio, sed tamen paullo post adoptasse, scribit Dio [i]), de quo tempore cum definite non constet, nihil ab hoc titulo in numis seu addito, seu omisso juvatur chronologia, eumque etiam tum saepe videmus neglectum, cum jam pridem illo honoratus fuit, ut docent numi.

Censor.

Hoc titulo revera usus est ob exercitam annis V. C. 800, et 801 censuram, additur etiam non raro in marmoribus, ut videre est apud Gruterum, et Muratorium, at in numis reticetur dempto uno, sed suspecto, quem supra ad V. C. 801 produxi.

Imperator.

Praenomen.

Hoc in perpetuum abstinuit teste Suetonio [k]), et confirmant numi et marmora, dempto numo unico, sed coloniae, quem supra produxi.

---

a) Cap. 2. b) L. LX. §. 22. c) in Claud. tab. XII. n. 10. d) ad Suet. c. 26. e) Num. Graec. p. 15. f) pag. 844. g) Eclog. I. v. 67. h) Panegyr. Theodos. c. 23. i) L. LX. §. 3. k) Cap. 12.

Cognomen.

Isto perfrequenter, et saepe iterando est usus, sic ut postremus ejus numerus inveniatur IMP. XXVII., quem bellicosissimi imperatores, et a victoriarum frequentia maxime spectati non aequavere. At Claudio non tantum suorum ducum virtus, sed etiam vana ostentatio, qua receptum hactenus morem infregit, toties hunc titulum peperit. Nam teste Dione [a]) *libertorum suasu propter res in Mauretania gestas, etsi nulla parta victoria, et re adhuc sub Cajo confecta triumphales honores accepit.* Et crediderim, tum etiam imperatoris titulum sibi adscivisse. Aliud memorabile testimonium, quo imperii a Claudio toties absque bellorum materia iterati causam tenemus, idem Dio suppeditat [b]). *Ob victorias*, ait, *Britannicas aliquoties dictus imperator contra morem Romanorum, neque enim saepius, quam semel licet uno de bello hoc nomen assumere.* Ceterum difficile est definire, in quos annos singuli repetiti imperii numeri incidant, destituentibus nos hac parte monumentis. Quae ex numis, et marmoribus certa tenemus, hic proponere libet, exclusis tamen hic inscriptionibus iis, de quarum lectione, utrum sincere excepta sit, est ambigendi locus. Occo, et Mediobarbus, qui hos imperii numeros pro libitu nulla proposita auctoritate dispescunt, se ipsi tueantur.

IMP. II. TR. P. COS. DESIG. II [c]). Certi sunt characteres anni V. C. 794. Captus fuerit hic titulus ex victis hoc anno Germanis.

IMP. III. jungitur cum TR. P. II. COS. DES. III. in marmore Ravennate apud Gruterum [d]). Sunt hi characteres anni V. C. 795, tametsi mirum videatur, Claudium dici *consulem designatum III.*, cum ad hunc consulatum designatus non fuerit, sed eum susceperit in locum demortui suffectus, ut diserte Suetonius [e]). Aut igitur hic fallit, aut marmor, aut, qui illud descripsit. Repetiti tituli causa fuerit finitum bellum Mauretanicum, de quo mox supra egi, et Germani a Galba et Gabinio victi, quae acta sunt annis 794, 795, et de quibus revera narrat Dio, Claudio imperatoris nomen fuisse partum [f]).

IMP. III. TR. P. III. COS. III. in marmore Muratorii [g]). Sunt annorum 796, 797. Sed IMP. III. potius anno priori competit; nam eodem adhuc anno ex victoriis Britannicis imperatoris titulum multiplicavit, ut diximus in annalibus.

IMP. V. TR. P. III. in numis. Hic tribunatus cadit in annos V. C. 796, 797.

IMP. VII. TR. P. IIII. COS. III. apud Muratorium [h]). Sunt anni V. C. 797, 798.

IMP. VIII. TR. P. IIII. COS. III. apud Gruterum [i]). Hi tituli eosdem annos admittunt.

IMP. X. TR. P. V. COS. DES. IIII. apud Gruterum [k]). Eosdem characteres

a) L. LX. §. 8. b) l. c. §. 21. c) Gruter. p. 288. 3. Muratori p. 445. 1, Reinesius T. I. p. 250. d) pag. 237. 5. e) Cap. 14. f) L. LX. 8. g) pag. 225. 9. h) pag. 445. 3. i) p. 176. 4. k) pag. 238.

exhibet epistola Claudii ad Iudaeos, quae est apud Iosephum [a]), in qua is dicitur: δημαρχικης ἐξȣσιας το πεμπτον, ὑπατος ἀποδεδειγμενος το τεταρτον, ἀυτοκρατωρ το δεκατον, id est: TR. P. V. COS. DES. IIII. IMP. X., et legitur in fine: ἐγραφη προ τεσσαρων καλανδων Ιȣλιȣ ἐπι ὑπατων Ρȣφȣ και Πομπηιȣ Σιλȣανȣ. *Data IV. Kal. Iul. Rufo et Pompejo Silvano cos.* Hae notae certum efficiunt annum V. C. 798, et docemur, jam hoc anno Claudium se designasse consulem in annum V. C. 800, haud dubie caussa ludorum saecularium, quorum solennia ad hunc annum animo praeceperat. Ergo Claudius inde a biennio septies imperatoris titulum auxit. Intra hoc tempus bellum nullum praeter Britannicum proditur. Verum igitur est, quod refert Dio supra citatus, eum ob victorias Britannicas aliquoties dictum imperatorem.

IMP. XI. TR. POT. V. COS. DESIG. IIII. apud Gruterum [b]), et Muratorium [c]). Conveniunt hae notae annis V. C. 798, 799. In numis legitur: IMP. XI. TR. P. VI, qui tribunatus annos 799, et 800 admittit. Vulgavit Gruterus marmor, quod exstat in Castro Polliniaco Galliae [d]), in quo Claudius dicitur: TRI. POTEST. V. IMP. XI. COS. IIII. Lectionis veritatem confirmavit cl. Lebeuf ἀυτοπτης [e]). Verum ut conveniant tempora, in hoc marmore scribendum fuerat aut TR. P. VI., aut COS. DES. IIII.

IMP. XII. TR. P. VII. COS. IIII. in marmore apud Seb. Donatum [f]), et Reinesium [g]).

IMP. XIIII. TR. P. VII. ex numis.

IMP. XV. TR. P. VII. COS. IIII. CENSOR, apud Gruterum [h]). Tribunatus VII. et censura incidunt in annos 800, et 801, igitur hac currente quater iteravit imperium. Bellum interea fuit cum Germanis, et Britannis.

IMP. XVI. TR. P. VIII. ex marmore Sponii [i]).

IMP. XVI. TR. P. IX. ex numis, et marmore Gruteri [k]). Hic tribunatus occupat partem annorum V. C. 802, 803. Horum priore Mithridates Bosporanus victus, captusque est.

IMP. XVII. vel XVIII. TR. P. IX. ex numis.

IMP. XVIII. TR. P. X. ex numis. Certiora docet marmor Gruteri [l]), in quo junguntur: TR. P. X. COS. IV. DES. V. IMP. XIIX., quae notae unum annum 803 designant. Bella hoc anno memorantur Germanica, et Britannica.

IMP. XXIIII. TR. P. XI. COS. V. apud Gruterum [m]). Sunt hi characteres annorum 804, et 805.

IMP. XXVII. TR. P. XII. in inscriptione ad portam Esquilinam in hunc diem exstante, et aquaeductus causa posita [n]), tum in tabula honestae missionis, quae insuper addit: III. idus Decembr. cum omnibus notis anni V. C. 805 [o]).

---

a) Ant. Iud. L. XX. c. 1. b) pag. 176. 5. c) pag. 2007. 2. d) pag. 39. e) B. L. T. XXV. Hist. p. 143. f) p. 211. 8. g) Tom. I. p. 250. h) pag. 113. 1. i) Misc. p. 200. k) pag. 196. 4. l) pag. 113. 3. m) pag. 188. 6. n) Frontin. de Aquaed. art. 13. o) in praef. Tom. V. Ant. Hercul.

IMP. XXVII. TR. P. XIII. apud Muratorium [a]).

Vterque tribunatus XII. et XIII. incidit in annos V. C. 805, 806, 807, qui fuere postremi Claudii. Post bella anni 803, quo se scripsit imperatorem XVIII., nullum aliud usque ad Claudii finem memoratur, et tamen ab eo tempore novies imperatoris titulum auxit. Ex quo apparet, aut non omnia bella a scriptoribus fuisse enarrata, aut fuisse expeditiones leves nullo historiae detrimento praeteritas, tamen ab iis titulum per vanitatem captum.

PRETIVM.

Commatis Romani.

Aurei, et argentei - - - - - - -	R.
Aenei I. et II. formae - - - - - -	C.
Aenei III. formae - - - - - - -	R.

Commatis peregrini.

Argentei forma maximi moduli, et denariorum urbium incertarum - - - - - -	RRR.
Aenei urbium liberarum - - - - -	RR.
Coloniarum - - - - - - - -	RR.
Alexandrini - - - - - - - - -	C.

VXORES CLAVDII.

Sponsas, antequam matrimonio jungeretur, binas habuit, *Aemiliam Lepidam* Augusti proneptem, sed quam virginem repudiavit, quod parentes ejus Augustum offenderant [b]), et *Liviam Medullinam Camillam*, de qua haec scripsit Suetonius [c]): Sponsam habuit *item Liviam Medullinam*, *cui cognomen et Camillae erat*, *e genere antiquo dictatoris Camilli*. - - Eam *ipso die*, *qui erat nuptiis destinatus*, *ex valetudine amisit*. Historici dictata eximie confirmat repertus haud ita pridem lapis, quem ex illustri museo Borgiano vulgavit cl. Cajetanus Marinus [d]):

MEDVLLINAE. CAMILLI
TI. CLAVDII. NERONIS
GERMANICI. SPONSAE
ACRATVS. L. PAIDAGOGVS.

Vxor I. PLAVTIA VRGVLANILLA. Cum hac divortium fecit ob libidinum probra, et homicidii suspicionem [e]). Liberi inde nati miserabilis fati:

Drusus, cui Sejani filiam desponderat quidem Claudius, at paucos post dies Pompejis mortuus impuber, piro per lusum in sublime jactato, et hiatu oris excepto strangulatus [f]).

---

a) Pag. 225. 7. b) Suet. c. 26. c) in Claud. c. 26. d) Iscriz. ant. Alban. p. 88.
e) Suet. c. 26. f) Tacit. Ann. III. 29. Sueton. c. 27.

Claudia ex libertorum uno concepta recdita, ac propterea ad matris repudiatae limen nuda abjecta [a]).

Vxor II. AELIA PETINA, quam item repudiavit ex levibus offensis [b]). Hinc nata

ANTONIA.

Nupta primum Cn. Pompejo M., et postquam hic a Claudio caesus est, Fausto Sullae [c]). Eam Nero post Poppaeae mortem nuptias suas recusantem, quasi insidiarum suspectam interemit [d]).

Numi:

Hos descriptos vide in numis coloniarum patris Claudii.

Vxor III.

VALERIA MESSALINA.

Filia M. Valerii Messalae Barbati, Octaviae Augusti sororis abneptis, per libidines, saevitiam, aemulationem muliebrem infame in Claudii historia nomen. Ejus potissimum suasu Roma tot funera vidit virorum praestantium, quorum fortunis inhiabat, aut qui ejus effreni cupiditati obsequi nolebant. Inter caesas feminas memorandae Iulia Drusi junioris filia, et Iulia Livilla Caligulae soror, quarum illa cum illustres natales, tum formam non ferendam putavit. In Mnesterem histrionem tam insano amore ferebatur, ut statuas ei per vicos ponendas curaret aere ex Caligulae numis, qui per hujus odium conflati sunt, comparato, ac cum consentire hic ejus libidini propter Claudii metum non auderet, impetravit haec per artes muliebres ab uxorio marito, ut is omnibus in rebus Messalinae morem gerere juberetur [e]). Denique facilitate adulterorum in fastidium versa eo progressa est, ut marito Ostiae absente C. Silio consuli designato uxor principis, publice adhibitis, qui obsignarent, inter auspicum verba, sacrificia, et convivia nuberet [f]). Scelus in urbis luce patratum, atque uni principi ignotum (nam novissimi domus infamias discimus) deferre tandem ad Claudium ausus est libertus Narcissus, qui mox non tam pudore, quam proposito amittendi imperii periculo commotus in urbem advolavit, uxoremque cum adultero lictori necandam dedit V. C. 801.

Liberos ex hac, et Claudio natos vide mox infra.

Numi:

Messalinae numi commatis Romani non exstant, habentur tamen, etsi hi quoque plerumque rari, signati in urbibus Graecis, coloniarum, et Aegypti. Iungitur in his fere constanter cum marito Claudio, ex quo satis tutum discrimen inter Messalinam Claudii, et alteram Neronis, cujus alioqui vix unus alterve numus est proditus. Sunt vero numi:

ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ. ΚΑΙΣαρος ΣΕΒΑΣτȣ. *Messalina Cereris specie stans d. extenta duos infantes, s. spicas, et simul columnae innixa.*

a) Suet. c. 27. b) Suet. c. 26. c) Suet. c. 27. 29. d) Suet. in Nerone c. 35. e) Dio L. LX. §. 22. f) Suet. c. 26. Tacit. Ann. XI. 26. 27.

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑ. ΓΕΡΜΑΝΙ. ΑΥΤΟΚΡ. L. Α. Β. Γ. Δ. Ε. ς. *Caput Claudii laureatum.* AR. mixti I. (Beger, Mus. Caes. Stosch, Theupoli.)

In omnibus his numis, qui ad sextum usque Claudii annum Alexandriae signati sunt, Messalinae Σεβαςης, *Augustae* titulus negatur. Praeclare hoc confirmatur sententia Dionis, qui ad alterum Claudii annum perhibet, non passum fuisse Claudium, Messalinae honorem *Augustae* deferri [a]). Numi praesentes eam tantum *Caesaris Augusti* uxorem appellant. Sed in Augustae titulum Messalinam serius involasse ex numis, quos continuo recitabimus, palam fiet, quod tamen reticet Dio, etsi serius tradat [b]), ei primum in consessu locum, ut Liviae quondam, utque carpento veheretur, decretum. At enim multis partibus mancus hic Dionis liber ad nos pervenit. Est numis testibus haec prima Caesarum uxor, cui Augustae titulus vivo marito fuit appositus.

Ad typum quod attinet, infantes duos, quos Messalina manu in ostentationem porrigit, plerique statuunt ejus liberos Britannicum natu majorem, et Octaviam. Sed huic sententiae repugnabit numus inscriptus L. A., quem edidit Begerus [c]). Claudii annus I. secundum Alexandrinorum calculum exivit die XXIX. Augusti V. C. 794, quo ipso anno secundum verisimiliorem sententiam natus est Britannicus mense Februario, ut infra in hujus vita docebo. Ergo cum nata tum nondum fuerit Octavia, neque potuit sisti in numo. Quod si, ut existimant aliqui, Britannicus natus est uno anno serius, nempe 795 patet, neque etiam Britannicum potuisse in numo anni I. proponi. Si ergo bini hi infantes vere sunt Messalinae liberi, necesse est, horum uno aut intelligendam aliam Messalinae prolem prius natam, et subinde mortuam, aut a Begero sinistre annum ex numo exceptum legendo forte L. A. pro L. Δ, ut sane Begerianum hunc annum in nullo alio Messalinae numo a quopiam recitatum reperi.

* * *

ΘΕΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ, *vel* ΟΥΑΛΕΡΙΑ. ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Hujus caput.*

Epigraphe, et caput Claudii. AE. II. *vel* III. (Vaill. Morelli.)

Sunt hi numi urbium Graeciae incertarum.

ΜΕΣΣΑΛΕΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. ΝΕΑ. ΗΡΑ. *Hujus caput, ad cujus pectus duae spicae.*

Γ. ΚΑΔΙΟΣ. ΡΟΥΦΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. ΝΕΙΚΑΕΩΝ. *Porticus* AE. I. (Vaillant, correctius Pellerin Rec. III. p. 227.)

Esse hunc numum hujus Messalinae, argumento est, quod Pellerinius eodem loco alium, solo Claudii capite diversum proponit. De magistratu Cadio egimus in numis Nicaeae. Titulus ΝΕΑ. ΗΡΑ, *nova Iuno*, non novum est adulationis argumentum.

* * *

VALERIA. MESSALINA. AVG. CYTHERONTE. IIVIR. *Hujus caput.*

a) L. LX. §. 12. b) l. c. §. 22. c) Thes. Br. T. II. p. 619.

Epigraphe, *et caput Claudii.* AE. III. (Vaill. Morelli.)

Coloniae nomen reticetur. Ex nomine Cytherontis IIviri, quod etiam in numo Augusti apud Corinthum signato occurrit, probabile fit, hunc quoque apud eandem coloniam natales suos reperisse.

Gemmas Messalinae nomine scalptas, et testes infamis ejus libidinis, et in vulgus cognitae videre potes in Catalogo musei Stoschiani a Winckelmanno conscripti pag. 443. 444.

PRETIVM.

Demptis laudatis Alexandrinis, qui sunt *Rari*, reliqui, praecipue cum integri sunt, RRR. calculum promerentur.

Liberi Claudii, et Messalinae.

OCTAVIA.

De hac, ejusque numis agetur post Neronem, cujus ea exor fuit.

BRITANNICVS.

Natus parentibus Claudio et Messalina V. C. 795 Claudio II. consule, ut testatur Dio a) *). Nomina indita fuere TI. CLAVDIVS GERMANICVS, mox anno V. C. 796, cum patri Claudio ob res in Britannia prospere gestas *Britannici* titulus ex S. C. decerneretur, idem nomen communicatum etiam cum filio, sic ut quasi proprio suo nomine BRITANNICVS diceretur b). Ejus res laetae fuere, quoad vixit mater Messalina, verum hac V. C. 801 supplicio adfecta, et Agrippina in Claudii domum inducta retro versa omnis fortuna, et imperii, ad quod per natales destinatus fuerat, adipiscendi spes. Nam ejus artibus effectum, ut filius Cn. Domitius in Caesarum domum adoptatus filius Augusti, et desponsata Claudii filia Octavia gener una diceretur. Ex hoc spretus indies magis Britannicus triste habuit futurae fortunae praesagium, nihilque profuit versus parentis amor, quo Agrippinae impotentiam pertaesus collapsum denuo filium respexit c); nam id ipsum Claudio quoque fatale fuit, Agrippina, quae istud praesensit, ne successionis spe excluderetur Nero, mariti mortem accelerante. Alteris Agrippinae artibus imperio potitus Nero fratrem, quem unum verso populi amore

---

a) L. LX. §. 12. b) Dio l. c. §. 22. c) Suet. in Claud. c. 43, Dio l. c. §. 34.

*) Natum in consulatu Claudii II., confirmat etiam Suetonius (in Claud. c. 27.), verum quod ibi addit, *vigesimo imperii die*, istud fastis omnino repugnat; nam XX. imperii dies incidit in Februarium V. C. 794, et alter ejus consulatus initus est Kal. Ian. 795. Quod si ejus sententiae pars altera vera est, natusque Britannicus XX. imperii die, necesse est eum natum V. C. 794 pridie id. Febr., ac tum magis Suetonio cum Tacito conveniet, qui principio anni 808 scribit, propinquum fuisse diem, quo Britannicus annum aetatis XIV. explebat (Ann. XI. 15.), quod verum esse nequit, si natus est V. C. 795. Consule etiam infra notam ad synopsin vitae Neronis, et Octaviae.

paratum vidit successorem, mox altero imperii anno V. C. 808 ignara, atque invita ipsa Agrippina interfecit propinato per veneficam Locustam veneno, cumque eo Claudiam gentem tumulo intulit. Scelus etsi minime occultum, tamen etiam in vulgus cognitum fuit. Nam gypsum, quo ejus recumbentis vultum imbui Nero jussit, per ingentes imbres, quibus funus efferebatur, defluum maculas una veneni certos indices nudavit [a]). Honoratus subinde statuis fuit a Tito, qui cum eo in aula educabatur [b]). Desponsatam illi fuisse filiam Sejani, tradidit Dio [c]).

Numi:

Commatis Romani.

TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. F. BRITANNICVS. *Caput nudum.*

S. C. *Mars, aut miles vultu barbato gradiens d. hastam, s. clypeum.* AE. I.

Hic numus anno 1773 repente in conspectum Romae prodiit, magnaeque omnibus fuit admirationi. Nam commatis Romani numus hujus Caesaris alter conspectus nondum est. Eum subinde Ioannes Baptista Vicecomes Romanis antiquitatibus praefectus magno D. scutatorum pretio in museum suum intulit. Peritis, qui numum videre, genuinus habetur, penes quos esto fides. Delineatus is exstat in Magnani Miscellaneis numismaticis Tomo III. tab. 18, tum et in Winckelmanni a cl. Fea editi fronte voluminis III., et explicatus infra pag. 464. Non dissimulandum, simillimum huic, et affabre factum, sed haud dubie spurium exstitisse olim apud nos Vindobonae in museo cl. Neumann.

Alium, eumque aeneum II. formae depictum stitit Morellius in numis Britannici, sed eum ipse Havercampus existimat exceptum e Goltzii schedis. Certe alibi conspectus hactenus non est.

* * *

Commatis peregrini. Vrbium liberarum.

Epigraphe in his: ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ, addito in aliis ΚΑΙΣΑΡ. In numis Alabandae Cariae, sed cujus generis copiosos vidi confictos, ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. (Seguin.) Plenius in numo Nicomediae: ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΒΡΕΤΑΝΝΙΚΟΣ. (Pellerin Mel. II. p. 28.) Reliqui numi sunt Caesareae Bithyniae, Ilii, Thessalonicae. In numis Iudaeae: ΒΡΙΤ. ΚΑΙ. L. IA. *Palma.* ✠ ΝΕΡΩΝ. ΚΛΑΥ. ΚΑΙCΑΡ. *Duo clypei decussati.*

Coloniarum.

BRITANNICVS. AVG. *Caput puerile nudum.*

Corona querna, intra quam epigraphe extrita. AE. III. (Pellerin Rec. II. p. VI.)

BRITANNICVS. AVGV -- *Caput nudum.*

TI. CLAVD. -- TR. POT. P. P. *Caput laureatum.* AE. III. (Sestini Lett. IV. p. 26.)

Singulare est in utroque hoc numo *Augusti* titulus Britannico datus. Hunc per monetariorum sive oscitantiam, si-

---

a) Tacit. Ann. XIII. 14 seq. Suet. in Nerone c. 33. Dio L. LXI. §. 7. b) Suet. in Tito c. 2. c) L. LVIII. §. 11.

ve ignorantiam, non raro in municipiis exemplo irrepsisse certum videri possit. Est tamen quod culpam minuere possit. Etenim narrat Dio ad annum V. C. 795, Claudium, cum sibi natus esset filius, qui subinde Britannicus est dictus, ea usum moderatione, ut propterea nihil splendide ageret, ac neque ei AVGVSTI, neque Messalinae *Augustae* nomen dari pateretur [a]). Cum nullus Augusti cujuspiam filius seu naturalis, seu adoptivus ante Claudium vivo patre unquam dictus fuerit *Augustus*, ejusque multis post annis primum exemplum dederit M. Aurelius, qui imperio suo ad finem vergente Commodum filium *Augustum* dixit, idque non fugerit Dionem eruditum rerum Romanorum scriptorem, credibile est, ne otiosum istud ejus dictum habeatur, ausam Messalinam Augustae sibi nomen efflagitare, ac ne istud propter novitatem in Augusti uxore invidiosum esset, voluisse mollire invidiam idem decus pro filio expetendo, decretumque istud jam fuerit a senatu, et per provincias diditum, cui rumori cum intempestive fidem haberet colonia, *Augusti* titulum Britannico addiderit, antequam de moderatioris Claudii voluntate constaret, praecoces hos honores tum non permittentis. Satis constat, repudiatum ab eodem *patris senatus* titulum hactenus inauditum, quem ei plus aequo assentans consul Vipsanius decrevit [b]).

* * *

Exstat etiam Britannicus in numis coloniarum incertarum, et Alexandrino Claudii, quos supra in numis Claudii commatis peregrini descripsi, in consortio sororum Antoniae, et Octaviae.

* * *

Vxor IV.

IVLIA AGRIPPINA.

Parentibus Germanico, et Agrippina nata in oppido Vbiorum, quod ab ipsa subinde deducta eo colonia *Agrippinae* nomen accepit [c]). Annum V. C. 769, quo ea nata est, eruo ex Suetonio [d]). Nam cum is prodat, Germanico natas fuisse tres sexus feminini Agrippinam, Drusillam, Livillam continuo triennio, constet autem ex Tacito, Iuliam Livillam natam V. C. 771 [e]), palam fit, Agrippinam laudato a me anno in lucem editam. Natalem Kalendarium Antiatinum statuit diem VI. Novembris. V. C. 781 a Tiberio elocata fuit Cn. Domitio Ahenobarbo [f]), ex quo L. Domitium, subinde Neronem concepit. Imperante Caligula commune cum sororibus fatum habuit; nam perinde vitiata a fratre fuit; at cum argueretur, Lepido, aliisque, atque ipsi etiam Senecae corpus vulgasse, relegata est in insulas Pontias, coacta insuper, caesi Lepidi ossa urnae inclusa in sinu per omnem viam Romam usque deferre [g]). Caeso Caligula a patruo Claudio revocata Romam, mortuo inter haec priore marito, nupsit Crispo Passieno [h]). Post Messalinae interitum adeo illecebris Claudium in sui amorem traxit, ut

---

a) L. LX. §. 12. b) Tacit. Ann. XI. 25. c) Tacit. Ann. XII. 27. d) in Calig. c. 7. e) Ann. II. 54. f) Tac. Ann. IV. 75. g) Dio L. LIX. §. 22. h) Suet. in Nerone c. 6.

is non dubitaret, eam sibi V. C. 802 in matrimonium adsciscere, cumque Romae ad id tempus conjugium patrui cum nepte incestum haberetur nemine istud adhuc attentare auso, decretum, ut justae deinceps inter patruos, fratrumque filias nuptiae essent [a]). Decretum etiam a senatu, ut carpento in ludis veheretur [b]). Additus anno sequente *Augustae* titulus [c]). Ad id fastigium evecta Agrippina altiora coepit moliri, induxitque maritum, ut L. Domitium suum ex primo marito filium, adoptaret, neque postea desiit, Britannicum Claudii filium, qui unus Neroni suo per ipsos natales obstitit, omni atrocitate vexare. Huc accessit aemulatio muliebris, qua exilio, aut morte multavit illustres feminas, quas aut laetior forma, aut natalium claritas commendabant, atque arrogantia plus quam mulierem deceret. Nam quod inauditum hactenus, ipsa in suggestu conspicua solita est praesidere signis Romanis, et audire legatos regum [d]). Advertit ea mulieris impotentia ipsum etiam socordem Claudii animum, prorupitque aliquando temulentus in querelam, fatale sibi, ut conjugum flagitia ferret, dein puniret. Excepit eam vocem Agrippina, cumque timeret Neroni suo, ne per iratum Claudium imperii spe excideret (nam tum maxime Claudius taedio uxoris paterni in Britannicum adfectus indicia manifestavit) observato tempore, quo aeger decuberat, ejus mortem medicato boleto maturavit, eaque tamdiu celata, dum coeptis suis satis provisum esset, Neronem suum imperatorem populo ostendit V. C. 807. Non ingratum principio experta est filium; nam summae omnium rerum publicarum, privatarumque palam praefuit, et mansisset diutius in eo fastigio, si moderari sibi, et dissimulare juvenilem filii impotentiam valuisset. At enim cum anno proxime sequente severius illi amores libertae Actes exprobraret, neque objurgare pro materno jure desineret, ejus a se animum plane avertit. Tum vero territa, nam longius se, quam volebat, progressam vidit, et quod maxime dolebat, potentiam imminutam, coepit converso studio omnibus in rebus obsequi filio adeo omni pudore abjecto, ut aliquoties meretricis cultu ejus turpem libidinem reclamante natura solicitaret [e]). Hae artes cum incassum caderent, exuere tum omnem moderationem, et transferre adfectum palam in Britannicum, adjectis non obscure minis, ituram in castra, et imperium filio extorturam. His commotus Nero Britannicum veneno e medio tolit [f]). Qua caede magis jam efferata Agrippina, magisque indies verbis minax videbatur perniciosa in filium moliri consilia. Quod cum metueret Nero, primum matri militares excubias adimit, subinde ex palatio aliorsum translatam ad privatam vitam redigit. Tandem cum Nero amore Poppaeae Sabinae insaniret, atque haec omnibus modis Agrippinae necem suaderet, anno V. C. 812

a) Tac. Ann. XII. 5. seq. Sueton. in Claud. c. 26. b) Dio L. LX. §. 33. c) Tac. Ann. XII. 26. d) Tac. Ann. XII. 37. e) Tac. Ann. XIII. 13. et XIV. 2. Dio L. LXI. §. 11. Victor in Caess. f) Tac. XIII. 12 seq.

filii blanditiis illecta, iisque male credula imposita est navi, cujus compages laxatae subito vectores in mare effunderent. Ea male officio functa spatium dedit miserae in litus enatandi. Quo audito Nero tribunum misit, qui praeter spem elapsam confoderet. Hunc coram cum videret, *feri*, ajebat, *ventrem*, nimirum qui tale monstrum edidit [a]), corpusque in ictus obtulit, triste illud supplicium non modo, quantum in se erat, per continua, ac meditata facinora promerita, verum etiam, quod pridem, cum a Chaldaeis moneretur, fore ut Domitius suus imperet, et matrem occidat, respondisse fertur: *occidat, dum imperet* [b]). Cremata inter viles exsequias, mortuo demum Nerone domesticorum cura levem tumulum accepit juxta Misenum [c]). Mulier nullo alio retro, ac post exemplo, nimirum Caesare genita, tum imperatorum se mutuo consequentium soror, conjux, mater, quae ipsam Plinii Lampidonem a similibus fortunae causis cognitam post se reliquit [d]).

Numi:

Exstat in consortio cum sororibus Drusilla, et Iulia, scripto juxta AGRIPPINA, quos numos feriundos curavit Caligula frater, quosque in hujus Augusti numis ad annum V. C. 790 descriptos vide.

* * *

AGRIPPINAE. AVGVSTAE. *Caput spicis coronatum.*

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TRIB. POT. P. P. *Caput Claudii laureatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Fuit Agrippina ex Augustorum uxoribus prima, cujus imaginem perinde, atque suam in numis signari indulsit maritus; quo ipso palam fit, quantum ea sibi in publicis imperii rebus adrogaverit. Corona spicea instar Cereris redimitas etiam vidimus Liviam, et Antoniam.

* * *

AGRIPPINA. AVGVSTA. CAESARIS. AVG. *Caput sine spicis.*

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. X. IMP. XIIX. *Caput Claudii laureatum.* AR. max. mod. (Haym. Tom. II. p. m. 232. Theupoli.)

Hunc numum, quia maximae formae, more meo non dubitem extra urbem signatum.

* * *

AGRIPPINAE. AVGVSTAE. *Caput spicis coronatum.*

NERO. CLAVD. CAES. DRVSVS. GERM. PRINC. IVVENT. *Caput Neronis Caesaris nudum.*

AGRIPP. AVG. DIVI. CLAVD. NERONIS. CAES. MATER. *Capita adversa Neronis nudum, et Agrippinae.*

NERONI. CLAVD. DIVI. F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P. *Corona querna, intra quam* EX. S. C. AV. AR. (Mus. Caes.)

---

a) Tac. Ann. XIV. 9. Dio L. LXI. §. 13. Seneca in Octavia v. 309 seq. b) Tacit. l. c. Dio l. c. §. 2. c) Tac. l. c. Suet. in Ner. c. 34. d) L. VII. §. 42.

Eadem epigraphe addito EX. S. C. *Duae figurae, quarum dexterior velata aquilam legionariam, altera capite radiato d. pateram, s. hastam tenet, sedentes in quadrigis elephantorum.*

NERO. CLAVD. DIVI. F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P. COS. *Capita jugata Neronis nudum, et Agrippinae.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Numi hi non ferendam Agrippinae arrogantiam vulgant, qua non modo sociatam se potestate filio, sed quoniam imperium suis praestigiis ei partum novit, superiorem etiam haberi voluit. Sunt, qui existiment, in numo ex his postremo fingi Neronem una cum matre vectum, et sunt, quae possint conjecturam firmare; nam teste Suetonio [a]) saepe simul in eadem lectica per publicum vecti sunt. Item quod mulier velata est, is habitus Agrippinam non dedeceret; nam decretum ei flaminium Claudiale adserit Tacitus [b]), et quod aquilam legionariam manu tenet, probaret cognitam mulieris impotentiam, quae ausa est signis quoque Romanis praesidere [c]). Tutius tamen est sentire cum Vaillantio [d]), exhiberi Augustum, et Liviam una vectos; nam utrique decretum fuisse currum elephantorum, diserte tradunt Suetonius [e]), et Dio [f]); ad haec uterque in aliis numis Neronis, inscriptis: AVGVSTVS. AVGVSTA, quos inter vagos Neronis numos commemorabo, eodem paene cultu, etsi stans, fingitur, ut adeo aliud non spectaverit his numis Nero, quam utriusque renovare memoriam. Omnium vero minime audiendus Pagius, qui hoc typo intelligendos honores triumphales Neroni ob victorias de Parthis decretos edixit [g]).

* * *

AGRIPPINA. AVG. GERMANIC. F. CAESARIS. AVG. M. *Caput nudum.*

S. C. *Ceres sedens d. spicas, s. facem.* AE. I.

In alio:

S. C. *Arcus triumphalis.* AE. I.

Vtrumque numum recitat Vaillantius in numis praest. T. I. p. 60. Tamen horum alterum dubiae fidei a quibusdam haberi ipse profitetur, sed priorem *raritate, et integritate praestantissimum* vocat. An ergo exstant Agrippinae hujus numi aenei commatis Romani? Negat istud ipse Vaillantius in eodem opere, sed alio loco, nempe Tomo II. p. 59. *Agrippina*, ait, *in numis argenteis et aureis tantum occurrit, non autem in aeneis S. C. percussis. Senatus sui juris adhuc nimis studiosus feminis principibus sub Domitiano tantum numos cudere coepit.* Altera hujus orationis pars falsa cognoscitur ex contrariis hactenus adductis exemplis numorum Liviae, Antoniae, Agrippinae etc. De priore in aperta hac Vaillantii antilogia arbitrentur ii, qui *praestantissimum* hunc ab eo collaudatum numum inspicere ipsi possunt. Mihi certe sincerum Agrippinae aeneum videre nunquam licuit, qui sit commatis Romani.

---

a) In Nerone c. 9. b) Ann. XIII. 2. c) Tacit. XII. 37. d) Num. praest. T. II. p. 60. e) in Claud. c. 11. f) L. LXI. §. 17. g) Crit. Bar. ad ann. V. C. 983. n 3.

* * *

Commatis peregrini non pauci proditi urbium liberarum, et coloniarum, tum signati in Aegypto, Iudaea, a Polemone II. Ponti, et Cotye I. Bospori regibus, proponiturque vel sola, vel juncta cum Claudio, aut Nerone, quorum eos, qui memorabile quid offerunt, in singulorum moneta quaere. Agrippinae historiam illustrant sequentes:

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΚΛΑΥΔΙΟΥ. ΓΥΝΗ. *Caput Agrippinae.*

Caput Claudii absque mentione urbis. AE. (Morelli Impp. T. II. p. 52. Patin ad Suet. in Claud. c. 26. Vaill. Num. Graec. p. 15. Theup. p. 844.)

Vocabulum ΓΥΝΗ, *uxor*, singulares hos numos facit; nam in numis uxorum aliis, seu Latinis, seu Graecis, supprimi consuevit. Videbar tamen mihi illud videre in numo Cleopatrae Antonii, quem edidi in meis Numis vet. p. 292.

* * *

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΘΕΟΜΗΤΩΡ. *Caput Agrippinae.*

ΣΑΜΙΩΝ. *Pavo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Praeclarum hunc numum vulgavi in mea Sylloge I. p. 39. Illustrem facit nomen ΘΕΟΜΗΤΩΡ, *dei mater*, ab adulantibus Samiis Agrippinae datum, nimirum quia mater fuit Neronis, quem a dei nomine non abhorruisse, et diis saepe a Graecis aequiparatum, in hujus moneta intelligemus. Nomen Θεȣ Μητηρ saepe occurrit in numis imperatorum Orientis infimi aevi juxta iconem virginis dei matris, propagatum deinde in ejus tabulis pictis, quas hodieque oculis usurpamus. Ipsum vero vocabulum θεομητωρ eodem sensu reperit Ducangius in auctoribus Christianis ejusdem aetatis. Verum in hoc sensu ignotum fuit superiori, medioque, et adeo meliori Graecorum aevo, sic ut illud in lexicographis probioris Graecitatis frustra quaeras. At nunc ex praesente Neronis numo cognitum melioris se aetatis vocabulis misceri postulat. Serius vidi commonstrante locum amicissimo Barone Locella, a Dorvillio ex Manethone recitari verba θεομητωρ κοσμος, quod ait recte verti: *divinus mundus* a). Sed in hoc vocabulo το μητωρ ducitur a μηδομαι, *delibero*, *meditor*, atque hinc apud Hesychium est θεομητεω, apud Nonnum θεομητις. Ceterum reperio in Samiorum sensu Tyrum urbem a Meleagro Gadareno dici θεοπαις, seu *dei filia* b), nempe Herculis, a quo condita.

ΙΟΥΛΙΑ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. *intra lauream.*

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ΓЄΡΜ. L. ΙΔ. *Duae spicae decussatae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numus Iudaicus, qui *Iuliae* gentis nomen sistit.

Numi Alexandrini Agrippinae partim imperante Claudio, partim Nerone signati sunt, quos suo loco dedimus.

---

a) Ad Charit. p. 564. b) Brunck Anal. Vol. I. p. 33.

N E R O.

Natus Antii XVIII. Kal. Ian. V. C. 790 *). Matrem habuit Agrippinam Germanici filiam, patrem Cn. Domitium Ahenobarbum ex illustri patricia Domitiorum gente. Hujus proavus fuit Cn. Domitius is, qui damnatus lege Pedia inter conscios caedis Caesarianae ad Brutum se contulit, hoc victo classem ipse retinuit, tum sponte M. Antonio junctus, sed hujus postea desertor Octaviani partes secutus est. Avus L. Domitius uxorem habuit Antoniam majorem M. Antonii, et Octaviae filiam. Quare Nero noster per matrem cum Caesarum domo conjunctus fuit, confirmante istud Tacito quoque [a]). Nimirum cum Tiberius neptem Agrippinam elocare vellet, *in Domitio super vetustatem generis propinquum Caesaribus sanguinem delegerat; nam is aviam Octaviam, et per eam Augustum avunculum praeferebat.* Pater omni parte vitae detestabilis mortuus est Pyrgis L. Domitio Nerone, suo ex Agrippina filio, trimulo relicto [b]). Caesa Messalina, et Agrippina V. C. 702 in Claudii connubium adlecta spes pueri Domitii fundari coepta. Et vero effectum artibus matris, ut anno V. C. 703 adoptaretur a Claudio, etsi filius ei esset Britannicus, sed contemptus deinceps per novercae injurias, et aulae ludibriis impune expositus. Adoptato nomina imposita fuere teste Zonara *Tiberii Claudii Neronis Drusi Caesaris*, quae etiam dempto Tiberii praenomine firmantur numis.

V. C. 804 *P. X.* 51.
CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. DES.

Maturata toga virili necdum expleto XIV. vitae anno designatur consul processurus anno aetatis XX., additur imperium proconsulare extra urbem, et *principis juventutis* titulus [c]). Male ex numis adserit Bimardus, eum Claudio sociatum *imperatoris* titulum tulisse. Vide infra titulum *Imperatoris*.

NERO. CLAVD. CAES. DRVSVS. PRINC. IVVENT. *Caput nudum.*

---

a) Annal. IV. 75. b) Suet. in Ner. c. 1 — 6. c) Tac. Ann. XII. 41.

*) Suetonii locum de anno nati Neronis solicitant eruditi, quia secundum Tacitum Nero biennio tantum major natu Britannico fuit (Ann. XII. 25.), quem constat natum V. C. 794, aut ad summum 795, ut in ejus vita diximus. Sed hallucinatum hoc loco Tacitum facile conficimus, qui initio anni V. C. 806 Neronem XVI. annos natum ait (Ann. XII. 58.), et fine anni 807 vix XVII. annos egressum (Ann. XIII. 6.), quod verum esse nequit, nisi Nero natus est anno V. C. 790. Idem principio anni 808 ait propinquum fuisse diem, quo Britannicus XIV. aetatis annum explebat (Ann. XIII. 15.), ergo hic nasci debuit V. C. 794. Ergo inter utriusque exortum intercessere anni solidi tres, et menses fere duo.

TI. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TRIB. POT. P. P. *Caput Claudii laureatum.* In aliorum aversa: AGRIPPINA. AVGVSTA. *Caput Agrippinae.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

SACERD. COOPT. IN. OMN. CONL. SVPRA. NVM. EX. S. C. *Simpulum, tripus, lituus, patera.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Iam inde ab Augusto delata fuere Caesaribus sacerdotia, ac quidem etiam multiplicia. Quod autem puer Nero cooptatus est sacerdos in *omnia* conlegia supra numerum, id effectum Agrippinae machinis, novas etiam honorum accessiones filio suo a senatu decerni volentis. In hunc numum copiose commentatus est magnus Spanhemius [a]). Haec varia conlegia, in quae cooptatus tum Nero fuit, recensentur in lapide, quem prodidit Pighius [b]): NERONI. CLAVDIO. AVG. F. CAESARI. DRVSO. GERMANICO. PONTIF. AVGVRI. XVVIR. EPVLON. COS - - - PRINCIPI. IVVENTVTIS. Tempus vero egregie definit marmor Gruterianum [c]): ADLECTVS. AD. NVMERVM. EX. S. C. *Nero Claudius* CAES. AVG*usti filius* GERMANICVS - - CLAVDIO. CAESARE. AVG. GERMAN. v. - - CORNELIO. ORFITO. COS. P. R. C. ANN. DCCCIIII; Quatuor haec conlegia ipso etiam typo indicantur. Nam simpulum est signum pontificatus, ut patet ex numis Caji Agrippae F., lituus auguratus, ut notum, tripus XVviratus teste numo Vitellii, patera VIIviratus, ad quem pertinuit ludorum epulare sacrificium facere teste Cicerone [d]).

* * *

NERONI. CLAVDIO. DRVSO. GERM. COS. DESIGN. *Caput nudum.*

EQVESTER. ORDO. PRINCIPI. IVVENT. *inscriptum clypeo.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Qua ratione equester ordo cum principe juventutis connectatur, dicetur, ubi de principis juventutis titulo olim agemus. Numus ipse docet, Neronem, quod princeps juventutis esset, ab equestri ordine clypeo donatum, de quo more dixi plura in numis Caji, et Lucii Agrippae filiorum. Cum hoc numo plane conspirat marmor Gruteri [e]): NERONI. CLAVDIO. DRVSO. GER. COS. DESIG. EQVESTER. ORDO. PRINCIPI. IVVENT., qui tituli omnes cum huic Neroni, atque uni quidem competant, satis mirari non possum, quo pacto cl. Morcellus epigramma istud fuisse positum Druso Tiberii fratri potuerit adfirmare [f]), qui neque principis juventutis nomen unquam tulit, neque Germanicus nisi post mortem dictus est.

V. C. 807 P. X. 54.

AVGVSTVS. TR. P. COS. DES. P. M. IMP.

M. Asinio Marcello, M. Acilio Aviola cos.

Evecto ad Caesaris honores Nerone, et neglecto palam Britannico nihil jam

---

a) Tom. II. p. 365. b) Annal. T. III. p. 585. c) pag. 300. 1. d) de Oratore L. III. c. 19. e) pag. 536. 11. f) de stilo inscr. p. 60.

praeter Claudii vitam summas spes distulit. Verum Agrippina etiam huic metam constituit advocata per venenum morte. Paullo post rebus omnibus praeparatis, et vulgata Claudii morte Nero imperator, et Augustus salutatur III. Id. Octob. Turbatae per Parthorum motus Armeniae Domitius Corbulo praeficitur a).

AGRIPP. AVG. DIVI. CLAVD. NERONIS. CAES. MATER. *Capita adversa Neronis nudum, et Agrippinae.*

NERONI. CLAVD. DIVI. F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P. *Corona querna, intra quam* EX. S. C. AV. AR. (Mus. Caes.)

In parte adversa post DIVI. CLAVD. subaudi: *uxor.* Hi numi secundum omnia indicia ad hunc annum pertinent, quo tener adhuc adfectus matrem inter, ac filium constitit, de quo plura protuli argumenta ad eundem hunc numum in moneta Agrippinae.

* * *

NERO. CAESAR. AVG. IMP. *Caput nudum.*

PONTIF. MAX. TR. P. *Corona querna, intra quam* EX. S. C. AV. (Morelli.)

Hic aversae typus in numis annorum sequentium obvius est. At cum in praesente et numerus amplior trib. potestatis, et patris patriae titulus omittantur, verisimile omnino, eum hoc, in quo versamur, anno signatum. Idem aversae typus reperitur frequenter in numis Caligulae, et Claudii.

* * *

Numos alios, qui hoc adhuc anno signati fuerint, sed nullum certum characterem suppeditant, ad calcem inter numos vagos conjeci, quod hic etiam pro annis sequentibus universim monitum velim.

V. C. 808 *P. X.* 55.

TR. P. I. II. COS. P. M. IMP.

Nerone Aug. L. Antistio Vetere cos.

Ortis inter matrem filiumque dissidiis hic Britannicum e medio tollit b).

NERO. CLAVD. DIVI. F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P. COS. *Capita jugata Neronis nudum, et Agrippinae.*

AGRIPP. AVG. DIVI. CLAVD. NERONIS. CAES. MATER. EX. S. C. *Duae figurae, quarum dexterior aquilam legionariam, altera hastam, et pateram tenet, sedentes in quadrigis elephantorum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

De hoc item numo pluribus egi supra in numis Agrippinae. Numus ob indicatum consulatum huic anno certe competit, atque etiam haud dubie est postremus honoribus Agrippinae dicatus; nam anni principio, ut colligitur ex Tacito c), collisus cum matre filius, auctisque per Britannici mortem dissidiis ab rep. penitus summovit Agrippinam.

V. C. 809 *P. X.* 56.

TR. P. II. III. COS. DES. II. P. M. IMP.

Q. Volusio Saturnino, P. Corn. Scipione cos.

Incipit. P. P.

Otium foris, foeda domi Neronis lascivia d).

a) Tac. Ann. XIII. 8. b) l. c. 12 seq. c) l. c. 15. d) l. c. 25.

NERO. CAESAR. AVG. IMP.
Caput nudum.
PONTIF. MAX. TR. P. II. P. P. *Corona querna*, *intra quam* EX. S. C. in aliis: TR. P. III. P. P. AV. (Mus. Caes.)

Patris patriae titulum Neronem aliquamdiu deprecatum propter aetatem adserit Suetonius a), videturque hoc demum anno, aut saltem exeunte priore adscivisse; nam certi numi annorum priorum eo abstinent. Ait Spanhemius, patere ex numis, arreptum hunc a Nerone titulum jam primo imperii anno b), sed nixus fuerit intutis Occonis numis.

V. C. 810 *P. X.* 57.
TR. P. III. IV. COS. II. M. P. P. IMP.
Nerone Aug. II. L. Calpurnio Pisone cos.

Nihil hoc anno ad annales memorabile actum.

NERO. CAESAR. AVG. IMP.
Caput nudum.
PONTIF. MAX. TR. P. III. COS. II. *Corona querna*, *intra quam* EX. S. C. AV. (Morelli.)
Eadem adversa.
PONTIF. MAX. TR. P. IIII. P. P. *Idem typus.* AV. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 811 *P. X.* 58.
TR. P. IV. V. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
Nerone Aug. III. Valerio Messala cos.

Corbulo bellum in Tiridatem Armeniae a Parthis impositum movet. Artaxata expugnat c).

NERO. CAESAR. AVG. IMP.
Caput nudum.
PONTIF. MAX. TR. P. V. P. P. *Corona querna*, *intra quam* EX. S. C. AV. (Mus. Caes.)

NERO. CLAVD. DIVI. CLAVD. F. - - *Caput laureatum.*
ARMENIA. *Victoria gradiens.* Quin. (Mus. Caes.)

Apud Vaillantium, et Patinum d), alia est capitis epigraphe, et inscriptio aversae: ARMENIAC., quamvis fatear, in laudato musei Caesarei numo aversae epigraphen non adeo esse integram, ut plane certum sit, ultimam literam C. abesse. Dubium non videtur, numum hunc signatum anno praesente; nam ad hunc narrat Tacitus, Neronem ob res in Armenia praeclare gestas dictum *imperatorem*, statuas et arcus positos etc. e). At non perinde tutum decidere, an το ARMENIAC. notet ARMENIAC*i* titulum Neroni decretum forte, et temporarie usurpatum, an victoriam ARMENIAC*am*. Priori sententiae favent numi simillimi Severi, in quorum aversa: ARAB. ADIABENIC. typo victoriae gradientis, quae vocabula certo explenda ARAB*icus* ADIABENI*Cus*, cum constet, Severo revera hos titulos fuisse delatos.

V. C. 812 *P. X.* 59.
TR. P. V. VI. COS. III. DES. IV. P. M. P. P. IMP. III.
L. Vipsanio Aproniano, L. Fonteio Capitone cos.

Nero matrem Agrippinam interficit f).

---

a) Cap. 8. b) Tom. II. p. 447. c) Tac. Ann. XIII. d) ad Sueton. e) Ann. XIII. 41. f) Tacit. L. XIV. Dio L. LXI.

Barbam ponit, atque propterea Iuvenalia celebrat [a]).

NERO. CAESAR. AVG. IMP.

Caput nudum.

PONTIF. MAX. TR. P. VI. P. P. *Corona querna, intra quam.* EX. S. C. AV. (Morelli.)

V. C. 813. *P. X.* 60.

TR. P. VI. VII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. - -

Nerone Aug. IV. Cosso Corn. Lentulo cos.

Corbulo Tigranocerta capit. Tigranes Archelai Cappadociae regis nepos a Nerone Armeniae rex deligitur [b]). Certamen quinquennale Romae constituitur [c]).

NERO. CAESAR. AVG. IMP.

Caput nudum.

PONTIF. MAX. TR. P. VI. COS. IIII. P. P. *Corona querna, intra quam.* EX. S. C. AV. et AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

PONTIF. MAX. TR. P. VII. COS. IIII. P. P. EX. S. C. *Ceres stans d. spicas, s. taedam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

Eadem epigraphe. Figura militaris stans d. parazonium, s. hastam, d. pede capiti humano, aut galeae insistit. AV. (Mus. Caes.)

Havercampus id, quod haec figura pede premit, dicit esse galeam, et scutum; at in nonnullis musei Caesarei videtur esse caput humanum, typusque indicat Virtutem calcato hostis capite valentem, quo modo ea saepe in numis inferioris aevi fingitur.

* * *

NERO. CAES. AVG. IMP. *Caput laureatum.*

CER. (CERTA. CERTAM.) QVINQ. ROM. CO. (CON.) S. C. *Mensa, supra quam urna, et corona, intra mensam discus, et gryphi clypeum attinentes, in nonnullorum area* S. AE. III. (Mus. Caes.)

Certamen quinquennale Romae constitutum anno praesente, de quo scriptores non pauca adnotarunt. De eo Suetonius [d]): *Instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae more Graeco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit NERONIA.* Certabatur etiam, ut ibidem addit, oratione, et carmine antiquo. In eandem sententiam quoque Tacitus [e]). Ejus instituti finem prodit Dio [f]), nimirum *pro salute et diuturnitate imperii sui*, additque, Neronem in eo abstulisse coronam citharoedorum, ceteris omnibus victoria indignis judicatis. Repetitum certamen hoc fuisse post quinquennium, narrat Tacitus [g]), tulisse vero aevum, docet Victor Schotti haec de Gordiano perhibens: *eoque anno lustri certamine, quod Nero Romam invexerat, aucto firmatoque in Persas profectus est*, quin et durasse in Constantini aevum, verisimile fiet ex iis, quae olim dicemus in tractatu de Contorniatis.

---

a) Dio L. LXI. §. 19. b) Tac. Ann. XIV. 24 seq. c) Tac. l. c. 20. d) Cap. 12.
e) Ann. XIV. 20. f) L. LXI. 21. g) Ann. XVI. 2. 4.

V. C. 814 *P. X.* 61.
TR. P. VII. VIII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. - -
C. Caesonio Paeto, C. Petronio Turpiliano cos.

Britanniam auctore Boudicea regina deficientem Paullinus Suetonius parta insigni victoria ad obsequium revocat [a]).

NERO. CAESAR. AVG. IMP. *Caput nudum.*

PONTIF. MAX. TR. P. VIII. COS. IIII. P. P. EX. S. C. *Figura militaris stans etc. ut ad annum priorem.* In aliis: *Figura militaris stans s. manu clypeum tenens, s. pede caput humanum, aut galeam calcat, humi pharetra, arcus, clypeus.* In aliis: *Ceres stans, ut ad annum priorem.* AV. AR. (Mus. Caes.)

* * *

NERO. CAESAR. *Caput laureatum.*

PAVLLIN. *Mars nudus stans d. ramum, s. hastam.* Plumb.

Numum hunc, cuicunque demum usui servierit, nam plumbeus est, aut stanneus, edidit Morellius in Miscellaneis, quos familiarum numis ad calcem addidit [b]). Commentator Havercampus paucis rem absolvit, edicto: *non videri, numum hunc ad historiam facere* [c]). Sed enim dubitari nequit, exaratum in hoc monumento PAVLLIN*um* esse Suetonium Paullinum saepe a scriptoribus, ac praecipue Tacito, cum laude memoratum. Praetor Mauros fortiter repressit [d]), ac tum primus Romanorum ducum Atlantem montem exploravit [e]). Aliquo post caesum Caligulam anno rem frumentariam Romae procuravit, ut colligo ex Seneca [f]), qui Paullino elegantem suum de Brevitate vitae libellum inscripsit. Imperante Nerone rebelles Britannos ingenti clade profligavit, de qua Tacitus [g]): *Clara, et antiquis victoriis par ea die laus parta; quippe sunt, qui paullo minus, quam octoginta millia Britannorum cecidisse tradant.* Lege etiam Dionem [h]). Consul denique processit V. C. 819 [i]). Fingitur ergo in hoc numo, etsi metalli ignobilis, at illustris argumenti, Mars, seu hoc auspice praeclare res gesta, seu quod Paullinus ipse re bellica tanta cum laude gesta Marti aequiparatur. Vidi serius hunc ipsum numum binis locis ab ipso Seguino laudari [k]), eumque mecum sentire cum voluptate perspexi.

V. C. 815 *P. X.* 62.
TR. P. VIII. IX. COS. IV. P. M. P. P. IMP. - -
C. Mario Celso, L. Asinio Gallo cos.

Corbulo Armeniam adversus Vologesem Parthum tuetur, qui eo reducere fratrem Tiridatem parabat. Subinde Caesennius Paetus magnis a Parthis in ea incommodis adficitur [l]). Nero Poppaeam Sabinam ducit exturbata Octavia, hancque paullo post morte adficit [m]).

NERO. CAESAR. AVG. IMP. *Caput nudum.*

---

a) Tac. Ann. L. XIV. 29 seq. Dio L. LXII. b) Tab. V. n. 2[illegible]. c) pag. 475. d) Dio L. LX. §. 9. e) Plin. L. V. p. 242. f) de brevit. vitae c. 18. g) Ann. XIV. 37. h) L. LXII. initio. i) Dio L. LXIII. §. 1. k) Num. sel. p. 139 et 200. l) Tac. Ann. XV. m) Tac. Ann. XIV. 60 seq.

PONTIF. MAX. TR. P. VIIII. COS. IIII. P. P. EX. S. C. *Figura militaris stans, ut ad annos duos superiores.* AV. (Mus. Caes.)

V. C. 816 *P. X.* 63.

TR. P. IX. X. COS. IV. P. M. P. P. IMP. - -

C. Memmio Regulo, L. Verginio Rufo cos.

Corbulo Tiridatem Armeniae regem cogit diadema ante Neronis effigiem deponere, et se Neronis arbitrio permittere. Nata Neroni filia Claudia [a]). Pompeji, et Herculanum Campaniae urbes terraemotu prolabuntur [b]). Secundum Tacitum factum istud anno superiore [c]).

NERO. CAESAR. AVG. IMP. *Caput nudum.*

PONTIF. MAX. TR. P. X. COS. IIII. P. P. EX. S. C. *Figura militaris stans, ut ad annos priores.* AV. (Mus. Caes.)

V. C. 817 *P. X.* 64.

TR. P. X. XI. COS. IV. P. M. P. P. IMP. - -

C. Lecanio Basso, M. Licinio Crasso cos.

Nero Neapoli in theatro canit [d]). Horribile Romae incendium Neronis dolo, ut multi suspicati sunt, exortum; nam videbatur condendae urbis novae, et cognomento suo appellandae gloriam quaerere. Abolendo rumori in Christianos culpam transfert, eosque quaesitissimis poenis insectatur [e]).

Desunt certi hujus anni numi.

V. C. 818 *P. X.* 65.

TR. P. XI. XII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. - -

A. Licinio Nerva Siliano, M. Vestino Attico cos.

Gravem conjurationem evadit Nero, qua detecta illustrium virorum caedibus urbs completur, cui succumbunt Seneca, Lucanus, et innumeri alii. Repetitum certamen quinquennale [f]). Poppaea Sabina moritur [g]).

Hujus quoque anni numi certi deficiunt.

V. C. 819 *P. X.* 66.

TR. P. XII. XIII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. XI.

C. Lucio Telesino, C. Suetonio Paullino cos.

Thraseas Paetus, et Soranus Bareas, quos *virtutem ipsam* vocat Tacitus [h]), mortem subeunt. Tiridates Parthus cum ingente comitatu Romam venit, eumque Nero inter maxima solennia Armeniae regem renunciat [i]). Nero in Achaiam proficiscitur cantus experimenta Graeciae daturus [k]).

IMP. NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. IM. TR. P. XIII. P. P. *Caput radiatum.*

ROMA. S. C. *Roma sedens d. hastam, s. clypeum.* AE. II. (Mus. Caes.)

---

a) Tac. Ann. XV. b) Seneca Quaest. nat. VI. c) Ann. XV. 22. d) Tac. Ann. XV. 33. e) Tac. Ann. XV. 38—44. Suet. c. 38. Dio L. LXII. f) Tac. Ann. XVI. 2. g) Tacit. Dio. h) Ann. XVI. 21. i) Dio L. LXIII. §. 1. Suet. c. 13. k) Dio l. c. §. 8.

Typus aversae perfrequens est in aeneis Neronis numis, ut videbimus infra in numis vagis. Singularis est hic numus, cum quod trib. potestatis numerum addit, cujus exemplum in alio Neronis numo aeneo nondum observare contigit, tum quod in eadem numi parte utrumque *imperatoris* titulum offert.

V. C. 820 *P. X.* 67.
TR. P. XIII. XIV. COS. IV. P. M. P. P. IMP. --
L. Fonteio Capitone, C. Iulio Rufo cos.

Per theatra Graeca canit, aurigatur, histrioniam facit, urbes expilat. Isthmum perfodere tentat. Corbulonem accitum apud Cenchreas interimit [a]). Fine anni Romam revertitur inter scenicum triumphum de victis histrionibus, aurigis, cantoribus.

Anni praesentis numi certi desiderantur.

V. C. 821 *P. X.* 68.
TR. P. XIV. COS. V. P. M. P. P. IMP. --
C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo cos.

Nero audito, Iulium Vindicem in Galliis adversum se conspirasse, non magnopere hactenus commotus est. Post cum certis nunciis comperisset, Galbam in Hispania acclamatum imperatorem, et deficere per provincias exercitus, praetorianos ad bellum, et sui vindictam segnes, atque hos quoque mox a corporis custodia dilapsos, vagus primum palansque in hortis latuit, denique conspectis equitibus, qui a senatu ad se comprehendendum missi adfuere, desperata facinorum venia pugionem in corpus defixit mense Iunio, ejusque secundum probabilem eruditorum sententiam die IX.

Ejus intellecta morte plebes pileata velut reddita libertate per urbis itinera discurrit. Nam nihil usquam securum omnium ordinum, atque aetatis Nerone vivo, neque vero eo more saevus fuit, quo Tiberium aliosque tyrannos saeviisse in suos constat, exercita solo imperio crudelitate, sed ipse urbis compita, et lupanaria pererrabat comitantibus, qui obviis vulnera inferrent, sic ut ipse quoque exciperet ictus, eosque ore praeferret. Implacabili autem odio ferebatur in senatum, eosque omnes, qui seu virtute, seu genere, seu illustribus factis eminuere. Horribilis incendii, quod V. C. 817 magnam urbis partem in cinerem vertit, ipse unus auctor ferebatur, ac cum maxime per tecta saeviret ignis, iniisse eum domesticam scenam, et cecinisse Trojanum excidium [b]). Quanto furore gestiverit superare cantu, histrionia, aurigandi arte mortales omnes, ad sequentes numos animadvertemus. Ad insaniae cumulum accessit, quod sumpto flammeo, ceu femina denupsit Pythagorae liberto praesentibus auspicibus, et consignata dote, quas nuptias ipse populus Romanus,

a) Dio L. LXIII. b) Tac. Ann. XV. 39. Dio L. LXII. 18.

dein ceterae gentes publice celebravere, mox factus iterum vir Sporum puerum libertum, quod facie Poppaeam proxime referret, uxorem duceret [a]). Cum mortem sibi consciscere pararet, *proh!* ingeminabat, *qualis artifex pereo!* Monstrum tot viciis infame funeratum tamen magnifice est a Galba, reliquiasque concubina Acte in Domitiorum monumento condidit. Haec sparsa reperies apud Tacitum, Suetonium, Dionem.

Postremi hujus anni numi certi desunt.

Numi vagi.

Hi plerique aenei notis quidem chronologicis destituuntur, tamen non pauca ad Neronis historiam continent, quos hic ordine alphabetico partium aversarum additis animadversionibus subjicio neglectis nonnullis typis, et inscriptionibus ignobilioribus.

A. NERO. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Caput laureatum*, vel:

B. NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Caput laureatum.*

ADLOCVT. COH. S. C. (*in aliis sine* S. C.) *Imperator togatus in suggestu stans alia retro figura stante tres milites cum signis militaribus adstantes adloquitur.* In aliis *praeterea aedificium columnis fultum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A *vel* B, *vel:*

C. IMP. NERO. CAESAR. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. P. P. *Caput laureatum*, vel:

D. IMP. NERO. CAESAR. AVG. PONT. MAX. TR. POT. P. P. *Caput laureatum.*

ANNONA. AVGVSTI. CERES. S. C. (*sine* S. C. *in numo max. mod. musei Caes.*) *Ceres velata sedens d. spicas, s. facem, inde adstat Abundantia s. cornucopiae, in illarum medio ara, vel cippus, cui modius insistit, retro navis.* AE. max. mod. et I. II. (Mus. Caes.)

Nero liberalitatem suam profusis largitionibus plebi saepe commendavit, cujus testes sunt numi congiarii nomine percussi, quos mox citabimus. Quod ut bene vertit Neroni, ita illud postremum pessime, cum in publica fame nunciabatur Alexandrina navis in locum frumenti advexisse pulverem luctatoribus aulicis. Quo tempore cum comperta jam esset Vindicis defectio, omnibus tum primum contumeliis propalam peti coepit [b]).

Vt lit. B. Caput nudum.

ARA. PACIS. S. C. *Ara.* AE. II. (Mus. Caes.)

Constat, Neronem praeoptasse pacem prae belli turbidis non amore ejus boni, quod ea praestat, sed ut securius vacaret Circensibus, aurumque committen-

a) Tac. Ann. XV. 37. Dio L. LXII. §. 28 et LXIII. 13. b) Suet. c. 45.

dis maribus, effodiendis montibus, insanis substructionum moliminibus reservaret. Satis compertum, instante jam Vindice, quo maxime tempore conscribendus esset miles, et in rebelles ducendus, advocatos quosdam ex patribus, transacta raptim consulatione reliquam diei partem per organa hydraulica novi, et ignoti generis, quorum formam in numis Neronis contorniatis intuebimur, circumduxisse, prolaturumque se haec omnia in theatrum adfirmavisse, *si per Vindicem liceret* [a]. *Arae Pacis* imperante Augusto ex S. C. primum constitutae, et post quadriennium dedicatae meminerunt Kalendarium Amiterninum, et Praenestinum, et Ovidius [b].

D. NERO. CAESAR. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

AVGVSTVS. AVGVSTA. *Augustus togatus capite radiato stans d. pateram, s. hastam, cui adstat Livia Augusta capite velato d. pateram, s. duplex cornucopiae.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Augustus et Livia in aliis quoque Neronis et Agrippinae numis non multum absimili cultu sed sedentes in elephantorum quadrigis proponuntur, de quibus egi supra in moneta Agrippinae.

F. NERO. CAESAR. *Caput laureatum.*

AVGVSTVS. GERMANICVS. *Imperator togatus stans capite radiato d. ramum, s. Victoriolam super globo.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vtriusque superficiei epigraphe connectenda. Typus indicat, hac forma statuam fuisse Neroni positam. Primum istud est exemplum coronae radiatae vivi imperatoris capiti impositae, quae deinde perfrequens est in antica numorum Neronis II. formae. Tristanus, qui numum hunc copiose illustravit [c], censet, additam Neroni coronam radiatam, quod ipse Apollini aequiparari voluit, et revera huic similis tam forma velut solis exorientis, quam cantu dictus est a Seneca [d]. Ad haec quinque millia militum, quos Augustanos vocabat, constituit, qui ei in theatro canenti adclamabant: *o pulcrum Caesarem! o Apollinem! o unum veluti Phythium!* [e] At non existimo, Neroni hoc decus seu a formae opinione, seu theatrorum licentia petitum. Cur enim in numis, in quibus ille omni Apollinis citharoedi cultu incedit, hujus formae corona abstinet? An vero etiam Vespasianus, Antonius Pius, M. Aurelius volebant videri pulcri, aut citharoedi, quoniam et hi capite radiato comparent? aut praeclaros hos, probosque Augustos voluisse sibi decus, Neroni, cujus detestabantur memoriam, a vilissima causa partam addere? Tenendum igitur, placuisse Neroni hominum vanissimo, se quemdam velut deum a populis haberi, cujus honoris, aut saltem divinae prosapiae, certum indicium corona radiata apud Romanos perinde, ac Graecos fuit. Sic veterem Latinum finxit Virgilius [f]:

---

a) Suet. c. 41. b) Fast. I. 709. c) Comment. T. I. p. 211. d) in Apocoloc.
e) Dio L. LXI. §. 20. f) Aen. XII. 162.

cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen.

Nempe quod Solem in majoribus numerabat. Sic et Phaethon, cum fatali suae aurigationi praeluderet,

Ψευδομεναις ἀκτισιν ἑον μιμειτο τοκηα,
Ementitis radiis suum imitabatur parentem,

ut fingit Nonnus a). Iulio Caesari post victos in Hispania Pompejos inter honores alios plane divinos decretam fuisse in theatro distinctam radiis coronam, refert Florus b). Augustus in numis plurimis ab ejus morte signatis radiato capite est, atque hoc cultu multo ante effictus est Antiochus IV. Syriae rex, qui instar dei sese inscripto etiam numis ΘΕΟΥ coli voluit. Qui Neronem secuti sunt imperatores non tam cultum divinum adfectabant, quam non adversabantur, si iis honos humano major habitus est, quo reverentiam, ac religiosum quemdam metum populis inspirarent. Ejus argumentum certum, quod Augustorum capita in moneta aurea, et argentea, quae ad imperatores pertinuit, corona radiata constanter abstinent usque ad Caracallam, qui primus eam frequentius, ac promiscue numis argenteis intulit; at obvia ea est in numis aeneis praecipue II. formae, sed horum cudendorum cura, ut constat, ad senatum pertinuit, cujus perspecta fuit in principes suos adulatio, et ab his tolerata. Praeclare haec, quae de tributa Neroni divinitate dixi, illustrat Tacitus c): *Cerialem Anicium consulem designatum pro sententia dixisse, ut templum DIVO NERONI quam maturrime publica pecunia poneretur*, etsi, quod mox addit, *deum honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit.* In numis Severi ad annum V. C. 955 docebimus, typo capitis radiati in Augustis, et capitis lunae impositi in eorum uxoribus exhiberi solem et lunam, et hac imagine adumbrari aeternitatem principibus secundum veteres tributam, apposite ad ea, quae dixi, nam et aeternitas fuit res diis propria. Ceterum coronam radiatam verum fuisse imperatorum gestamen, saltem eorum, quos inferius aevum tulit, patet ex Mamertini Panegyrico ad Maximianum Aug. cap. III., a quo praeter *trabeas triumphales, fasces consulares, sellas curules, obsequiorum stipationem, et fulgorem*, quae ait esse solita imperatorum ornamenta, memoratur etiam *illa lux divinum verticem claro orbe complectens*, quo nomine coronam radiatam intelligi, copiosius dicetur in Constantino M.

* * *

Vt lit. D.

CONG. DAT. POP. S. C. *Imperator sedens in suggestu, juxta statua Palladis dextera extenta noctuam, s. hastam tenens, et stans liberalitas d. tesseram; ante imperatorem sedet figura togata, quae civi per gradus ascendenti, quem figura minor pone consequitur, aliquid offert.* AE. I. (Morelli in Nerone Tab. IX. n. 10, eumque ipsum in suo quoque mu-

a) Dionys. L. XXXVIII. v. 182. b) L. IV. c. 2. n. 91. c) Ann. XV. 74.

seo exstare ad eundem numum Morellianum observat Havercampus.)

Vt lit. A et B.

CONG. II. DAT. POP. S. C. *Idem typus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Alius, sed.

CONG. II. DAT. POP. R. S. C. *Idem typus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A et B.

CONG. II. DAT. POP. S. C. *Imperator sedens in suggestu, juxta statua Palladis cultu, ut in priore, et insuper stans alia figura, infra stans vir tesseram porrigens civi vel mulieri adstanti, quae munus diducto sinu excipit, pone aedificium columnis fultum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Tria a Nerone data congiaria perhibent antiquarii ex numis. Primum produnt laudati supra auctores; secundum in numis obvium, tertium citat solus Vaillantius, sed obiter, nulla vel epigraphes, vel typi facta mentione, illudque rarissimum vocat a). Non satisfaciunt antiquarii, qui congiaria haec certis annis adfigunt. Congiarium datum fuisse a Nerone ludis, quos *pro aeternitate imperii* suscepit, narrat Suetonius b), quibus fuere *sparsa populo missilia omnium rerum per omnes dies singula quotidie millia. Avium cujusque generis multiplex penus, tesserae frumentariae, vestis, aurum, argentum, gemmae, margaritae, tabulae pictae, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetae ferae, novissime naves, insulae, agri.* Fuere hi ludi iidem, qui certamen quinquennale dicti sunt, ut patet ex iis, quae supra ad annum V. C. 813 attuli. Tacitus alterius congiarii meminit ad annum V. C. 810, *plebique congiarium quadringenti numi viritim dati* c). Verum ab his auctoribus congiarii numerus non additur, et largitiones aliae, quas a Nerone factas memorant, ad praetorianos, non populum, pertinuere, ut adeo nonnisi per conjecturas parum validas illigari certis annis citata ex numis congiaria possint. Quid sibi velit addita Palladis statua, nondum intelligere potui; nam esse Palladis, comprobat noctua extentae ejus dexterae insidens in omnibus hujus argumenti numis musei Caesarei.

* * *

Vt lit. B et C.

DECVRSIO. S. C. *Duo equites citato cursu, quorum unus hastam, alter signum militare tenet.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

DECVRSIO. *Imperator eques d. hastam praecedente milite cum signo militari, altero sequente.* AE. fere m. m. (Mus. Caes.)

Nerone adhuc Caesare institutam cum praetorianis *decursionem* memorat Suetonius d). Ad haec vero militaria exercitia institutam fuisse nobilem juventutem, patet ex iis, quae eruditi ad numos *Principis juventutis* disseruerunt. Vnde et Iulianus Aug. in Constantio II. laudat, quod mature edoctus fuerit *χορειαν την ἐν τοις ὁπλοις, δρομον τον ἐν τουτοις, την ἱππικην τεχνην, saltare in armis, in his decurrere, equitare* e). Eodem modo Livius dixit *exercitum decurrere*, et vocavit *decursum, et simulacrum ludicrum*

a) Num. praest. Tom. I. p. 22. b) Cap. 11. c) Ann. XIII. 31. d) Cap. 7.
e) Orat. I. p. 11.

pugnae, quando ad simulacrum pugnae inter se concurrerunt Perseus et Demetrius Philippi V. Macedoniae regis filii [a]). Eodem auctore Gracchus in Hispania jussit omnes copias peditum equitumque armatas *decurrere*, ut Celtiberorum legatis vires suas ostentaret [b]). Propius huc pertinet, quod narrat Dio [c]), Neronem sic delectatum equorum cursu, (ἱπποδρομίᾳ) ut equos, qui in certamen descenderant, si insignes fuere, et subinde aevo confecti, stola forensi non secus, quam viros ornaret, iisque pecuniam nomine alimenti adsignaret. De triplice decursionum modo vide, quae erudite notavit Cuperus [d]), et auctor anonymus in Memoriis Trevolt. April. 1709.

G. NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Caput radiatum.*

GENIO. AVGVSTI. *Genius fere nudus stans d. pateram ad aram sacrificat, s. cornucopiae. In aliis additur S. C. et infra* I. AE. II. (Mus. Caes.)

H. NERO. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Caput laureatum.*

GENIO. AVGVSTI. S. C. *Idem typus, infra* I. AE. fere II. et fere III. (Mus. Caes.)

Vetus disciplina, cuivis rei etiam inanimatae suum praesidere genium. De Caesarum geniis sic scribit Tertullianus [e]): *citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum genium Caesaris pejeratur.*

* * *

Vt lit. E.

IVPPITER. CVSTOS. *Iuppiter sedens d. fulmen, s. hastam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

I. IMP. NERO. CAESAR. AVGVSTVS. *Caput laureatum*, vel:

K. IMP. NERO. CAESAR. AVG. P. P. *Caput laureatum.*

Eadem aversa. AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. E.

IVPPITER. LIBERATOR. *Typus similis.* AR. (Vaill. Beger.)

Verisimile, quod censet Vaillantius, numos hos cusos, quando conjurationem Pisonianam, quam altius ad V. C. 818 attigimus, vitavit, quo in periculo praesentem *Iovis custodis*, *et Liberatoris* tutelam agnoverit. Constat, Neronem dissipata ea conjuratione pugionem, qui ei intentabatur, in Capitolio sacravisse, inscripsisseque: IOVI. VINDICI [f]). Eo periculo moti Patrenses et Corinthii suis Neronis numis inscripsere quoque: IVPPITER. LIBERATOR. Non apud Neronem modo, sed eadem aetate apud alios quoque *Iuppiter Liberator* valuit, verum ex diversis causis. Nam Seneca, et Thraseas Paetus mori a Nerone jussi suum ipsorum cruorem circum spargentes, *libemus*, aje-

---

a) L. XL. c. 6. 9. b) l. c. c. 48. c) L. LXI. §. 6. d) Lettres p. 259. e) in Apolog. c. 28. f) Tac. Ann. XV. 74.

bant, *Iovi Liberatori* [a]). In numo Magnesiae apud Sipylum ipse Nero dicitur ΖΕΤϹ. ΕΛΕΤΘΕΡΙΟϹ [b]).

L. NERO. CLAVDIVS. CAE. AVG. *Caput laureatum.*

LEIBERTAS. *Caput deae Libertatis.* AV. (Vaill. Morelli.)

Ratio epigraphes in parte aversa, et ipse typus reipublicae tempora sapiunt; nam eadem aversa in Cassiae, aliarumque familiarum numis frequens.

* * *

Vt lit. B. Caput radiatum.

MAC. AVG. S. C. *addito in plerisque infra* II. *Aedificium perelegans pluribus columnis fultum.* AE. II. Sunt etiam AE. I.

Secundum Plutarchum [c]) Romani *τα κρεωπωλια μακελλα και μακελλας καλεσι*, *locum, ubi carnes venduntur*, macella, *vel* macellas *appellant.* Verum Plinius in macello vendi olera dixit, et distinguit inter *carnarium*, et *macellum* [d]). Etiam Varroni macellum est *forum olitorium* [e]). Dioni, ut mox patebit, est forum obsoniorum. Facile haec conciliantur verbis Varronis [f]). *Haec omnia*, inquit, *postquam contracta in unum locum, quae ad victum pertinebant, et aedificatus locus, appellatum Macellum.* Iam ergo hac epigraphe, et typo censent eruditi notari *Macellum*, de quo sic Xiphilinus ex Dione [g]): *τοτε μεν την ἀγοραν των ὀψων, το* ΜΑΚΕΛΛΟΝ *ὠνομασμενον καθιερωσε*, *tum quoque* Nero *forum obsoniorum, quod MACELLVM dicitur, dedicavit.* Nomen traxit a Macello urbis quondam insigni latrone, quo damnato statuerunt censores, ut in ejus domo venderentur obsonia, ut jam monuit Havercampus ex Varrone, et Festo [h]). Annonam *macelli* etiam Suetonius memorat [i]). Dionis verba praeclare confirmant hi numi, simulque ipsam aedificii formam sistunt, quo Nero dictum forum exornavit. Operae pretium non fecit Bimardus, cum liberalius refutavit Harduinum, qui epigraphen explicavit: MA*usoleum* Caesaris AVG*usti* [k]).

M. IMP. NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GER. P. M. TR. P. P. P. *Caput laureatum, in aliis alia capitis inscriptio ex jam cognitis.*

PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT. (*addito in aeneis* S. C.) Templum Iani clausis foribus. AV. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. E.

PACE. P. R. VBIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT. *Idem Typus.* AV. (Morelli.)

N. NERO. CAESAR. AVG. GERM. IMP. In aliis:

O. IMP. NERO. CAESAR. AVG. GERM. *Caput laureatum.*

---

a) Tac. Ann. XV. 64, et XVI. 35. b) Pellerin Rec. III. p. 246. c) Quaest. Rom. d) L. XIX. p. 162. 163. e) de L. L. lib. IV. f) l. c. g) L. LXI. §. 18. h) Impp. Morelli T. II. p. 107. i) in Tiber. c. 34. k) ad Iobert T. II. p. 171.

P. IMP. NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. POT. P. P. *Caput radiatum.*

Eadem aversa addito S. C. AE. II. (Mus. Caes.)

Vt obvii sunt hi Neronis numi, ita incertum, ad quem annum aversae inscriptio adludat. Mediobarbus, aliique eos ad annum V. C. 811 referunt, inducti loco Suetonii [a]), qui cum Tiridatis Parthi in urbem adventum, habitosque propterea Neroni honores enarrasset, continuo subjicit: *Ianum geminum clausit tam nullo, quam residuo bello*, sententia satis obscura; nam eo collegere Casaubonus, aliique, saepius a Nerone Iani templum clusum. Quod si verum, ut in Nerone omne illud credibile, quidquid insanum, pluribus annis adfigi possunt hi numi. Quare et Tillemontio visum, non esse satis exploratum annum, ad quem hi numi pertineant [b]). Ceterum fallitur Occo, Havercampus, aliique, qui ad annum V. C. 811 subactam Armeniam, coactumque Tiridatem Armeniae regnum a Nerone accipere, atque propterea Iani templum clausum adserunt. Tiridatis adventum, datumque tum ei inter maxima solennia Armeniae regnum, quod Suetonius dicto capite XIII. nullo temporis indicio commemorat, Dio inter acta anni V. C. 819 refert. Et vero cl. Brotier numum aeneum I. formae recitat ad Taciti Annales L. XVI. c. 28, in cujus antica proditur trib. potestas XIII., et in aversa idem Iani templum cum eadem epigraphe: PACE. P. R. etc. Cum Neronis trib. potestas XIII. incidat in annum V. C. 819, hic numus confirmaret quidem verba Suetonii, qui nonnullis adserere videtur, Iani templum post Tiridatis adventum fuisse clausum, verum dubitare liceat, sitne numi epigraphe rite excepta; nam praeterquam quod nusquam alibi singularem hunc numum laudatum reperi, illud etiam dubium magnopere auget, quod in nullo hactenus numo Neronis aeneo I. formae additum trib. potestatis numerum videre licuit. Addo, mirum quoque mihi videri aeneum II. formae a Vaillantio in Numis praest. T. I. p. 22 productum, in quo praetenditur epigraphe: PACE. P. R. etc. et pro typo non Iani templum inscriptioni respondens, sed Roma sedens. Ceterum his Neronis numis aperte adversatur Orosius adducens testimonium ipsius Taciti verbis conceptum [c]): *Sene Augusto Ianus patefactus, dum apud extremos terrarum terminos novae gentes saepe ex usu, et aliquando cum damno quaeruntur, usque ad Vespasiani duravit imperium.* Periit liber Taciti, qui haec refert. In his verbis certus error aut Orosii Tacitum excerpentis, qui forte pro *Vespasiani* scripserit *Neronis*, aut ipsius Taciti; nam tot obvii, ac triti Neronis numi ab hoc clusum Ianum invicte comprobant; neque dici potest cum Rualdo [d]), Neronem a Tacito omitti, quoniam hic Ianum nullis veris, et legitimis causis

---

a) In Nerone c. 13. b) in Nerone art. VII. c) L. VII. c. 3. d) in Plutarch. p. 81.

clauserit; nam diserte Suetonius ait, Neronem clausisse Ianum *tam nullo, quam residuo bello.* Si nullo, ergo ex causa justa. Vtrum rejecta Orosii auctoritate istud Taciti fragmentum jure in adulterinis putet Massonus [a]), vehementer ambigo. Vocabula PACE. TERRA. MARIQVE. PARTA habent formulae modum; nam iisdem utitur etiam Livius, cum clausum ab Augusto Ianum narrat [b]), et Suetonius [c]). *Clusit* pro *clausit* adhuc Neronis aetate valuisse, non solum hi numi probant, sed et Seneca coaevus, qui passim in operibus suis *cludere* pro *claudere* usurpavit.

Q. NERO. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERMANIC. *Caput laureatum*, vel:
R. NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GERMANIC. *Caput radiatum*, vel:
S. NERO. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERMANICVS. *Caput laureatum.*

PONT. *vel:* PONTIF. MAX. TR. POT. *vel* POTEST. IMP. P. P. *in aliis addito, in aliis omisso* S. C. *Nero longa indutus veste capite laureato gradiens lyra canit. In nonnullis in imo comparet nota* I. Sunt obvii AE. II., aliqui ad III. formam accedunt.

Numi sunt funesti Romano nomini argumenti. Auctores, qui Neronis res gestas descripsere, copiosi sunt in memoranda ejus insania, qua is voce, cantu, cithara excellere omnes omnium locorum praecipuos artis magistros voluit, etsi tam miserabili ipse esset voce, quam exiguam, et fuscam vocat Suetonius [d]), ut risum simul, fletumque auscultantibus exprimeret, etsi Musonium, qui canenti interfuit, mitius videamus judicasse [e]). Processit tamen invitis Musis in ipsum theatrum, illatoque in album profitentium citharoedorum suo nomine cecinit publice non Romae modo, sed etiam quoniam, ut ferebat, *soli scirent audire Graeci, soli se, et studiis suis essent digni* [f]), Neapoli, ac tandem instituta profectione in theatris Achaiae. Et instituerat quoddam militum corpus, quos *Augustanos* vocabat, qui jussi erant, voce ac manuum plausu celebrare canentem Caesarem, compellando eum *Apollinem*, et *unum velut Pythium.* Qui plura de hac ejus musices rabie volet, adeat Suetonium [g]), Dionem [h]), Tacitum [i]). Ad praesentis numi typum plurimum confert testimonium Suetonii narrantis [k]), posuisse Neronem *statuas suas citharoedico habitu, qua nota etiam numum percussit.* Eundem hunc fuisse citharoedorum habitum, in describendo Orpheo docuit Virgilius [l]):

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum,
Iamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Apud Aelianum [m]) infelix citharoedus cum ipsa stola (σὺν ἀυτῇ ϛολῇ) ad aram

a) Iani templ. reserat. Sect. II. cap. 1. §. 5, et Sect. IV. c. 3. §. 6. b) L. I. c. 19. c) in Aug. c. 22. d) Cap. 20. e) apud Lucian. in Nerone. f) Suet. c. 22. g) Cap. 12. 20. 21. 22. h) L. LXI. 20, et LXIII. 8. 9. i) Ann. XIV. 14. k) Cap. 25. l) Aen. VI. 645. m) V. H. L. III. c. 43.

Iunonis fugisse refertur. Ad idem argumentum adludunt numi Graeci cum capite Neronis, quorum complures vulgavit Morellius absque quidem mentione urbis, sed in Achaia verisimiliter signatos, in quorum uno:

ΝЄΡΩΝΙ. ΑΠΟΛΛΩΝΙ. *Apollo, vel Nero citharoedus gradiens cum lyra.*

ΝЄΡΩΝΟϹ. *Victoria gradiens d. lauream offert.*

Atque in his numis non modo habemus Neronem Apollini adsimilatum, qui et ipse eodem cultu, et in numis quidem Romanis, quos in gente Antistia descripsi, *Actii* nomine exhibetur, sed etiam per aversae typum victorias quaquaversum cantu relatas, et coronas innumeras sibi propterea ex omnibus urbibus dono missas, de quo argumento fuse agunt auctores mox laudati. Eodem cultu, quo Nero in his numis exhibetur, nempe cum cithara, et citharoedorum stola, queritur Apollo ipse apud Themistium [a]), ad se venisse Neronem; quin et ipsum coelum ausum esse intrare, fingit Iulianus [b]). Vbi eras tum Graecia, quae olim Evangelum Tarentinum, qui ausus erat aurea indutus veste, auream item, gemmisque distinctam coronam, lyramque gestans, ceterum ignarus musicae in Pythiis certare, comperto ejus stupore a lictoribus corripi, et e scena exturbari jussisti [c])? Vide de citharoedi habitu etiam numos Augusti ad V. C. 742.

T. NERO. CAES. AVG. IMP. *Caput laureatum.*

P. M. (*etiam hoc omisso*) TR. P. P. P. S. C. *variis aliis mutationibus. Roma armis insidens d. lauream praetendit.* AE. III. (Mus. Caes.)

V. NERO. CLAV. CAE. AVG. *Noctua arae insistens*, vel:

X. NERO. CLAVD. CAE. AVG. GERM. *Idem typus.*

P. M. TR. P. IMP. P. P. S. C. *Ramus oleae.* AE. III. (Mus. Caes.)

NERO. CLAV. CAE. AVG. GER. (*epigraphe in nonnullis paullum variante.*) *Columella, supra quam galea, inclinata ad eam hasta, et clypeo inserto Medusae capite.*

P. M. TR. P. IMP. P. P. S. C. (*hac quoque epigraphe modicum variante.*) *Ramus oleae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Noctua, ramus oleae, galea, clypeus Medusae propria sunt Palladis attributa, cujus quinquatrus Nero aucta solennitate celebravit, statuto etiam aureo ejus signo, ut supra in congiariorum numis ex Tacito docui. Sunt hi numi aeris minimi, de quibus infra iterum sermo.

* * *

Vt lit. B et H.

POR. (in nonnullis PORT.) OST. AVGVSTI. S. C. *Portus Ostiensis navibus refertus, ad ejus ingressum statua super basi s. hastam tenens, inferne vir barbatus procumbens, d. gubernaculum, s. delphinum tenens.* AE. I. sed AE. II. produxit quoque Vaillantius, eumque rarissimum vocat.

Portum Ostiensem molitus est Claudius circumducto dextera laevaque bra-

a) Orat. XIX. b) in Caesarib. c) Lucian. adv. indoct.

chio, et lapidum crepidine firmato, addiditque ad ingressum ingentis altitudinis pharum in exemplum Alexandrini [a]). Opus istud immensis sumptibus stetit, Claudii tamen honorem sibi vindicavit Nero, qui forte, si quid residui operis erat, perfecit. Numi utrumque portus brachium, et crepidinem sistunt, addunt statuam super basi, quae Neronis haud dubie est, aliamque humi jacentem, quae olim Tiberini mihi visa est, cum Tiberis juxta portum in mare exeat; at verius est Neptuni, cúm sinistra delphinum gestet. Pharum numi omittunt, sed qui non inscite fingitur in tabula Peutingeriana. Vide de hujus structura portus dissertationem Io. Petri Lucatelli [b]), qui tamen perperam adserit laudato Suetonio, ad opus istud perficiendum adhibita a Claudio XXX. millia hominum sine intermissione operantium. Non enim istud Suetonius de portu Ostiensi, sed de emissario lacus Fucini narrat.

* * *

Epigraphe varia. Caput laureatum, in AE. II. radiatum.

ROMA. *addito in aeneis* S. C. *Roma sedens d. Victoriolam, s. parazonium, d. pede galeam calcat.* Rari in AV. AR. et AE. max. mod. Obvii in AE. I., rariores in AE. II., in quibus nonnunquam *Roma pro Victoriola lauream tenet.*

* * *

Vt lit. E, vel I, vel K.

SALVS. *Salus sedens d. pateram.* AV. AR. obvii.

Pro salute sua Nero frequenter vota fecit, ac propterea certamina quoque instituit [c]). Vitatis vero anno V. C. 818 insidiis *Saluti* exstruxisse templum refert Tacitus [d]).

* * *

Vt lit. A, vel B, vel D.

S. C. *Arcus triumphalis statuis, et quadrigis exornatus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Neroni statuas, et arcus V. C. 811 ex Corbulonis victoriis decretos narrat Tacitus [e]), atque idem infra: *at Romae tropaea de Parthis, arcusque medio Capitolini montis sistebantur decreta ab senatu integro adhuc bello* [f]).

Y. IMP. NERO. CAESAR. AVG. GERMANIC. *Caput laureatum. In aliis, ut lit. N, vel:*

Z. IMP. NERO. CAESAR. AVG. P. MAX. TR. P. P. P. *Caput nudum.*

S. C. *Victoria gradiens d. clypeum, cui inscriptum:* S. P. Q. R. AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. Z.

S. C. *Victoria gradiens d. pileum Libertatis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Frequentes sunt numi Neronis II. formae typo Victoriae, et cum epigraphe: VICTORIA. AVGVSTI, sed istud singulare, quod pileum Libertatis gestans Victoria proponitur.

---

a) Suet. in Claud. c. 20. Dio L. LX. §. 11. Plin. H. N. L. XVI. §. 40. b) Saggi di Cortona T. VI. p. 1. c) Dio L. LXI. 18. 21. d) Ann. XV. 74. e) Ann. XIII. 41. f) Ann. XV. 18.

* * *

NERO. CLAVD. DIVI. CLAVD. F. - - - *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Victoria globo insistens clypeo inscribit. Quin. (Mus. Caes.)

Eadem capitis epigraphe exstat etiam in quinario, quem supra ad annum V. C. 811 protuli.

* * *

Vt lit. K.

Sine epigraphe. Aquila legionaria inter duo signa militaria. AR. (Mus. Caes.)

Similem aversam dedit Morellius inter aeneos II. formae.

Numi commatis peregrini.

Copiosi sunt numi cum urbium liberarum, tum coloniarum, quae numos cum Neronis capite percussere, ex quibus hoc loco memorabo solos illos, qui ad ejus historiam quid adferunt, aut quorum patria anceps est. Reliquos in singularum urbium, aut provinciarum moneta quaere.

Cujus memoriam mortui orbis universus detestatus est, huic vivo variorum deorum honores, et nomina detulere Graeci, nescias, an domestica adulatione, an ut objectis reverentiae titulis velut sacra esca placarent monstrum. Eccos!

ZЄΥC. ЄΛЄΥΘЄΡΙΟC. dicitur in numis Magnesiae Lydiae ad Sipylum apud Pellerinium, (Rec. III. p. 234.) et quorum similem vidi in museo ill. Com. a Vitzai. Ejus rationem vide supra in numis vagis sub: IVPPITER. LIBERATOR.

ΝΕΡΩΝ. ΑΠΟΛΛΩΝ, urbis incertae, de quo numo egi supra in numis vagis sub PONT. MAX.

HERCVLI. AVGVSTO. *Hercules stans in modum Farnesii*, in numis coloniae Patrensis Achaiae.

Neroni V. C. 821 post scenicas in Graecia victorias Romam regresso, urbemque triumphantis more invecto non modo adclamatum est: NERONI APOLLINI, nempe quem cantu aequasse volebat credi, sed etiam NERONI HERCVLI [a]. At Suetonius [b]: Destinaverat etiam, qui Apollinem cantu, solem aurigando aequiparare existimaretur, imitari et Herculis facta, praeparatumque leonem ajunt, quem vel clava, vel brachiorum nexibus in amphitheatri arena spectante populo elideret.

ΤΩ. CΩΤΗΡΙ. ΤΗC. ΟΙΚΟΥΜЄΝΗC. L. ЄΝΑΤ. *intra lauream.* AE. I. (Morelli Impp. T. II. p. 102. Spanheim T. II. p. 500.)

Hic numus a laudatis auctoribus creditur Aegyptius, sed obturbat forma literarum C et Ω, quae in Aegypto hac aetate nondum valuit. Inscriptio veterem adulationis cantilenam continet. Nam et Augustus dicitur in numis *Salus generis humani*, et idem a Propertio *mundi servator* [c].

* * *

Numi quoque Aegyptii memoriam stolidae ejus in Graeciam profectionis, et peractorum ibi certaminum in gentis Romanae opprobrium conservavere. Lubet recensere, qui huc pertinent.

ΣΕΒΑΣΤΟΦΟΡΟΣ. L. ΙΓ. *Navis.* (Morelli, Theupoli, Arigoni.)

Est haec infelix illud vehiculum, quod

a) Dio L. LXIII. §. 20. b) Cap. 53. c) L. IV. eleg. IV. v. 37.

Neronem in Graeciam detulit. Fingitur etiam in numis Corinthi et Patrarum adscripto: ADVENTVS. AVGVSTI. Atque is, narrat Suetonius a), *ut primum Cassiopen trajecit, statim ad aram Iovis Cassii cantare auspicatus est. Certamina deinceps obiit omnia. Nam et quae diversissimorum temporum sunt, cogi in unum annum jussit.* Nobiliores urbium ludos a Nerone in Graecia obitos in numis sequentibus prodidit Aegyptus.

ΑΠΟΛΛΩΝ. ΑΚΤΙΟΣ. L. ΙΔ. *Protome Apollinis capite laureato, pharetra post humeros prominente, in area astrum.* (Morelli.)

Notus Apollo Actius, ejusque apud Actium ludi.

ΑΠΟΛΛΩΝ. ΠΥΘΙΟΣ. *Protome similis.* (Morelli.)

Offert hic numus certamina Pythia. In acclamatione publica dictus Nero quoque fuit *victor Pythius* b). Romam redux coronam Pythiam dextera praegestavit c).

ΔΙΟΣ. ΟΛΥΜΠΙΟΥ. L. ΙΓ. *Caput Iovis laureatum.* (Morelli.)

Propter victorias apud Olympiam relatas, de quibus multa historici, eadem acclamatione dictus est *victor Olympicus* d). Vrbem redux ingressus est coronam Olympiacam capite gerens e).

ΠΟΣΕΙΔΩΝ. ΙΣΘΜΙΟΣ. L. ΙΔ. *Caput Neptuni diadematum cum tridente.* (Mus. Caes.)

Neptunus Isthmius non solum propter ludos Isthmios proponitur, sed etiam quoniam Isthmum perfodere tentavit Nero, quod stolidum propositum, et quo pacto ab opere destiterit, facete narratur in dialogo, qui Luciano tribuitur, inscribiturque *Nero*, tum et a Philostrato f). Eum Isthmiorum die e medio stadio provinciam Achaiam libertate donasse tradit Suetonius g).

ΖΕΥΣ. ΝΕΜΕΙΟΣ. L. ΙΔ. *Caput Iovis laureatum, prae quo astrum.* (Mus. Caes. Zoëga.)

Numus testis ludorum Nemeorum.

ΗΡΑ. ΑΡΓΕΙΑ. L. ΙΔ. *Caput Iunonis Argivae velatum.* (Mus. Caes. Zoëga.)

Noti Iunonis ludi apud Argos celebrari soliti. Deinde inter donaria Iunoni Argivae oblata memorantur etiam a Pausania ςεφανος χρυσῦς, και πεπλος πορφυρας, Νερωνος ταυτα ἀναθηματα, *corona aurea, et peplum purpureum, Neronis dona* h).

* * *

ΝΕΡΩΝΟΣ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΗΓΕΜΟΝΙΑ. *Neronis Caesaris principatus,* in numo Perperenes Mysiae, quam vide.

* * *

ΝΕΡΩΝΟϹ. ΚΑΙϹΑΡΟϹ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΥ. *Caput nudum.*

ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ. *Simpulum et lituus.* AR. III. Est nonnihil crassior, et adpendit paullo plus duabus drachmis Dyrrhachenis. (Mus. Caes. Vaill.) Similis Pembrockianus, sed in quo scriptum praetenditur ΔΙΔΡΑΧΜΟΝ appendit grana Anglicana 113. (Part III. tab. 18.)

ΝΕΡΩΝΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput laureatum.*

ΔΡΑΧΜΗ. ΕΤ. Ε. *Serpens tripodi obvolutus.* AR. III. (Morelli Specim p. 99.) In simillimo suo Vaillantius legit ΔΡΑΓ-

a) Cap. 22. 23. b) Dio L. LXIII. §. 20. c) Suet. c. 25. d) Dio l. c. e) Sueton. l. c. f) Vit. Apollon. L. IV. c. 24. g) Cap. 24. h) L. II. c. 17.

MH. EΦE., eumque vocat AR. max. mod. Etiam in alio Pembrockiano praetenditur scriptum ΔΡΑΓΜΗ. EΦE., adpendere vero grana 59 [a]).

Si vera est Vaillantii, et Pembrockii lectio, numi hi sine dubio Ephesum pertinent. At cum Morellius in simili, nisi idem est (nam eum ex museo regis Galliarum vulgaverat) pro EΦE. legat ET. E., id est, *anno V.*, certum videtur, deceptum Vaillantium, et qui eum forte secutus fuerit, musei Pembrockiani editorem, numosque similes referendos Caesaream Cappadociae, quae urbs non modo copiosos numos imperatorios in argento signavit, sed his quoque, dissimulato etiam urbis nomine, annos imperii fere constanter inscripsit. Accedit, fabricam hiulcam, qua sunt numi similes, magis competere Cappadociae, quam Ioniae. Aliquid difficultatis offert epigraphe ΔΡΑΧΜΗ, ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ, non quod harum vocum sensus sit ambiguus, nam notant pondus, aut valorem *drachmae*, *duarum drachmarum*, sed quod pondus inscriptioni male respondet. Nam si numus inscriptus ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ appendit drachmas duas, ut eum revera totidem, et nonnihil amplius adpendere supra dixi, necesse est, numum inscriptum ΔΡΑΧΜΗ esse alterius dimidium, et adpendere drachmam unam. At eum Vaillantius praeco vocat numum *maximi moduli*, quin alterum inscriptum ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ simpliciter vocat *numum*, quo nomine compellare solet eos omnes, qui vulgo *denarii* aut *drachmae*, aut *tertiae formae argentei* sunt. Adcuratius auctor musei Pembrock pondus addidit, unde apparet, numum ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ fere esse duplum drachmae, ut re ipsa esse debet.

* * *

Numi *Alexandrini*, et *Antiocheni* copiosi sunt, et illustres, quos suis locis dedimus. Alexandrinorum, qui Neronis historiam illustrant, partem paullo altius dedimus.

* * *

Commemorandus etiam numus coloniae incertae:

NERO. CLAVD. CAESAR. IMP. VOLVMNIO. LVRINO. IIV. *Caput Neronis nudum cum sceptro transverso.*

NERO. CLAVD. CAESAR. IMP. — OCTAVIA. AVGVSTI. *Capita adversa Neronis nudum imminente astro, et Octaviae imminente lunula.* AE. II. (Mus. Caes.)

Quam lepide Tristanus, et Sponius in his IIviris Iovem Vrium, et deum Volumnum viderint, videsis apud Sponium [b]).

TITVLI NERONIS.

Pater patriae.

Quo anno hunc titulum Nero verisimiliter adoptaverit, supra ad annum V. C. 809 memoravi.

Consul.

V. C. 811 continuos Neroni consulatus fuisse decretos, refert Tacitus [c]), at recusavit is honores oblatos. Consulatus quatuor eum gessisse, prodit

a) L. c. b) Num. Impp. p. 89. c) Ann. XIII. 41.

Suetonius [a]), qui confirmantur fastis. Quintum, quem idem infra memorat [b]), non accenset prioribus, quia tumultuarium. Nam cum educere exercitum in rebelles pararet, *consules ante tempus privavit honore, atque in utriusque locum solus iniit consulatum.* Factum istud Pighius censet currente adhuc anno V. C. 720. At verius id accidisse anno sequente cum Tillemontio crediderim; nam verisimile non est, Vindicis defectionem evenisse ante annum coeptum V. C. 821, et factum istud sub principatus finem innuit Plinius jun. [c]).

Imperator.

Neronem adhuc Caesarem titulum imperatoris, tanquam Claudio in imperio sociatum, et velut proxime Titum, tulisse, adfirmat Bimardus [d]). Numi, quibus nititur, sunt sequentes:

NERO. CLAV. CAESAR. IM.
Neronis facies cum lituo.
S. C. *in corona civica.* AE. (Occo pag. 119.)

OCTAVIA. AVG. F. NERO. CLAVD. CAES. AVG. IMP.
Duo capita, virile et muliebre cum notis solis et lunae.
Aversa non describitur. (Occo p. 135.)

Neuter numus id, quod adserit Bimardus, probat. Numi prioris quatuor exempla sunt in museo Caesareo, omnes inscripti: IM. NERO. CLAV. CAESAR, et talis est etiam apud Begerum [e]). Ergo in numis rite lectis τo IMP. est praenomen, non vero, ut in Occoniano, post alia nomina sequitur. Quare dubium non est, numos hos esse Neronis Augusti, non Caesaris. Sane Titus, quamdiu Caesar fuit, dictus non est IMP. TITVS, sed TITVS. IMP. Accedit, numos similes omnes signatos fuisse Antiochiae Syriae, parum ergo testes idoneos facti historici, quod et numi urbis, et historici reticent. Numus alter suapte adversatur Bimardo, nam per additum AVG. non jam est Caesaris Neronis, sed Augusti. Adverto, Bimardum hunc numum recitasse non inspecto Occone, qui τo AVG. addidit, sed protulisse ex indicio Pagii. Similem alium idem Occo jam descripsit inter numos Neronis pag. 118. Sunt hi numi coloniae incertae, quorum tres sunt in museo Caesareo, et a me, sed vitatis Occonis erroribus descripti in Catalogo musei Caesarei pag. 112.

Imperatoris titulo tanquam praenomine frequenter in numis usus est Nero Augustus. Honoratum etiam *imperatoris* nomine a victoriis, reticent quidem numi, sed prodidere scriptores, et quidem capta a Corbulone Artaxata teste Tacito [f]). Quin ex Corbulonis victoriis saepius eum salutatum imperatorem tradit Xiphilinus ex Dione [g]). Suetonius eundem illi honorem habitum ait, cum Romae Tiridatem Armeniae regem salutavit, eique diadema imposuit [h]). Mediobarbus eum ter usque ad extremum acclamatum imperatorem pronunciat, eosque numeros per varios ejus annos digerit, at nullis praeterea monumentis

---

a) Cap. 14. b) Cap. 43. c) Paneg. 57. d) B. L. T. XII. Mem. p. 393. e) Thes. Br. T. II. p. 624. f) Ann. XIII. 41. g) L. LXII. 23. h) Cap. 13.

confirmat, nam numi imperii repetiti numerum non addunt. Alium ordinem constituunt marmora, sed quae Occoni, ejusque restitutoribus aut fuerunt ignota, aut non consulta. Sunt quidem numero pauca, sed tamen haec quoque lucem adferunt.

IMP. ITER. TR. P. IIII. COS. III. apud Muratorium p. 445. 5. Sunt hi certi characteres anni V. C. 811. Bellum Corbulonis in Armenia.

IMP. III. TR. P. V. apud Gruterum p. 189. 1. Tribunatus V. cadit in annos V. C. 811. 812. Bellum idem continuatum.

IMP. VII. TR. P. VII. COS. IIII. in insigni inscriptione fratrum Arvalium apud Gruterum p. 118. Trib. potestas VII. cadit in annos V. C. 813. 814. Quanquam de vera hujus lapidis lectione jure potest dubitari. Nam in eodem marmore Nero Kal. Ian. 813 dicitur TR. P. VII. IMP. III., et paullo infra ad III. Nonas Ian. ejusdem anni TR. P. VII. IMP. VII. An autem verisimile, Neronem intra biduum quater imperatoris titulum auxisse? Ergo certum est, alterutro loco erratum.

IMP. XI. TR. P. XIII. COS. IIII. in insigni tabula marmorea apud Muratorium p. 227 n. 4. Tribunatus XIII. respondet annis V. C. 819 et 820. Anno ex his priore Nero Tiridatem Romae publice Armeniae regem salutavit, additque Suetonius, eum ex hoc facto acclamatum imperatorem a).

Armeniacus.

Neronem profligatis ex Armenia hostibus dictum fuisse *Armeniacum*, verisimile fit ex numo, quem supra ad annum V. C. 811 descripsi.

Animadversiones in aeneos Neronis numos.

Habent hi cum spectato volumine, tum additis nonnullis signis aliquid a moneta aenea ejus aetatis imperatorum commatis Romani multum diversum. Haec tamen varietas non observatur in numis aeneis I. formae, sed II. et III.

Aenei II. formae alii sunt moduli majoris, alii minoris.

Majoris moduli complures in segmento inferiore offerunt notam $\overline{\text{II}}$., sic:

MAC. AVG. infra $\overline{\text{II}}$.

SECVRITAS. AVGVSTI. infra $\overline{\text{II}}$.

VICTORIA. AVGVSTI. infra II.

Minoris moduli offerunt notam $\overline{\text{I}}$., sic:

GENIO. AVGVSTI. infra $\overline{\text{I}}$.

PONTIF. MAX. etc. typo *Neronis citharoedi*, infra $\overline{\text{I}}$.

Aenei III. formae. Horum quoque alii majus, alii arctius volumen habent.

Majoris moduli in area habent solitarium S., sic:

TR. POT. P. P. in area S. typo *Romae sedentis et lauream praetendentis.*

CERT. QVINQ. ROM. CO. in area S.

Minimi moduli, quales sunt, qui in aversa *oleae ramum* exhibent, nullam habent adjectam notam.

Fuere, qui de his notis minus recte sentirent. Ita nonnulli, quos inter cl. Brotier b), notam $\overline{\text{II}}$. jungendo cum ipsa inscriptione *Victoriam Augusti secundam* intelligi opinati sunt. Verum an etiam *Macellum Augusti secundum*, aut *Securi-*

a) Cap. 13. b) ad Tacit. Ann. L. XIV. c. 26.

tatem secundam conficere licebit? Deinde vero etiam *Genium Augusti primum?* Havercampus in similibus literam S monetarii vitio irrepsisse censuit [a]), verum obvii sunt hi numi hoc elemento notati, ut adeo omnis lapsus suspicio procul absit. Cum igitur videamus, has notas constante lege sequi volumen numorum, dubium sane non est, iis indicari pondus, aut verius valorem, sic ut secundum veterem normam monetae stante rep. signatae nota II. indicet asses duos, I. unum, et S semissem. Videtur judicium meum confirmare Epictetus apud Arrianum [b]), cujus verba sunt: τινα ἐχει τον χαρακτηρα τουτο το τετρασσαρον; Νερωνος. *Quam habet notam hic quatuor assium numus? Neronis.* Satis recte procedit proportio. Si S. I. II. notant semissem, assem unum, duos, tum numismata *tetrassara*, seu IV. assium Epicteto memorata erunt numi ii, quos aeneos I. formae vocamus. Sane instituto a me ope bilancis examine deprehendi, binos cum nota II. simul sumptos ejusdem fere esse ponderis, quo aeneum Neronis I. formae.

Iam proxime praelo subjicienda fuit haec pagina, cum tandem ad manus meas pervenit opus *Ioannis Pinkerton* Londini anno 1789 vulgatum, cui titulus: *An Essay on Medals.* In hujus operis parte priore, quo loco monetam aeneam veterum in examen vocat, probare etiam contendit [c]), sestertium apud Romanos non modo argenteam fuisse monetam, sed aeneam quoque. Testis illi prae aliis maxime idoneus ipse Plinius [d]): *Summa* (aeris) *gloria nunc in Marianum conversa, quod et Cordubense dicitur. Hoc a Liviano cadmiam maxime sorbet, et aurichalci bonitatem imitatur in SESTERTIIS, DVPONDIARIISQVE, Cyprio suo assibus contentis.* Recte isthaec, modo non praefatus esset, scriptores numorum veterum omnes inde a Budaeo et Vico usque ad hunc diem sibi persuasisse, sestertium, ut initio, sic deinceps quoque semper fuisse argenteum. Qui istud, quando jam Harduinus in suis ad hunc Plinii locum observatis sestertios aeneos agnoscit? atque eos ex iisdem fontibus, quos laudat Pinkertonus, agnovit cl. Dupuy Gallus de eodem argumento copiose, ac subtiliter disputans [e])? Quid quod ipse vir eruditus adducit verba Salmasii sestertium aereum memorantis [f])?

Iam vero auctor aenei hujus sestertii valorem quoque, ac pondus investigat. Ex Iulio Africano, et Herone eruit, numum, seu sestertium adpendisse unciam. At vero hoc pondere esse non potuisse numum argenteum, sed aeneum. Atque aenei I. formae imperatorum omnes adpendunt unciam, ergo hi sunt aenei sestertii a Plinio indicati. Haec ille addito insuper Q. E. D. At sunt nonnulla, quae huic possint doctrinae adversari. Quoniam Plinii aetate, ut inter omnes constat, as ad mediam unciam redactus fuit, sestertius aeneus, seu numus I. formae, quia IV. asses valebat, adpendere debuisset uncias duas,

---

a) Ad Morellii Impp. T. II. p. 129. b) L. IV. c. 5. c) pag. 106. d) L. XXXIV. §. 2.
e) Mem. B. L. T. XXVIII. p. 681. f) pag. 112.

non unam. Quare si Iul. Africanus, et Hero dixere, talem sestertium aeneum pondere fuisse uncialem, (quibus addo Cleopatram citatum a Gronovio [a]) haec docentem: Ἀσσαριον ἐχει δραχμας β, και διπεντιον ὁμοιως ἀγει δραχμας δ. *habet as drachmas duas, et dupondium adpendit drachmas quatuor*, ergo sestertius drachmas octo, ergo unciam.) si, inquam, illi sestertium dixere uncialem, videntur locuti fuisse de tempore suo, quo as redactus fuerit ad quartam partem unciae, ac tum demum vere dici potuit, sestertium aeneum fuisse unciam pondere. Haec jam pridem objecere Savotus [b]), et Dupuy [c]). Ceterum non longius huic argumento immoror, non tam, quia, ut proxime monui, praelum urget, quam quia, ut alio loco candide professus sum [d]), propter causas ibi allatas in explorando subtilius monetae veteris pondere ac valore nolo esse acer atque ingeniosus. Et satis esto, nobis ex laudato Epicteti oraculo constare, aeneum Neronis numum dici, atque adeo valere asses IV., atque ab ipsis Neronis numis, quorum principio catalogum dedi, quosque miror Pinkertoni memoriam fugisse, suae causae haud dubie multum profuturos, per inscriptos asses eorumque partes copiose erudiri, quod fuerit dupondii, assis, semissis, et quod sequitur, etiam aeneorum I. formae pondus, qui haud dubie Plinio nomine sestertiorum fuere intellecti.

In aeneis non paucis I. formae, praecipue iis, qui ad maximum modulum proxime accedunt, et frequentibus II. formae desideratur nota S. C., quae in moneta aenea imperatorum hujus aetatis vix abesse solet.

Caput imperatoris vivi radiatum in parte antica etiam ab hoc Nerone originem ducit. De hac corona radiata latius disserui supra in numis vagis sub *Augustus Germanicus*.

PRETIVM.

Aurei, et argentei - - - - - - - C.

suntque fere argentei aureis rariores.

Aenei trium formarum - - - - - - C.

Commatis peregrini.

Aureus Caesareae Cappadociae. (Mus. Caes.) - RRRR.

Argentei max. mod. Antiocheni - - - - RR.

Argentei mixto aere Alexandrini - - - R.

Aenei urbium liberarum, et coloniarum - - R.

---

a) De Sestert. p. 418. b) Num. ant. Part. III. c. 20. c) l. c. p. 681. seq. d) Vol. I. Proleg. gen. p. XXXIV. seq.

VXORES NERONIS.

Vxor I.

OCTAVIA.

Nata Claudio Augusto, et Valeria Messalina, et quidem V. C. 795, vel 796, quoniam teste Tacito anno V. C. 815, quo mortua est, *puella vicesimo aetatis anno fuit* a). Si igitur nata est V. C. 795, tum necesse erit, natalem fratris Britannici in annum 794 dimovere, de quo in hujus vita disserui. Adhuc infans desponsata fuit L. Silano juveni illustri prosapia, et Claudio ipsi per adfinitatem conjuncto b). Aliud visum Agrippinae, quae, ut Domitium suum pluribus vinculis domui Caesareae illigaret, effecit, ut sublato per falsas criminationes Silano Octavia Domitio, subinde per adoptionem Claudio Neroni, desponderetur V. C. 802 c), et ne adoptato per Claudium Domitio soror cum fratre incestis nuptiis conjungi videretur, Octavia prius in aliam familiam adoptanda tradita est d). Eam duxit Nero V. C. 806 e). Etsi mulier esset spectatae probitatis, ab ea tamen abhorrebat maritus, quoniam illicita praevalebant, delapsusque in amorem Poppaeae eam per speciem, quod sterilis esset, repudiavit, et in Campaniam relegavit. Mox populi metu discidium istud graviter ferentis recipit conjugem, at mutata paullo post per Poppaeae illecebras voluntate occultas libidines nil tale promeritae objicit, et in insula Pandataria claudit, demum exsolutis per omnes artus venis mori jubet puellam annos natam XX., nec magis forma, quam moribus decoram. Contigere haec anno V. C. 815 f). Diem indicat Suetonius, nempe eum, quo ipse post sexennium interfectus est, qui fuit mensis Iunii dies nonus g). A Seneca comparata fuit Iunoni, quia Neronis Augusti et soror, et conjux fuit h).

Numi.

Commatis Romani nullus cognitus.

Commatis peregrini habentur nonnulli, et plerique ex his valde rari. Exstant numi Teiorum Ioniae, et Alexandrini inscripti: ΟΚΤΑΟΥΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. cum annis Α. Γ. Δ. Ε. In alio Sardium: ΟΚΤΑΥΙΑΝ. ΘΕΑΝ. (Sestini Lettres T. IV. p. 122.) Exstant etiam coloniarum Corinthi, et Sinopes, (Pellerin Mel. I. p. 266. Haym T. II. tab. 29.) aliarumque, quarum nomen in numis reticetur. Epigraphe in his: OCTAVIA. NERONIS. AVG. vel OCTAVIA. AVGVSTI, vel AVGVSTA. Insignis numus coloniae incertae, quem edidi ex museo Com. de Festetics i):

OCTAVIA. AVGVSTA. *Octavia velata stans ante aram, d. pateram.*

a) Ann. XIV. 64. b) Tacit. Ann. XII. 3. c) Tac. Ann. XII. 3—9. Suet. in Claud. c. 29. d) Dio L. LX. 33. e) Tac. Ann. XII. 58. f) Tacit. Ann. XIV. 60 seq. Suet. c. 35. g) In Nerone c. 57. h) In Octavia v. 219. i) Num. vet. d. 312.

AGRIPPINA. AVG. *Agrippina sedens.* AE. III.

In reliquis plerisque jungitur cum marito Nerone nullo memorabili typo.

Ejus etiam mentio fit in numis coloniarum incertarum, quos supra in numis Claudii commatis peregrini descripsi, et quidem in consortio fratris Britannici, et sororis Antoniae. Item in alio coloniae incertae cum capite mariti, quem recitavi in moneta peregrina Neronis.

Vxor II.

POPPAEA SABINA.

Ejus avus maternus fuit Poppaeus Sabinus vir consularis, ac triumphalis, pater T. Ollius, amicitia Sejani perversus; at cum avi nomen esset illustrius, hoc uti maluit [a]). Denupta fuit Rufo Crispino, ex eoque filium jam sustulit. Mulierem forma insignem, ac vel ideo ad omnem libidinem proniorem Otho Neroni commendavit, quam is probata forma ac moribus facile in adulterii communionem recepit [b]). Sed enim femina impotens adulterae nomen dedignata perpulit Neronem, ut exturbata primum Octavia, mox ad mortem adacta eidem matrimonio jungeretur V. C. 815 die post divortium duodecimo [c]). Anno sequente enixa filiam *Augustae* propterea titulum, ac immensos honores a senatu decretos abstulit [d]). Verum quam unice dilexit Nero, interemit tamen, non quidem de consilio, sed per fortuitam iracundiam calcis ictu adflictam, quod se ex aurigatione sero reversum gravida, et aegra conviciis incesserat V. C. 818 [e]). Mortua tantum sui desiderium Neroni reliquit, ut non alia de causa puero liberto, cui Sporo nomen, in uxoris modum uteretur, quam quod Poppaeae forma simillimus esset [f]). Eam sane postea consecravit exstructo ejus honori templo, quod patefacta jam Vindicis seditione dedicavit inscripto ei titulo: *Sabinae deae Veneri matronae fecerunt* [g]). Memoriae proditum est, adeo eam in luxum, et conservandas formae illecebras fuisse propensam, ut mulas haberet aureis soleis calceatas, et quingentae asinae quotidie mulgerentur, quarum ipsa lacte lavaretur [h]).

Numi:

Commatis Romani nondum reperti.

Commatis peregrini signati nonnulli in *urbibus Graecis*, Magnesiae ad Sipylum, Ephesi, Iconii, Smyrnae, Ancyrae Phrygiae, iique omnes admodum rari. Minus rari *Alexandrini* argentei mixto plerumque multo aere. In his certos annos habemus L. Θ. I. IA. At anni Δ. E. IΔ, quos in catalogis promulgatos video, haud dubie seu per defectum, seu per excessum fallunt.

Epigraphe in Graecis: ΠΟΠΠΑΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. vel: ΠΟΠΠΑΙΑΝ. ΝΕΡΩΝΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Saepe ejus caput jungitur cum capite Neronis.

---

a) Tacit. Ann. XIII. 45. b) Tacit. l. c. c) Tacit. Ann. XIV. 60. Suet. c. 35. d) Tacit. Ann. XV. 23. e) Tacit. Ann. XVI. 6. Suet. c. 35. Dio L. LXII. §. 27. f) Dio L. LXII. §. 28. g) Tacit. Ann. XVI. 21. Dio L. LXIII. §. 26. h) Dio L. LXII. §. 28.

Coloniae numus certus nondum cognitus.

DIVA dicitur in numo eximio, quem mox in moneta filiae Claudiae describam.

CLAVDIA.

Nata Nerone et Poppaea apud Antium V. C. 816, quod naturae donum ultra mortale gaudium accepit pater, eamque continuo *Augustam* appellavit constitutis praeterea supplicationibus, ludis, simulacris. Verum fluxa haec fuere, cum quartum intra mensem vivere desivisset. Contractos vitae fines compensavere adulationes censentium honores DIVAE, et pulvinar, aedemque, et sacerdotem [a]).

Numi:

Ejus duo hactenus editi, iique similes, unus a Patino, (in Suetonio ad cap. 35 Neronis.) alter a Pellerinio magis integer. (Mel. I. p. 199.)

DIVA. CLAVD. NER. F. *Templum rotundum, intra quod signum muliebre stans.*

DIVA. POPPAEA. AVG. *Templum distylum, in quo mulier sedens s. cornucopiae.* AE. II. Sunt rarissimi.

Antica illustratur ex Tacito, qui narrat loco, quem laudavi, mortuae Claudiae decretum DIVAE titulum, aedemque. Altera pars ad honores matris Poppaeae, exstructumque ei templum, cujus supra in vita Poppaeae mentionem feci, pertinet. Non existimo, insignes hos numos signatos fuisse Romae, et conjicio eorum patriam esse coloniam aliquam, ac forte Corinthum, vel Patras Achaiae.

Vxor III.

STATILIA MESSALINA.

Abneptis Statilii Tauri bis sub Augusto consulis. Tribus jam antea maritis nuptam sibi conjugem adscivit Atticus Vestinus, etsi haud nescius esset, inter adulteros ejus Neronem quoque esse, quae ipsa res ei exitio vertit. Nam mortua Poppaea cum jungendae sibi Messalinae desiderio teneretur, Vestinum ejusdem anni consulem, qui erat V. C. 818, falsorum criminum accusatum occidit, viduamque in domum suam duxit [b]). Facta Neronis caesi vidua denuptura erat Othoni Augusto, qui eam matrimonio sibi destinaverat, verum hic a Vitellii ducibus victus mori maluit; tamen moriens reliquias suas et memoriam Messalinae commendavit [c]). Vitam deinceps tranquillam egit liberalium artium studiis impense dedita [d]).

Numi:

ΜЄϹϹΑΛΙΝΑ - - *Hujus caput.* ΛΟΥΙΟΛΑ. - - ΜΗ. ΑΙΧΜΟΚΛΗ. ЄΦЄ. *Mulier turrita stans d. hastam, s. sigillum Dianae Ephesiae.* AE. III. (Haym. Thes. Br. T. II. p. 244.)

---

a) Tacit. Ann. XV. 23. Suet. in Nerone cap. 35. b) Suet. cap. 35. Tacit. Ann. XV. 68. Vetus scholiast. ad Iuvenal. Sat. VI. c) Suet. in Othone c. 10. d) Schol. Iuven. l. c.

Fuisse imperante Nerone Aviolam proconsulem Asiae, et eodem tempore Aechmoclem Ephesi magistratum, certum est ex aliis Ephesi numis, quos in hujus urbis moneta descripsimus, quae et unica, eaque idonea causa est, ob quam hi numi huic Messalinae prae altera Claudii tribuendi sint.

* * *

ΝΕΡΩΝ. ΜΕΣΣΑΛΙΝ--- *Vtriusque caput*, in numo Ephesi. (Sestini T. IV. p. 113.)

ΣΤΑΤ. ΜΕΣΣΑΛ-- *Hujus caput*, in numo Thyatirae. (Ibid. p. 123.)

Modo uterque hic numus certae sit fidei; nam auctor tot raros imperatorum numos vulgando suspicionis causas injecit. Vide, quae diximus in Achillei numis Alexandrinis.

* * *

Alium edidit Tristanus, in quo hinc caput, et epigraphe Neronis addito L. II., inde ΜΕΣΣΑΛΙΝΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΗΣ. Verum is dubiae est fidei arbitro etiam Patino [a]). Videtur, ut ex numis Alexandrinis similibus colligi potest, in antica esse caput Claudii, in postica ipsa stans Messalina, sed illa, quae Claudii uxor fuit.

L. CLODIVS MACER.

Caeso Nerone, et oblata pluribus novandi copia, Clodius Macer Africae legatus legiones sibi adjunxit, speravitque, retentis navibus frumentariis se urbem rei annonariae penuria in potestatem redacturum. Illum turbantem Trebonius Garucianus procurator jussu Galbae interemit [b]).

Numi:

L. CLODI. MACRI. S. C. *Mulier stans d. pileum Libertatis, s. pateram.*

LEG. Ī. LIB. MACRIANA. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AR. (Patin. ad Suetonii Galbam c. 11. Morelli in Miscell. famil. tab. VI. n. 19.)

L. CLODI. MACRI. LIBERATRIX. S. C. *Caput muliebre Africae elephanti exuviis tectum.*

LEG. Ī. MACRIANA. LIB. *Typus idem.* AR. (Khell. Supplem. ad Vaill. p. 27 ex museo Com. Ariosti, nunc Caesareo.)

L. CLODI. MACRI. LIBERTAS. S. C. *Caput Africae simile.*

LEG. III. AVG. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AR. (Morelli l. c. num. 17. Vaillantius in simili legit LIBERA in Seguini Numis sel. p. 410.)

L. C. MACRI. S. C. *Caput leonis hiante rictu.*

LEG. III. LIB. AVG. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AR. (Morelli l. c. num. 18. Liebe Goth. num. p. 245.)

L. CLODI. MACER. *Caput Macri nudum.*

a) Ad Suet. in Nerone cap. 35.

b) Suet. in Galba c. 11. Tacit. Hist. I. 7. Plutarch. in Galba.

PROPR. AFRICAE. *Triremis.* AR. (Morelli l. c. num. 16.) Similem, sed aeneum addito S. C. edidit Tristanus Tom. I. p. 247, et Pembrock Part. III. tab. 49.

In hos numos commentati sunt praeter alios Vaillantius in notis ad Seguini numismata p. 409, Havercampus ad Famil. Morellii p. 471, Liebeus in Gotha num. p. 245, Khellius in Adpendic. ad Vaill. p. 20, sed non fuit eadem illorum in iis explicandis sententia.

Primum dissidium est in legendo Macri praenomine. Vaillantius legendum docet C, non L., motus insuper, quod gens Claudia Lucii praenomen teste Suetonio adversata est. At praenomen *Lucii* Macro vindicant numi alii non ambiguae lectionis, et ex marmoribus probat Liebeus, reperiri etiam Clodios cum eodem Lucii praenomine.

Alterum dissidium versatur in lectione numorum II. et III., in quibus legi videmus triplici modo, aut LIBERA, aut LIBERTAS, aut LIBERATRIX. Vaillantius, qui primam prodidit, ait, notari vocabulo LIBERA, a Macro cum legionem, tum provinciam Africam *liberas* dictas, restituta nimirum per Neronis caedem libertate. Pro hac praetensa voce Morellius in proposita numi imagine, ejusque commentator Havercampus, tum Liebeus legendum docent LIBERTAS. At Khellius in suo distincte vidit LIBERATRIX, atque istud adfirmare ipse possum, qui numum prae oculis habeo. Mihi indubitatum videtur, cum ceteris omnibus partibus numi sint ut gutta guttae simillimi, etiam non variare hoc ipsum vocabulum, ac tum existimo recipiendum LIBERATRIX. Vaillantianum LIBERA nihil officit; nam aut extritis literis reliquis, aut intra numum, quod saepe factum, non receptis deficient literae reliquae TRIX. Quod ad Morellii lectionem attinet, vereor, ne fugientes numi literas ipse expleverit legendo LIBERTAS. Praeter hanc conjecturam non improbabilem praesto est ratio alia a collatis epigraphe et typo petita. Habemus saepenumero vocabulum LIBERTAS in familiarum numis, sed tum adstituitur imago ipsius deae *Libertatis;* verum in his numis exaratur juxta caput, quod ex communi consensu est Africae. An ergo Africa dici potest *Libertas?* Nemo sane istud opinabitur. At in sensu Clodii Macri, qui audita Vindicis adversus Neronem seditione etiam ipse in partem gloriae venire voluit, et ipse haberi auctor liberati a Neronis tyrannide imperii, et robore legionum Africae potuit dictis fidem facere, non alienum erat Africam vocare *liberatricem*, neque obest, abesse vocem AFRICA; nam praeterquam quod orbis numi plures non cepit literas, necessarium istud neutiquam visum, cum Africae caput non sit ambiguum, ac cultu suo se ipsum satis manifestet. An cui ignoti sunt denarii, et quinarii gentis Porciae, in quorum aversa infra Victoriam sedentem legitur VICTRIX? quo loco subauditur vel *Roma*, vel *Virgo*. At vero ut lectionem Khellii recipiendam omnino censeo, ita ab ejus interpretatione, quae Harduiniana tota est, plane dissideo, qui totam anticae inscriptionem explet: L*egio* CLODI*ana*

MACRI*ana* LIBERATRIX. Cui, qui utramque numi superficiem confert, non continuo in oculos incurrat inepta in eodem numo tautologia?

Collatis omnibus certis Macri numis docemur I., eum restituendae libertatis speciem palam praetulisse; nam comparet in numo I. ipsa Libertas stans, abest ipsius Macri caput, ne se principem ferre videatur; at inseritur nota S. C., nimirum tanquam omnia ad senatus arbitrium constitueret, et universim omnes hi numi ad eum modum signati sunt, quo signatos videmus numos stantis reipublicae. Ipsas quin etiam legiones dixit *liberas*, tanquam quae a rep. libera, non nutu principis penderent. Hoc instituto caute captavit plebis R. gratiam, quae intellecta Neronis caede pileata per urbem teste Suetonio discurrit. Docemur II. habuisse Macrum legiones binas, quibus praefuit, primam, quam de se vocavit *Macrianam*, quod etiam non obscure indigitat Tacitus his verbis [a]): *in Africa legio, cohortesque delectae a Clodio Macro*, et *tertiam* dictam *Augustam*. De legionibus, quae sub Macro stetere, etiam alibi agit Tacitus [b]). Atqui legionem III. Augustam stetisse in Numidia praeter hos numos non modo docet Dio [c]), sed et marmora in ditione Algeriana reperta, et inscripta: LEG. III. AVG. teste erudito Shaw Anglo [d]).

Numi loco postremo descripti, in quibus caput Macri sistitur, oppido mihi videntur suspecti, atque in eadem opinione fuere Havercampus [e]), Spanhemius [f]), Liebeus [g]). Nolim tamen his numis malae fidei notam inuri propterea, quod in iis Macer dicitur PROPR*aetor* AFRICAE, cum tamen Africa fuerit provincia proconsularis populi, et a proconsulibus regeretur, non legatis propraetoribus Augusti. Dubium enim facile expedient Tacitus [h]), et Dio [i]), quos laudasse sufficiat, nam causam hanc jam discussimus alibi [k]).

PRETIVM.

Numi L. Clodii Macri certae fidei sunt omnes argentei et RRRR.

SERVIVS SVLPICIVS GALBA.

Natum fuisse V. C. 751 IX. Kal. Ian. diserte testatur Suetonius [l]). Sulpiciorum familia vetus et magna, cujus auctor paternus, si ipsi huic Galbae fides, Iuppiter, maternus Pasiphae Minois uxor [m]), cui adstipulatur quoque Silius Italicus [n]). Mater illi fuit Mummia Achaica proneptis L. Mummii ejus, qui Corinthum excidit [o]). Rebus agendis per aetatem idoneus remp. adiit, atque serius praepositus Galliis, deinde Africae laudem a justitia, tum virtute

a) Hist. II. 97. b) Hist. I. 11. c) L. LV. §. 23. d) Voyages Tom. I. e) in Fam. Morelli p. 471 et in Impp. Morelli T. II. p. 181. f) Tom. II. p. 241. g) Goth. num. p. 246. h) Hist. IV. 48. i) L. LIX. §. 20. k) Vol. IV. p. 240. l) Cap. 4. m) Suet. c. 2. n) Punic. L. VIII. 471. o) Suet. c. 3.

ac disciplina militari non vulgarem abstulit, ac denique oblatam a Nerone Tarraconensem Hispaniam varia fama administravit. Excitatus a Vindice Galliarum praeside, ut imperium pro Nerone acciperet, repugnavit aliquamdiu, ac tum denique consensit, cum necem sibi a Nerone parari intellexit [a]). Ergo conscenso tribunali militum voce salutatus imperator nonnisi legatum se senatus populique R. professus est [b]). Comperto, Vindicem a Verginii Rufi Germaniae legati copiis victum mortem sibi conscivisse, parum aberat, quin vitae renunciaret; sed mox audito, caesum Romae Neronem, et universum senatum in verba sua jurasse, suscepit *Caesaris* appellationem [c]). Vt urbem ingressus est, coepit continuo flagrare invidia, quod atrocius in noxios saeviret, et intempestiva parsimonia supplendo aerario studeret; praetorianorum vero, ac militum animos plane a se avertit negato, quod promeriti sibi videbantur, donativo. Ergo Germaniae superioris miles primus obsequium rumpere est ausus. Quod cum esset nunciatum Galbae, isque se contemptum non propter ea vitia, sed senectutem, atque orbitatem crederet, Pisonem Frugi Licinianum, nobilem, egregiumque adolescentem adoptavit die X. Ianuarii V. C. 822 [d]). Causam per se honestam, neque ingratam populo innata sibi avaritia corrupit. Nam cum proposito militibus filio Pisone ne tunc quidem, cum maxime tempus postularet, donativi mentionem faceret, recente militum odio tempestive usus Otho aeger animo, quod praeter spem alium a Galba adoptatum vidit, sexto post adoptionem die castra occupat. Conversis in novum principem animis mox desertus a suis Galba una cum filio occiditur die XV. Ianuarii V. C. 822 [e]). Ejus ingenium, ac indolem eleganter, ac paucis describit Tacitus [f]). Tradidere plerique, mortuum Galbam aetatis anno LXXIII., at difficile est, hunc annorum numerum conficere, si verum est, quod ex Suetonio memoravi, natum Galbam V. C. 751, de quo vide, quae notavit Reimarus ad Dionis L. LXIV. §. 1 nota 2.

Numi.

Hi chronologicam classem non exigunt, quoniam omnes intra septem mensium spatium signati sunt. Magis tamen, quam pro tam arcto tempore, Galbae numi in omni metallo abundant. Praemitto partes anticas; at aversas, si quae nonnisi obvia, at trita offerunt, brevitatis causa omittere juvat.

* * *

A. GALBA. IMPERAT., epigraphe rarior, in AR.

B. GALBA. IMPERATOR, in AR.

C. GALBA. IMP. CAES. AVG. TR. P. epigraphe rarior in AE. II.

---

a) Suet. c. 9. b) Suet. c. 10. c) Suet. c. 11. d) Tacit. Hist. I. 18. e) l. c. 27 seq. f) Hist. I. 49.

D. IMP. GALBA. in AV. et AR.
E. IMP. SER. GALBA. AVG. in AV. et AR.
F. IMP. SER. GALBA. AVG. TR. P. in AE. I. et II.
G. IMP. SER. GALBA. CAES. AVG. TR. P. in AE. I. et II.
H. IMP. SER. GALBA. CAESAR. AVG. in AV. et AR.
I. IMP. SER. GALBA. CAESAR. AVG. P. M. in AV. et AR.
K. IMP. SER. GALBA. CAE. AVG. TR. P. epigraphe rara in AE. I.
L. IMP. SER. GALBA. CAES. AVG. P. M. TR. P. epigraphe rarior, in AE. II.
M. IMP. SER. GALBA. CAES. AVG. PON. M. TR. P. epigraphe rarior in AE. I.
N. IMP. SER. SVLP. GALBA. CAES. AVG. TR. P. in AE. I. II.
O. IMP. SER. SVLP. GALBA. CAES. AVG. TR. POT. in AE. I.
P. SER. GALBA. IMP. in AR. (Morelli.)
Q. SER. GALBA. IMPERATOR, epigraphe rarior in AR.
R. SER. GALBA. IMP. AVG. in AR. (Morelli.)
S. SER. GALBA. IMP. AVGVSTVS. epigraphe rara in AE. II.
T. SER. GALBA. CAESAR. AVG. epigraphe rarior, in AV.
V. SER. GALBA. IMP. CAES. AVG. in AE. I.
X. SER. GALBA. IMP. CAES. AVG. TR. P. in AE. I. et II.
Y. SER. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. TR. P. in AE. I. et II.
Z. SER. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. P. M. T. P. epigraphe rarior in Quinariis.
Aa SER. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. in AR. et AE. I.
Bb SER. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. PO. MA. TR. P. in AE. I. et II.
Cc SER. SVLP. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. in AE. I.
Dd SER. SVLP. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. TR. P. in AE. I.
Ee SER. SVLPI. GALBA. IMP. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. in AE. I. et II.
Ff SER. SVLPICI. GALBAE. IMP. AVG. in AR. (Morelli.)

Caput Galbae in AV. et AR. plerumque laureatum, raro nudum, in AE. I. constanter laureatum, in AE. II. jam laureatum, jam nudum.

* * *

Adversa incerta.

AVGVSTA. S. C. *Mulier sedens d. pateram, s. hastam.* AE. I. (Morelli, Mus. Caes., sed vitiata anticae epigraphe.)

Typo aversae sisti Liviam Augusti, omnibus certum habetur, non modo, quod eodem cultu ea, ut vidimus, saepe in moneta sua proponitur, verum etiam eo, quod de Galba diserte praedicat Suetonius a): *observavit ante om-*

a) Cap. 5.

nes Liviam Augustam, cujus et vivae gratia plurimum valuit, et mortuae testamento paene ditatus est. Suetonio jungendus Plutarchus [a]): *Ad haec intercedebat Galbae aliqua cum Caesaris uxore necessitudo, atque inde Liviae beneficio consul ex palatio progressus est.* Mox infra alius ejusdem Liviae numus producetur, sed inscriptus: DIVA. AVGVSTA.

Vt lit. B.

BON. EVENT. *Genius nudus stans d. pateram, s. spicas cum flore papaveris.* AR. (Mus. Caes.)

De deo Romanis dicto *Bonus Eventus*, ejusque forma plene ad Plinii descriptionem exacta actum in numis familiarum. Fuisse Galbae praecipuam caussam ejus colendi ob dissipata feliciter pericula, quae capiti imminebant, historia satis docet, neque alia ex causa Severus primis imperii annis adhuc turbidis salutari huic deo monetam dedicavit. Ad calcem numorum Galbae autonomum cum capite *Boni Eventus*, sed et hunc eo imperante signatum recensebo.

Vt lit. A.

CONCORDIA. PROVINCIARVM. *Mulier stans d. ramum, s. cornucopiae.* AV. AR.

Insignis numus, ex quo, hortante primum Vindice, consentiente deinde senatu, provincias tandem omnes in Galbae verba jurasse intelligimus.

Vt lit. D. H. Aa.

DIVA. AVGVSTA. *Livia stans d. pateram s. hastam.* AV. AR.

Supra sub AVGVSTA eandem Liviam eodem cultu, sed sedentem vidimus. Reliqua explicatio ex eodem loco petenda.

Vt lit. P. Galba eques citato cursu.

GALLIA. *Caput muliebre, prae quo duae spicae, pone duo spicula, infra clypeus contractior rotundus.* AR. (Morelli, Patin in Suet. p. 345.)

Fuit Gallia impulsore Vindice prima saltem origo delati Galbae imperii, atque eo etiam caeso inter primas provincias, quae Galbae partibus accessere. Gratus pro navata opera Galba Gallos civitate, et in posterum tributi levamento est remuneratus [b]), quae etiam causa fuit Galliae in numis signandae.

Vt lit. R. Galba eques citato cursu.

TRES. GALLIAE. *Tria capita muliebria, ante quorum singula est spica.* AR. (Morelli in Fam. Sulpic. et in Impp. Patinus in Sueton. p. 354.) Est RRR.

Numus hic tres tantum Gallias sistit, etsi constet, ab Augusto omnem Galliam in quatuor provincias fuisse distributam, Narbonensem, Aquitanicam, Lugdunensem, Belgicam. Credi posset, exclusam Belgicam, quia refert Tacitus [c]), proximas Germanicis exercitibus Galliarum civitates neque jus civitatis, neque tributi levamentum, ut reliquas, a Galba adeptas, quasdam etiam finibus ademptis multatas, nimirum quod lentius, caeso etiam Vindice, ad se accesserant. At video, etiam in marmoribus non raro excludi Belgicam. Sic in marmore apud Gruterum [d]) legitur: TRIVM. PROV. GALL. LVG.

a) In Galba p. 1054. b) Tacit. Hist. I. 8, et Plut. in Galb. p. 1060. c) Hist. I. 8. d) pag. 440. 3.

DVNENS. NARBONENS. ET. AQVITANENS. Eaedem tres provinciae haud dubie intelligentur in aliis marmoribus, inscriptis: TRES. PROVINC. GALL. a). Verisimile est, Galliam Belgicam aliqua ratione a reliquis tribus Galliis fuisse avulsam, ex quo ejus pars Rheno adsita in Germaniam superiorem, et inferiorem divisa est. Factum istud imperante adhuc Augusto eruimus ex Tacito, qui jam sub ejus excessum memorat in hoc tractu exercitum Germanicum superiorem, et inferiorem b), et mox sub Tiberio Germaniam superiorem, et inferiorem c), atque ex hoc tempore provincia Belgica, Germania superior et inferior unum quoddam corpus videntur constituisse, unde factum, ut eae non raro una enuntientur, ut apud Gruterum d) T. Varius Clemens dicitur PROC. PROVINC. BELGICAE. ET. VTRIVSQ. GERMANIAE. Apud Sponium e): C. Furius Sabinius PROC. PROV. BELGIC. ET. DVARVM. GERMANIAR. Harduinus ex tribus hujus numi Galliis Narbonensem excludit, quia Plinius Galliam Comatam in tres populos dividit, in Aquitanos, Lugdunenses, seu Celtas, et Belgas f). Etiam Bimardus has tres provincias exclusa Narbonensi conjungit g). Nolo in incerto pertinacius repugnare. Seligat lector.

Vt lit. B.

GALLIA. HISPANIA. *Genius virilis Galliae stans s. hastam inversam tenens dexteram jungit cum adstante genio virili Hispaniae, s. clypeum rotundum, et inversam item hastam tenentem.* AR. (Mus. Caes.)

Vt. lit. D. vel E.

HISPANIA. *Mulier stans d. spicas cum papavere, s. clypeum rotundum cum binis hastis.* AV. In aliis: *Eadem mulier, sed gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Similem aversam jam dedimus in numo *Divi Augusti*, sed quem jam ibi imperante Galba fuisse signatum diximus.

GALBA. IMP. *Imperator eques.*

HISPANIA. *Caput Hispaniae muliebre laureatum, ante quod duae spicae, pone duo clypei rotundi cum binis hastis.* AR. (Mus. Caes.)

Iungitur in his numis utraque provincia Galbae amica, ut dictum altius. Istud displicet, cum iisdem attributis propositum fuisse a monetariis tam Galliae, quam Hispaniae caput, sic ut unum pro altero perinde haberi posset, nisi epigraphe subsidio veniret.

Vt lit. Cc.

HISPANIA. CLVNIA. SVL. S. C. *Imperator sedens s. parazonium ab adstante muliere s. cornucopiae tenente Victoriolam accipit.* AE. I. (Mus. Caes.)

De hoc numo jam egimus in moneta Cluniae Hispaniae Tarraconensis. Argumenti explicatio tota ex Suetonio pendet narrante h), Galbam, utrum imperium acceptaret, ancipitem, *confirmatum cum secundissimis auspiciis, et ominibus, tum virginis honestae vaticinatione, tanto magis, quod eadem illa carmina sacerdos Iovis CLVNIAE ex penetrali somnio monitus eruerat, ante ducentos an-*

---

a) Gruter p. 476. 4. et B. L. Mem. XXI. p. 498. b) Ann. I. 31. c) Ann. IV. 73. d) pag. 482. 4. 5. e) Miscell. p. 148. f) ad Plin. H. N. Tom. I. p. 223. g) Dissert. praefixa tomo I. Inscript. Murat. p. 14. h) Cap. 9.

nos similiter a fatidica puella pronunciata, quorum carminum sententia erat, oriturum quandoque ex Hispania principem, dominumque rerum. Non praetereundum, quod narrat Plutarchus [a]), Galbam audita Vindicis caede secessisse Coluniam, (Κολουνιαν Ιβηρικην) ductumque poenitentia anteactorum, et desiderio pristini otii non magnopere, quae praesens tempus postulabat, procurasse, ac perseverasse ibi, dum denique senatusconsultum de decreto ei imperio adferretur. Dubium non est, Plutarchi Κολουνιαν esse ipsam hanc nostram *Cluniam*, atque adeo hanc urbem Galbae primum propter laudatum vaticinium, deinde quod in ea de collata summa potestate certior est redditus, cumprimis fuisse dilectam, auctamque honoribus et beneficiis, quod inditum etiam SVL*piciae* nomen honorificum, ut numus praesens testatur, luculente comprobat.

Varia anticae epigraphe.

HONOS. ET. VIRTVS. S. C. *Honos seminudus stans d. hastam, s. cornucopiae, juxta stans Virtus capite galeato d. parazonium, s. hastam, et dextero pede galeam, ut videtur, premens.* AE. I. (Mus Caes.)

Vtrumque numen, Honos, et Virtus, proponitur etiam in numis gentis Fufiae et Muciae, de quibus vide, quae in gente Mucia notavi; verum in iis sola proponuntur capita. Ceterum cur ii in Galbae numis restituantur, quod dicam, non habeo.

Antica incerta.

LIBERTAS. P. R. *Mulier stans elatis manibus inter duas spicas.* AR. (Morelli Impp.)

Libertas in Galbae numis frequens est, neque id mirum, cum resp. per Neronis internecionem sibi ipsi restituta videretur, et plebs referente Suetonio eam ob causam pileata discurreret. Describere hunc numum placuit propter typi insolentiam; nam hoc cultu Libertas fingi in nullo numo est solita. Et videtur eo insignis allegoria involuta, tanquam mulier hortaretur gestu ad colendos libere agros sublata tandem communi orbis lue, et velut gestiens gaudio inclamaret agricolis cum Marone [b]):

Pascite ut ante boves, pueri, summittite tauros.

Inique, ut videtur, Schlegelius hujus numi fidem elevat profitendo, eum a Morellio haustum ex Goltzii MSS. [c]). Nam adstitutum iconismo lilium testatur, numum servari in museo regis Galliarum.

Incerta anticae epigraphe. Caput laureatum.

LIBERTAS. RESTITVTA. S. C. *Imperator togatus stans figuram genuflectentem sublevat stante retro milite.* AE. I. (Mus Caes. Morelli Impp.)

Novus etiam hic Libertatis typus, qui praeivit numos Hadriani, in quibus restitutas provincias habemus.

Vt lit. B.

LIBERTAS. RESTITVTA. *Caput muliebre Libertatis.* AR.

Hic idem numus est, in quo Seguinus perperam legit: REST. NVM., ut videbimus infra.

---

a) In Galba p. 1055. b) Eclog. I. v. 45. c) Tom. II. p. 162.

GENIO. P. R. *Caput Galbae nudum recalvastrum, pone cornucopiae.*

MARTI. VLTORI. *Mars nudus gradiens d. telum intorquet, s. clypeum minutum rotundum praetendit.* AR. (Morelli Impp).

Antica hujus numi prorsus insolens. Omissis veris titulis dicitur Galba *Genius populi Romani*, additurque cornucopiae, quod unum est ex geniorum attributis. Genium fecit Galbam commune in Neronem odium. Caput in hoc numo praecalvum objicitur, quali fuisse Galbam testatur Suetonius [a]).

Vt lit. Ee. Caput nudum.

PAXS. AVGVSTI. S. C. *Mulier stans armorum acervum admota face comburit, s. cornucopiae.* AE. II. (Mus. Caes. Morelli.)

Memorabilis aversae epigraphe; nam scriptura PAXS archaismus est hac aetate insolitus. Typus ipse nunc primum occurrit, quem successores saepe sunt imitati.

Antica varia.

QVADRAGENSVMA. REMISSA. S. C. *Arcus, supra quem duae statuae equestres.* AE. II. (Morelli.)

In aliis:

QVADRAGENS. REMISSAE. S. C. *Similis arcus, et praeterea intra eum figura stans, ad quam accedunt duae figurae aliae, nudae, ut videntur, et vinctis post tergum manibus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

XXXX. REMISSAE. S. C. *Arcus similis, sed absque figuris subtus.* AE. I. (Morelli).

Antica incerta.

R. XL. LIBERTAS. AVG. S. C. *Libertas stans.* AE. I. II. (Morelli.)

Vt lit. X.

R. XL. ROMA. *Roma galeata stans d. globum, cui insistit figura muliebris d. ramum, s. cornucopiae tenens, s. aquilam legionariam, et simul thoraci innixa, sinistro pede galeam calcat, pro pedibus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Fuisse Galbam intempestive parcum, tradunt scriptores omnes; fuisse tamen aliquod intervallum, quo liberalitati nonnihil indulsit, atque haud dubie mox ab adito imperio captandae causa gratiae, probant hi numi, qui non exiguo numero *quadragesimae remissae* beneficium depraedicant; quibus addendum Suetonii testimonium, narrantis [b]). Vespasianum *omissa sub Galba vectigalia revocasse.* Cujus fuerit naturae haec quadragesima, quam varia, et an revera ejus abolitio fuerit Galbae opus, nam sunt, qui ex Tacito hoc beneficium Neroni rependant, quaere apud Burmannum [c]). Athenis suadente Euripide quadragesimam, *τεσσαρακοστην*, fuisse invectam, narrat Aristophanes [d]), ad quem locum observat vetus scholiastes; *οὗτος ἔγραψε τεσσαρακοστην ἐισενεγκειν ἀπο της οὐσιας ἐις το κοινον, is legem tulit, ut quadragesima bonorum in aerarium publicum inferatur.* Typi varii, quo pacto cum hac vectigalis abolitione possint componi, non satis apertum, ac praecipue in numo, in quo parvae figurae arcum subeunt, quae plerumque in hujus generis cimeliis tam sunt exiles, ut diffi-

a) Cap. 20. 21. b) in Vespas. c. 16. c) Dissert. de Vectig. P. R. c. V. d) in Concionantib. v. 820.

cile sit, earum habitum, cultumque confidenter definire. In figura parva numi postremi ex ramo oleae, et cornucopiae deam Pacem agnosco, cujus beneficio factum, ut quadragesima presso populo remitti potuerit.

Vt lit. B.

REST. NVM. (*ut perperam lectum*) *Caput muliebre.* AR.

Numus hic, qui nunc exstat in museo regis Galliarum, in varias sententias eruditos distraxit. Verum Barthelemyus illo rursum adcurate inspecto, et collato alio simili musei d'Ennery evicit, inanem eam fuisse litem, legendumque: LIBERTAS. RESTITVTA., ut ipse fuse probat [a]).

Numi varii metalli, in quorum aversa:

ROMA. RENASC. *vel* RENASCES, *vel* RENASCENS *typo Romae vel stantis, vel sedentis.*

Isthaec aversae epigraphe vanum fuit augurium Romanorum, exstincta Caesaris stirpe post impuros homines Tiberium, Caligulam, Claudium, Neronem laetiores vices sperantium. Vocabulum RENASCES Havercampo videtur tempus futurum [b]). Mira sane oratio, quae turpem soloecismum in monetam Romanam invehit, cum scribendum fuisse RENASCERIS vel tirones norint. Sane ejus sensus posito in aliis vocabulo RENASCENS satis est apertus. Sic in numis quoque Vespasiani legitur: ROMA. RESVRGES. Placuit saepe Latinis elidere N, praecipue cum literam S. praecedit. Sic etiam in marmoribus optimae aetatis legas INFAS. pro INFANS, et quae similia alia ex lapidibus eruit illustris Marinius [c]). Fecit eadem libido, ut vocabula *quotiens, quadragensuma etc.* N suum amitterent.

Varia anticae epigraphe.

SALVS. GEN. HVMANI. *Mulier stans d. pateram ad aram sacrificat, s. gubernaculum inversum, d. pede globum calcat.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Adludit numus ad id, quod narrat Suetonius [d]), Galbam a Vindice his verbis ad capessendum imperium incitatum: *humano generi adsertorem, ducemque se adcommodaret.* Eadem aversae epigraphe habetur etiam in numis Augusti, quos ad annos V. C. 734 et 742 descripsi, sed in iis alius est typus.

Vt lit. Ee.

SENATVS. PIETATI. AVGVSTI. S. C. *Imperator paludatus stans d. Victoriolam, s. ramum coronatur ab adstante viro senatorio togato barbato s. ramum tenente.* AE. I. (Mus. Caes.)

* * *

SER. SVLPICI. GALBAE. IMP. AVG. *Caput muliebre, ante cujus pectus duae spicae, infra clypeus parvus rotundus.*

S. P. Q. R. *Clypeus votivus.* AR. (Morelli ex reg. Gall.)

Singularis hujus numi adversa, quae juxta ipsius Galbae titulos non hujus caput offert, sed vel Galliae, vel Hispaniae: nam utriusque provinciae genium eodem modo fingi supra vidimus. Cete-

a) B. L. Mem. T. XXVI. p. 547. b) ad Morelli Impp. T. II. p. 161. c) Iscriz. Alban. p. 148. d) Cap. 9.

rum cum epigraphe sit dedicatoria, hoc numo docemur, a S. P. Q. R. clypeum votivum, quales plures in Augusti moneta vidimus, alterutrius provinciae nomine Galbae oblatum dedicatumque.

Antica incerta.

TIBERIS. P. M. TR. P. COS. II. *Tiberinus humi sedens.* AV. (Catal. d'Ennery.)

Vnicus hic Galbae numus est, qui ejus consulatum memoret, et quidem alterum; nam primum privatus inivit teste Suetonio, alterum Kal. Ian. V. C. 822, caesus continuo post dies XV., intra quos adeo singularem hunc numum feriri contigit. Causa illati Tiberini mihi ignota.

A u t o n o m i

Commatis Romani, Galba imperante signati.

Exstant numi complures commatis Romani absque imperatoris capite, vel inscriptione, quos propterea καταχρηστικως, *autonomos* compellare liceat, qui suadente typo, et epigraphe Augustorum aevo sine dubio signati sunt. Horum non paucos jam descripsi in numis Augusti ad annos V. C. 734 et 742; at sunt etiam nonnulli Galbae, et Vitellii, atque etiam aliorum, quos suis locis describemus. Id genus numos habes affatim apud Morellium in incertis familiarum, et in Catalogo d'Ennery. Ad Galbam pertinent sequentes:

BON. EVENT. *Caput muliebre.*

ROMA. RENASCES. *Roma paludata stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes. Morelli incert. fam. tab. I.)

Eadem adversa.

OB. CIVIS. SERVATOS. *Corona civica.* AR. (Morelli l. c.)

Omnes hae inscriptiones et typi obvii sunt in Galbae moneta. Fabrica etiam istud aevi sapit.

LIBERTAS. RESTITVTA. *Caput muliebre velatum, ad cujus pectus spica.*

CONCORDIA. *Mulier sedens d. signum militare, super quo porcus, s. caduceum.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

MARS. VLTOR. *Mars paludatus stans, d. signum militare, s. clypeum.* AR. (Morelli incert. fam. tab. II.)

Eadem adversa.

MARS. ADSERTOR. *Mars paludatus stans d. tropaeum, s. clypeum.* AR. (Morelli l. c. tab. IV.)

Eadem adversa.

S. P. Q. R. *inscriptum clypeo, quem ambit corona querna.* AV. (Morelli l. c.)

HERCVLES. ADSERTOR. *Caput Herculis laureatum barbatum.*

FLORENTE. FORTVNA. P. R. *Mulier stans d. ramum, s. cornucopiae.* AR. (Bimard ad Iobert. T. I. p. 299.)

Ex septem hic descriptis numis tertius ex museo Caesareo, cum quod forte unicus est, tum propter argumentum illustrem locum tenet. Ejus pars aversa *Concordiam* enunciat, cujus quoque symbolum est caduceus, quem mulier manu tenet. Indicari vero concordiam ipsius Hispaniae, atque ut verisimile est, militum ex Hispanis conscriptorum in deferendo Galbae principatu, invictum argumentum praebet signum militare, cui superne porcus imminet. Esse istud animal insigne Hispaniae, comprobant

numi gentis Coeliae, in quibus visitur signum militare, cui inscriptum HIS*pania*, juxta porcus, aut in aliis porcus signo militari eodem modo, ut in praesente, praefixus. Quid quod ipsius Cluniae, qua in urbe Galbam acclamatum fuisse imperatorem diximus, insigne esse porcum, hujus urbis numi luculente demonstrant, in quibus id animal in aversa aut solum typum facit, aut saltem instar signi incusi insertum est. Adi Florezium. Ad haec novimus, quam saepe Hispania in Galbae numis memoretur. Ceterum ipsa antica tam per epigraphen, quam typum nos monet, hos numos sub Galba fuisse signatos, nam in nullis alterius imperii numis Libertati spica tribuitur. Hanc vero a Galba restitutam ope *Martis* cum *Vltoris*, tum *Adsertoris* partes aversae loquuntur. Quare inique Havercampus, ubi in hos Morellii numos commentatur, eos in IIIvirorum, et Augusti aetatem retrahit. Singularis est etiam is, quem postremo loco descripsi, et qui fuit olim in museo abbatis Rothelin. Si numi praecedentes cum epigraphe MARS. ADSERTOR imperante Galba sunt signati, dubium non videtur, etiam numum inscriptum HERCVLES. ADSERTOR. cum iisdem sociandum, praecipue cum ejus typi praeclaram suppeditent illorum temporum allegoriam. Quemadmodum enim Hercules ex Hispania redux occiso Caco latrone septem colles in libertatem adseruit, sic et Galba ex eadem Hispania reversus dejecto Nerone Romam iisdem septem collibus impositam liberavit, effecitque, ut *florere Fortuna P. R.* iterum inciperet.

Forte inter numos illos, quos eodem loco Morellius inter incertos exhibet, adhuc sunt, qui natales suos Galbae imperio debeant, sed dubia sunt eorum criteria, et Vitellii, aliorumque imperatorum aetati non repugnant.

Numi restitutionum.

Hi recensentur in tractatu singulari de numis hujus classis, quem dedimus volumine V.

Numi commatis peregrini.

Perpauci id genus numi propter Galbae breve imperium adhuc cogniti, suntque:

Populorum liberorum:

Antiochiae Syriae: ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΖΙΡ. (Morelli.) de quo numo ad stabiliendam ejus urbis epocham eximie valido in hujus urbis moneta egimus.

Cypri. Hujus numi alii cum capite Galbae inscribuntur: ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ. ЄΤΟΥϹ. Α. (Vaill. Morelli.) At in alio Haymii: (Thes. Brit. T. II. p. m. 245.) ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ. ЄΤΟΥϹ. Β. Eruditus editor cum annos binos componere cum septem mensium imperio nequiret, ad concepta pro stabilitate imperii Galbae vota confugit. Non advertit animum ad numos Galbae Alexandrinos, quorum alii Α, alii Β pariter offerunt, sed cujus explicatus cognitus.

Coloniarum numi hi quoque ex eadem causa rari. Habemus Babbae, Corinthi, Patrarum.

Alexandrini minus rari.

Nomina Galbae.

Praeter jam cognita *Servii Sulpicii*

leguntur etiam in numis Alexandrinis nomina *L. Livii*, sic: ΛΟΥΚ. ΛΙΒ. ΣΟΥΛΠ. ΓΑΛΒ. Haec praeclare explicantur a Suetonio [a]), qui cum narrasset, habuisse Serv. Sulpicium Galbam novercam Liviam Ocellinam, mox infra refert: *adoptatus a noverca sua LIVII nomen, et Ocellae cognomen adsumpsit MVTATO PRAENOMINE; nam et LVCIVM mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit.* De his nominibus, et numis olim copiosius disserui in mea Sylloge I. p. 68, ubi praeterea monumenta alia produxi, quae eum, adhuc privatus cum esset, *L. Sulpicium*, quin et *L. Livium L. F. Ocellam* appellant. Ante istud tempus numos hos Alexandrinos a quopiam explicatos, aut certe solide, ac vere, non reperi. Reperi serius eorum similem descriptum ab Harduino [b]), sed non allata horum nominum causa. Mirum vere est, quod Spanhemius de hoc agens Harduini numo contra certam Suetonii fidem disserit [c]). Ait enim: ΛΟΥΚ. ΛΙΒ. ΣΟΥΛ. *reddi debuit noto adoptatorum apud Romanos more* Lucius Livianus Sulpicius *Galba.* Viro maximo aliquid humani hoc loco accidisse quis negaverit? Nam si Sulpicius Galba in familiam Liviam transivit, ex adoptionis lege dicendus fuisset non *Livianus*, sed *Livius Sulpicianus.* Recte etiam dixit Suetonius, Galbam Lucii nomen usque ad tempus imperii usurpasse; nam in omnibus Galbae numis commatis Romani aliud praenomen quam Servii non habemus. At in provinciis retenta adhuc nonnunquam vetera fuisse nomina, hos numos testes luculentos habemus.

PRETIVM.

	Aurei - - - - - - - - -	R.
	Argentei - - - - - - - - -	C.
	Aenei I. et II. formae - - - - - -	C.
	Aenei III. formae - - - - - - -	O.
Commatis	*peregrini.*	
	Aenei urbium liberarum - - - - -	RRR.
	Alexandrini - - - - - - - - -	R.

M. SALVIVS OTHO.

Natus V. C. 785 IV. Kal. Majas patre L. Salvio Othone viro virtutis spectatae, et omnes reip. honores emenso, matre Albia Terentia illustris domus [d]). Iuventus ejus prodiga, et procax fuit, sed propter hanc ipsam morum congruen-

a) Cap. 3 et 4. b) Hist. Aug. p. 726. c) Tom. II. p. 28. d) Suet. in Othon. cap. 1. 2.

tiam probata Neroni ejus vita. Brevi tamen inter utrumque intercessit dissidium, cum Nero Poppaeam Sabinam deperiret, quam marito abductam uxorem ducere parabat Otho, neque cedere rivali Caesari. Per honorem igitur a Nerone sepositus in Lusitaniam, eam provinciam decennio singulari moderatione, et abstinentia rexit. Deficienti subinde Galbae se primus junxit, oblata etiam in pecuniae usum aurea et argentea supellectile [a]), fuitque deinceps imperatori fidus, donec praelatum sibi in adoptione Pisonem vidit. Commotus igitur cum dolore offensae, tum aeris alieni magnitudine, quod abolere nisi in summo fastigio non poterat, compositis insidiis a paucis primum salutatus imperator, mox adjutus a militibus per ingentes pollicitationes adlectis, et Galbae propter avaritiam infensis hunc cum Pisone interfici jubet V. C. 822 die XV. Ianuarii. Principia imperii mitia ac moderata fuere, cognomen etiam Neronis sibi dari ad captandam infimae plebis gratiam non abhorruit. At qualis evasurus esset, per breve et impacatum imperii tempus intelligi non potuit. Nam cum paucis ante diebus legiones Germaniae Vitellio imperium detulissent, hicque cum geminato exercitu Italiae immineret, tentatis frustra pacis conditionibus obviam hosti eundum fuit. Ipso Brixilli subsistente duces feliciter aliquoties cum Vitellianis congressi, tandem internecione apud Bedriacum caesi sunt; cujus cladis accepto nuncio etsi adventantibus quaquaversum novis legionibus reparare facile jacturam potuisset, militesque vitam ac sanguinem pro ejus causa offerrent, tamen reipublicae causa, ut parceretur civibus, cessit Vitellio, seque ipse ingente militum dolore ac luctu interemit, fuitque mors forti animo obita magno omnibus miraculo, qui mollem ejus, fluxamque vitam, ac munditias paene muliebres novere. Qua motus incredibili constantia Martialis non dubitavit Catoni Othonem comparare [b]):

Sic Cato dum vivit, sane vel Caesare major,
Dum moritur, nunquid major Othone fuit?

Mortuus est die XVI. Aprilis ejusdem anni V. C. 822 septimo et tricesimo anno, imperii die quinto et nonagesimo. Modicum ejus monumentum apud Brixillum, inscriptumque: M. OTHONIS, adhuc Plutarcho conspectum fuit. Ejus tumultuarium imperium nobis scriptum reliquere Tacitus, Suetonius, Plutarchus, Dio.

Numi:

Hujus numi commatis Romani, quos aureos et argenteos, quod sciamus, tantum fuisse infra dicemus, duas tantum diversas capitis inscriptiones offerunt, neglectis aliis, quas proponit Morellius, sed de quibus certum judicium, sintne hujus commatis, ferri nequit, cum more suo partes anticas a posticis divellat.

IMP. OTHO. CAESAR. AVG. TR. P. et:

IMP. M. OTHO. CAESAR. AVG. TR. P.

---

a) Plutarch. in Othon. Suet. c. 4. b) L. VI. epigr. 32.

Caput Othonis in his aureis et argenteis commatis Romani numis nulla unquam corona laurea ambitur, quae tamen additur in numis cum argenteis, tum aeneis commatis peregrini. Illi omnes capillos curtos, et certa lege, citra morem, quem in aliorum imperatorum imaginibus spectamus, compositos exhibent, quem nobis cultum egregie explicat Suetonius [a]), *munditiarum vero paene muliebrium* fuisse Othonem scribens, *vulso corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato et annexo, ut nemo dignosceret;* quo docemur, Othonem ad tegendam calvitiem, quae turpis olim habita fuit, comis adscitiis usum. Alium rursus cultum videmus in numis commatis externi, in quibus caesaries promissior, et decora objicitur. Quin in his faciei quoque lineamenta abludunt ab illis, quae in numis Romanis observantur. Tam varii dissidii ratio in promptu. Provinciae remotae mox audito, ad imperium evectum Othonem, nondum cognito sibi ejus cultu, et lineamentis, finxere caput, quale esse videbatur; serius etsi illis probe cognitis a feriunda Othonis nomine moneta abstinuere incerto primum orbe de belli civilis exitu, deinde sublata per ejus necem causa.

* * *

Partes aversae sunt:

PAX. ORBIS. TERRARVM. *Mulier stans d. ramum, s. caduceum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

* * *

PONT. MAX. *Mulier stans d. spicas, s. cornucopiae.* AV. AR. vel: *Aequitas stans.* AR. vel: *Mulier velata sedens d. pateram, s. hastam.* AR. vel: *Imperator togatus sedens d. ramum, s. hastam.* AR. vel: *Imperator eques citato cursu.* AR. (Mus. Caes. Morelli.)

* * *

ROMA. *Roma galeata stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. Numum depictum stitit Morellius quidem, verum utrum eum viderit quoque, ac non potius ex suspecto fonte hauserit, dubitem.

* * *

SECVRITAS. P. R. *Mulier stans d. coronam, s. hastam.* AV. AR. (Mus. Caes.) Alius Morellii, in quo plenius POP. ROM., et Securitas sedens, videtur suspectus.

* * *

VICTORIA. OTHONIS. *Victoria stans, vel gradiens, etiam super globo.* AV. AR. (Morelli, Mus. Caes.)

* * *

Alias etiam partium aversarum inscriptiones et typos promulgavit Chiffletius in dissertatione, quam mox laudabimus, sed eos numos spurios suspicor, certe in adcuratioribus catalogis descripti non reperiuntur.

De numis aeneis Othonis.

Cum primum artibus liberalibus ac disciplinis restitutus honos est, coeptum etiam magna aviditate in numos veteres inquiri, ac divisa tum numismata, ut etiam amoeno spectaculo pasceretur oculus, in classes varias pro vario metallo, et volumine. Ast doluere ejus scientiae studiosi, locupletes suas, ac

---

a) Cap. 12.

continuas series, cum ad aeneos Othonis perventum est, turpem hiatum ostentare. Eam inopiam suum dedecus arbitrati magna pecuniae vi oblata redimere ejus generis cimelium parabant, visumque tum aeneum Othonis caput ingenti pretio, ac praemiis addictum. Et erant, qui stare promissis poterant; nam non viri modo literati, verum etiam principes Othonis aenei adipiscendi magno flagrabant desiderio, quos inter nominasse suffecerit Ferdinandum III. Aug., eique coaevum Leopoldum Guilielmum archiducem, et Christinam Suecorum reginam. Illecti tam liberalibus promissis impostores non defuere rei suae, et qua pollebant in imitandis numis veteribus dexteritate, exempla non pauca sui operis, velut ex terrae visceribus eruta, venum obtulere, atque ut certius fallerent incautos, e re visum, genuinum alterius imperantis caput in Othonis os, ac vultum subtili artificio transformare. Fuit ignominiosa haec ars Othones aereos obtrudendi jam sub ipsis rei numismaticae incunabulis exercita, et fatalis iis, qui his cimeliis delectabantur. Etenim Aeneas Vicus Parmensis, Antonius Piso (le Pois) Gallus, Antonius Augustinus praesul Tarraconensis, qui circa saeculi XVI. dimidium scriptis suis inclaruere, fraudem jam tum diditam detexerunt, meminitque horum postremus Ioannis Cavini Parmensis, magnum ab infausta ea scientia nomen adepti. Satis constat, deceptos horum fraude non paucos insignis famae eruditos, et a viris lautioris fortunae, quos inter Carolum Croyum ducem Arschotanum, et ducem Bukinghamium memorat historia, magnam pecuniae summam in deformem hanc mercem inconsulto effusam. Detectis paullatim his praestigiis magno motu, atque adsensu vario agitari quaestio coepta, utrum existerent indubitatae fidei numi Othonis aenei commatis antiqui? Negarunt istud viri a rei numismaticae usu et exercitatione inclyti nominis, praecipue qui in Italia versabantur, et celebre tum per omnium ora fuit Christinae oraculum edisserentis: *qui aereum Othonem repererit antiquum, philosophicum lapidem invenerit.* Ea disceptatio occasionem dedit dissertationi *de Othonibus aereis*, quam jussu Leopoldi archiducis elucubratus est Henricus Thomas Chiffletius reginae Christinae in urbe a sacris obsequiis, quae deinceps inserta quoque est Tomo I. novi Thesauri Rom. antiquit. Salengrii. In hac vir eruditus probare contendit, nullum omnino exstare Othonem aeneum, qui vere antiquus sit, et qui hactenus oblati sunt, esse spurios, aut ex genuinis per fraudem confictos.

Aeri Othoniano indulgentiorem se praebuit Carolus Patinus medicus Parisiensis, qui non modo professus est, non paucos exstare aeris sincere veteris, atque a se conspectos, et in rigidum examen vocatos [a]), sed ipse etiam complures ejus generis in lucem edidit cum in Thesauro Mauroceni [b]), tum in suis imperatorum numis, permovitque Chiffletium ipsum, ut in gratiam cum aeneis Othonis numis rediret, ut patet ex data ejus ad Patinum epistola,

a) Hist. num. cap. 21. b) pag. 114.

et ab hoc in postremum istud opus inserta, quo is loco Othonis monetam lustravit. Haec quae hactenus proposui, sumpsi pleraque ex ipsa Chiffletii dissertatione, et qui plura volet, consulat verbosum pro instituto suo Christianum Schlegelium, qui ejus causae ortum ac progressum late commemorat in Impp. Morellii T. II. p. 183.

Qui eruditos hos viros consecuti sunt antiquarii, viderunt longo usu edocti, aliter, quam his visum de universa causa sentiendum procul dubio esse. Ajunt I., dari numos aeneos Othonis, eosque nulla fraudis suspicione veteres, quae sententia Chiffletii criminationem ferit; at negant II., repertum hactenus aeneum Othonis numum, qui sit commatis Romani, quo fulmine jure perstringitur Patinus, qui non modo eo discrimine, quod in hac causa magni momenti est, usus non fuit, verum etiam Romanos agnovit eos, qui certo extra urbem sunt signati, ut videre est ex ejus numis imperatorum. Neque hodie dubitatur amplius, vel eos ipsos Othonis numos, qui inscripto intra lauream S. C. typum Romanum proxime imitantur, non Romae, sed apud Antiochiam Syriae fuisse signatos, quod non modo fabrica ejus generis numorum invicte demonstrat, sed etiam numi plerorumque aliorum imperatorum ejusdem argumenti, quos ex Syria emersisse nemo jam in dubium vocat. Et vero necessarium hoc discrimen video etiam ignotum fuisse Cappono Bononiensi, qui anno 1669 commentarium *de Othone aereo suo* scripsit, tum et Seguino [a]).

Cum igitur hactenus repertus non sit aeneus Othonis numus commatis Romani, verisimile est, neque unquam ejus nomine aeneum fuisse signatum, atque id eo magis, quoniam non pauci supersunt cum aurei, tum argentei; cumque majore semper copia hoc aevo feriri solerent numi aenei, quam nobilioris metalli, necesse esset plures exstare aeneos si unquam aenei signati essent. Mirum istud jam prioris aevi antiquariis visum, ac propterea jam pridem in ejus defectus causam inquiri coeptum. Major eorum pars adseruere, negatum hunc Othoni ab senatu honorem (nam ad senatum feriundae monetae aeneae jus pertinuit) quoniam ei infensus erat ob caesum violente Galbam, quodque a militibus, non ab se dictus fuerat Augustus, quod omnia ex militum voluntate gererentur, senatus autem nihili haberetur, cujus varia exempla ipsis ex Tacito, Suetonio, Plutarcho, Dione praesto sunt. Verum plane infirma haec est ratio. Esto, fuisse senatum, ut erat, infensum Othoni, an ausus fuisset, nisi per extremam temeritatem, aperte negare honorem principi saltem per longam consuetudinem debitum, et armato, et degenti Romae, et senatum in potestate habenti? Ipse nuper Nero a praetorianis inconsulto senatu proclamatus est imperator, an propterea negata pecunia aenea? Quin vero teste Tacito [b]), mox audito, Othonem factum imperatorem, *adcurrunt patres*, *decerni-*

a) Num. s l. p. m. 143. b) Hist. I. 47.

tur Othoni tribunicia potestas, et nomen Augusti, et omnes principum honores. Ipse in concione militum jactabat publice: *Senatus mecum est* a). Vtrum senatus, qui concessit summa, negaverit honores communes, et receptos? An non hic neglectus vel in re tenui luculentum fuisset indicium principis vel contempti, vel odio habiti? Denique si unquam patribus fuit gravis ratio principis colendi, fuit profecto gravissima Othone imperante; nam huic uni debuere, quod non ad unum omnes caesi sunt a militibus, qui non semel totius ordinis excidium ausi sunt flagitare, atque etiam semel per vim tentare b). Adferuntur rationes aliae, sed priore multo infirmiores, nonnullae etiam extreme frigidae. Accusant alii brevitatem imperii. At cur eadem brevitas non impedivit etiam, quo minus ferirentur aurei et argentei, et in nostram aetatem durarent? An non brevius fuit, aut aequale Pertinacis, Quintilli, Floriani imperium, quorum tamen copiosi numi supersunt? Perspicaciores alii, cum nossent Othonis vitam mollem, ac delicatam, aversatum eum fuisse monetam aeneam acute viderunt, quoniam *manus contactu aeris inficitur odore pravo, veneni etiam participe materia, et quae a poculentis abdicetur, et esculentis,* perinde quasi aenea moneta aut principi necessario fuisset contrectanda, aut ad conviviorum apparatum adhibenda. Postrema ratio omnium longe inficetissima. Aes flavum Italis *ottone* dicitur, fors ita dictum per ἀντιφρασιν, quod ab aere Otho adhorreret, perinde ac Fata, quae omnium minime parcerent, *Parcae* appellatae sunt. Postremas has duas causas reperit Ioannes Iacobus Chiffletius, ut testatur ejus filius Henricus in laudata dissertatione, quas ideo commemorare placuit, ut appareat, in quae ἀπροσδιονυσα delabamur, cum omnium rerum volumus penetrare causas, quas nos ignorare majore cum laude praestaret profiteri, *nihilque*, ut cum Tullio loquar c), *tam praepostere, tam incondite, tam monstruose cogitari posse, quod non possimus somniare.* Quam nos idoneam adferemus causam, cur obvii ac viles sint aenei Galbae numi, cum Vitellii, qui tamen aliquanto diutius ipso Galba imperavit, perrari sint numi ejusdem metalli? Istud igitur certum esto, tam nobis esse ignotam veram ejus facti causam, quam nobis incompertum verum, et antiquum exemplar numi aenei Othoniani commatis Romani. Ego hercle ejus reperiundi fortunam non magnopere appeto; nam praejudicatis adversus aeneos Othonis numos omnium animis, etsi oblatus ejus generis numus omnia praeferret γνησιοτητος argumenta, tamen satis scio exstituros, qui, ut ajunt, nodum in scirpo quaerent, numumque vel per levissimas, aut arcessitas causas, quas in cujusvis alterius imperatoris numo aut non viderent, ant excusarent, inauditum condemnabunt.

Non dissimulandi hoc loco numi restitutionum aenei cum capite Othonis a variis vulgati:

a) Tacit. Hist. I. 84. b) Sueton. c. 8. alii passim. c) de Divinat. L. II. c. 71.

M. OTHO. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. P. P. *Caput nudum.*

IMP. T. CAES. DIVI. VESP. F. AVG. -- *in medio* S. C. AE. II. (Mus. Farnes. Tom. VIII. p. 317.)

IMP. OTHO. CAESAR. AVGVST. TR. P. *Caput nudum.*

IMP. TITVS. AVG. RESTIT. *Figura militaris stans d. elata, s. hastam.* AE. II. (Morelli Impp. Mus. d'Ennery p. 521.)

Prior numus non modo Pedrusio praeconi, sed etiam omnibus primae famae in urbe antiquariis, quorum is examini numum ipsum subjecit, sincerae esse antiquitatis visus est. Neque aliter sensit Mediobarbus αὐτοπτης in nota ad numos Othonis catalogi sui pag. 103. Hi numi, si vere sunt, ut creditur, antiqui, multum molestiae facessunt iis, in quorum sententia vocabulum REST. in ejus generis numis *numum restitutum* notat; nam inde aut consequetur necessario, exstitisse aeneam Othonis monetam, secundum cujus exemplar Titus praesentes numos feriundos curavit, et tum fallentur ii, qui, ut dixi, negant, Romae aeneam Othonis monetam fuisse signatam, aut necesse erit confiteri, Titum, aliosque in restituendis numis non semper certam legem fuisse secutos. Verum ii quoque, qui vocabulum REST. ad restituta opera publica referunt, non parum laborabunt, cum expedire eos jusseris, qualenam opus publicum Otho intra exiguum trium mensium spatium, atque istud jam inde a principio bellicis motibus turbidum potuerit concipere, nedum ad coronidem perducere. Forte ob eandem hanc causam eruditus le Beau posterioris hujus sententiae auctor utrumque hunc numum dissimulandum duxit in locuplete catalogo, in quo omnes restitutionum numos recitat [a]). Sed de similium numorum natura ample egimus Vol. V. in tractatu de numis restitutionum. Ceterum numi prioris fides eo valde suspecta est, quod *patris patriae* titulum adjungit, quem illi unquam fuisse delatum, nullum habemus testimonium.

Animadvertendum denique, exstare parvos aeneos Othonis cum inscriptionibus et typis, quales in aurea ejus, et argentea moneta spectantur, quorum nonnullos laudatus Chiffletius describit in dissertatione citata [b]). Hi, utut genuini, aeneam Othonis monetam non stabiliunt, verum sunt, ut vir idem eruditus jam monuit, animae subaeratorum, quae argenteam pelliculam penitus amisere, quales copiosos in vetere moneta, et passim in imperatorum numis habemus.

Numi restitutionum.

Vide, quae de his continuo altius, tum et in tractatu de his numis observavimus.

Numi commatis peregrini.

Taciti verba sunt [c]): *Longinquae provinciae, et quidquid armorum mari dirimitur, penes Othonem manebant, non partium studio, sed erat grande momentum in nomine urbis, ac praetextu senatus, et occupaverat animos prior auditus. Iudaicum exercitum Vespasianus, Syriae*

a) Mem. B. L. Tom. XXIV. b) Cap. VI. c) Hist. I. 76.

legiones Mucianus sacramento Othonis adegere. Simul Aegyptus, omnesque versae in Orientem provinciae nomine ejus tenebantur. Idem Africae obsequium initio a Carthagine orto. - - - Carthaginem ceterae civitates secutae. Tacitus his verbis omnes provincias complectitur, quarum urbes ac populi Othonis aetate propriam ferire monetam consuevere; nam continentes in Occasum sitae jam pridem ea abstinuerunt. Vt adeo ditionum in Orientem vergentium numi cum capite Othonis, nisi causae aliae morentur, fidem possint promereri, in Occidentem sitarum numus ejus genuinus sperari vix possit.

Ex *populis liberis* ejus numos signavit *Antiochia Syriae*, et alios quidem argenteos inscriptos ЄΤΟΥC. A. typo aquilae, (Vaill. Morelli) alios aeneos medii inter I. et II. formam moduli cum epigraphe Latina, et in ☧ S. C. intra lauream. Similes numos tam argenteos, quam aeneos fuisse ordinariam Antiochensium monetam, in horum numis diximus. Ibidem alium ejus insignem numum produximus:

IMP. M. OTHO. CAE. AVG. *Caput Othonis:*

ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΖΙΡ. *intra coronam.* AE. III.

Idem Romanorum magistratus Mucianus, et annus 117 exstant etiam in numis Galbae. Hi numi egregie confirmant initium aerae Antiochenae, et quae de Muciano Othonis partes amplexo mox ex Tacito vidimus. Vide de his monetam Antiochiae Syriae.

Vulgati quoque sunt ejus numi Caesareae Cappadociae. (Morelli.) Alium Maroneae Thraciae edidit Seguinus, (Num. sel. p. 136.) sed quem ex Neroniano factum Othonianum docet non Vaillantius modo [a], sed et Morellius proposita sincera ejus numi icone [b].

Coloniarum. Hujus generis certus Othonis nondum compertus. Quem Gessnerus ex museo Pfau citat inscripto: TI. CLAVDI. OPTATO. IIVIR. COR. ISTHMIA, esse haud dubie Neronis, aut ex hoc in Othonem fraude transformatum, colligo ex similibus Neronis coloniae Corinthi numis apud Vaillantium.

Alexandrini non pauci superant, omnes cum epigraphe L. A., quos omnes vide loco suo.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei, et argentei - - - - - -	RR.
Aenei certae fidei - - - - - - -	O.
Aenei a Tito restituti, nonnullorum judicio probati	RRRR.

Commatis peregrini:

Populorum liberorum - - - - - -	RRR.

a) Ad Seguini num. sel. p. 412. b) Specim. tab XXI. n. 1.

Coloniarum - - - - - - - - -	O.
Alexandrini - - - - - - - - -	RR.

A. VITELLIVS.

Vitelliorum genus alii perantiquum, et e Sabinis ortum dixere, alii perobscurum, ac pudendum. Vitellios cumprimis nobiles regnante postremo Tarquinio exstitisse Romae memorant Livius [a]), et Plutarchus [b]). P. Vitellius hujus nostri avus domo Nuceria, eques Romanus, et rerum Augusti procurator quatuor reliquit filios, Aulum in consulatu mortuum, Quintum nulla re insignem, Publium Germanici in Syriam comitem, et Cn. Pisonis accusatione nobilem, Lucium nostri Auli patrem, ter consulem ac censorem, de quo plura infra ad ejus numum. Ex hoc, et matre Sextilia probatissima femina natus est A. Vitellius V. C. 768 mensis Septembris die minus certo. Probavit se mox Tiberio per voluptates, nam et ipse Capreis *spintriae* nomen est promeritus, Caligulae per aurigandi, Claudio per aleae studium, Neroni propter haec eadem. Ab his adfectus honoribus amplissimis in Africam subinde proconsule abiit, eamque provinciam biennio continuo administravit. Redux Romam urbis munia obivit, missus denique a Galba legatus Germaniae inferioris legionibus praepositus est V. C. 821. At vero milites Galbae imperium exosi, cum proximis Kalendis Ian. V. C. 822 ex more in Galbae verba jurare a Vitellio juberentur, detrectato sacramento conversis animis suum ipsi Vitellium imperatorem salutavere, cui continuo accesserunt legiones Germaniae superioris, mox Belgica, Lugdunensis, Raetia, Britannia. Caeso interea Romae Galba, atque intellecto, evectum ad imperium Othonem, nimirum contra hunc aemulum proficiscendum erat. Ergo exercitum bifariam divisum, ducibusque commissum in Italiam praemittit, fractusque primum nonnullis praeliis, mox relata insigni ad Bedriacum victoria, et Othone voluntaria morte interempto imperium solus tenuit. Ingressus urbem brevi justum bonorum omnium odium incurrit ob comissationum, et coenarum intemperiem et frequentiam, quibus parandis exhauriebatur aerarium, tum luxuriae, et saevitiae dira exempla, et quod medio Martio campo adhibita publicorum sacerdotum frequentia mittere Neroni inferias non dubitavit, ex quo patuit, quod sibi in administrando imperio exemplar praefigeret. Quo communi omnium ordinum odio patefacto Vespasianus Iudaeae tum praeses, etsi ipse, atque exercitus in Vitellii verba jurassent, persuaderi denique se passus est, ut oblatum a suis imperium acceptaret, cujus exemplum secutae sunt non modo vicinae Syriae, et Aegypti legiones, sed dissiti etiam magnis terrarum marisque spatiis Moe-

a) L. II. c. 4. b) in Poplicola.

siae et Pannoniae exercitus, quorum dux Antonius Primus superatis Alpibus Italiae infusus victis, qui adversi stetere, Vitellianis, aut ut ad partes suas transirent, persuasis, mense Decembri prope urbem castra posuit. In hac interim turbata omnia partium studio, praevalentibusque Vitellianis Flavius Sabinus Vespasiani frater in Capitolium pulsus obsessusque, illo ingente incendio deflagrante, dedere se coactus interfectusque est. Mox Antonii milites urbem ingressi repertum in latebris, quo se abdiderat, Vitellium protrahunt, vinctumque, ac multis ludibriis plagisque atrociter vexatum apud scalas Gemonias multis vulneribus conficiunt, corpusque in profluentem abjiciunt, quae contigere circiter die XX. Decembris. Vixit secundum Dionem annos LIV. dies LXXXIX., imperavit a morte Othonis menses VIII. adjectis paucis diebus. Vitam scripsere Tacitus, Suetonius, Dio.

Vxor I. *Petronia*, quam repudiavit [a]).

Vxor II. *Galeria Fundana*. Ea numis genuinis caret. De liberis agetur mox in Vitellii numis.

Partes adversae.

A. A. VITELLIVS. IMP. GERMANICVS. *in AV. et AR.*
B. A. VITELLIVS. IMP. GERMAN. *in AV. AR. AE.*
C. A. VITELLIVS. GERMANICVS. IMP. *in AV. et AR.*
D. A. VITELLIVS. GERMAN. IMP. TR. P. *in AR.*
E. A. VITELLIVS. GERM. P. M. TR. P. *in AE.*
F. A. VITELLIVS. AVG. IMP. GERMAN. *in Quinariis.*
G. A. VITELLIVS. GERM. IMP. AVG. P. M. TR. P. *in AE.*
H. A. VITELLIVS. GERMA. IMP. AVG. P. M. TR. P. *in AE.*
I. A. VITELLIVS. GERM. IMP. AVG. TR. P. *in AV. et AR.*
K. A. VITELLIVS. GERMANICVS. IMP. AVG. P. M. TR. P. *in AE.*
L. A. VITELLIVS. GERMAN. IMP. AVG. P. M. TR. P. *in AE.*
M. A. VITELLIVS. GERMAN. IMP. PONT. *Sic proditur in aeneo I. formae in Catalogo musei Turnonensis S. I. Haec epigraphe si bene lecta, signatus est numus ante susceptum pontificatum maximum.*

Ex hac inscriptionum serie videmus, Vitellium praeter propria sua nomina constanter usum titulis *imperatoris* et *Germanici*, non semper *Augusti*, *Caesaris* nunquam. Egregie cum numis concordant auctores, ac definite quidem Suetonius [b]): *Cognomen GERMANICI delatum ab universis cupide recepit, AVGVSTI distulit, CAESARIS in perpetuum recusavit.* Et Tacitus: *Nomen GERMANICI Vitellio statim datum, CAESAREM se appellari etiam victor prohibuit*, idque tanta pertinacia, ut *praemiserit in urbem edictum, quo vocabu-*

a) Tacit. Hist. II. 64. b) Cap. 8.

lum AVGVSTI differret, CAESARIS non reciperet a). Similia memorat etiam Plutarchus b). At enim *urbem ingressus coactus est a populo ad adsumendum AVGVSTI titulum* c). Quin inclinante fortuna, cum ab hostibus undique premeretur, *et CAESAREM se dici voluit aspernatus antea, sed tunc superstitione nominis* d). Ex his testimoniis explicatam habemus rationem appellationum, quae in numis aut semper, aut rarius, aut nunquam leguntur. Caesaris nomen in his abest, etsi illud denique admitteret, verum, ut apparet, nimis sero. Legitur tamen in numis Alexandrinis, nondum scilicet perspecta ejus voluntate, ipso vero Vitellio paucis tantum diebus in Aegypto agnito imperatore. Atqui si per modestiam venerabili eo nomine abstinuit, unicum istud Vitellii factum, dum in fastigio stetit, laude dignum videri possit. Sane magis vitae congruebant nomina ultimae infamiae a dicace vulgo indita, *spintriae* ob exercitas cum Tiberio in Capreis libidines e), *incendiarii* ob incensum Capitolium, *patinarii* ob conviviorum insaniam, tum quod patinam argenteam, qua cibi quaesitissimi parabantur, ob immensam magnitudinem *clypeum Minervae* appellavit, dedicavitque, quam serius Hadrianus in saniores usus conflari praecepit f). Ab inepta plebe inditum ei etiam *Concordiae* nomen g).

Ex his, quae diximus, indubitatum est, numos Vitellii, qui *Augusti* appellatione abstinent, reliquis tempore priores esse. In quibus is dicitur *pontifex maximus*, ii signati non sunt ante XV. Kal. Aug., ut infra in numis inscriptis PONT. MAXIM. probabitur.

Caput in omnibus fere ejus numis laureatum est, perraro nudum.

Patris patriae titulum nullus certus Vitellii numus offert. Vnum aeneum I. formae cum ejus mentione sistit Pedrusius, sed qui, ut ex ejus imagine conjicere licet, satis integer non fuit. Miranda Schlegelii oscitantia, qui in commentario ad Morellium, ejusque tabulam I. Vitellii num. 11 revera hunc titulum memorat, qui tamen in ipso Morellii ectypo abest, cumque aliquoties subinde obtrudit, v. c. p. 237 bis. At vero, quod jam alias memini, in toto hoc opere ejus commentatores pro libidine, quas volebant capitis inscriptiones magno artis nostrae incommodo, et errandi periculo cum partibus aversis composuerunt.

Partes aversae.

Vt lit. K.

HONOS. ET. VIRTVS. S. C. *Honos seminudus stans d. hastam, s. cornucopiae, juxta stans Virtus capite galeato d. parazonium, s. hastam, et dextero pede galeam, ut videtur, premens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem aversa obvia est in numis Galbae. Ad numos similes provocat Iobertus, cum in illud armorum genus inquirit, quod saepe in moneta vetere a viris militaribus praeferri manu videmus, et ab antiquariis vulgo *parazo-*

---

a) Tacit. Hist. II. 62. b) in Galba p. 1063. c) Tacit. Hist. II. 90. d) Tacit. Hist. III. 58. e) Suet. c. 3. f) Suet. c. 13. 17. Dio L. LXV. 3. g) Suet. c. 15.

nium dici solet, certumque putari gladium, qui ex cingulo suspenditur. Si gladius esset inquit, non sic praeferretur manu, ut in numis praesentibus, variisque aliis, uno ejus fine in altum elato, altero ad genu applicato, sed haereret ad latus adfixus cingulo. Addit, mirari se vehementer illud, quod nunquam in numis sive imperator, sive miles compareat armatus gladio etiam tum, cum cultum illi plane militarem praeferunt. Dubitari igitur nullatenus posse, parazonium istud aliud non esse, quam *un vrai bâton de commandement*, *tel qu'est parmi nous le bâton de Maréchal de France.* Haec Iobertus [a]), quam sententiam, haud dubie ex eodem captam, amplexus est etiam Pinckertonus [b]). At mihi, qui retinendam sententiam veterem plane existimo, inquirendum primo videtur, quid veteres *parazonii* nomine intellexerint. Vocabulum istud ex Latinis scriptoribus ab unico Martiale usurpatur, efficitque titulum epigrammatis XXXII. libri XIV.

Parazonium:

Militiae decus hoc, et grati nomen honoris,
Arma tribunicium cingere digna latus.

Iuxta etymon Graecum parazonium est, quidquid potest ope zonae corpori adligari, aut etiam cingulum vel balteus, ex quo alia quaecunque res suspenditur. Quare et dixit Plato [c]): *τιαρας και ςρεπτꝏς και ἀκινακην παραζωννυσθαι*, *tiaras, et torques, et acinacem praecingere.* At mirum profecto, vocabulum istud, etsi pure Graecum, non reperiri in auctoribus melioris aetatis, et tantum in glossariis mediae et infimae Graecitatis. Exstant tamen adfinia vocabula, atque haec fere semper *parvos gladios* significant. Hesychius: *Παραζωςρις, μικρα μαχαιρα.* Idem: *Ξιφος, μαχαιρα, ἡ περιζωνιον, ὁμωνυμον φασγανον*, Athenaeo memorantur *παραζωνιδια και λογχαρια* [d]). Xenophon inter Chalybum arma memorat etiam *παρα την ζωνην μαχαιριον, ὁσον ξυηλην Λακωνικην, ᾧ ἐσφαττον, ὡν κρατειν δυναιντο*, *juxta cingulum parvum gladium instar pugionis Laconici, quo percusserunt, quos nancisci poterant* [e]). Ergo quod Xenophonti est *παρα την ζωνην μαχαιριον*, alii contractius dixere *παραζωνιον.*

Quaeritur porro, utrum illud, quod frequenter non in numis modo, sed et gemmis et anaglyphis adfixum militum lateri, plerumque sinistro, aut etiam loco motum gestari manu, atque ostentari videmus, esse parazonium existimari possit. Cur istud neget Iobertus, unica illi ratio est, quia saepe non adfixum lateri, quod oportebat, sed tractari manibus conspicimus, v. c. in numis praesentibus a Virtute, et frequenter a dea Roma in numis obviis Neronis, etc. At enim si alienus situs locusve rem mutat, nihil obest, quo minus dicamus quoque, illud, quod libertas dextera praefert, non esse pileum, quia locum suum non obtinet, id est, quia caput non tegit, atque eodem pacto illud, quod in ipso hoc numo Virtus pede premit, non esse galeam. Iam ve-

---

a) Science des Méd. T. I. p. 384. b) Essay on med. T. I. p. 195. c) de Rep. L. VIII. d) L. IV. p. 176. B. e) de Exped. Cyri L. IV. p. m. 338.

ro cum videmus, parazonium istud cum quadam ostentatione tractari manibus, certi esse possumus, hoc tum gestu aut praedicari virtutem, aut militare in alios imperium. Continuo ex Martiale vidimus, tribunum militarem honoris causa parazonio cingi. Insignis est locus Dionis narrantis de Trajano a): *ἀλλα και ὁτε πρωτον τῳ μελλοντι των δορυφορων ἐπαρξειν, το ξιφος, ὁ παραζωννυσθαι ἀυτον ἐχρην, ὠρεξεν, ἐγυμνωσε τε ἀυτο, και ἀνατεινας ἐφη, Λαβε τȣτο το ξιφος, ἱνα, ἀν μεν καλως ἀρχω, ὑπερ ἐμȣ, ἀν δε κακως, κατ' ἐμȣ ἀυτῳ χρησῃ. Quin etiam, cum illi, qui praefecti praetorianorum munere functurus erat, gladium, quo cingi debebat, praeberet, eo nudato, atque porrecto: Accipe gladium hunc, ait, ut eo, si recte imperem, pro me, sin secus, contra me utaris.* Ex quo patet, parazonium insigne fuisse commissae summae in praetorianos potestatis. Virtutis praedicatio est, cum v. c. Trajanus in numis ARMENIA. ET. MESOPOTAMIA. etc. illud manu sinistra altius attollit, in quibus, cum magis sunt integri, observantur ipsa etiam lora dependentia, quae parazonium cinctu ad latus firmabant, quod ipsum Bimardus quoque in numis aliis se observasse, adfirmat b). Neque tamen parazonium sic fuit aut virtutis, aut honoris insigne, ut non etiam ad infimum quemque militem, velut necessaria arma, pertineret. Missis copiosis exemplis aliis jubeo lectorem considerare militem gregarium, qui in segmento inferiore illustris gemmae Augusteae musei Caesarei erigendo tropaeo occupatur, in quo modus illigati zona gladii manifeste conspicitur. Valeat igitur judicium de sceptro imperii militaris, *bâton de commandement*, quod inficiantur monumenta, et scriptores veteres non stabiliunt. Denique satis mirari non possum, quo pacto uterque vir eruditus possit adserere, neque imperatores, neque milites in numis gladio succinctos comparere. Consuluissent familiarum numos, et vidissent v. c. apud Morellium in gente Servilia tab. II. n. 4. duos milites eductis gladiis stantes pendente ex cinctu vagina, tum passim in aliis ejusdem gentis numis milites gladio depugnantes, et similiter, in proxime praecedente gente Sergia. Quare vix ulli homini armato suus deerit gladius, modo eruditi hi viri cum parazonio in gratiam rediverint.

* * *

Epigraphe varia proditur.

I. O. MAX. CAPITOLINVS. *Templum distylum, in quo Iuppiter sedens d. fulmen, s. hastam.* AR.

Spanhemius, Vaillantius, Schlegelius, aliique censent, a Vitellio Iovis Capitolini typum lectum, quo palam faceret, ejus dei templum nulla sua culpa arsisse, atque a se mox reaedificandum. Non adverterunt viri eruditi, numos hos hujus obtentu causae propter temporis angustias feriri non potuisse. Die XVIII. Decembris Flavius Sabinus a Vitellianis obsessus est in Capitolio c). Postridie ardet Capitolium d). Re audita Vespasiani milites, qui non longe ab urbe aberant, adcurrunt, confligitur in urbe, Vitellius vincitur, et necatur, quae omnia contigere intra

a) L. LXVIII. §. 16. b) ad Iobert. T. I. p. 422. c) Tacit. Hist III. 67. seq. d) Ibid. c. 70.

diem XX. vel XXI. Decembris, ut manifeste colligitur ex Tacito, et Suetonio. An ergo intra diem unum, aut ad summum intra biduum, quo post Capitolii exitium superfuit Vitellius, feriri potuerint hi numi, aut etiam istud ab eo imperari, qui tum despectus ab omnibus, et desertus erat, quando ne quidem *Caesaris* titulus in ullo ejus numo comparet, etsi aliquanto ante adscitus [a]), lectori arbitrandum relinquo. Ad haec in compluribus ejus generis numis omittitur titulus *Augusti*, ut videre est in museo Caesareo, et Theupoli, quos certum est fuisse signatos, antequam eam appellationem, ut diximus, admitteret. Quare istud argumentum insertum jam fuit ejus monetae non multo post aditum imperium, et quod sequitur, salvo adhuc Capitolio. Nam ut supra ex Tacito docui, eum titulum tum primum recepit, cum urbem ingressus est. Tribuendum ergo privato Vitellii adfectui, cur hunc Romanorum Iovem in monetam receperit. Etiam autonomos cum hoc typo infra post praesentem seriem intuebimur.

* * *

Vt lit. D. vel I.

L. VITELLIVS. COS. III. CENSOR. *Caput L. Vitellii laureatum, ante quod aquila consularis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. I.

Eadem epigraphe. L. Vitellius togatus sedens d. extenta, s. aquilam consularem, pro scabello prora navis. AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. K.

L. VITEL. CENSOR. II. S. C. *L. Vitellius sedens in substructione, sedente ex adverso alia figura togata, in imo stant tres figurae, quarum una censori dexteram offert.* AE. I.

Horum numorum aversae proponunt L. Vitellium nostri patrem, ter consulem ac censorem, clarissimis tum muneribus, ad quae eniti privatus potuit, idque non modo ipsi claritudinem, sed etiam filio Aulo ad imperium adipiscendum non leve momentum attulit. Nam dubitantem Germaniae exercitum, quem rei summae pro Galba praeficeret, nihil magis Vitellii partibus applicuit, quam quod illi *tres patris consulatus, censura, collegium Caesaris imponeret jam pridem imperatoris dignationem* [b]). Sane triplex hic ejus consulatus, ac censura saepe ab ejus aetatis scriptoribus tanquam testimonium insignis ejus famae memorantur. Fuit consul primum anno V. C. 787, quo consule, ut refert Tacitus, post longum saeculorum ambitum avis phoenix in Aegyptum venit [c]). Consul iterum V. C. 796 conlega Claudio Aug. Consul III. V. C. 800 conlega iterum Claudio. Censuram cum eodem Claudio obiit V. C. 801. Addenda et alia decora. Ex primo consulatu Syriae praepositus Artabanum Parthorum regem non modo ad colloquium, sed etiam ad veneranda legionum signa pellexit extremis Tiberii temporibus. Anno V. C. 796 pro Claudio in expeditione Britannica absente Romae curam imperii sustinuit, fuitque vir innocens, et industrius, at notatus a libidine, et comprimis turpi in adulando ingenio.

---

a) Tacit. II. III. 58. b) Tacit. II. I. 52. c) Ann. VI. 28.

cujus infamia aliquot, et indigna homine sano et illustri exempla commemorat Suetonius [a]). Mortuum senatus statua pro rostris honoravit, cum inscriptione: *Pietatis immobilis erga principem* [b]).

In aversa numi I. proponitur hujus L. Vitellii caput, et quod insolens videatur, more ipsorum Augustorum laureatum, cujus verisimilem causam dabimus in tractatu de cultu capitis Augustorum. Adstituitur sceptrum aquila superne praefixum, indicium potestatis consularis. In numo II. sedet habitu censoris. Quid indicet pars navis, qua sedentis pedes fulciuntur, commentatores in reliquis omnibus, iisque obviis verbosi, monere neglexerunt. Ea, ut conjicio, indicantur rostra, quo quibus positam L. Vitellio a senatu statuam supra diximus, fuitque fortasse illa eodem cultu, quo eam numus exprimit.

Aversa numi III. propter inscriptum CENSOR. II. plus offert difficultatis. Monendum, adjectum numerum II. non observari in numo, quem edidit Patinus [c]). Diserte etiam testatur Spanhemius, eam notam ab his numis abesse [d]). Sed illam addunt ex recentioribus Vaillantius [e]), Pedrusius, Morellius, Mediobarbus, Theupoli, Pembrock [f]). Si verum est, eam notam existere in his numis, oportebat, qui illos vulgavere, ejus adjectae rationem adferre. Horum unus Schlegelius paucis rem expedit: *hic censura altera ejusdem obviat* [g]), verum addere testem negligit, qui L. Vitellium censorem iterum prodat. Quin eodem loco non admodum alienus est ab eorum sententia, qui numum hunc ad L. Vitellium Auli nostri fratrem pertinere censent, quoniam et hic, ut ait, censorem egerit. At quo istud auctore adserit? atque ut demus, etiam hunc censoris munere functum, an etiam censor iterum exstitit, quod tamen ex horum praeconio adserit numus? Quidquid sit, istud certum, censorem non fuisse L. Vitellium, nisi una cum Claudio; at hic in marmoribus, quae videre est apud Gruterum, et Muratorium, censor quidem dicitur, nulla tamen iterati magistratus addita nota; ergo neque verisimile est, Vitellium iterum dictum censorem. Si igitur numerus hic vere est adjectus, inveniendum etiam est aliquid, quo is aliqua veri specie explicetur. Tacitus diserte prodit, Claudium V. C. 801 condidisse lustrum [h]). Tamen idem paullo altius [i]), atque etiam Dio [k]), Claudium jam anno praecedente, nempe V. C. 800 censoriam potestatem exercuisse testantur. Ad posteriorem etiam hunc annum Claudii censuram refert Plinius [l]). Cum igitur omnes hi scriptores testentur, actam a Claudio censuram V. C. 800, ac deinde definite Tacitus sequente anno conditum lustrum testetur, certum est, coepisse eam quidem V. C. 800, sed aut interruptam, aut male continuatam, impensius resumptam anno sequente, et ritu solenni clausam. Idem videtur innuere Suetonius, cum eandem Claudii

a) Vitell. c. 2. b) Suet. l. c. cap. 3. c) ad Suet. in Vitell. c. 2. d) Tom. II. p. 475. e) Num. praest. f) Part. III. tab. 12. g) in Morell. Impp. Tom. II. p. 236. h) Ann. XI. 25. i) Ann. XI. 13. k) L. LX. 29. l) L. X. c. 2.

censuram memorans [a]) sic scribit: *gessit et censuram - - - sed hanc quoque inaequaliter, varioque et animo, et eventu.* Iactantius igitur filius Aulus hanc patris L. Vitellii censuram, quae reipsa una fuit, duplicaverit, quo patri plus honoris impertiret.

Vt lit. D.

LIBERI. IMP. GERMAN. *Capita nuda duorum A. Vitellii liberorum se respicientia, in nonnullis intermedio superne astro.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. I.

LIBERI. IMP. GERM. AVG. *Typus similis.* AV. (Mus. Caes.)

Pietatem in patrem sequitur proxime adfectus in liberos, verum qui sint hi liberi, quorum vultus in his numis sunt expressi, controvertitur. Ex uxore I. Petronia filium habuit Petronianum captum altero oculo [b]). Huic in praesentes numos jus non est, nam insimulatum parricidii, ut creditum est, interemit pater, referente istud eodem loco Suetonio. Vxor II. Galeria Fundana praetorio patre. *De hac quoque liberos utriusque sexus tulit, sed marem titubantia oris prope mutum et elinguem* [c]). Liberorum Vitellii saepe meminere auctores, at nunquam ab iis nisi marem unum et femellam memorari video, ac Tacitus quidem refert, jussisse Vitellium filio infanti universum exercitum in Galliis occurrere, et opertum paludamento appellasse *Germanicum* [d]). Magis definite Zonaras [e]), nimirum audita Othonis morte ad Vitellium in Gallias adcurrisse uxorem cum filiolo sexenne, quem pro concione *Germanicum et imperatorem*, *ἀυτοκρατορα*, appellavit. Perperam critici hunc Zonarae locum solicitant, tanquam scribendum fuisset *Καισαρα*, non *ἀυτοκρατορα*. Ridicula, ut puto, res illis visa, puer sexennis imperator. Verum an non aeque ridiculum, puerum sexennem operire paludamento, ut mox ex Tacito vidimus? quin cum Tacitus diserte istud memoret, videtur ipse innuere, a Vitellio filium militi tanquam imperatorem propositum; nam paludamentum proprie non fuit habitus Caesarum, sed imperatorum. Ad haec an verisimile, filium dictum Caesarem a patre, qui Caesaris nomen ipse constanter aversatus est, et, ut docuimus, nonnisi extremis diebus, idque coactus adsumpsit? Vnius hujus adhuc filii Germanici meminit Tacitus pluribus locis [f]). Anno demum sequente V. C. 823 interemptus est Muciani jussu, *mansuram discordiam obtendentis, ni semina belli restinxisset* [g]). Felicior filia, quam pater imperium adeptus desponsavit Valerio Asiatico Belgicae legato [h]). Serius Vespasianus splendidissime maritatam, incertum cui, dotavit, et instruxit [i]). Cum ergo historici non plures, nisi duos superstites Vitellii liberos prodant, et numi ipsi binos tantum sistant, certum est, non alios in his numis proponi, quam descriptos hic filium et filiam. Adstipulantur

a) In Claud. c. 16. b) Suet. c. 6. c) Suet. l. c. d) Hist. II. 59. e) Annal. Tom. II. f) Hist. III. 66. 67. 68. g) Tacit. Hist. IV. 80. Dio L. LXV. 22. h) Tacit. H. I. 59. i) Suet. in Vesp. c. 14.

etiam capita ipsa; nam quod a sinistris est, per prolixiorem caesariem femellam manifeste arguit. Haec longius fuere exponenda; nam erant magni nominis antiquarii, qui Vitellio plures liberos adfinxere, et utrumque caput totidem esse filiorum censuere. Iosephum, qui Vitellium ἄπαιδα dixit [a]), numi hi, et auctores laudati diserte refellunt.

Vt lit. K.

PAX. GERM*anicus* ROMA. S. C. *Roma sedens Victoriam porrigit Vitellio paludato adstanti; ei a dexteris adstat Pax.* AE. I. (Morelli.)

Proponitur hic numus etiam a Spanhemio [b]), et Vaillantio, sed uterque Vitellium togatum dicit. Vaillantius item epigraphen aversae quibusdam suspectam ait.

Vt lit. I.

PONT. MAXIM. *Mulier sedens d. pateram, s. hastam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Quo die pontificatum maximum ceperit Vitellius, nos erudit Suetonius [c]). Magis deinde, ac magis, inquit, omni divino humanoque jure neglecto Alliensi die pontificatum maximum cepit. Explicatius Tacitus [d]): *Funesti ominis loco acceptum, quod maximum pontificatum adeptus Vitellius de cerimoniis publicis XV. Kalendas Aug. edixisset, antiquitus infausto die Cremerensi Alliensique cladibus.* Ad eundem diem utramque cladem quoque fixere Livius [e]), et Florus [f]).

Antica incerta.

VRBEM. RESTITVTAM. S. C. *Imperator paludatus Romam genuflectentem sublevat, adstant duo milites.* AE. I. (Angelloni, Morelli.)

Numum descripsi propter insolentiam, qua epigraphe in accusandi casu proponitur.

Vt lit. D et I.

XVVIR. SACR. FAC. *Tripus, superne delphinus, inferne corvus.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Teste Suetonio Vitellius *trium principum indulgentia non solum honoribus, verum et sacerdotiis amplissimis auctus est* [g]). Et Tacitus [h]), *consulatum, sacerdotia - - - nulla sua industria, sed cuncta patris claritudine adeptus.* Fuisse inter Romanorum sacerdotia XVviratum sacris faciundis, nemo ignorat. Typus numi ad Apollinem totus pertinet. Delphini causam praeclare explicat Servius [i]): *Hinc ergo et delphinum ajunt inter sacrata Apollinis receptum, cujus rei vestigium est, quod hodieque XVvirorum cortinis delphinus in summo honore ponitur, et pridie cum sacrificium faciunt, velut symbolum delphinus circumfertur, ob hoc scilicet, quia XVviri librorum Sibyllinorum sunt antistites, Sibylla autem Apollinis vates, et delphinus Apollini sacer est.* Addo Martianum Capellam, qui sic Apollinem loquentem sistit [k]): *Oeonistice tertia est, per quam tripus illa ventura denunciat, atque omnis eminuit nostra cortina, denique in argumentum praescientiae corvus mihi adludit etc.* Corvus Apollini sacer res in vulgus nota. Comparet etiam in

a) Bell. Iud. L. V. c. X. §. 4. b) Tom. II. p. 643. c) Cap. 11. d) Hist. II. 91. e) L. VI. c. 1. f) L. I. c. 23. g) Cap. 5. h) Hist. L. III. 86. i) ad Aen. L. III. 332. k) Lib. IX. de Music.

quinariis M. Antonii et Lepidi IIIvirorum juxta lituum auguralem, et guttum, ac propterea, apposite ad praesentis numi typum, Statio dicitur *comes obscurus tripodum* a), et Silio Italico *Phoebea avis* b), Aeliano Απολλωνος ακολȢθος, *Apollinis assecla* c). Hi numi aut signati sunt, antequam Vitellius pontificatum maximum suscepisset, aut illo jam pontifice maximo, jusseritque is feriri hos numos jactandi prioris sacerdotii causa, quo modo Vespasianus quoque, et Titus, etsi jam pontifices maximi, augures se in moneta professi sunt.

Autonomi hujus imperii.

Morellius in incertis familiarum, catalogus d'Ennery d) et museum Caesareum complures denarios offerunt, qui per argumentum haud dubie Vitellio imperante signati sunt, etsi Vitellii caput, aut epigraphen dissimulent. Similis naturae denarios jam sub Augusto, et Galba dedimus. Ad Vitellium referimus sequentes:

VESTA. P. R. QVIRITIVM. *Caput Vestae velatum, ad cujus pectus taeda ardens.*

I. O. MAX. CAPITOLINVS. *Iuppiter sedens in templo distylo d. fulmen, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

VESTA. P. R. QVIRITIVM. *Vesta sedens d. pateram, s. taedam.*

I. O. M. CAPITOLINVS. *Protome Iovis capite diademato, ad pectus palmae ramulus.* AR. (Mus. Caes.)

VESTA. P. R. QVIRITIVM. *Vt in numo I.*

SENATVS.--- NVS. *Victoria gradiens d. clypeum gestat, cui inscriptum:* VI. AV. Est ex AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

FIDES. EXERCITVM. *Duae dexterae junctae.* AR. (Mus. Caes.)

GENIVS. P. R. *Protome genii barbata diademata, prominente retro sceptro.*

I. O. MAX. etc. *ut in numo I.* AR. (Morelli in incertis.)

Protome Palladis.

SECVRITAS. P. R. *Mulier sedens d. caput fulcit, s. hastam, pro pedibus ara.* AR. (Mus. Caes.)

Typus simillimus *Iovis O. M. Capitolini*, quem supra in Vitellii numis certis vidimus, praesentium numorum certum χειτηειον constituit. Quare neque dubium videtur, eos, qui Vestam cum insolita hac in moneta epigraphe sistunt, imperante quoque Vitellio fuisse signatos. Historia nihil suppeditat, cur Iovem hunc Capitolinum, et Vestam in eodem numo sociaverit, et toties in moneta proposuerit, forte quod praecipua essent imperii R. numina una cum Marte; nam teste Ovidio e), cum Romulus urbis fundamenta jaceret,

Vox fuit haec regis: condenti Iuppiter urbem,
Et genitor Mavors, Vestaque mater ades.

SENATVS *roma*NVS, quo modo mancas numi III. literas expleo, nova est in moneta Romanorum inscriptio. Is typo Victoriae relatam Vitellio de Othone VI*ctoriam* AV*gustam* gratulatur. Aver-

---

a) Theb. L. III. v. 506. b) Punic. V. 78. c) N. A. L. I. c. 48. d) pag. 164.
e) Fast. IV. 827.

sam numi postremi habemus in numis Galbae, et Vitellii. De genio P. R. vide numos Cn. Lentuli in familia Cornelia.

Numi Vitellii suspecti, aut falsi.

Cum rariores sint numi Vitellii aenei, praecipue I. formae, factum, ut falsariorum fraus iis procudendis frequentiorem operam daret. Laboris compendium fecere, numos Vespasiani in Vitellium transformando, cujus luculenta bina exempla hic proponere placet, ut sibi a fraude caveant tirones, quae etiam expertis non raro illusit.

Antica non proditur.

TVTELA. AVGVSTI. *Mulier sedens d. extensa versus puerum, ad latus adstat alter.* AE. II.

Ita numum describit Vaillantius a). Aversa tota ad Vespasianum pertinet, cum cujus capite, et hoc typo obvii sunt aenei II. formae signati V. C. 824. Vterque puer Titum, et Domitianum notat, ut ibi dicetur. Non posse binos pueros ad Vitellium pertinere, quod is, cum ad imperium accessit, filium tantum, ac filiam habuit, supra animadvertimus.

A. VITELLIVS. GER. AVG. P. M. T. P. COS. IIII. CENS. *Caput laureatum.*

AEQVITAS. AVGVSTI. *Aequitas stans.* AE. II.

Numum profert auctor musei Theupoli, at nos cum risu miramur, Vitellium dici COS. IIII. et CENS*orem*, quorum neuter titulus Vitellio, at uterque Vespasiano ad annum V. C. 825 competit.

Nomina, ac tituli.

De his vide animadversiones ad partes adversas principio positas. Pro praenomine ΑΤΛΟΤ in Alexandrino uno scribitur ΩΛΟΤ, ut in hujus classis numis notavi.

Numi commatis peregrini.

De horum raritate vide, quae continuo observavo.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	- - - - - - - - -	RR.
Argentei	- - - - - - - - -	C.
Aenei I. formae	- - - - - - - -	RR.
Aenei II.	- - - - - - -	R.
Aenei III.	- - - - - - - - -	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum	- - - - - - -	RRRR.

Hujus generis unicum Cydoniatarum Cretae reperit Vaillantius. Felicior abbas Sestinius tres varios vulgavit, Macedonum, Iliensium, Sardianorum b), utrum

a) Num. praest. T. I. p. 29. b) Lettere T. IV.

probos omnes, ambigo. Vide de singularibus his Sestini numis judicium meum in numis Alexandrinis Achillei.

Coloniarum - - - - - - - -	O.
Alexandrini - - - - - - - -	RRR.

VESPASIANVS.

Flavius Vespasianus natus est in Sabinis prope Reate XV. Kal. Decembres V. C. 762, patre Flavio Sabino obscurae originis, matre Vespasia Polla nobili Nursiae genere orta. Fratrem natu majorem habuit Flavium Sabinum praefectum urbis, extremis, ut supra diximus, Vitellii diebus ab hujus militibus obsessum in Capitolio, et interfectum [a]). Defunctus solitis muneribus a Claudio in Germaniam, mox in Britanniam missus tantum se virtute extulit, ut triumphalia ornamenta, et duplex sacerdotium acciperet [b]). Sub Nerone Africam rexit, eumque in itinere Achaico comitatus, dum certum sibi ab hoc exitium jam immineret, quod eo cantante ausus esset obdormiscere, repente contra spem bello adversum Iudaeos pertinaciter tum rebellantes gerendo praeficitur, illudque extremo Neronis tempore, et mox digladiantibus inter se Galba, Othone, Vitellio magna aequitatis, et virtutis bellicae gloria persequitur. Adversis a Vitellio omnium animis praecipuus Vespasiano auctor acceptandi imperii fuit Licinius Mucianus, qui tum Syriam cum IV. legionibus rexit [c]). At initium ferendi ad eum imperii Alexandriae coeptum festinante Ti. Alexandro praefecto, qui Kal. Iul. V. C. 822 sacramento legiones adegit. Qua de causa factum ut is principatus dies primus in posterum celebraretur [d]). Secutus proxime exercitus Iudaicus V. non. Iul., ut scribit Tacitus [e]), ut Suetonius [f]), V. id Iul., neque multo post Mucianus suos milites in Vespasiani verba adegit [g]). Dum hic cum lectis militibus in Italiam navibus transmittit, interea Antonius Primus cum exercitu Moesiaco transgressus Alpes victis ad Cremonam Vitellianis denique urbem ipsam exeunte Decembri capit, caesoque Vitellio imperium Vespasiano adserit.

V. C. 822 P. X. 69.
TR. P. COS. DES. II.
Ser. Sulp. Galba Aug. II. T. Vinio Rufino cos.

Vespasiano in Aegypto, Tito in Palaestina absentibus consulatus in sequentem annum decernitur. Interea Romae alter filius Domitianus Caesar, et Mucianus res procurant [h]).

* * *

Praecipiendum ad monetam Vespasiani, numos cum ejus capite in urbe hoc anno nondum cusos fuisse, neque cudi potuisse. Nam ut supra in Vitellio di-

a) Suet. l. 2. b) Suet. c. 4. c) Tacit. Hist. II. 76 seq. d) Tacit. l. c. 79. Suet. c. 6. e) l. c. f) l. c. g) Tacit. l. c. 80. h) Tacit. Hist. IV. Dio.

ximus, hic ante diem XX. Decembris caesus non est, et hoc rerum potiente fieri utique non potuit, ut Vespasiani, etsi per provincias agniti imperatoris, caput monetae urbis insereretur. Residui dies vix suffecerint formandis matricibus novae Vespasiani monetae servituris. Et revera nullus exstat Vespasiani numus, qui per titulos inscriptos huic tantum anno necessario competat, neque possit in annum proxime sequentem differri. Interea ex residuis Vespasiani aureis argenteisque numis erunt non pauci, qui hoc adhuc anno fuerint signati, nimirum extra urbem. Tacitus, ubi primas belli adversus Vitellium a Vespasiano suscepti curas enumerat [a]), inter reliquos apparatus commemorat etiam: *apud Antiochenses aurum argentumque signatur.* Constat, ad imperatores pertinuisse signare aurum, et argentum, uti aes ad senatum. Quare aurum tantum, et argentum Tacito memoratur, in quod tantum jus Vespasiano fuit, omisso aere, ad quod signandum accedere debuit senatus auctoritas, sed qui hoc anno adhuc in potestate Vitellii fuit. Ex quo consequitur, quemadmodum certa historia refert, fuisse hoc jam anno signatos aureos argenteosque Vespasiani numos, sed extra urbem, ita ex rerum gestarum ordine certum etiam esse, aeneos nota S. C. insignes huic anno adfigi non posse.

Ajebam, etsi hoc anno cusi fuerunt numi aurei, et argentei, tamen deesse nobis certa eorum criteria. Qui TR. P. addunt, etiam anni sequentis dimidio competunt, et raro in Vespasiani numis tribuniciae potestatis numerus exprimitur. Verisimile est, ad hunc annum pertinere complures ex iis numis, qui omissis titulis *pontificis maximi*, et *patris patriae*, quos non videtur nisi Romam redux adoptasse, simpliciter inscriptum habent:

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. vel:
IMP. CAES. VESP. AVG. aut similiter.

Ceterum existimo, tuto ad hunc annum referri posse sequentes numos:

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. TR. P. *Caput laureatum.*
TITVS. ET. DOMITIAN. CAESARES. PRIN. IVEN. (sic) in alio: PRIN. IVN. (*sic*) *Vterque Caesar vel in citis equis, vel sellae curuli insidens, d. ramum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Ex luxata orthographia, scripto nempe IVEN. vel IVN. pro IVVEN. verisimile fit, hos numos esse ex iis, quos Antiochiae sub Vespasiani initia signatos dixi, fallentibus per festinationem ejus urbis monetariis, iisque Latinae linguae minus peritis, quanquam prioris modi altiore etiam aevo videre est exempla, quae dedimus volumine V. p. 213 et 265, quin et in lucerna in Herculani ruinis reperta legitur NOVM pro NOVVM [b]). Atque ut Vespasianus binos suos filios jussit inseri monetae, eosque insidentes equis, sic credam, secundum hoc exemplum Antiochum IV. vicinae Commagenes tum regem utrumque suum filium equis item insidentem

---

a) Hist. II. 82. b) Lucerne d'Ercol. tab. VI.

voluisse signari adscripto ΒΑΣΙΛΕΩΣ. TIOI.

Ad hunc etiam annum revocandus esset aureus inscriptus: CAES. IMP. VESP. PON. TR. POT. CENS., quem dedit Mediobarbus pag. 108, tum et argenteus: IMP. CAESAR. VESPAS. PONT. TR. POT., et in aversa NEP. RED., quem idem dedit pag. 110, quia signatus esset uterque, antequam Vespasianus pontificatu maximo fuisset ornatus. Sed fallax utique est utriusque praeconium. Nam prior aureus propter additum CENS. nonnisi triennio post signari potuit, et satis ex modo inscriptionis apparet, numum esse Titi. Numum alterum, etsi aversam habet in numis Vespasiani et Titi obviam, cum hac capitis inscriptione alibi non reperi. Equidem miror, Bimardum hos numos aliquo loco putasse, et quidem in ea ipsa dissertatione, in qua Mediobarbi fidem gravissime impugnat.

V. C. 823 *P. X.* 70.
TR. P. I. II. COS. II. DES. III. P. M. P. P. IMP. I.—V.
Vesp. Aug. II. Tito Caes. cos.

Atrox per Gallias et geminata rebellio, populis per anni praecedentis turbida ad res novas intentis. Harum prior instigante Iulio Sabino Lingone, qui genus suum a Iulio Caesare derivari ementitus palam se Caesarem ferebat, brevi dissipata est fuso auctore, et latebris se abdere coacto. In altera plus discriminis duce Civili Batavo, accitis in societatem Germanis, caesis captisque legionibus Romanis. Domitianus ipse ac Mucianus ad grave hoc bellum proficiscuntur, sed praevenit Petilius Cerialis fusis duplici, at difficillima pugna hostibus. Haec late Tacitus [a]). Vespasianus in Aegypto absens Tito bellum in Iudaeos demandat, qui diuturna et ardua obsidione Hierosolymas denique expugnat, et evertit Septembris die II. Romae Capitolio restaurando initium fit XI. Kal. Iul. [b]). Vespasianus exeunte aestate Romam ingreditur.

* * *

A. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG., *in AV. et AR.*
B. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. TR. P., *in AV. et AR.*
C. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. *in AV. et AR.*
D. IMP. CAESAR. VESP. AVG. COS. II. TR. P. P. P. *in AV. et AR.*
E. IMP. CAES. AVG. VESP. COS. II. TR. POT. *in AE. I. Epigraphe perrara.*
F. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. P. M. TRI. P. COS. II. *in AE. I.*
G. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. II. *in AE. I.*
H. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. P. M. T. P. P. P. COS. II. DES. III. *in AE. I.* (Mus. Caes.) *Epigraphe rarissima.*

a) Hist. L. IV. et V. b) Tacit.

Caput in his omnibus constanter laureatum est.

* * *

Praemitto numos, qui Titum et Domitianum variis typis et inscriptionibus offerunt, idque eo magis utile mihi visum, quoniam hujus generis numos parum adcurate in catalogis descriptos video.

1) *Vt lit. A. vel B.*

TITVS. ET. DOMITIAN. CAESARES. PRIN. IVVENT. *Vterque Caesar vel togatus sedens in sella curuli, vel equo decurrens d. elata.* AV. AR. (Morelli Impp.)

2) *Antica incerta.*

CAESARES. VESP. AVG. F. *Vterque Caesar togatus stans d. extenta, s. volumen.* AV. (Morelli ex mus. reg. Gall.)

3) *Antica incerta.*

TITVS. ET. DOMIT. VESPASIANI. AVGVSTI. F. *Vterque Caesar velatus stans hastam, et clypeum humi attinet.* AR. (Morelli ex Schwarzburgico.) Liebeus in Gotha num. hunc numum dissimulat.

4) *Vt lit. A.*

CAESAR. AVG. F. COS. *Caput Titi nudum barbatum, juxta:* CAESAR. AVG. F. PR. *Caput Domitiani nudum imberbe.* AV. AR. (Mus. Caes.)

5) *Antica incerta.*

T. CAES. AVG. F. COS. D. CAES. AVG. F. PR. *Capita Titi, et Domitiani adversa.* AE. II. (Vaill.)

6) *Vt lit. E.*

TIT. ET. DOMIT. EX. S. C. *Vterque Caesar in suggestu adversus sedens, ante unumquemque inferne figura togata stans.* AE. I. (Vaill. Mus. Caes.)

Ex propositis hic numis primi duo Titum, et Domitianum tanquam Vespasiani filios, Caesares, et principes juventutis sistunt. Tertii typus totus captus est ex numis Caji et Lucii Agrippae filiorum. Ceterum tres hi numi annum superiorem non fastidiunt, et forte horum aliqui signati sunt Antiochiae.

Quartus et quintus certo sunt anni praesentis, nam sistunt Titum consulem, qui hunc magistratum hoc anno cum patre inivit, et Domitianum praetorem, quem ad praeturam hoc anno ipsis Kal. Ian. evectum infra in ejus numis docebimus. Numus quartus obvius est, et jam saepe vulgatus. Verum alium nobis objicit Liebeus nostro huic plane similem quidem, sed in quo legit, et quidem ad partem numi in occidentem sitam: CAESAR. AVG. F. COS., ad alteram: CAESAR. AVG. TR. P. (*Goth. num. p.* 59.) Videmus, in hoc numo differre solas postremas literas TR. P., cum reliqui numi omnes offerant F. PR. Si vera omnino haec est Liebei lectio, multa sunt citra morem, et insigniter violenta. Epigraphes lectio citra ordinem naturalem inchoanda, quod patebit inspicienti iconismum, tum dexterior locus, atque is dignior datus Domitiano, ipsa Domitiani lineamenta magis virilia, quam Titi, etsi dispari multum aetate, effugium τῷ AVG. quaesitum, quod legendum utique foret AVGur, non AVGustus, pro quo magis ex more scribendum in hoc numo fuisset COS. DES. IT., qui Titi hoc anno proprius titulus fuit. Quare jure dubitare liceat, sitne revera epigraphe tam luculenta, et sana, qualem eam spondet eruditus editor. Ex eodem praecone

numus idem illatus quoque est novae Romanae Vaillantii editioni [a]).

Vt lit. H.

AETERNITAS. P. R. S. C. *Victoria adproperans imperatori paludato, et s. hastam tenenti Palladium offert.* AE. I.

Anecdotum hactenus hunc numum edidi in mea Sylloge I. Obvia inde a Vespasiano est AETERNITAS. AVG., at nondum in numis cognita AETERNITAS. P*opuli* R*omani*. Victoria imperatori porrigit Palladium tracta ab Ilio superstitione, cujus salus, et aeternitas Palladio nitebatur. Romam quacunque via translatum, nam haec a veteribus, ut fabulosa omnia, varie proditur, eandem fortunam colonis Troja profectis praestare debuit. Signatus est numus eodem hoc anno, quo Vespasianus accepto nuper foris imperio urbem primum ingressus est, cui adeo obviam progressa Victoria pretiosum imperii, reique Romanae pignus porrigit.

Vt lit. A.

CONSEN. EXERCIT. *Duae figurae militares s. aquilam legionariam tenentes dexteras jungunt.* AR. (Mus. Caes.)

Insignis hic denarius recentem consensum exercituum Iudaici, Syriaci, Aegyptii in evehendo ad imperium Vespasiano exponit. Similem epigraphen habet Vitellius in numis suis.

Vt lit. A vel C.

COS. ITER. TR. POT. *typis variis Fortunae, Aequitatis, Pacis, Martis gradientis, Neptuni etc.* AV. AR.

Vt lit. A.

COS. DESIG. III. TR. POT. *Typus Aequitatis.* AV. AR.

Antica incerta.

IMP. V. P. P. COS. II. DESIG. III. *Imperator togatus stans s. hastam ab adstante milite Victoriolam accipit.* AV. (Morelli ex mus. reg. Gall.)

V. C. 824 P. X. 71.

TR. P. II. III. COS. III. DES. IV. P. M. P. P. IMP. VI. VII. VIII.

Vespasiano Aug. III. Cocceio Nerva cos.

Titus ex Oriente redit, et una cum patre de Iudaea victa triumphat. Ianus clauditur [b]). Vespasianus molitur templum pacis.

* * *

A. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. I.*

B. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. III. *Caput in aliis laureatum, in aliis radiatum, in AE. II.*

C. IMP. CAESAR. VESPAS. AVG. COS. III. TR. P. P. P. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

D. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. TR. P. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

E. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

a) Tom. II. p. 84. b) Orosius L. VII. c. 9.

F. IMP. CAES. VESPAS. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. *Caput laureatum*, *in AE. I.*

G. IMP. CAESAR. VESPASIAN. AVG. COS. III. *Caput radiatum*, *epigraphe rarior*, *in AE. II.*

H. IMP. CAE. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. *Caput laureatum*, *epigraphe rarior*, *in AE. I.*

I. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. P. M. T. P. P. P. COS. III. *Caput laureatum*, *in AE. I.*

K. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. *Caput laureatum*, *in AE. I.*

L. IMP. CAES. VESPASIANVS. AVG. COS. III. *Caput radiatum*, *in AE. II.*

M. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. *Caput laureatum*, *in AV. AR.*

N. IMP. CAESAR. VESPASIAN. AVG. IMP. TR. POT. P. P. COS. III. *Caput laureatum*, *in AE. I.* (Pellerin Mel. I. p. 200.)

* * *

Praemitto rursum numos, qui filios cum patre sociant.

Vt lit. A.

CAES. AVG. F. DES. IMP. AVG. F. COS. DES. IT. S. C. *Titus*, *et Domitianus adversi stantes paludati d. hastam*, *s. parazonium tenent. In aliis plenius scriptum:* CAESAR. *et* DESIG. *et* ITER. AE. I. (Mus. Caes. Morelli.)

Antica incerta.

T. IMP. CAESAR. COS. DES. II. CAESAR. DOMIT. COS. DES. II. S. C. *Typus idem.* AE. I. (Beger Thes. Br. T. II. p. 631. Morelli.)

Gorius, qui in hos Morellii numos commentatus est, eos anno V. C. 825 signatos docet [a]). At enim is judicium tantum ex parte aversa tulit, cum Morellius iniquo consilio anticas ab aversis avelleret, ipse vero Gorius Schlegelii, et Havercampi exemplo anticas, quas fortuna primas obtulit, temere partibus aversis adfinxit. Capitis inscriptionem, quam ego proposui, offerunt quinque numi integerrimi musei Caesarei, quae cum Vespasianum COS. III. dicat, invicte arguit, numos praesentes huic, et nulli alteri anno deberi.

At vero justum dissidium est in explicatu aversae. Vaillantius epigraphes lectionem ex parte numi sinisteriore, sive orientali inchoat, ejusque partem: IMP. AVG. F. COS. DES. IT. adstanti eodem loco figurae, quam Titum putat, applicat; reliquam epigraphes partem, quae ad dexteram, sive occidentem incipit, nimirum: CAES. AVG. F. DES., ad adstantem juxta figuram, quae Domitianus ipsi est, refert. Causa probabilis, cur aliter capiendas figuras, et aliter ordiendam inscriptionem duxerit, ipsi visa fuerit, quod figura sinisterior dicitur COS. DES. IT., quem titulum uni putabat Tito posse competere, qui revera anno proxime sequente consul II. processit. Haesi olim in Vaillantii sententia, et secundum hanc praesentes

a) T. II. p. 313.

numos descripsi in Catalogo musei Caesarei [a]), ut et auctor musei Theupoli.

Aliter nunc re maturius discussa sentiendum existimo, nimirum partem epigraphes a dextera numi incipientem: CAES. AVG. F. DES. IMP. ad adstantem figuram quam Titum ajo, sinisteriorem aliam: AVG. F. COS. DES. IT. ad adstantem aliam, nempe Domitianum pertinere. Sic statuendi causa multiplex. I. Servatur illaesus inscriptionis ordo quae ex lege Romanorum monetaria omnis aetatis incipit a parte numi dextera, reliqua deinde inscriptione nullo interstitio in circulum continuata. Vaillantius violente epigraphen continuam in medio ipsius versus inchoat, cujus insolentiam facile quidem agnoverit ipse, sed aliud suaserit credita chronologiae lex. II. Cum ex Vaillantii sententia epigraphes pars ad sinistram posita ad Titum pertineat, necesse est, statutam etiam juxta figuram esse Titum, et eam, quae ad dexteram adstat, Domitianum. Verum omni aevo apud Romanos locus dexter dignior habitus est, et hic etiam competiit Tito seniori, et jam tum, cum hic numus cusus est, designato a Vespasiano conlegae. Sic in numis quoque superiore anno descriptis, in quibus uterque Caesar frequenter proponitur, constanter videmus Titi et caput, et inscriptionem digniore loco positam, ut omittam alia omnis aetatis exempla. III. Vaillantium manifeste redarguit numus Begerianus altero hic a me loco descriptus, qui typo prioribus simillimus inscriptione tantum differt, quae ipsa Titi, et Domitiani nomina enunciat. At haec figuram dexteriorem vocat Titum, sinisteriorem Domitianum, ergo ex analogiae lege idem de prioribus sentiendum. IV. Tituli utriusque Caesaris secundum meam sententiam accepti non repugnant historiae et chronologiae. Dicitur nimirum Titus CAESAR. AVG*usti* F*ilius* DESIG*natus* IMP*erator*. Cum Titus hoc jam anno revera dictus fuerit a patre *imperator*, et adoptatus conlega, pronissimum est, eum in numis ante istud tempus signatis dici DESIG*natum* IMP*eratorem*, quo modo et Caracallam adhuc Caesarem in numis dici videbimus *imperatorem destinatum*. Neque repugnat titulus Domitiani: AVG*usti* F*ilius* COS. DESIG*natus* IT*erum*. Certum est, fuisse Domitianum Nonis April. hujus anni consulem suffectum, ut in hujus numis probabitur, et nihil obstat, quo minus credi possit, eum jam tum a patre in proximum biennium fuisse designatum consulem, ut revera processit V. C. 826, ergo, si numi praesentes circa istud tempus signati sunt, potuit, ac debuit dici COS. DESIG. IT*erum*. Ejus rei dubium omne removet numus alter Begerianus, in quo aperte Domitianus dicitur COS. DES. II. At certum est etiam, hunc numum anno praesente fuisse signatum, quoniam Titus hoc tantum anno COS. DES. II. fuit, qualis in eodem hoc numo proditur. V. Ipsa quin etiam Vaillantii sententia repugnat chronologiae. In hac, quo tempore Titus jam dicitur IMP*erator*, Domitianus simpliciter tantum dicitur COS. DES. Verum communis est chronologorum opinio, Titum

a) Part. II. p. 122 et 141.

non ante reditum ex Oriente, et actum triumphum Iudaicum a patre adlectum imperatorem, quod ex eorum mente contigit circiter exeunte Aprili. At Domitianus, ut mox dixi, jam Non. April. certus fuit consul, qui teste Zonara ipse consulari dignitate conspicuus interfuit triumpho, ergo uterque titulus eodem tempore una stare nequit; at commode eodem tempore Tito competit titulus IMP*eratoris* DESIG*nati*, et una Domitiano COS. DESIG*nati* IT*erum*. Denique VI. juxta Vaillantium ad Domitianum pertinet sola epigraphes portio: CAES. AVG. F. DES. Verum quid solitarium illud DES. indicat? Nimirum subaudire oportet τὸ COS. Sed haec omissio plane adversatur mori monetario. Advertit is scrupulus virum eruditum, quem ut ejiciat, non ea fide, qua agere religiosum antiquarium oportet, τὸ COS. subdole intrusit, et epigraphen sic proposuit: CAESAR. AVG. F. COS. DES. [a]). Verum ea vox in omnibus musei Caesarei, tum a Morellio, Theupoli, Patino, et in Thesauro Christinae editis constanter abest. Atque his rite perpensis viderit lector, cujus sententiae subscribendum sit.

* * *

Numi testes victae Iudaeae, et de ea triumphi.

Incipiunt hoc anno numi praecones laudis ex victoriis Iudaicis partae, in quibus epigraphe: IVDAEA tantum, vel IVDAEA. CAPTA, vel IVDAEA. DEVICTA, vel DE. IVDAEIS. Typi: *Mulier in luctu sedens juxta tropaeum*, vel: *Captivus stans juxta palmam, adstante nonnunquam figura militari etc.* Sunt ex omni metallo, et durat digna ea jactatio in sequentes etiam annos.

* * *

Vt lit. D.

TRIVMP. AVG. *Imperator in quadrigis triumphalibus d. ramum coronatur ab adstante retro Victoria, praecedit figura militaris, et captivus nudus manibus a tergo revinctis, pone tubicen.* AV. (Mus. Caes.)

De Vespasiani victoriis Iudaicis, actoque illustri triumpho scripsere Suetonius, Dio, at omnium liberalissime Iosephus [b]). Adhibitos in triumphis quoque tubicines, refert Appianus in egregia descriptione triumphi Scipionis [c]).

Numi hujus anni reliqui memorabiliores.

Vt lit. C.

AVG. *scriptum intra coronam quernam, in aliis oleaginam, in aliis idem inscriptum clypeo coronae oleaginae inserto.* AV. (Morelli.) AR. (Mus. Caes.)

Sunt, qui exisiment, τὸ AVG. in his numis scriptum pro AVGVR, ut revera in numis anni sequentis videbimus, Vespasianum sese in numis praedicare *augurem*. At verisimilius est, quod censet Liebeus [d]), quoniam auguratus nullum attributum adest, legendum potius AV*Gusto*, et notare coronam, vel clypeum, ut moris tum erat, Vespasiano oblatum, dedicatumque.

---

a) Num. praest. T. I. pag. 31. edit. Rom. b) Bell. Iud. L. VII. c) Punic. c. 66.
d) Goth. num. p. 250.

* * *

Vt lit. C.

LIBERI. IMP. AVG. VESPAS. *Titus et Domitianus togati stantes.* AR. (Mus. Caes.)

Aversa sumpta est ex numis Vitellii, nisi quod in his sunt capita liberorum Vitellii se respicientia. Sed et sola capita habebis in numis anni sequentis.

* * *

Vt lit. M.

NEP. RED. *Neptunus pede dextero calcans globum d. acrostolium, s. hastam.* AV. AR. (Theupoli.)

Hic aversae typus deinceps quoque, ut et in numis Titi, recurrit. Nimirum Vespasianus anno superiore, isthoc Titus ex Oriente itinere maritimo Romam salvi reversi sunt, unde Neptuno nomine *reducis* honores habiti sunt.

* * *

Vt lit. A.

ROMA. RESVRGES. S. C. *Imperator togatus stans mulierem genuflectentem sublevat, alia figura galeata cum clypeo retro stante.* AE. I. (Mus. Caes.)

In numis Galbae vidimus ROMA. RENASCES, in his RESVRGES, nimirum pro RESVRGENS, ut ibi diximus. Et vero Vespasianus *Romam* aetate sua *resurgentem* dicere potuit, qui eam cum aedificiis novis, tum refectis veteribus, quae per superiorum temporum negligentiam, aut Neronianum, et mox Vitellianum incendium vitium fecere, insigniter exornavit. Atque aureum istud Vespasiani tempus respicit Tacitus, ubi agens de egregiis urbis monumentis Neroniano igne corruptis, haec continuo subjecit [a]) : *quamvis in tanta RESVRGENTIS VRBIS pulchritudine multa seniores meminerant, quae reparari nequibant.*

* * *

Vt. lit. A.

S. C. *Templum perelegans 6. columnarum statuis superne, atque utrinque exornatum, in cujus medio signum Iovis sedentis, cui ad dexteram adstat Pallas, ad sinistram Iuno.* AE. I. (Pedrusi Mus. Farn. at pulcherrime delineatum sistit Morellius.)

Offert hic numus frontem templi Capitolini a Vespasiano, postquam in turbis Vitellianis arserat magnifice refecti, aut verius e fundamentis de novo educti, cui substructioni factum initium XI. Kal. Iul. anni superioris, L. Vestino equestris ordinis a Vespasiano adhuc absente operi praefecto. Caerimonias tum adhibitas, ac populi studium eleganter describit Tacitus [b]), Vespasiano vero in eo perficiendo contentionem non modo comprobat id, quod narrant Dio [c]), et Suetonius [d]), eum ipsum ruderibus amoliendis manum admovisse, ac suo collo quaedam extulisse (quanquam non, ut iidem addunt, *primum*, nam pluribus ante ejus adventum mensibus jam coeptum aedificium, ut docet Tacitus synchronus et adcuratus) verum etiam collata ad id opus liberalitas, etsi aliena; nam jussi fuere Iudaei superstites, didrachmum, quod antea in templi Hierosolymitani usus pendere quotannis debebant, Iovi Capitolino largiri [e]). Quo edicto non aspernandas

---

a) Ann. XV. 41. b) Hist. IV. 53. c) L. LXVI. §. 10. d) Cap. 8. e) Ioseph. Bell. Iud. L. VII. c. 6.

novo operi accessisse opes, vel ex uno Cicerone colligi potest, memorante [a]): *Cum aurum Iudaeorum nomine quotannis ex Italia, et ex omnibus vestris provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. - - - Exportari aurum non oportere, cum saepe antea senatus, tum me consule gravissime judicavit.* Etiam Philo collectae hoc modo pecuniae magnam vim depraedicat [b]). Sed de hoc argumento vide plura in numis Nervae ad V. C. 849.

Praeter Iovis statuam comparent in numo signa Palladis ac Iunonis; nimirum docente Tacito [c]) Helvidius praetor opus aggressus precatus est cumprimis Iovem, Iunonem, Minervam. Varro [d]): *Capitolium vetus, quod ibi sacellum Iovis, Iunonis, Minervae.* Et Martialis palpans Domitianum in Capitolii restaurationem incumbentem, (nam sub Tito rursum arserat) sic canit [e]):

Quid pro culminibus geminis matrona Tonantis?
Pallada praetereo; res agit illa tuas.

Eas propterea apposite Dio συνναυς Iovis Capitolini appellat [f]). Observandum in hoc numo, Palladis signum Iovi ad dexteram, nimirum loco digniore, stare, postpositam adeo Iunonem. Non solus est hic numus, qui testimonium perhibeat, in augusto eo templo Palladem Iovi ad dexteram adstitisse. Etenim remota rei Romanae aetate hunc locum in eodem templo occupasse Palladem, nimirum anno V. C. 391, docet Livius, narrans [g]), clavum fixum fuisse *dextero lateri aedis Iovis O. M., ex qua parte Minervae templum est.* Confirmant istud numi Antonini Pii, in quibus tria haec numina eodem honoris discrimine sedentia proponuntur. In aliis ejusdem Antonini pro diis ipsis propriae singulorum aves comparent, sed eadem rursum lege, sic ut medium locum obtineat aquila, dexterum noctua, laevum pavo. Idem dignitatis discrimen offert vetus lucerna tres templi Capitolini cellas exhibens, quam edidit Passerius [h]). Ex quo apparet, plus honoris impertitos Romanos Palladi, quam ipsi Iunoni petita haud dubie causa ab ipso rei Romanae exordio, Palladio Troja huc translato, secundum quod Horatius quoque [i]):

Vnde nil majus generatur ipso, (Iove)
Nec viget quicquam simile aut secundum,
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

Sed et inter poetas Graecos fuerunt, qui eam ad Iovis dexteram collocaverunt. Sane ex Aristidis rhetoris testimonio [k]) Πινδαρος φησι, δεξιαν καταχειρα τȣ πατρος ἀυτην καθεζομενην τας ἐντολας τοις θεοις ἀποδεχεσθαι, *Pindarus ait ad patris eam dexteram sedere, et mandata diis perferenda accipere.* Contrarius tamen alibi apud Graecos fuit ordo. Narrat Pausanias [l]), Delphos euntibus occurrere templum, in quo signum Iovis adstante ad dexteram Iunone, ad sinistram Minerva. Ceterum similem templi Capitolini typum, eundemque cellarum ordinem vide repetitum in numis

a) Pro Flacco c. 28. b) de Monarchia L. II. p. 224. edit. Mangey. c) l. c. d) L. IV. de L. L. p. m. 38. e) L. IX. epigr. 4. f) L. LXVI. §. 24. g) L. VII. c. 3. h) Lucern. fict. T. I. tab. 29. i) Carm. I. Od. 12. k) Orat. T. I. p. 10. l) L. X. c. 5.

Titi Caesaris, et Domitiani Caesaris, atque iterum in insigni tetradrachmo Domitiani Aug., quod dabimus ad annum V. C. 835.

* * *

Vt lit. N.

SIGNIS. RECEPTIS. S. C. *Imperator paludatus basi insistens s. hastam, dextera acceptat aquilam legionariam, quam ei accedens Victoria offert.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 200. Mus. Com. Festeticz.)

Egregius hic numus hactenus ignotus, dum Pellerinius thesaurum suum nobiscum communicaret, referendus videtur ad pacem cum barbaris transactam, quae consecuta est bellum gravissimum, cujus anno superiore meminimus, motum a Civili Batavo, quodque perniciosissimum imperio R. fuisset, si aut major concordia constitisset barbaris, aut Romanis dux minus cordatus, et praesentis ad pericula animi, quam Cerialis, obtigisset. Eo in bello variis infelicibus praeliis amissa fuisse signa, diserte prodit Tacitus ejus defectionis eloquens scriptor. Narrat is [a]), incessisse Civilem circumdatum captarum cohortium signis; rursum post hanc labem legiones amisisse signa sua [b]), eaque in Romanorum opprobrium circumlata [c]); cum vero numus aquilam legionariam manifesto offerat, eundem habemus auctorem Tacitum non dissimulantem gentis suae dedecus, quo legiones binas a Civili interceptas, et ad deditionem coactas profitetur [d]). Verisimile est, ea signa restituta fuisse inclinante Civilis fortuna, et ad pacis consilia compulsi, cujus initia habemus ex Tacito [e]), sed quae deinceps contigere, inter quae enarrata fuerit etiam signorum restitutio, quam numi hi praedicant, malo historiae Romanae fato interiere. Docent igitur numi, quod scire ex historia scripta indultum non fuit. Ceterum non repugnat, hoc aversae typo indicari signa a Sarmatis recuperata, quod suadere videntur numi Domitiani, quos dabimus in hujus moneta ad annum V. C. 829.

* * *

Vt lit. A.

S. P. Q. R. ADSERTORI. LIBERTATIS. PVBLICAE, *intra coronam quernam.* AE. I. (Morelli Specim. tab. X.)

Haec aversae epigraphe in solo Vespasiano occurrit.

* * *

Vt lit. M.

TRI. POT. II. COS. III. P. P. *Mulier sedens d. ramum, s. caduceum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Numum descripsi propter trib. potestatis numerum cum consulatu conjunctum, quod rarius in Vespasiani moneta.

* * *

Vt lit. B.

TVTELA. AVGVSTI. S. C. *Mulier sedens dexteram extendit super adstantem Titum, sinistram super Domitianum.* AE. II. (Mus. Caes.)

Typus allegoricus, quo Vespasianus se velut filiorum tutorem per paternum

a) Hist. IV. 18. b) l. c. 33. c) l. c. 34. d) l. c. 60 seq. e) L. V. sub. fin.

adfectum profitetur publice; at hunc se etiam professus est securitatis propriae causa, quoniam tutior est vita principis, quo pluribus subsidiis nititur. Quo nixus fundamento Titus patrem placavit Domitiano propter aperta vitae scelestae argumenta infensum: *non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum* [a]).

* * *

Vt lit. B.

VICTORIA. NAVALIS. S. C. *Victoria prorae navis insistens d. lauream, s. palmae ramum.* AE. II. (Mus. Caes.)

Mirum sane, post victos Carthaginienses, piratas, reges, qui tot triumphorum navalium materiam Romanis suffecere, adhuc memorari victoriam navalem ea aetate, qua omnis ora maritima imperio paruit. Hanc tamen jactat numus praesens hoc anno signatus docente capitis inscriptione. Et referendam eam victoriam ad ipsum bellum Iudaicum, non docet modo numus alter Vespasiani eodem hoc anno signatus, in cujus aversa: IVDAEA. CAPTA cum typo: *Miles dextro pede prorae navis insistens*, (Mus. Caes.) verum etiam diserta Iosephi verba, qui, cum triumphum Iudaicum describit, inter alia, quae tum publice ostentabantur, *secutas etiam complures naves* testatur [b]). Istud cum certum sit, concors est antiquariorum omnium opinio, nullo alio praelio navali comperto intelligendum illud, quod in lacu Gennesareth a Vespasiano, et Tito commissum prolixe a Iosepho describitur [c]), quae quidem victoria justa fuit caesis aliquot Iudaeorum millibus, et plus triginta millibus captis, et venumdatis. Opportune ad istud confirmandum occurrit numus M. Aurelii signatus apud Gadara Decapoleos huic lacui vicina, in cujus aversa est: NATMA. ΓΑΔΑΡΕΩΝ, typo *triremis cum multis remigantibus.* (Pellerin Mel. II.) Verisimile omnino, Gadarenses Graecos in ejus praelii memoriam, quo eorum lacus usque eo nobilitatus est, eam NATMAχιαν annuis ludorum solennibus celebrasse, et in numis ipsis signasse, de quo vide plura Vol. III. in numis hujus urbis. Hanc a Vespasiano victoriam mature, ac vivo adhuc Nerone relatam oportet; nam addit Iosephus praelii hujus locuples historicus, a Vespasiano Neroni captorum juvenum sex millia ad Isthmum, quem perfodere is tentabat, missa esse. Hic typus occurrit etiam in numis Titi et Domitiani ad annum V. C. 826.

V. C. 825 *P. X.* 72.

TR. P. III. IV. COS. IV. P. M. P. P.

IMP. VIII. IX. X.

Vespas. Aug. IV. Tito Caes. II. cos.

Antiocho Commagenes rege de collusione cum Parthis suspecto Caesennius Paetus Syriae praeses Vespasiani jussu Commagenem occupat, eamque in provinciam redigit. Rex cum filiis Epiphane, et Callinico Romam abit, ibique regie excipitur. (Vide hujus regis numos.) Petilius Cerialis victis Britannis imperii in insula fines promovet [d]).

a) Tacit. Hist. IV. 52. d) Bell. Iud. L. VII. c. 5. §. 5. c) Bell. Iud. L. III. cap. ult.
d) Tillemont.

Inita censura Tito conlega urbis mores corrigit. (Vide infra sub titulo *Censor.*)

A. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. COS. IIII. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. VESPA. AVG. P. M. COS. IIII. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

C. IMP. CAES. VESPAS. AVG. P. M. TR. P. IIII. P. P. COS. IIII. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

D. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. IIII. *Caput radiatum, in AE. II.*

E. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. T. P. COS. IIII. CENS. *Caput radiatum, in aliis laureatum, in AE. II.*

F. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. T. P. P. P. COS. IIII. CENS. *Caput laureatum, in AE. I.*

G. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. COS. IIII. CEN. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

H. IMP. CAES. VESPAS. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. IIII. *Caput laureatum, in AE. I.*

I. IMP. CAESAR. VESPASIAN. AVG. COS. IIII. *Caput in aliis radiatum, in aliis laureatum, in AE. II.*

K. IMP. VESPASIAN. AVG. *sine capite, in AE. IV.*

L. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. COS. IIII. *Caput radiatum, in AE. II.*

M. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. COS. IIII. CE. *Caput laureatum, in quinariis.*

N. IMP. CAESAR. VESPAS. AVG. COS. IIII. P. P. *Caput laureatum, in AR.* (Mus. Farn. Tom. II. tab. 19. n. 9.)

Notandum, nullum mihi cognitum anni hujus numum, qui non possit perinde ad annum sequentem referri; nam consulatus Vespasiani IV. et trib. potestas IV. etiam in annum sequentem porriguntur.

Vt lit. A.

AVGVR. TRI. POT. *Instrumenta pontificalia.* AR. (Mus. Caes.)

Vespasianus, qui in ejusdem numi antica sese *pontificem maximum* dicit, in aversa *augurem* se tamen profitetur. Tanto apud Romanos honore inclaruit auguratus, quaemadmodum compendio disserit Spanhemius, qui hunc numum ex eadem gaza Caesarea memorat [a]). Ad haec volebat Vespasianus jactare decus sibi adhuc privato delatum; nam teste Suetonio [b]) re in Britannia fortiter gesta a Claudio *triumphalia ornamenta, et in spatio brevi duplex sacerdotium accepit.* Vide etiam similem Titi

a) Tom. II. p. 85. b) Cap. 4.

Aug. numum in hujus numis vagis. Auguris titulum cum pontificatu maximo conjunctum videre est etiam in numis Iulii Caesaris ad annum V. C. 708. Tiberius in marmore Muratorii non modo dicitur PONT. MAX., sed etiam AVGVR. XVVIR. S. F. VII. VIR. EPVLONVM [a]), et sic Caligula quoque in numis et PONT. MAX., et AVG*ur* est.

* * *

Vt lit. N.

LIBERI. IMP. AVG. VESPAS. *Capita nuda adversa Titi, et Domitiani.* AV. (Mus. Farnes.) AR. Theupoli. (Morelli.)

Eandem epigraphen vidimus in numis ad annum proximum. Forte et hic numus non rite lecta anticae inscriptione est anni praecedentis.

Vt lit. A.

VESTA. *Dea stans d. simpulum, s. hastam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

VESTA. *Templum Vestae cum dea intus stante.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Obvii sunt aurei et argentei Vespasiano imperante signati cum typo Vestae, ejusque templi. Perhibente Tacito [b]) in incendio, quod sub Nerone V. C. 817 urbem depavit, exustum est etiam *delubrum Vestae cum penatibus populi Romani.* Docemur his numis, Vespasianum, qui ad restituendas aedes sacras, ac praecipue vetera urbis monumenta totus incubuit, restituendo etiam huic Vestae delubro solertem operam impendisse.

* * *

Reliqui hujus anni numi typos annorum superiorum repetunt, aut obvios, et animadversionum inopes offerunt.

V. C. 826 P. X. 73.

TR. P. IV. V. COS. IV. DES. V. P. M. P. P. CENS. IMP. X. XI.

Domitiano Caes. II. M. Valerio Messalino cos.

Vespasianus censuram cum filio Tito continuat [c]).

Desunt certi hujus anni numi, verum, ut supra monui, eorum pars, qui consulatum IV. inscriptum habent, anno praesente signata est.

V. C. 827 P. X. 74.

TR. P. V. VI. COS. V. DES. VI. P. M. P. P. CENS. IMP. XI. XII.

Vespas. Aug. V. Tito Caes. III. cos.

Vespasianus Achaiae, Lyciae, Rhodo, Tracheae Ciliciae libertatem adimit. Quo id definite anno factum, variant eruditi. Ex epocha Flaviopolis Ciliciae, quae ducta ab autumno praesentis anni haud dubie huic facto initium debet, colligi potest, constitutum istud anno praesente, aut ad summum sequente. Vespasianus lustrum condit [d]).

---

a) Pag. 223. 6. c. 18.

b) Ann. XV. 41.

c) Plin. L. III. §. 9.

d) Censorin. die nat.

A. IMP. CAESAR. VESP. AVG. COS. V. CENS. *Caput laureatum*, *in AE. II.*
B. IMP. CAESAR. VESPAS. AVG. COS. V. TR. P. P. P. *Caput laureatum*, *in AR.*
C. IMP. CAESAR. VESP. AVG. *Caput laureatum*, *in AR.*
D. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. V. CENS. *Caput laureatum*, *in AE. I.*
E. IMP. VESPASIAN. AVG. *sine capite*, *in AE. IV.*
F. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. T. P. COS. V. CENS. *Caput radiatum*, *in AE. II.*
G. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. *Caput laureatum*, *in AE. II.*

Vt lit. G.

PON. MAX. TR. POT. P. P. COS. V. CENS - - - *Duplex cornucopiae intermedio caduceo.* AE. II. (Mus. Farnes.)

Numum hunc proposui, quia, quod in moneta aenea rarissimum, notam S. C. omisit. Hujus in nonnullis defectus causam probabilem dedimus in numis Tiberii ad annum V. C. 774.

* * *

Hujus anni numi reliqui nihil animadversione dignum suppeditant.

V. C. 828 *P. X.* 75.

TR. P. VI. VII. COS. VI. DES. VII. P. M. P. P. IMP. XIII.—XVI.

Vespas. Aug. VI. Tito Caes. IV. cos.

Desinit CENSOR.

Templum Pacis dedicat [a]). Circa idem tempus videtur Vologesen Parthum Syriae imminentem, quod refert Dio [b]), oblato per Trajanum Trajani Aug. patrem Syriae tunc praesidem belli metu repressisse, quod erudite colligit Belleyus [c]), irritatum forte, quod sibi petenti auxilia adversum Alanos negaverat. Vide plura infra in Domitiano ad hunc annum.

A. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. *Caput laureatum*, *in AV. et AR.*
B. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. T. P. COS. VI. *Caput radiatum*, *in AE. II.*
C. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VI. *Caput laureatum*, *in AE. I.*
D. IMP. VESPASIAN. AVG. *sine capite*, *in AE. IV.*
E. IMP. CAESAR. VESP. AVG. COS. VI. *Caput laureatum*, *in AE. II.*
F. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. *Caput laureatum*, *in AR.* (Mus. Caes.)

---

a) Dio. b) L. LXVI. §. 15. c) B. L. T. XXX. Mém. p. 271.

Vt. lit. F.

IMP. XIII. *Scrofa cum suculis.* AR. (Mus. Caes.)

Numus integerrimus. Obvius est hic typus in numis inscriptis: IMP. XIX., quos vide ad V. C. 831.

* * *

Vt. lit. A.

IMP. XIIII. *Bos cornupeta.* AV. (Mus. Caes.)

De multiplicato *imperatoris* titulo agetur ad calcem numorum Vespasiani.

* * *

Mirum, non existere in moneta Vespasiani imaginem templi Pacis hoc anno dedicati, etsi fuerint, qui sibi illud in iis videre visi sunt, quos inter fuit Spanhemius [a]), at numus, quem offert, revera imaginem templi Capitolini sistit, de quo egi altius ad annum V. C. 824, ut etiam alter propositus a Patino [b]). Aliorum numorum, in quibus illud exhiberi dicitur, aut suspecta fides, aut ejusdem Iovis Capitolini est. Quodque magis mirum, fuit illud templum ingens monumentum magnificentiae Vespasiani. Opus istud Herodianus maximum, atque pulcherrimum totius urbis templum dixit [c]). Plinius inter *pulcherrima operum, quae unquam*, numerat [d]), et teste Iosepho omnia eo collata fuere, quorum visendorum studio homines antea per totum terrarum orbem vagabantur [e]). Egregia artis monumenta, quae in hoc reposita fuere, variis locis commemorat Plinius, eodemque loco testatur Iosephus, fuisse ibi proposita vasa, et instrumenta aurea Iudaeorum e templo Hierosolymitano rapta. Interea etsi Vespasianus signando, quod sciamus hactenus, in numis hoc templo abstinuit, nullum tamen aliud numen, aut genium frequentius monetae suae inseruit, quam *Pacem*, quod testantur omnium fere annorum inde a principio, et omnis metalli numi, ut:

PAX. AVGVSTI. *Mulier stans d. ramum oleae, vel caduceum, s. cornucopiae*, vel: *Victoria gradiens*, vel: *Figura nuda stans d. hastam mulierem genuflectentem sublevat.*

PACI. AVGVSTI. *Victoria gradiens eo, quo Nemesis, gestu habituque*, de quo typo abunde egi ad similes Claudii numos anni V. C. 794.

PACI. ORB. TERR. AVG. *Caput muliebre redimitum corona binis turribus ornata.*

PACIS. EVENT. *Genius nudus stans d. pateram, s. spicas.* AR. (Morelli.)

V. C. 829 P. X. 76.

TR. P. VII. VIII. COS. VII. DES. VIII. P. M. P. P. IMP. XVII.

Vespas. Aug. VII. Tito Caes. V. cos.

Hoc anno Domitianum ad reprimendos Sarmatas missum ex ejus ad hunc annum numis colligunt eruditi, at perperam, ut in Domitiano ad praesentem annum comprababo.

Inscriptiones capitis sunt ad modum anni praecedentis, nisi quod pro COS. VI. scribitur COS. VII.

* * *

Antica incerta.

a) Tom. II. p. 648. b) ad Suet. p. 393. c) L. I. c. 14. d) L. XXXVI. §. 24.
e) Bell. Iud. L. VII. c. 5. §. 7.

PONT. MAX. TR. P. COS. VII. P. P. *Columna rostrata, cui insistit simulacrum nudum capite radiato, d. hastam, s. quid instar parazonii tenens.* AV. (Morelli.)

Typus hic in sequentium etiam annorum numis, tum et filiorum visitur. Adhuc idoneum interpretem nactus non est, neque ego promittere ausim, conjecturae meae, quam mox producam, justum pondus inesse. Havercampus censet, exhiberi veterem columnam rostratam, quae in Vitelliano incendio perierit, restituta subinde a Vespasiano, hujus vero imperatoris esse statuam illi impositam. Eruditorum judicio permitto, an non alia, certiorque hoc typo statua intelligenda sit, ea nempe, de qua, tanquam de artis miraculo, copiosa habemus veterum testimonia, et quae ipsa Vespasiani quoque imperium nobilitavit. Erecta fuit Neronis jussu, hujusque insignis imagine, operis architecto Zenodoro, alta pedes CX [a]), Suetonio pedes CXX [b]), P. Victori CII. semis [c]), Eusebio CXXVII. [d]), Dioni C [e]). Divo Hieronymo CVII [f]). Damnatis Neronis sceleribus cum eam vitium passam reficiendam Vespasianus curasset, dempto inde ejus principis capite, Solisque imposito capite Soli eam dicavit [g]), Habuisse hunc colossum radios VII., testantur Hieronymus, et P. Victor [h]), et quidem posterior singulos fuisse pedum XXII. semis, quo de prodigio Martialis [i]):

Nec te detineat miri radiata colossi,
Quae Rhodium moles vincere gaudet opus.

Iam vero et radiatum caput est, quod in numis his simulacrum offert. Egregie etiam respondet tempus; nam anno demum V. C. 829, non antea, hic in numis typus conspicuus fit. At constat ex Dione [k]), colossum hunc insignem anno V. C. 828 in via sacra locatum, quem adeo, ut tanti moliminis opus, atque in solem religio merebatur, placuit numorum etiam celebritate efferre. Verum quae ex numi imagine non levis enascitur difficultas, est, quod tantae altitudinis, ponderisque colossus impositus est columnae, non, quod hae causae postulare videntur, basi, tum quod ea navium rostris decoratur, quorum sane ratio ignoratur, neque meminere in colossi descriptione veteres. Vereor, ne utraque haec peristasis conjecturae meae damnosa sit. Et rostrorum quidem explicatum ignoramus, ut ignoramus pleraque hujus aetatis facta deperditis Taciti et Dionis operibus, quae magno in explicandis priorum annorum numis fuere subsidio, et forte non improbabilis conjectura, petita ex felici Vespasiani ab Oriente reditu, cujus symbolum sol est, adferri posset, si luberet inhaerere conjecturis. Ad idem forte argumentum referendi sunt numi argentei in consulatu Vespasiani VIII. signati, in quorum aversa prora navis imminente desuper astro solis, in quibus illud astrum vice colossi Soli dedicati, et navis vice columnae rostratae positae

a) Plin. L. XXXIV. §. 18. b) in Nerone c. 31. c) in Regione IV. d) in Chronico. e) L. LVI. §. 15. f) in Habacuc. c. 3. g) Plin. Hieronym. ll. cc. h) ll. cc. i) L. I. epigr. 71. k) l. c.

videri possint. Observandum denique, a Morellio dictam statuam fingi togatam, quae causa fuit, cur a plerisque pro statua Vespasiani est habita. At in compluribus numis musei Caesarei constanter fingitur nuda. Quod si etiam revera togata esset, nihil istud obesset; nam constat, eam aliquando fuisse Neronis, et teste Hieronymo [a]) ex universo opere demptum tantum Neronis caput, et additum Solis, remanente adeo reliquo imperatoris cultu. Serius Commodus ablato rursum Solis capite suum ipsius imposuit testibus Lampridio, Dione, ac praecipue Herodiano in hujus Augusti vitis. Typum, qualis in numo praesente est, non absimilem habes in numis Octaviani.

V. C. 830 *P. X.* 77.
TR. P. VIII. IX. COS. VIII. P. M.
P. P. IMP. XVII. XVIII.
Vespas. Aug. VIII. Tito Caes. VI. cos.

Atrox in urbe pestis b).

V. C. 831 *P. X.* 78.
TR. P. IX. X. COS. VIII. DES. IX.
P. M. P. P. IMP. XVIII. XIX.
L. Ceionio Commodo, D. Novio Prisco cos.

Iulius Agricola in Britannia res prospere gerit c).

Conjungo numos hujus, et praecedentis anni, in quos Vespasiani consulatus VIII. porrigitur.

A. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. COS. VIII. P. P. *Caput laureatum, in AE. II.*
B. IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. *Caput laureatum, in AE. I.*
C. IMP. CAESAR. VESPASIAN. COS. VIII. *Caput in aliis laureatum, in aliis radiatum, in AE. II.*
D. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. *Caput laureatum, in AV. et AR.*
E. IMP. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. COS. VIII. *Caput laureatum, in AE. II.*
F. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

Vt lit. D.
COS. VIII. *Prora navis, supra quam astrum.* AR. (Mus. Caes.)

Verisimilem hujus typi sensum dedimus supra ad annum V. C. 829.

Vt lit. F.
IMP. XIX. *Scrofa cum suculis.* In aliis: *Modius.* AR. (Mus. Caes.)

Typus haud dubie indicat conspectam ab Aenea suem cum foetibus triginta, de qua Virgilius principio L. VIII. Aeneidos.

V. C. 832 *P. X.* 79.
TP. P. X. COS. IX. P. M. P. P.
IMP. XX.
Vespas. Aug. IX. Tito Caes. VII. cos.

Iulius Sabinus Pseudo - caesar, de

a) L. c. b) Plin. L. XVIII. c) Tac. in ejus vita c. 18.

cujus in Gallia rebellione egimus ad annum V. C. 823, cum IX. annos in spelunca abditus lateret, repertus, Romam perductus et cum uxore morte adfectus est a). Moritur Vespasianus IX. Kal. Iul. annum agens LXIX. super menses VII. ac dies totidem b), postquam inde a Kal. Iul. 822 annos IX. menses XI. dies XXIII. imperando explesset.

Fuit vir iis temporibus necessarius, qui veterem imperii splendorem praecedentium Caesarum ignavia ac sceleribus contaminatum egregie vindicavit. Qui ejus vitam memoriae prodidere, copiosi sunt in commendanda ejus justitia, mansuetudine, integritate. Comis erga omnes, et accessus facilis, quique graves imperii curas, ad quas summam vigilantiam, et indefessum studium attulit, facetiis, familiaribusque jocis temperare solitus erat, quorum complura exempla prodidit Suetonius. Tam praeclaros mores una pecuniae coacervandae cupiditas, et indigna eo fastigio avaritia corrumpere est visa, tametsi propter exhaustum penitus aerarium ad eas se sordes vi compulsum profiteretur. Idem tamen, qui privatim parcus, vitae modicae, et in exactionibus severus fuit, egregie ac profuse liberalis fuit, cum ad amplificandum urbis, ac imperii decus sumptus erant faciendi; nam non modo Capitolium insigni magnificentia exstruxit, reliqua monumenta eodem cum Capitolio incendio corrupta reparavit, aquaeductus, ac vias per imperium vitiatas, adflictas terrae tremore urbes restituit, sed novis etiam aedificiis urbem ornavit, inter quae templum Pacis propter magnitudinem, et magnificentiam admirationi fuit, amphitheatrum vero in hunc diem maxima sui parte superstes ejus liberalem animum serae posteritati depraedicat. Quin et consulares inopes quingenis sestertiis sustentando, aliisque liberalitatibus meruit, ut in omne hominum genus liberalissimus a Suetonio diceretur c).

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. *Caput laureatum.*

COS. VIIII. TR. POT. X. *Statua capite radiato d. hastam insistens columnae rostratae.* In aliis: *Capricornus*, *Victoria etc.* AV. AR. (Mus. Caes.)

De aversae prioris typo jam egimus ad V. C. 829, reliqui memorabile nihil adferunt.

Numi vagi.

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. *Caput laureatum.*

AETERNITAS. *Figura stans ad aram, d. caput Solis, s. Lunae.* AV. (Mediobarb.)

Haec aversa nunc primum occurrit. Vide, quae de ea notabimus in numis Trajani ad V. C. 864, et Severi ad V. C. 955.

Eadem adversa.

IOVIS. CVSTOS. *Iuppiter nudus stans ante aram, d. pateram, s. aram.* AV. AR. (Mus. Caes.)

IOVIS positum in recto pro IVPPITER. Varro d): *Iuppiter, Iovis, et Iovis, Iovis.*

a) Dio L. LXVI. §. 16. Plutarch. in Amatorio. b) Suet. c. 24. c) Cap. 17. d) de L. L. lib. VII.

* * *

IMP. CAESAR. AVG. VESPASIANVS. *Caput laureatum.*

HISPANIA. *Mulier stans d. extenta spicas, s. binas hastas, pendente a tergo clypeo Hispanico.* AV. (Mus. Caes.)

Illustrem hunc numum olim vulgavi in mea Sylloge I., quo loco animadverti, hoc numo Hispaniae in Vespasianum adfectum commendari, quam satis mature, et quidem Primi Antonii suasu neglecto Vitellio in Vespasianum inclinasse constat, ut auctor est Tacitus [a]). Verisimile est, propter hanc ipsam causam factum, ut, quod narrat Plinius [b]), *universae Hispaniae Vespasianus imperator Augustus jactatus procellis reipublicae Latii jus tribueret.* Et poterat in civili hoc motu magnum momentum adferre Hispania, quae teste eodem Tacito [c]) una cum Galliis *validissima terrarum pars* habebatur. Et ait Iuvenalis [d]),

Horrida vitanda est Hispania, Gallicus axis, Illyricumque latus,

quibus verbis cautos esse jubet earum provinciarum praesides, ne gentes tam robustas, tactuque asperas vexent diripiantque, ut molles Asianos. Forte etiam hoc typo conversa legionis Hispanicae in Vespasianum studia significantur, quae Galbam quondam comitata in urbe excubabat [e]). Quorum omnium causa placuerit in Vespasiani quoque numis iterare typum in Galbae moneta obvium. Videtur numus hic Romae mox Vespasiano imperium auspicato, eoque adhuc peregre absente signatus; nam, etsi certae sit antiquitatis, tamen minus respondent oris lineamenta, et non legitur in ejus moneta serius signata το AVG. praepositum τῷ Vespasianus.

* * *

Antica incerta.

S. C. *Pallas gradiens d. palmae ramum, s. Victoriolam, pro pedibus serpens.* AE. I. (Morelli.)

Hunc numum propter argumenti analogiam retraxi ad numos Claudii anni V. C. 794.

* * *

Reliqui hujus classis numi aut obvium aut jam aliis annis descriptum typum offerunt.

Divus Vespasianus.

Apotheoseos honorem Vespasiano decretum dissimularunt historici, quorum silentium abunde supplent numi. Quin ipse deorum sibi communionem praesagivit, cum prima morbi accessione per jocum diceret: *ut puto, deus fio* [f]).

DIVVS. AVGVSTVS. VESPASIANVS. *Caput laureatum.*

EX. S. C. *Quadrigae equorum thensam trahunt.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

EX. S. C. *Posteriores hae duae literae inscriptae sunt clypeo columnae adfixo, supra quam urna, hinc et inde lauri ramus.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Proponitur urna condendis mortui cineribus destinata. Formula: EX. S. C. comprobat, ad senatum pertinuisse, decernere deorum honores principi vita functo, de quo vide, quae dicentur in tractatu de numis Consecrationum.

---

a) Hist. III. c. 53. 70. b) L. III. p. 144. c) l. c. d) Sat. VIII. v. 116. e) Tacit. Hist. I. c. 6. f) Suet. c. 23.

* * *

DIVO. AVG. VESP. S. P. Q. R. *Imperator capite radiato d. hastam, s. Victoriolam in quadrigis elephantorum cum totidem rectoribus.*

IMP. T. CAES. DIVI. VESP. F. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. *in medio* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Captus est typus ex numis Augusti consecrati.

* * *

Sunt adhuc numi alii, quorum aversae typos offerunt absque ullo consecrationis ritu, vel indicio, inscripti: CERES. AVGVST. vel VICTORIA. AVGVST. (Mus. Caes.) Hos tamen esse hujus classis, docet antica, in qua Vespasiani titulis additur DIVVS. Alium divi Vespasiani numum vide in moneta uxoris Domitillae, tum et in tractatu de numis restitutionum.

* * *

DIVO. VESPASIANO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila*, in aliis: *Ara ignita.* AR. (Mus. Caes.)

Hi numi ex argento impuro multo sunt serius signati, de quo vide tractatum de numis consecrationum.

Numi restitutionum.

Vide de his tractatum singularem.

De literis EPHE. in Vespasiani, filiorumque moneta occurrentibus.

Habentur non pauci horum Caesarum numi, in quorum area legitur vox solitaria, et truncata EPE., aut ut adcuratius observata offert: EPHE., ut viderunt Patinus a), et Havercampus b), Pellerinius in suis jam EPE., jam contractum EPHE. vidit, utrumque tamen idem significare putat, quia in numis quoque Tyri legitur PENICE pro PHOENICE, omissa scilicet aspirata c). Vtrumque modum observavi etiam in numis similibus musei Caesarei. Animadvertendum ad hos numos, vocabulum illud exstare solum in argenteis, et tantum in iis, quos ex inscriptione capitis, aut typis constat esse signatos V. C. 823, 824, 825, nempe in Vespasiani consulatu II. III. IV. Observatur etiam tantum in certis numis, quos dabo ex museo Caesareo, et Morellio.

AVG. *intra coronam*, Vespasiani.

CONCORDIA. AVG. *Concordia sedens*, Vespasiani, Domitiani Caes.

LIBERI. IMP. *etc. Capita filiorum*, vel: *Ipsi togati stantes.* Vespasiani.

PACI. AVGVSTAE. *Victoria gradiens*, Vespasiani, Titi Caes.

PACI. ORB. TERR. AVG. *Caput muliebre*, Domitiani Caes.

Existimant Patinus, Havercampus, Pellerinius, quos laudavimus, eo vocabulo intelligendam Ephesum, et in hac illos urbe fuisse signatos, quod quidem et mihi satis videtur verisimile, praecipue quia in horum nonnullis occurrunt capitis inscriptiones, quas in denariis, qui certe commatis Romani sunt, non reperias. Exemplo sit numus Titi, quem dabo ad V. C. 824, in quo is, cum Caesar adhuc esset, dicitur: IMPERATOR. T. CAE-

---

a) Thes. num. p. 58. b) ad Impp. Morellii T. II. pag. 287. c) Lettres p. 159 seq.

SAR. At cur vocabulum istud occurrat tantum in denariis horum principum, cur in certis tantum annis, cur tantum cum certis typis sociatum, causam non reperio. Varias has peristases non expendit Pellerinius, ac propterea longae conjecturae, quas nobis obtulit, valde sunt infirmae.

Addo notam aliam, nempe Φ jacens, atque item in argenteis tantum, et eorundem annorum numis conspicuam. Sunt autem:

CONCORDIA. AVG. *Concordia sedens*, Vespasiani.

PACI. AVGVSTAE. *Victoria gradiens*, Vespasiani.

PACI. ORB. TERR. AVG. *Caput muliebre*, Vespasiani. Difficile videatur, hujus notae verum sensum elicere. Ceterum ejus generis vocabula truncata, aut literae solitariae, quae in numis familiarum, aut Augustorum inferioris aevi vulgo negligi solent, circum hanc aetatem observatu dignae sunt.

De numis Vespasiani aeneis IV. formae.

Vt obvii sunt sub Vespasiano numi aenei I. et II. formae, sic peculiare quiddam habent aenei formae contractioris, qui ad quartam, ut aimus, formam accedunt. Hoc volumine cusos aliquos jam sub Nerone notavimus; sub Vespasiano occurrunt iterum, ac deinceps per consequentia imperia usque ad Antoninum Pium copiosius, ac majore varietate comparent, quam rei monetariae rationem sub singulis imperiis solicite memorabo. Si quem hujus generis post Antoninum reperias, metue, ne subaeratum nactus sis fraudulenta pellicula exutum. Post longi temporis intervallum sub Decio redeunt. Vespasiani hujus generis numi sunt:

IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. *Palma.*

PON. M. TR. P. P. P. COS. III. S. C. *Vexillum militare.* In alio: *Aspergillum, patera, lituus.* (Mus. Caes.)

IMP. VESPASIAN. AVG. *Palma.* In aliis: *Globus intermedio gubernaculo.*

P. M. TR. P. COS. IIII. S. C. *Vexillum militare.* (Mus. Caes.)

IMP. VESPASIAN. AVG. *Globus cum gubernaculo transverso.*

P. M. T. P. P. P. COS. V. S. C. *Caduceus.* (Mus. Caes.)

Alii, sed COS. VI. *et* COS. VII. (Mus. Caes.)

Numi falsi, aut suspecti.

IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. *Caput laureatum.*

S. C. *Amphitheatrum.* AE. I.

Id genus numi frequentes circumferuntur, in quibus amphitheatrum, nunc vulgo *Coliseum*, proponitur. Eos pro genuinis edidere Patinus [a]), Spanhemius [b]), Pedrusius [c]), aliique. Sed enim quos viderim, omnes sunt artis modernae, et fuit dignum argumentum, in quo sese fraus lucri secura exerceret. Et vero mortuus est Vespasianus, priusquam opus perficeretur, supremam subinde manum imponente Tito, in cu-

a) In Suet. p. 394. b) in Caess. Iuliani p. 61. c) Mus. Farnes. T. VI. tab. 14.

jus, ut et fratris Domitiani numis, iisque probae notae, ejus imago substructionis reperitur. Etiam falsum Titi numum cum hoc typo suo loco dabimus.

* * *

IMP. VESPAS. AVG. P. M. TRI. P. P. P. COS. IIII. *Caput laureatum.*

IMP. T. CAES. VESPAS. AVG. F. TRI. P. II. COS. II. *Caput Titi nudum.* AV.

Describitur hic numus a Pedrusio in museo Farnesiano a), tum a Morellio b). Neque epigraphe anticae in ullo certo Vespasiani numo habetur, neque Titus, antequam Augustus diceretur, nomine *imperatoris* pro praenomine usus est. Non alia re facilius mala numi fides, quam inscriptionibus detegitur, quas impostores imperiti aut temere fingunt, aut si qua est alterius anni, in numum suum recipiunt. Idem numus est in museo Caesareo, at manifestae νοθειας.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum numi Graeci justo numero superant, inter quos insignes sunt, in quorum aversa legitur: ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. addito anno imperii, suntque fere argentei, et maximi moduli, sed de quibus ex instituto egimus Volumine IV. p. 413.

Coloniarum perexiguus est numerus, et quod mirum videatur, ex tanto coloniarum numero urbium tantum Macedoniae numos reperit Vaillantius, neque quod sciam, alios addidere alii, etsi Antiochiae Pisidiae numum cum capite Titi imperante Vespasiano percussum idem auctor ediderit, quem vide in numis Titi.

Alexandrini copiosi.

Nomina ac tituli.

Titus Sabinus.

Auctores moderni Vespasiano passim *Titi* praenomen adponunt, qua istud auctoritate, nondum satis comperi. Ait Onuphrius Panvinius in suis Commentariis in Fastos consulares ad annum V. C. 823: *Illud animadversione dignum est, quod ex Tacito, Dione, Tranquillo, ac antiquis lapideis, et aeneis monumentis observavi, Vespasianum ipsum, ejus patrem Sabinum, avum Petronium, fratrem Sabinum, fratris filios Sabinum, et Clementem, item filios suos Vespasianum, et Domitianum omnes* Titi *praenomen habuisse.* Lubet omissis reliquis, qui ad causam non pertinent, in uno Vespasiano morari. Advocat Panvinius Tacitum, Dionem, Tranquillum, sed ab his ego Vespasianum constanter sine praenomine appellari video. Ex marmoribus unicum recitat:

VICTORIAE AVG.
SACRVM.
PRO. REDITV.
IMP. CAES. T. FLAVI.
VESPASIANI. AVG.
PONT. MAXIM.
TRIB. PONT. COS. II.
P. P.
STATVAM. EX. AERE.
ORDO. SPOL. CONLOC.

Illud ipsum recitat quoque Gruterus, sed ex eodem Panvinio c), neque aliud

a) Tab. VIII. n. 5. b) in Vespas. tab. V. n. 19. c) pag. 103. 7.

aliquod cum Titi praenomine obtulerunt Gruterus, Muratorius, Gudius, quos consului. Lapides omnes, iique copiosi in nominibus *Flavii Vespasiani* acquiescunt. Iure igitur potest de vera Panvinii lectione oriri suspicio. Adfirmat Tillemontius a), varias exstare inscriptiones, quae eum *T. Flavium Sabinum Vespasianum* appellant, sed alios testes non citat, quam numos, quos in Thesauro suo obtrusit Goltzius, sed quas glandes jam stomachamur. Vnicum novi numum Graecum ex eorum genere, qui ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. inscribuntur, cujus epigraphe ΤΙΤΟC. ΟΥΕCΠΑCΙΑΝΟC. CΕΒ., patrem videtur Vespasianum indicare, sed sunt etiam causae, quae eum Tito filio permittendum suadent, quas dedi in tractatu de his numis (Vol. IV. p. 414.); ad haec nominum, titulorumque veritatem minus tutum est ex numis peregrini commatis repetere. Sane nullus est numus officinae Romanae, qui Vespasianum *Titum* nominet, quod praenomen si in aliquo legatur, sine dubio Titum filium indicabit. Tamen post haec disputata nondum plane negavero, fuisse Vespasiano Titi praenomen; istud tantum monitum velim, ex veterum monumentis adhuc cognitis illud non tam liquido probari, quam nonnullis visum, atque istud saltem manifesto apparet, Titi praenomen sic fuisse filio seniori commodatum, ut etiam omissis *Flavii Vespasiani* nominibus satis ipse intelligeretur, quomodo olim solo praenomine Tiberii privignus Augusti, et praenomine Caji filius Germanici Caligula.

Consul.

Fuisse Vespasianum ante principatum consulem, docuere historici, et Suetonius diserte, fuisse suffectum *per duos novissimos anni menses* b). Eruditi Pighius annum V. C. 803 adsignat, qui est Varronianus 804. Imperio admotus *consulatus VIII. veteri addidit* c), et confirmatur numis, ut vidimus.

Trib. pot. Pater patriae, Pont. max.

Refert Tacitus ad V. C. 822, senatum Romae cuncta principibus solita Vespasiano absenti decrevisse d), at Suetonius, eum trib. potestatem, et patris patriae appellationem nonnisi sero recepisse e). Quidquid sit de hoc Suetonii testimonio, istud certum, jam in numis certis anni 823 utramque appellationem legi. Quin cum in numis postremo ejus anno signatis, iisque obviis legatur TR. P. X., necesse est, ut denarius numerus emergat, eum mox ab adito imperio trib. potestatem, et adhuc absentem inivisse. Sed haec uberius investigabuntur in doctrina trib. potestatis. Ceterum verisimile est, eum patris patriae, et pontificis maximi appellationem nonnisi in urbem reducem adoptasse.

Imperator.

Numi docent, Vespasianum fuisse imperatorem XIX., quem numerum marmora unitate augent. Historici ad digerendos hos numeros nihil fere conferunt. Solus Dio narrat, Vespasianum

a) In Vespas. art. I. b) Cap. 4. c) Suet. c. 8. d) Hist. IV. 3. e) Cap. 12.

una cum Tito captis Hierosolymis adclamatum imperatorem [a]). Numi raro numerum addunt. Potius subsidium ex marmoribus petendum, sed circumspectione in his opus, quoniam inscriptiones persaepe minus adcurate exceptae turpissima in notis cumprimis chronologicis errata offerunt. Re ex veterum monumentis ad examen vocata sequens ordo probabilis statuendus.

V. C. 822. 823. IMP. I. II. III. IV. V. Toties eum intra hos annos fuisse imperatorem, ex monumentis sequentis anni patet. IMP. V. certe ad annum 823 pertinet, nam jungitur cum COS. II. in numo, quem ad eundem annum descripsi. Materiam suffecere bella Iudaica, Germanica, Sarmatica.

V. C. 824. IMP. VI. junctum nempe cum TR. P. II. COS. III. (Gruter pag. DLXXIII. 1. et CLXXVI. 1.)

IMP. VII. cum iisdem notis. (Gruter p. CLIV. 3. Muratori p. CCCCXLV. 7.)

IMP. VIII. junctum cum trib. pot. III. COS. III. (Gruter p. CLXXXVIIII. 7. et CCXLIII. 2. 4.)

V. C. 825. IMP. VIII. junctum cum TR. POT. III. COS. IV. (Gruter p. CLXXXIX. 8.)

IMP. IX. junctum cum TR. POT. IV. COS. IV. (Gruter p. CCXLIV. 2.) Eadem trib. potestas, et consulatus in sequentem etiam annum cadunt; sed cum in eodem marmore Domitianus dicatur COS. DES. II., certe notatur annus 825, nam Domitianus Kal. Ian. V. C. 826. processit COS. II.

V. C. 825. 826. IMP. X. junctum cum TR. POT. IV. COS. IV. (Gruter CXCVII. 4.) Hae notae in utrumque annum cadunt.

V. C. 827. Desunt monumenta. Verisimiliter hoc anno fuerit IMP. XI. XII.

V. C. 828. IMP. XIII. junctum cum TR. POT. VI. COS. VI. (Murat. CCCCXLVI. 1.)

IMP. XIIII. in numis, sed qui notam chronologicam non addunt, verisimiliter tamen huic anno tribuendi, ut et forte IMP. XV. XVI.

V. C. 829. IMP. XVII. junctum cum TR. POT. VII. COS. VII. (Gruter p. CLIV. 5.) TR. POT. VI. COS. VII. DES. VIII. (Donius p. 92.)

V. C. 830. IMP. XVII. junctum cum TR. POT. VIII. COS. VIII. (Gruter p. CCXLIII. 7.)

IMP. XVIII. junctum cum iisdem notis. (Muratori pag. CCXXVIII. 2. Gruter pag. CLXXXIX. 10.) Idem imperatoris numerus cum TR. POT. IX. (Murat. p. MMVII. 4.)

V. C. 831. IMP. XIX. in numis. Desunt quidem notae chronologicae saltem in numis certis, sed verisimile est, hunc numerum hoc anno valuisse.

V. C. 832. IMP. XX. junctum cum

a) L. LXVI. 7.

TR. POT. X. COS. IX. (Gruter pag. CCXLIII. 8. Murat. pag. CCXXVIII. 4.)

Quae fuerit ejus tituli multiplicandi occasio, nisi conjecturis te penitus immergas, difficile est decidere. Interiere scriptores plerique hujus imperii, et constat, ut alias monui, imperatores etiam levibus ex causis hunc honorem iterasse.

Censor.

Censura Vespasiani multis est testimoniis confirmata. Suetonius a): *Suscepit et censuram, ac per totum imperii tempus nihil habuit antiquius, quam prope afflictam, nutantemque rempublicam stabilire primo, deinde et ornare.* Haec vage Suetonius; at Censorinus annum ipsum enunciat b), cum narrat, factum esse lustrum ab imperatore Vespasiano V. et Caesare III. cos. Incidit hic utriusque consulatus in annum V. C. 827. Plinius binis locis ejus censurae facit mentionem, et quidem uno c): *Moenia ejus* (Romae) *collegere ambitu imperatoribus, censoribusque Vespasianis anno conditae* 826 *passuum XIII. M. CC.* Altero d): *exempla recentissimi census, quem intra quadriennium imperatores Caesares Vespasiani, pater filiusque censores egerunt.* Numi, si editos catalogos spectes, varium ejus censurae cum exordium, tum finem statuunt. Mediobarbus, qui numorum ordinem sus deque vertit, etsi eos ad chronologiae leges contexere proposuerit, jam ad annum V. C. 822 obtrudit numos, in quibus Vespasianus CENSOR inscribitur. Nimirum ille eo anno, quo Roma abfuit, et quo incertae adhuc ejus fuere res, censum agere Romae potuit! Vel unicum hoc exemplum documento esto, quam temere is catalogus, et quam nulla crisi, quod vel ipsos tirones mox advertat, consarcinatus sit. Numi certae fidei tantum in consulatibus IV. et V., qui complectuntur annos V. C. 825. 826. 827, censoris titulum addunt, atque eandem etiam omnino legem sequuntur numi Titi, qui patris fuit in censura conlega, etsi hic eo differat, quod censoris titulum suscitavit in consulatu VI. Ergo quod ad censurae exitum attinet, probe convenit Censorino cum numis, qui V. C. 827 conditum a Vespasiano lustrum adserit. At cum Plinius quadriennium huic censurae constituat, intelligendi haud dubie sunt anni incompleti, et revera coeperit V. C. 824, at sequente primum anno is titulus fuerit monetae insertus. Marmora Vespasianum adhuc in consulatibus VIII. et IX. censorem appellant, sed istud honoris tantum causa, ut L. Vitellius etiam in numis post mortem cusis censor dicitur.

PRETIVM.

Aurei, et argentei - - - - - - - - C.

---

a) Cap. 8. b) de die nat. c. XVIII. c) L. III. p. 156. edit. Hard. d) Lib. VII. p. 405.

	Aenei I. et II. formae - - - - - - -	C.
	Aenei IV. formae - - - - - - -	R.
Commatis peregrini:		
	Argentei max. mod. cum *anno novo sacro* - -	RR.
	Aenei urbium liberarum - - - - -	R.
	Coloniarum - - - - - - - -	RRR.
	Alexandrini - - - - - - - -	C.

FL. DOMITILLA VESPASIANI VXOR.

Satis est, Suetonii de ea verba exscribere, vix alia apud alios scriptores ejus mentione. Ita ille [a]): *Inter haec* (nimirum vivo adhuc, ut colligitur, Caligula) *Flaviam Domitillam duxit uxorem, Statilii Capellae equitis Romani Sabratensis ex Africa delicatam olim,* (alii *delegatam*) *Latinaeque conditionis, sed mox ingenuam, et civem Romanam recuperatorio judicio pronunciatam, patre adserente Flavio Liberale Ferentini genito, nec quidquam amplius, quam quaestorio scriba. - - Post uxoris excessum Caenidem Antoniae libertam et a manu, dilectam quondam sibi, revocavit in contubernium habuitque etiam imperator paene justae uxoris loco.* Dicta subinde fuit Augusta, et divis adscripta, utrum a marito, an filio Tito, incertum, de quo vide numos proximos.

Liberi. Eodem loco Suetonius: *Ex hac liberos tulit* TITVM, DOMITIANVM, et DOMITILLAM. *Vxori ac filiae superstes fuit, atque utramque adhuc privatus amisit.*

Numi:

DIVA. DOMITILLA. AVG. *Hujus caput.*
IMP. CAESAR. VESPAS. AVG. COS. III. TR. P. P. P. *Caput laureatum.* AV. (Mus. Pembrock.)

Eadem adversa.
DIVVS. AVGVSTVS. VESPASIANVS. *Caput radiatum.* AV. (Vaill. Beger Thes. Br. T. II. p. 635.)

In aliorum aversis:
FORTVNA. AVGVST. *Fortuna stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)
PACI. AVGVSTAE. *Victoria stans eo cultu, qualis a me describitur in numo Vespasiani ad V. C.* 828. AR. (Vaill.)
PIETAS. AVGVST. *Mulier sedens d. adstantem puerulum protegit.* AR. (Vaill. Mus. Caes.)

Primum habemus in Domitilla exemplum collati in honorem ejus, adhuc in vita privata mortuae, Augustae tituli, et insuper divinitatis. Additum

a) Cap. 3.

etiam ejus honori sacerdotium probat marmor Gruterianum a), in quo Asconia dicitur SACERDOS. DIVAE. DOMITILLAE. Secutus Trajanus suo patri, qui privatus quoque mortuus est, divinos quidem honores, at non Augusti titulum detulit. Censent Vaillantius b), et post hunc Gorius c), quoniam numi laudati FORTVNA. AVGVST. — PACI. AVGVSTAE — PIETAS. AVGVST., eorumque typi nihil ad Domitillae consecrationem faciunt, eos aut esse suspectos, et forte moderni artificis, aut temere permutatas matrices. At falluntur viri eruditi; nam quod eorum plura exemplaria variis in museis iisque purgatis latent, istud malae eos fidei absolvit; deinde si matricum in iis confusionem opinamur, propterea quod partes aversae nihil habent ad consecrationem pertinens, eandem opinari etiam in numis divi Vespasiani oportebit, quorum item aversae offerunt CAES. AVGVST. — VICTORIA. AVGVST. etc. Sed de hac peristasi monebimus praeterea alia in tractatu de numis consecrationum. Si numo ex adductis primo fides, quod ignoro, consecrata fuit a marito, et quidem propter inscriptum consulatum III. jam saltem anno V. C. 824. Si numus hic fallit, mallem consecratam a filio Tito putare.

* * *

MEMORIAE. DOMITILLAE. S. P. Q. R. *Carpentum a binis mulis tractum.*

IMP. T. CAESAR. DIVI. VESP. F. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. *in medio* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Dissident antiquarii, sintne id genus numi tribuendi Domitillae Titi matri, an sorori cognomini. Sorori eas largitus est Occo, et Tristanus, quam sententiam subinde amplexi sunt alii; verum hos quoque ad matrem pertinere, communis nunc fere obtinet sententia. Malim bona antiquariorum venia sequi Occonem, suadentibus istud rationibus, quae certe sorori prae matre favent, estque istud examen minime sterile, sed ferax observationum non inutilium.

Si numi hi sunt Domitillae matris, quaeri jure potest, cur in numis praesentibus omittantur tituli DIVAE, et AVGVSTAE, quibus eam fuisse praeditam docent numi aurei, et argentei supra descripti. Habemus in numis consecratam Liviam Augusti, atque eadem in numis consecrationis constanter dicitur DIVA. AVGVSTA. Eadem lege in numis consecrati Augusti omnibus: DIVVS. AVGVSTVS, Claudii: DIVVS. CLAVDIVS. AVGVSTVS, Vespasiani: DIVVS. VESPASIANVS. AVGVSTVS, atque etiam in certis Domitillae matris: DIVA. DOMITILLA. AVG., et paullo post in numis Iuliae Titi filiae: DIVAE. IVLIAE. AVG. Cur ergo, si hujus quoque sunt numi praesentes, in his solis observata non esset lex inde ab Augusto constanter retenta? Ergo cum numi hi et *divae*, et *Augustae* appellationes omittant, indubitatum videtur, primum, non posse eos tribui Domitillae matri, quae utroque honore gloria-

a) Pag. 366. 4. b) Num. praest. T. II. pag. 94. c) ad Morelli Impp. T. II. p. 323.

ta est, deinde debere eos tribui Domitillae alteri, quae, quod sciamus, ad neutrum evecta est. Sunt, qui Domitillae junioris consecrationem ex Statio putant posse erui a), verum satis apparet, eum locutum esse more poetarum principibus adulantium. Eadem enimvero conditione Augustum quoque vivum a senatu consecratum oportebit statuere, quoniam eum adhuc viventem *deum* passim compellant Maro, Naso, aliique; quin et Domitium Neronis patrem naturalem habebimus consecratum, quia de eo Seneca dixit b):

Nero, ipse divo Domitio genitus patre.

Tillemontius quoque hanc Domitillam consecratam dixit c), sed nonnisi sponsoribus numis Goltzii, qui sunt in hujus Thesauro huberrimo.

At enim aversa exhibet thensam mulis vectam, ergo, inquet aliquis, si hi numi forent Domitillae sororis, ipse hic typus comprobaret, eam fuisse superis adscriptam. Verum jure negavero, carpentum simile esse certum consecrationis indicium. Quod ut vere adfirmem, liceat provocare ad numos Agrippinae senioris, qui et inscriptione, et typo his nostris adeo sunt similes, ut dubitari non possit, ab illis praesentem typum fuisse captum, ac propterea insigniter ad hanc causam valent. Horum aversa est: S. P. Q. R. MEMORIAE. AGRIPPINAE. *Thensa a binis mulis tracta.* Tenemus ex Suetonio d), Caligulam matri Agrippinae instituisse inferias, tum Circenses, carpentumque, quo in pompa traduceretur, at fuisse eam unquam consecratam, neque numi, neque historici usquam meminerunt. Horum Agrippinae numorum partem aversam Caligula, aut verius Claudius deprompsit ex numis Liviae, qui sententiam meam apertius stabiliunt. In horum superficie una est: S. P. Q. R. IVLIAE. AVGVST. *Carpentum a binis mulis tractum.* Fuere hi Liviae numi, ut loco suo vidimus, ea adhuc vivente signati, atque adeo, antequam divis accenseretur, jam fuit ei decreta thensa. Eundem thensae honorem Agrippinam juniorem adhuc vivam sibi adrogasse tradit Tacitus e), et Messalinam Claudii Dio f). Vnde perspicuum est, carpentum fuisse decretum publice signum amplioris cujusdam venerationis, at non consecrationis. Et licet sane ex omnigena similitudine numorum Agrippinae senioris, et Domitillae colligere, eandem omnino utriusque fuisse conditionem; utrobique omittuntur tituli DIVAE, et AVGVSTAE, quoniam utraque neque consecrata fuit, neque Augustae nomine insignis, et utrobique scribitur MEMORIAE, suadente nimirum pietate illic in uxorem fratris Germanici, hic in sororem. His igitur expensis nemo credo erit, qui ambiget, numos omnes Domitillae nomine inscriptos, qui *divae* et *Augustae* nomina omittunt, (sunt autem tantum aenei I. formae cum uno hoc thensae typo) esse Domitillae juniori tribuendos.

---

a) Silv. L. I. carm. 1. v. 97. 98. b) in Octavia v. 249. c) in Vespas. art. I. p. 5. d) in Calig. c. 15. e) Ann. XII. 42. f) L. LX. § 22.

Ea, quae modo disputavi, egregie confirmantur numo alio, quem depictum proposuit Morellius, si modo probae fidei is est:

DOMITILLAE. AVG. MATRI.
T. CAES. VESP. AVG. S. P. Q. R.
Thensa a duabus mulis tracta.
IMP. T. CAES. DIVI. VESP. F. AVG. P. M. TR. P. COS. VIII. P. P. *in medio:* S. C. AE. I.

Hic a priore solum differt inscriptione anticae. Omittitur nimirum MEMORIAE, et reliqua epigraphe matrem Domitillam aperte eloquitur. At dixi, suspectum videri numum, nam deest vocabulum DIVAE, eumque in nullo alio probatae auctoritatis catalogo vulgatum video. Ex numo, quem mox describam, manifeste patebit, quod jam pluribus aliis locis monui, Morellium numos quoque aperte falsos cum genuinis miscuisse.

Numus spurius.

DOMITILLAE. AVG. MATRI.
DOMIT. CAES. AVG. S. P. Q. R.
Thensa a binis mulis tracta.
IMP. T. CAES. DIVI. VESP. F. AVG. P. M. TR. P. COS. VIII. CENS. P. P. *in medio:* S. C. AE. I. (Morelli Impp.)

Vndecunque demum numisma istud depinxit Morellius, illud certe turpiter fallit. Nonnisi post Titi mortem Augusti titulum abstulit Domitianus, at hic in uno eodemque numo uterque dicitur Augustus. Accedit, in eo Titum dici censorem, qui tamen, ex quo Augustus dictus est, hoc epitheto in moneta abstinuit. Ne Mediobarbus quidem, in largiendo hoc titulo perliberalis, ad hos annos extremos Titi numum reperit cum addita hac appellatione. Haec, utut absurda, nullam tamen malae fidei suspicionem moverunt Gorio commentatori.

Numi commatis peregrini.

ΦΛΑΟΤΙΑ. ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. *Hujus caput.*
L. ϛ. *Serpens super equi currentis dorso.* AE. III.

Alexandrinum hunc numum edidere Patinus a), Spanhemius b), et Morellius. Cusus hic numus est anno VI. aut Vespasiani, aut Domitiani. At cum *divae* et *Augustae* tituli in eo absint, quibus, ut dictum, Domitilla senior sub Domitiano ornata jam fuit, intelligendum sane Vespasiani imperium. Sed hoc ratiocinium tum tantum valebit, si capite anticae exhibetur Domitilla Vespasiani conjux. Nam si filiam cognominem sistit, poterit ad utriusque imperium referri. Est ergo ab Alexandrinis in alterutrius Domitillae honorem signatus hic numus.

* * *

ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ. CЄΒΑCΤΗ. *Hujus caput.*
L. ΔѠΔЄΚΑΤΟΤ. *Aequitas sedens.* AE. III. (Gessnerus ex museo Pfau tab. LIX. n. 21.)

Annus hic XII. necessario est Domi-

a) Num. Impp. p. 109. b) Tom. I. p. 290.

tiani, quo Alexandrini ejus matris memoriam renovaverunt.

Alterius regionis numum editum non reperio.

PRETIVM.

Aurei - - - - - - - - - -	RRRR.
Argentei - - - - - - - - -	C.
Aenei I. formae, sed quos dixi esse verius Domitillae filiae - - - - - - - -	R.
Commatis peregrini, non exstant nisi Alexandrini aenei III. formae - - - - - -	RRR.

DOMITILLA VESPASIANI F.

Fuisse eam Vespasiani, et Domitillae filiam, mortuamque ante Vespasiani imperium, supra in ejus matre ex Suetonio docui. Reliqua ejus omnia ignota. Filiam habuit nomine et hanc Domitillam, nuptam T. Flavio Clementi Domitiani consobrino, et ab hoc, quia Christiana sacra colebat, relegatam, cujus duos filios, Vespasianum et Domitianum imperii heredes destinavit Domitianus, ut dicemus infra in Vespasiano juniore. Vide de variis his Domitillis Spanhemium [a]), et notam Reimari ad Dionis L. LXVII. §. 14.

Numi:

MEMORIAE. DOMITILLAE. S. P. Q. R. *Carpentum a binis mulis tractum.*

IMP. T. CAESAR. DIVI. VESP. F AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. *in medio:* S. C. AE. I.

Numum hunc, quem continuo supra in moneta Domitillae matris descripsi, esse probabilius Domitillae Vespasiani filiae, eodem loco probare conatus sum, quem adi.

* * *

Numum a Chiffletio editum cum epigraphe: MEMORIAE. DOMITILLAE. DIVI. VESp. F. esse spurium, post Harduinum docuit Bimardus [b]).

VESPASIA POLLA *Vespasiani mater.*

Pollae numum aeneum II. formae possedit olim Vindobonae in museo suo Iosephus Hauerus, eumque genuinum judicavit. Malae fidei notam Khellius data typis epistola importunius impegit, quam ut istud adridere posset possessori, tanto acerbius injuriam ferenti, quod vendere museum suum instituerat. Vidit igitur orbis eruditus opus justi voluminis inscriptum: *Ioa. Iosephi nobilis de*

a) T. II. p. 286. b) ad Iobert. T. I. p. 284.

Hauern, dissertatio apologetica, qua aenei, et unici, Vespasiae Pollae numi antiquitas, et integritas vindicantur. Vindobonae 1766. Parum eo opere probatus numi candor adversae sententiae patronis videbatur, exortumque bellum inter partes atrox, quod, ut fieri solet, inter contumelias gerebatur. Pluribus post annis, posteaquam discessum ab armis est, fatale istud cimelium, tanti caussam moliminis, et irarum, oculis intueri coram licuit, ac tum dubitare mecum ipse coepi, magisne miserandum putem laborem aut eorum, qui numi antiquitatem aggressi sunt vindicare, aut eorum, qui mercem, quae objecta oculis continuo pudendos νοθειας vibices aperuit, dignam judicavere, cui repudiandae operae pretium esset immorari. Ceterum vidi olim cum apud nos in museo Kössleriano, tum in variis per Italiam museis similes hujus Pollae numos, sed hos ex eorum quoque sententia, quorum fuere, spurios agnitos, ut adeo numo huic Haueriano ne illud quidem solatium, esse se unicum, reliquum sit.

T. FLAVIVS VESPASIANVS.

Titus natus est Romae III. Kal. Ian. V. C. 794 matre Flavia Domitilla, educatusque una fuit puer cum Britannico [a]). Patris in Germaniam, et Britanniam comes virtutem suam, animum intrepidum, ac pietatem insigni documento puer probavit, cum in Britannia perrupto barbarorum globo patrem periclitantem, ac jam paene captivum liberavit [b]). Patrem a Nerone bello Iudaico praefectum adsecutus, legionique praepositus, Tarichaeam, et Gamalam urbes Iudaeae validissimas in potestatem redegit [c]). Exeunte anno V. C. 821 missus a patre ad salutandum Galbam apud Corinthum necem Galbae, et motus Vitellii intelligit. Quare consilio opportune mutato mox ad patrem revertitur [d]). Crescente interea provinciarum in Vitellium odio, et Muciano Syriae tum praeside transferre imperium in Vespasianum meditante ipse consiliorum inter utrumque nuncius exstitit, dum denique pater a propriis, ac provinciarum vicinarum legionibus imperator pro Vitellio adclamaretur.

V. C. 822 *P. X.* 69.
CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. DES.

Titus profecto ad stabiliendum imperium patre subsistere in Iudaea ad hanc perdomandam jubetur. Fine anni caeso Vitellio a senatu Caesar, princeps juventutis, patrisque in consulatu sequentis anni conlega designatur [e]).

* * *

Ad hunc annum, etsi sequentem quoque non abnuant, referri possunt numi aurei, et argentei a me supra in numis Vespasiani ad V. C. 822, et 823 de-

a) Suet. cap. 2. b) Dio L. LX. §. 30. c) Suet. c. 4. d) Tacit. Hist. II. 1. Suet. c. 5. Ioseph B. I. L. IV. c. 9. §. 2. e) Tacit.

scripti, in quorum antica est caput Vespasiani, eique anno competens inscriptio, in aversa: TITVS. ET. DOMITIAN. CAESARES. PRIN. IVVEN., vel LIBERI. IMP. AVG. etc., et uterque Caesar vario situ, cultu, et habitu. Quod si horum nonnulli revera hoc anno signati sunt, necesse est, id factum Antiochiae, cujus causam supra in Vespasiano ad eundem hunc annum attuli.

V. C. 823 *P. X.* 70.
CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. IMP.

Patris in consulatu I. conlega hunc absens init. Hierosolyma omni vi adortus denique expugnat die II. Semptembris a). Ab ea victoria *imperator* a militibus adclamatur b).

Praeter numos ad annum priorem exhibitos, qui anno praesenti competunt etiam, huic anno, neque alteri, tribuendi sequentes:

CAESAR. AVG. F. COS. *Caput Titi nudum barbatulum*, illinc:
CAESAR. AVG. F. PR. *Caput Domitiani nudum imberbe.*

IMP. CAESAR. VESPASIANVS AVG. *Caput laureatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

T. CAES. AVG. F. COS. — D. CAES. AVG. F. PR. *Capita adversa Titi, et Domitiani.*

Aversa cum patris capite, sed epigraphen non prodit editor Vaillantius. AE. II.

TIT. ET. DOMIT. EX. S. C. *Vterque Caesar in suggestu adversus sedens, antea unumquemque inferne figura togata stans.*

IMP. CAES. AVG. VESP. COS. II. TR. POT. *Caput laureatum.* AE. I. (Vaill. Mus. Caes.)

V. C. 824 *P. X.* 71.
CAESAR. IMP. TR. P. COS. DES. II. PONTIF. IMP. II.

Ex Palaestina in Aegyptum primum, deinde Romam abit c). A patre designatur IMPERATOR docentibus hujus anni numis. Cum patre de Iudaeis triumphat. Ab eodem in trib. potestate conlega adsciscitur d), et quidem haud dubie Kalendis Iuliis, ut probare conabimur in doctrina de trib. potestate. Accessit et titulus *imperatoris*. Praetorii praefecturam hactenus non administratam, nisi ab equite Romano, suscipit e).

CAES. AVG. F. DES. (in aliis DESIG.) IMP. *Titus paludatus stans d. hastam, s. parazonium*, illinc:
AVG. F. COS. DES. IT. S. C. *Domitianus adversus stans eodem cultu.*

IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. *Caput Vespasiani laureatum.* AE. I. (Mus Caes.)

T. IMP. CAESAR. COS. DES. II. illinc:
CAESAR. DOMIT. COS. DES. II. S. C. *Vterque Caesar stans ut in praecedente.*

---

a) Noris Epoch. Syromac. b) Suet. c. 5. Dio L. LXVI. §. 7. c) Suet. c. 5. d) Suet. c. 6. e) l. c.

Aversa incerta. AE. I. (Beger Thes. Br. T. II. p. 631. Morelli)

In numo priore Titus dicitur DES*ignatus* IMP*erator*, at in posteriore jam absolute IMP*erator* compellatur. De his numis, eorum aetate, et vero lectionis modo plura disserui supra in numis Vespasiani ad eundem annum. Nullus alius certus exstat numus, quo doceremur, Titum jam hoc anno fuisse imperatorem conlegam, ad quem honorem fuisse eum designatum, prodit numus ex propositis primus, et eodem adhuc anno evectum secundus. Ceterum de definito mense, aut die, quo Titus seu Romam venit, seu cum patre triumphavit, seu conlega adscitus, seu pontificatum adeptus est, nihil adfirmari certi potest, de quo variae variorum conjecturae legi possunt apud Tillemontium [a]).

* * *

T. CAESAR. IMP. VESP. *Caput laureatum.*

PONTIF. TR. POT. *Typi varii obvii.* AV. AR.

Numos hos ad annum praesentem referre solent antiquarii, at quoniam Titus plerumque in moneta sua numerum trib. potestatis omisit, hi numi aliis perinde annis tribui possunt. Esset quidem hujus anni numus argenteus a me in catalogo musei Caesarei ad annum praesentem descriptus, in cujus aversa: PONTIF. TR. P. COS. Verum cum numum denuo in judicium vocarem, adverti fugientem notam numeralem τo COS. consequentem. Pontificatus in numis anni proxime sequentis frequenter legitur. Eo illum hoc ipso anno fuisse decoratum, praeclare confirmat tabula Fastorum pontificalium, in qua legitur [b]): ADLECTVS. AD. NVMERVM. EX. S. C. T. CAESAR. AVG. F. IMPERATOR. IMP. CAESAR. VESPASIANO. AVG. III. M. COCCEIO. NERVA. COS. P. R. C. AN. DCCCXXIIII.

* * *

IMPERATOR. T. CAESAR. AVGVSTI. F. *Caput laureatum.*

PACI. AVGVSTAE. *Victoria gradiens infra* EPHE. AR. (Mus Caes.)

Praeclarum hunc numum, qui olim fuit in museo C. Ariosti, vulgavit Khellius, (Suppl. ad Vaill. p. 39) sed erravit scribendo: AVGVST. P. P. pro AVGVSTI. F. Singulare est in hoc numo Titi adhuc Caesaris nomen IMPERATOR instar praenominis, de quo vide, quae infra sub titulo Imperatoris monebimus. In sensum vocabuli EPHE. supra in numis patris Vespasiani pag. 329 inquisivimus. Potest numus hic adhuc in annum proximum differri.

* * *

Mirum, non exstare, quod sciam, Titi numum hujus anni testem Iudaeae captae, et acti de ea triumphi, cum tamen solus ipse bellum Iudaicum confecerit denique, et triumphaverit cum patre. Certe qui Iudaeae captae meminere, omnes sunt annorum sequentium, quamvis ad hunc ipsum annum exstent frequentes cum capite Vespasiani. Quare cum ex defectu aliorum certorum hujus anni numorum, tum vel ex

a) T. II. P. I. p. 44. et P. III. p. 844. b) Gruter p. 300 col. 2.

hac ipsa causa verisimile omnino est, labente adhuc toto hoc anno non fuisse signatos Titi numos, nisi in consortio cum Domitiano. Nam si revera signati essent, mirum videatur, non memorari perinde in Titi numis insignem victae Iudaeae honorem, qui Tito potissimum debebatur.

V. C. 825 *P. X.* 72.

CAESAR. IMP. TR. P. I. II. COS. II. PONT. IMP. III. IV.

Incipit CENSOR.

Patris in censura conlega, quae inceperit forte anno praecedente, at numi eam hoc anno prodere incipiunt. Vide Vespasianum ad hunc annum.

A. T. CAES. VESPASIAN. IMP. P. TR. P. COS. II. *Caput laureatum, vel radiatum in AE. II.*

B. T. CAESAR. VESPASIAN. IMP. PON. TR. POT. COS. II. *Caput laureatum in AE. I., laureatum, vel radiatum in AE. II.*

C. T. CAESAR. VESPASIAN. IMP. IIII. PON. TR. POT. II. COS. II. *Caput radiatum in AE. II.*

D. T. CAES. IMP. PON. TR. P. COS. II. CENS. *Caput laureatum, vel radiatum in AE. II.*

E. T. CAES. VESP. IMP. PON. TR. POT. COS. II. CENS. *Caput laureatum, in AE. I.*

F. T. CAESAR. VESPASIAN. IMP. PON. TR. POT. COS. II. *Caput laureatum in AE. I.*

G. T. CAESAR. VESPASIAN. IMP. III. PON. TR. POT. II. COS. II. *Caput laureatum in AE. I.*

H. T. CAES. VESPAS. IMP. P. TR. P. COS. II. *Caput laureatum, vel radiatum, in AE. II.*

Omnes fere anni hujus numi cogniti sequenti etiam applicari possunt, quia Titi consulatus II., et trib. potestas II. in sequentem quoque annum porriguntur.

Notandum praeterea, nullum mihi cognitum hujus biennii, seu consulatus II. numum certum aureum, vel argenteum. Quos in praefixo schemate vidimus hoc consulatu notatos, omnes sunt aenei. Exhibet quidem opus Imperatorum Morellii in tabula V. numos 25. 26. 27. 28 aureos, et in tabula VI. numum 25 argenteum, in quibus omnibus notatur consulatus II. At sciendum, tabulas Morellii, quae aureos argenteosque Titi numos complectebantur, fuisse deperditas, earumque supplementum additum a Gorio, ut monet ipse in epistola aureis Titi numis praefixa [a]). Tamen perinde habeatur, sive Morellium, sive Gorium habeamus numorum

a) Pag. 342.

praeconem, modo constet de eorum fide. At enim istud ipsum est, quod eorum auctoritatem elevat. Nam omnium horum numorum, quos proponit, consulatu II. insignium ex utroque metallo nobiliore, alium vadem praestare non potuit, quam Mediobarbum, et hic numos Arschotanos, Minium, aliosque, quorum omnium fidem parvi pendimus. Idem sit judicium de argenteo IMP. IIII., qui est tab. VII. n. 22, pro quo haud dubie legendum IMP. XIII.

Vt lit. B.

CAESAR. DOMITIAN. COS. DES. II. *Domitianus eques s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Est hic numus fortasse unicus certus anni praesentis, reliquis, ut dixi, anno sequenti non adversantibus; nam anno sequente Domitianus jam fuit COS. II. Aversa explicabitur in Moneta Domitiani.

* * *

Vt lit. B.

CONGIAR. PRIMVM. P. R. DAT. S. C. *Titus in suggestu sedens, infra figura tesseram ostentans, quam figura togata sinu excipit, pone Palladis signum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Mirari possumus, illatum monetae congiarium Titi, nullum monetae patris. Similis epigraphe, et fere etiam typus est in numis Neronis. Mirabilis numus, quem Mediobarbus ex museo Moscardi describit, et exquisitissimum, integerrimumque vocat: CONG. TER. P. R. IMP. MAX. DAT., quam epigraphen utinam illustrasset quoque. Nemo sanus erit, cui non numus spurius videbitur.

* * *

Vt lit. B.

IVDAEA. CAPTA. S. C. *Typi ut in numis Vespasiani.* AE. I.

Nunc primum numi Titi decus Iudaicum enarrare incipiunt, patre illud jam in numis anni praecedentis jactante. Huc pertinet numus ejusdem Titi in urbe incerta signatus in cujus aversa: ΙΟΥΔΑΙΑϹ. ЄΑΛΩΚΥΙΑϹ. *Victoria galeae insistens clypeo palmae appenso inscribit:* ΝЄΙΚΗ. ΚΑΙϹ. (Pellerin Rec. III. tab. 134.)

* * *

Vt lit. D. et H.

VICTORIA. NAVALIS. S. C. *Victoria prorae navis insistens.* AE. II. (Mus. Caes.)

Hujus aversae explicatio petenda ex numo simili Vespasiani ad annum V. C. 824.

V. C. 826 P. X. 73.

CAESAR. IMP. TR. P. II. III. COS. II. DES. III. PONT. CENS. IMP. IV.

Certi anni praesentis numi desiderantur, verum ut ad annum proxime superiorem monui, etiam ii, qui consulatum II. inscriptum habent, huc revocari possunt.

V. C. 827 P. X. 74.

CAESAR. IMP. TR. P. III. IV. COS. III. DES. IV. PONT. CENS. IMP. V. VI.

Acta hujus anni vide in Vespasiano.

A. T. CAESAR. IMP. COS. III. *Caput laureatum, in AE. II.*
B. T. CAESAR. IMP. VESP. vel VESPASAN. vel VESPASANVS. *Caput laureatum, in AV. et AR.*
C. T. CAESAR. IMP. PONT. *Caput laureatum, in AE. II.*
D. T. CAESAR. IMP. PONT. TR. P. COS. III. CENS. *Caput laureatum, in AE. II.*

* * *

Vt lit. B.

AETERNITAS. *Mulier stans d. caput Solis, et Lunae.* AV. (Mus. Caes.)

De hoc Aeternitatis typo vide quae advertam in numis Trajani ad V. C 864, et Severi ad V. C. 955.

* * *

Vt lit. B.

PONTIF. TR. P. COS. III. *Caduceus.* AR. (Mus. Caes.)

Rari sunt hoc adhuc anno numi Titi argentei. Aureum certum non novi. At inde ab anno sequente in utroque metallo abundant.

* * *

Vt lit. C.

TR. POT. COS. III. CENSOR. *Duplex cornucopiae intermedio caduceo.* AE. II. (Mus. Caes.)

In numis cum hoc typo omitti solitam fuisse notam S. C., dixi in moneta Tiberii ad annum V. C. 774.

V. C. 828 P. X. 75.

CAESAR IMP. TR. P. IV. V. COS. IV. DES. V. PONT. IMP. VII.—X.

Desinit CENSOR.

Hujus anni gesta vide in Vespasiano.

A. T. CAESAR. IMP. VESPASIAN. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. T. CAESAR. IMP. COS. IIII. *Caput radiatum, in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

COS. IIII. *Bos cornupeta*, vel: *Capricornus.* AV. (Mus. Caes.)

Vtriusque typi causa mihi ignota. An astrologiam respiciunt, cujus in numis Graecis Romanisque non pauca habemus exempla?

Vt lit. A.

PONTIF. TR. P. COS. IIII. *Victoria cistae insistens inter erigentes se angues.* In aliis: *Mulier sedens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 829 P. X. 76.

CAESAR. IMP. TR. P. V. VI. COS. V. DES. VI. PONT. IMP. X.

Adversae sunt ut ad annum praecedentem, aucto solum consulatu.

COS. V. *Bos, vel aquila.* AV. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 830. 831. P. X. 77. 78.

CAESAR IMP. TR. P. VI. VII. (VII. VIII.) COS. VI. PONT. IMP. XI. XII. XIII.

Revocatur CENSOR.

A. T. CAESAR. IMP. VESPASIANVS. *Caput laureatum*, *in AV. et AR.*
B. T. CAESAR. VESPASIANVS. *Caput laureatum*, *in AR.*
C. T. CAES. IMP. AVG. F. TR. P. COS. VI. CENSOR. *Caput laureatum, in AE. II.*
D. T. CAESAR. IMP. PONTIF. COS. VI. CENSO. *Caput laureatum*, *in AE. II.* (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. A.

COS. VI. *typis variis*, *et obviis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

IMP. XIII. *Scrofa cum suculis.* AR. (Mus. Caes.)

Reliqui typi *Iudaeam captam*, *Pacem Aug.*, *Victoriam Augusti*, vetera nempe argumenta recolunt.

V. C. 832 *P. X.* 79.

CAESAR. IMP. TR. P. VIII. COS. VII. PONT. IMP. XIV.

Vespas. Aug. IX. Tito Caes. VII. cos. Desinit iterum CENSOR.

CAESAR. IMP. VESPASIANVS. *Caput laureatum.*

TR. POT. VIII. COS. VII. *variis typis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

* * *

T. CAES. VESPASIAN. IMP. PON. TR. P. COS. VII. *Caput laureatum.*

CAES. DOMITIAN. COS. DES. II. S. C. *Domitianus eques s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Hunc numum, qui repugnare chronologiae videtur, vide explicatum infra in Domitiano ad eundem hunc annum.

Eodem anno

AVG. TR. P. IX. COS. VII. DES. VIII. P. M. P. P. IMP. XIV. XV.

Patri Vespasiano IX. Kal. Iul. mortuo succedit Titus. Cn. Iulius Agricola altero bello universam Britanniam vastat. Ex his victoriis Titus imperator XV. appellatur [a]). Ingens Vesevi incendium vastata foede pulcherrima Campaniae ora, Herculano, et Pompeiis, quas jam ad annum V. C. 816 terraemotu adflictas diximus, nunc penitus sepultis, cineribus non modo Romam usque, sed et in Africam, et Syriam perlatis [b]). Continuo et pontificatus maximus defertur Tito, quem, ut ait Suetonius [c]), *ideo se professus accipere*, *ut puras servaret manus*, *fidem praestitit*, *nec auctor posthac cujusquam necis*, *nec conscius etc.*

A. IMP. TITVS. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. *Caput laureatum*, *in AV. et AR.*
B. IMP. T. CAES. DIVI. VESP. F. AVG. P. M. T. P. P. P. COS. VII. *Caput laureatum*, *in AE. I.*

---

a) Dio L. LXVI. §. 20. b) Dio l. c. c) Cap. 9.

C. IMP. TITVS. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VII. *Caput laureatum, in AE. I.*

D. IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. COS. VII. *Caput laureatum, in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

COS. VII. *Bos stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt. lit. A.

TR. P. VIII. IMP. XIIII. COS. VII. *Quadrigae lentae, super quibus flos.* AR. (Mus. Caes.)

Numus sub ipsum imperii exordium signatus, antequam *patris patriae* nomen admisisset, quod deinceps in numis similibus non omittitur. In aliis cum simili inscriptione variant typi, sed hi obvii.

* * *

T. CAES. IMP. VESP. AVG. P. M. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Imperator eques a figura militari d. pede galeae insistente globum accipit. AR. (Mus. Caes.)

Numus singularis non modo propter aversae typum, sed etiam quod titulum IMP. postponit. Sed satis vel ex typo imperatoris globum, nempe summi fastigii insigne acceptantis apparet, numum sub initium augusti imperii fuisse signatum, retento adhuc priore titulorum ordine.

V. C. 833 *P. X.* 80.

AVG. TR. P. IX. X. COS. VIII. P. M. P. P. IMP. XV. XVI.

Tito Aug. VIII. Domitiano Caes. VII. cos.

Saevum Romae incendium, quo absumptum rursus templum Iovis Capitolini, aliaque aedificia cum sacra, tum profana, quae enumerat Dio [a]). Titus amphitheatrum et balnea dedicat, et magnificentissimos ludos edit [b]).

A. IMP. TITVS. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. *Caput laureatum, in AV. AR.*

B. IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. COS. VIII. *Caput laureatum, in aliis radiatum, in AE. II.*

C. IMP. T. CAES. VESP. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. *Caput laureatum, in AE. I.*

D. IMP. T. CAES. DIVI. VESP. F. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VIII. *Caput radiatum, in AE. I.*

* * *

Vt lit. C. Titus togatus sedens super congerie armorum d. ramum, s. volumen, in area S. C. *Sine epigraphe. Amphitheatrum.* AE. I. (Pedrusi Mus. Farn. Pembrock P. III. tab. 76. Mus. Caes.)

Exhibet aversa stupendae molis am-

a) L. LXVI. §. 24. b) Ibid. §. 25.

phitheatrum, dictum hodie *Coliseum*, quod propter operis firmam compagem aeternum fuerat, nisi recentior barbaries partem esset demolita. Ad illud aedificandum cum dixit Cassiodorus, Titum derivasse auri rivos [a]), nequaquam videatur locutus ὑπερβολικως, nam captis mensuris, et inito calculo confecere Barthelemyus, et P. Iacquier, solum ejus murum externum constiturum hodie XVII. milliones librarum Gallicarum [b]). Tanti fuerat effundere thesauros, ne deesset populo jam immanissimarum libidinum sitienti locus dignus, in quo, ut conqueritur Arnobius [c]), *mandi homines cerneret, et bestiarum laniatibus dissipari, interficere se alios nullius ob meriti causam, sed in gratam voluptatem consessorum, ipsosque illos dies, quibus tantum committeretur nefas, in gaudiis communibus ducerent, et festa hilaritate sacrarent.* Coeptum aedificari imperante Vespasiano, hoc demum anno finitum dedicatumque a Tito, ut dixi in annalibus, ac propterea numis illatum. Recurrit idem typus in numis Domitiani hujus anni, ut et in numis divi Titi. Etiam numi Gordiani maximae formae hujus aedificii imaginem sistunt. Multos hodie circumferri Vespasiani numos cum hac aversa, sed falsos omnes, dixi in hujus moneta.

Vt lit. A.

TR. P. IX. IMP. XV. COS. VIII. P. P. *typis variis.* AV. AR.

Numi similes ingente numero exstant. Ex typis, ceteris obviis, memorari meretur *elephas loricatus*, qui refertur haud dubie ad ludos magnifice hoc anno obitos. Hic typus saepius occurrit ob eandem causam in numis inscriptis: MVNIFICENTIA. AVG. De loricata hac bellua vide, quae notabimus in moneta Antonini Pii ad annum V. C. 902.

Copiosi sunt etiam aenei I. et II. formae, sed qui non exhibent nisi typos jam cognitos.

V. C. 834 *P. X.* 81.

AVG. TR. P. X. XI. COS. VIII. P. M. P. P. IMP. XVI. XVII.

L. Flavio Silva Nonio, Asinio Pollione Verrucoso cos.

Moritur Titus idib. Sept. non immuni procuratae necis suspicione Domitiano [d]).

Princeps fuit, si quis alius, longiore vita dignissimus; tanta illi morum comitas, tantum omnibus benefaciendi studium, quo factum, ut vulgo amor, ac deliciae humani generis vocaretur [e]), et quod magis mirum, privata ejus vita reprehensione, et odio publico non caruit. Nam et saevitia, et luxuria, et rapacitas, tum etiam amor intempestivarum comissationum palam notabantur, sic ut alter futurus Nero passim praedicaretur, neque alius quis tam adverso rumore, magisque invitis omnibus transiret ad principatum [f]). Princeps correctis in melius studiis nonnisi famae, ac virtutibus servivit. Memoriae proditae sunt nonnullae ejus voces alte in animum defigendae iis, quos moderandis populis fortuna praefecit,

---

a) L. V. epist. 42. b) B. L. T. XXVIII. p. 585. c) adv. gent. L. II. d) Suet. in Tito c. 11. in Domit. c. 2. Dio L. LXVI. §. 26. e) Suet. c. 1. f) Suet. c. 6. 7.

ut cum diceret, *non oportere quemquam a sermone principis tristem discedere*, aut cum recordatus super coenam, nihil se cuiquam eo die praestitisse, laudatam eam vocem promeret, *amici, diem perdidi* a). Berenicen Agrippae II. Iudaeae regis sororem, quam in Iudaea cognitam sic deperivit, ut vivo adhuc patre acciret Romam, habitaretque una in palatio, neque amplius dubitaretur, futuram conjugem, quae jam omnia conjugis munia obibat, ultro dimisit invitus invitam, quod moleste istud contubernium ferre populum Romanum persentisceret b). Morti proximus, *non exstare*, ajebat, *ullum suum factum poenitendum*, *excepto duntaxat uno*, quod quale fuerit, adsequi nemo, nisi per varias conjecturas potuit c). Vera Titi aetas inter auctores controversa est, de quo vide variorum sententias enarratas a Reimaro d).

Vxores. De his infra.

* * *

Numi, qui certe essent hoc anno signati mihi ignoti, qua de re mox infra in animadversionibus ad Titi monetam aliqua notabo.

Numi vagi.

Pauci sunt id genus numi, quoniam saltem inscripti sedulo consulatus tempus commode definiunt. Ex his memorandi:

IMP. TITVS. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. *Caput laureatum.*

AVGVR. TRI. POT. *Instrumenta pontificalia.* AR. (Mus. Caes.)

Similis aversa est etiam in numo Vespasiani ad annum V. C. 725 descripto, quem adi.

Eadem adversa.

BONVS. EVENTVS. AVGVSTI. *Vir nudus stans d. pateram, s. spicas cum papavere.* AR. (Mus. Caes.)

De bono Eventu vide dicta in numis gentis Scriboniae.

Divus Titus.

De Titi consecratione Suetonius e): *defunctumque nullo praeterquam consecrationis honore dignatus* est Domitianus. Consecratum S. C. dixit Eusebius f).

DIVO. AVG. T. DIVI. VESP. F. VESPASIANO. *Titus capite radiato sedens ante aram ignitam d. ramum, s. hastam.*

IMP. CAES. DIVI. VESP. F. DOMIT. AVG. P. M. TR. P. P. P. *in medio:* S. C. AE. I.

Hujus numi fidem tueatur Morellius, qui eum ex museo regis Galliarum delineavit. Reliquis est ignotus, atque ipsi etiam Vaillantio.

* * *

DIVO. AVG. T. DIVI. VESP. F. VESPASIAN. *Titus capite radiato togatus sedens super congerie armorum d. ramum, s. volumen, in imo* S. C.

Amphitheatrum. AE. II. (Mus. Caes.)

Similem utriusque partis typum vidimus in numo anni V. C. 833.

---

a) Suet. c. 8. b) Tacit. Hist. II. 2. Suet. c. 7. Dio L. LXVI. §. 15. c) Suet. c. 10. Dio L. LXVI. §. 26. d) ad Dionis L. LXVI. §. 119. e) in Domit. c. 2. f) in Chronic.

* * *

DIVVS. TITVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*
IVLIA. AVGVSTA. DIVI. TITI. F. *Caput filiae Iuliae.* AV. AR. (Morelli.)

* * *

DIVO. TITO. *Caput radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila stans.* In aliis: *Ara ignita.* AR. (Mus. Caes.)

De numis similibus multo serius signatis vide tractatum de numis consecrationum.

Numi restitutionum.

De his vide tractatum de numis restitutionum Vol. V.

Numi falsi.

IMP. TITVS. CAES. VESPASIANVS. AVG. P. M. *Caput Titi*, in aliis: *Capricornus.*
TR. P. VIII. IMP. XIIII. COS. VII. P. P. *Amphitheatrum.* AV.

Data opera numum hunc descriptum ab Occone, restitutum a Mediobarbo, et a Gorio insertum Thesauro Morellii [a]) hic recenseo, ex quo iterum, iterumque appareat, quae fuerit in obtrudendo amphitheatro impostorum aviditas, et licentia, de qua egi supra in falsis numis Vespasiani. Numus hic eo peccat, quod Titi jam Augusti titulum conjungat cum trib. potestate VIII., quod etsi forte non repugnet, tamen nullus adhuc comparuit numus, qui utrumque titulum conjungeret; omnes enim nobis cogniti numi a trib. potestate IX. Augusti honorem ordiuntur. Ad haec amphitheatrum istud nondum in consulatu Titi VII., sed anno primum sequente perfectum, dedicatumque est.

* * *

AETERNITATI. FLAVIORVM. etc. qui numus est ex Arschotanis valde suspectis.

Animadversiones in monetam Titi.

Varia observata fuit in Titi moneta oeconomia, cujus difficile est veram causam reperire, et satis esto proponere modum omissis conjecturis.

V. C. 822 — 824. Horum annorum non habemus monetam Titi certam, nisi in consortio cum fratre Domitiano, ut jam adverti ad V. C. 824.

V. C. 825. 826. Non habemus certam monetam auream, et argenteam, nisi forte ad hos annos pertinent numi frequentes utriusque metalli inscripti PONTIF. TR. POT.

V. C. 827. Rari argentei. Aureus nondum mihi observatus, ut dixi ad hunc annum.

V. C. 828. Aurum, et argentum obvium, ut et aenei II. formae; sed aenei I. formae deficiunt, et servatur haec lex, quousque Augusti titulum accepit Titus. Factum istud exeunte Iunio anni.

V. C. 832. et reliquo hoc semestri copiosos videas in auro, et argento, atque etiam in aere I. et II. formae.

V. C. 833, Copiosos habemus aureos, et argenteos, qui cum consulatu VIII. conjungunt trib. potestatem IX. At nullum novi numum aureum argenteumve ab altero hoc semestri usque ad

a) Tab. VI. n. 42.

ejus mortem, quae in Septembri anni sequentis contigit, percussum; nam neque trib. potestas X., neque XI., quibus per istud intervallum praeditus fuit, amplius in ullo memorantur. Ad hoc ergo tempus magnam partem pertinebunt ii, quos, quia notis chronologicis carent, vagos appellare soleo. Copiosi autem sunt aenei I. et II. formae nota consulatus VIII. insignes, qui cadit in annum utrumque, nempe V. C. 833, et 834.

Aeneos III. vel IV. formae, quod constet, moneta Titi non offert.

Tituli Titi.

Imperator.

Hujus tituli varia fuit in Tito ratio, et ab omnium aliorum Caesarum instituto abludens. Eccam:

V. C. 822. 823, imperatoris titulo abstinet.

V. C. 824, in numis primi semestris dicitur CAES. DESIG. IMP., seu *designatus imperator*, de quo vide quae diximus in moneta Vespasiani ad hunc annum. In numis ejusdem anni serius signatis vocatur T. IMP. CAESAR, ac deinceps, donec Augustus dictus est, constanter dicitur: T. CAES. IMP. succedentibus reliquis titulis. Ab eo etiam tempore constanter caput laureatum praefert, quamquam etiam radiatum in pluribus aeneis II. formae numis, certe nunquam nudum.

V. C. 832. Titus Augustus, et factum tum, ut το IMP. in prioribus Titi Caesaris numis constanter postpositum, deinde in ejus Augusti numis praeponeretur, scribereturque perpetua lege: IMP. TITVS. CAES. etc. Si qui numi aliam sequuntur legem, sic ut Titus Caesar dicatur IMP. TITVS, et Titus Augustus TITVS IMP., certam metue fraudis suspicionem, aut numum extra urbem signatum puta. Ita Alexandrini minus religiosi Αυτοκρατορος titulum Titi nomini passim praeposuere. Idem praefigitur in numis inscriptis ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ, tum et in denario, quem descripsi ad V. C. 824, sed qui verisimiliter signatus est Ephesi. De denario Titi Augusti cum postposito IMP. vide, quae ad annum V. C. 832 monuerim.

Quaesitum ab eruditis magnae famae viris, an titulus imperatoris Tito adhuc Caesari additus indicet, Titum a patre adscitum in imperio conlegam, an imperatoris honorem ei a victoriis delatum, de quo altero titulo mox infra agetur. Prior sententia sine dubio tenenda suadentibus istud cum historicis, tum numis. Plinius loquens de censura a Vespasiano V. C. 826 acta, quique hoc ipso tempore naturalem suam historiam scripsit, ait [a]): *Census, quem intra quadriennium imperatores Caesares Vespasiani, pater, filiusque censores egerunt.* Ergo imperatoris nomen commune fuit tam patri, quam filio. Tito Romam reduci, cum adhuc in itinere esset, nunciatum fuit, esse se Romae nominatum imperatorem, ut refert Philostratus [b]). Atque de hac imperii societate capienda sunt verba Suetonii [c]): *neque ex eo* (nem-

a) L. VII. p. 405. b) in Apoll. Tyan. L. V. c. 30. c) in Tito c. 6.

pe post ejus in urbem adventum) *destitit participem*, *atque etiam tutorem imperii agere*. Sane omnem potestatem, quantacunque conferri poterat, videmus a patre cum filio communicatam, eo in consulatibus omnibus conlega adsumpto, communi triumphi et censurae honore, collata trib. potestate, et permissa imperatorii de victoriis tituli iteratione, quoties ipse eum iteravit. Confirmatur denique verbis Plinii in Panegyrico ad Trajanum [a]), qui cum de Trajano a Nerva adoptato dixisset: *simul filius*, *simul Caesar*, *mox IMPERATOR*, *et consors trib. potestatis*, *et omnia pariter*, *et statim factus est*, continuo subjicit: *quae proxime parens verus* (Vespasianus) *tantum in alterum filium* (Titum) *contulit*. Si ergo hoc loco vocabulum *imperator* non partum Trajano ex victoria titulum, sed in imperio conlegium notat, idem etiam ex Plinii sententia in Tito notabit. Tamen honoris, ac potestatis primatum patri adseruere titulus Augusti, imperatoris ut praenomen, patris patriae, et pontificis maximi.

Idem invicte stabiliunt numi. In his anno V. C. 824 signatis dicitur DESIG*natus* IMP*erator*. Ad hunc titulum ex victoria partum nemo designabatur, sed datus est mox post victoriam acclamatione militari. Ad haec Titus jam anno praecedente ex captis Hierosolymis dictus est imperator, ut mox dicetur, ergo is titulus intelligendus est de Tito ad imperii conlegium designato.

Haec ut certa sunt, ita non minus certum, in numis Titi vocabulum IMP. nonnunquam valuisse tam ad notandam imperii societatem, quam imperatoris titulum ex victoriis. Ejus argumentum praebeant inscriptiones capitis in numis ejusdem anni V. C. 825, in quorum uno:

T. CAESAR. VESPASIAN. IMP. PON. TR. POT. COS. II.

in alio:

T. CAESAR. VESPASIAN. IMP. III. PON. TR. POT. II. COS. II.

Certe in utroque numo eadem est του IMP. potentia, sed in altero numo praeterea exhibetur ad indicandum titulum ex victoriis. Similis ratio est in numis V. C. 830 signatis, in quorum uno:

T. CAESAR. IMP. VESPASIANVS.

in alio:

T. CAESAR. VESPASIANVS. in aversa: IMP. XIII.

Omittitur nimirum in alterius numi antica vox IMP., quoniam in aversa ponitur addito ex victoriis numero. Neque istud modo observatur in numis Titi Caesaris, sed etiam Vespasiani, nam in hujus numo V. C. 831 signato legitur:

CAESAR. VESPASIANVS. AVG., in aversa: IMP. XIX.

* * *

Hactenus de imperatoris titulo conlegii indice, nunc in eundem ex victoriis repetitum inquiramus.

V. C. 823 certe fuit IMP. I., nam teste Suetonio [b]), Dione [c]), et Iosepho [d]), expugnatis Hierosolymis una cum patre a militibus acclamatus est imperator.

V. C. 824 videtur dictus IMP. II., sed desunt monumenta.

a) Cap. 8. b) Cap. 5. c) L. LXVI. §. 7. d) Bell. Iud. L. VI. c. 6. §. 1.

V. C. 825 IMP. III. dicitur in inscriptione Gruteriana [a]), quam supra in Vespasiano sub eodem hoc articulo esse certe hujus anni comprobavi, jungiturque cum consulatu II., et TR. POT. II. Numi ad hunc annum idem docent.

Inde ex monumentorum defectu magna lacuna usque ad annum V. C. 831, sed quae expleri commode potest sequendo inde ab hoc anno iterationem Vespasiani, quam plerumque certam habemus; nam, ut docuimus, honores pater plerosque cum filio communes habere voluit. Ex hac lege fuit Titus

V. C. 826 IMP. IV.

V. C. 827 IMP. V. VI.

V. C. 828 IMP. VII. VIII. IX. X.

V. C. 829 IMP. XI.

V. C. 830 IMP. XI. XII.

V. C. 831 IMP. XIII. consentiunt et numi.

V. C. 832 IMP. XIIII. junctum cum TR. P. VIII. COS. VII. et titulo adhuc Caesaris [b]), item

IMP. XIIII. junctum cum TR. P. VIIII. COS. VII. et titulo Augusti, in numis hujus anni.

IMP. XV. junctum cum TR. P. VIIII. COS. VII. DES. VIII. in inscriptione aquae Marciae ad portam Esquilinam [c]), et in numis. Dictus fuit IMP. XV. ex victoriis Britannicis, ut diserte Dio ad hunc annum [d]).

V. C. 833 IMP. XV. junctum cum TR. POT. COS. VIII. in numis.

IMP. XV. junctum cum TR. POT. X. COS. VIII [e]).

V. C. 833. 834. IMP. XVI. et iisdem annis.

IMP. XVII. in inscriptione portae majoris Romae junctum cum TR. P. X. COS. XIII [f]).

Causas iterationis easdem cum patre habuit, sed et has plerasque ignoramus, ut diximus in Vespasiano.

Censor.

De censura, quam cum patre egit, vide dicta in Vespasiano. Eam eadem lege, ut pater, inscripsit numis annorum 825, 826, 827, sed contra, quam pater fecit, eam restituit in numis annorum 830, 831.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum numi Graeci habentur non pauci, suntque, ut in patre Vespasiano, argentei illi in majore pretio, qui annum novum sacrum inscriptum offerunt.

Coloniarum numi, quo tempore imperium solus obtinuit Titus, hactenus cogniti non sunt; nam quos habemus Stoborum, et Cassandreae Macedoniae urbium, Vespasiano imperante prodivere. Laudatus a Vaillantio numus Antiochiae Syriae ad hanc classem non pertinet; nam hac aetate ea colonia nondum fuit. Numum Caesareae Palaestinae ab eodem Vaillantio promulgatum offerre caput Elagabali, non Titi, in hujus coloniae numis probavimus. Etiam numus coloniae Antiochiae Pisi-

---

a) Pag. 244. 2. b) Gruter p. 245. n. 8. c) Gruter p. 177. 1. d) L. LXVI. §. 20.
e) Gruter p. 189. 9. f) Gruter 176. 1.

diae Vespasiani imperio debetur propter epigraphen: T. CAES. IMP. PONT., qua vivo patre usus est.

Alexandrini plures exstant, sed quam miram habeant oeconomiam, diximus in horum classe.

PRETIVM.

Aurei, et argentei	C.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. et IV. formae	O.
Commatis peregrini:	
Argentei max. mod. cum *anno novo sacro*	RR.
Aenei urbium liberarum	R.
Coloniarum	RRRR.
Alexandrini	RR.

VXORES TITI.

Vxor I. *Arricidia* Tertullo patre equite R. nata, quam juvenis duxit [a]). Ejus nulli numi cogniti.

Vxor II. *Marcia Furnilla* in mortuae Arricidiae locum successit, splendido genere orta, cum qua divortium fecit sublata filia *Iulia* [b]). Fuere, qui ei tribuerent numum sequentem:

ΦΟΥΛΒΙΑ. CЄΒΑCΤΗ. *Hujus caput.*

ΑΡΓЄΙΡΑΙΩΝ. *Vir habitu curto, et tectus pileo Phrygio gradiens d. jaculum.* AE. (Angeloni Hist. Aug. p. 76. Patin ad Suetonii Titum c. 4.)

Vterque vir eruditus ex hoc numo colligit, hujus feminae nomen, quod varium in codicibus Suetonii legitur, nimirum *Furnilla*, *Furvilla*, *Fulvia*, *Flavilla* etc. fuisse *Fulvia*, ac Patinus quidem pertinacius istud adserit, quoniam antiquo numismati nihil potest refragari. At praestabat longius inquirere in numi fidem, aut certam ejus lectionem. Mulieri repudiatae dedicatam monetam, nedum dictam Augustam, vix credibile. Argira urbs Achaiae, in qua numum signatum censet Angelonus, mihi ignota, quanquam Aegiram memorent geographi, et numi. Credam potius, ut epigraphen aversae, ita et anticae male lectam, numumque esse Fulviae Plautillae uxoris Caracallae.

---

a) Suet. in Tito c. 4. b) Suet l. c.

IVLIA TITI F.

Titi ex Marcia Furnilla filia [a]). Eam pater virginem Domitiano fratri in matrimonium obtulit; quod cum is recusasset devinctus Domitiae nuptiis, collocata fuit Flavio Sabino, filio T. Flavii Sabini fratris Vespasiani, patrueli Titi, ac Domitiani [b]). Verum vix nuptam vivo adhuc patre ardentissime coepit diligere. Mortuo Tito, caesoque per iniquum praetextum marito Sabino, cumque a Domitia sua propter adulteriorum infamiam animum avertisset, non amplius tecte cum ea consuevit, sed aperte adeo, ut essent, qui crederent, fuisse eos vero matrimonio conjunctos, et testetur Philostratus [c]), eapropter nuptialia sacra Ephesi publice fuisse celebrata [d]). At enim ipse amasius causa mortis exstitit, cum praegnantem eam coegisset uterum abjicere [e]). Fuisse dictam Augustam a Tito, consecratam a Domitiano, numi docent. De anno nativitatis, ac mortis nihil certi constat. Id unum notavit Suetonius [f]), natali filiae suae a Tito captas Hierosolymas, quod accidit die II. Septembris [g]).

Passim video, tam ab historicis nostrae aetatis, quam antiquariis hanc Titi filiam dici Iuliam Sabinam, et saepe mirabar, factum istud a viris in historia critica primi subsellii, quorum agmina enumerare longum foret. Tamen nondum reperi in omni antiquitate testem sincerum, qui Iuliam nostram altero nomine *Sabinam* appellaret, neque scriptorem, neque numum, neque marmor. Vulgavit quidem Muratorius monumentum vetus, in quo legitur SABINA. AVG., quod ille nomen reliquae inscriptionis causa nonnisi Iuliae Titi F. convenire existimat [h]). Verum epigramma istud magis est mutilum, quam ut auctoritatem facere per se possit. Vltra in hanc causam cum inquirerem, comperi denique, Sabinae istud nomen ex Goltzii Thesauro in eruditorum commentarios fluxisse, qui unus omnium, ac solus numos tres *Iuliae Sabinae* nomine inscriptos vulgavit. Vide simile Goltzii figmentum repetitum in Sabina Hadriani uxore.

Observandus in Iuliae numis duplex capitis cultus. In aliis crines compositi sunt more, quem tenuit utraque Agrippina, nodo in collum retro pendente; in aliis accedit ad morem, quem observamus in numis Plotinae, et sociarum, crinium cultu turgente.

Numi Iuliae imperante Tito signati.

IVLIA. AVGVSTA. TITI. AVGVSTI. F. *Hujus caput.*
VENVS. AVGVST. *Venus seminuda aversa stans s. hastam, et simul colum-*

---

a) Suet. in Tito c. 4. b) Suet. in Domit. c. 22. Philostr. Vit. Apoll. L. VII. c. 7. c) l. c. d) Suet. in Domit. c. 10 et 22. Dio L. LXVII. §. 3. e) Suet. in Domit. c. 22. Plin. epist. L. IV. 11. f) in Tito c. 5. g) Noris Epoch. Syrom. h) Thes. inscript. p. 914. 10.

nae innixa d. galeam. AV. AR. (Khell. Suppl. ad Vaill. Mus. Caes.)

IVLIA. IMP. T. AVG. F. AVGVSTA. *Hujus caput.*

CERES. AVGVST. *vel:* CONCORD. AVGVST. *vel:* VESTA. S. C. cum *typis propriis.* AE. II. (Mus. Caes. Morelli.)

Eadem adversa.

VESTA. *Dea sedens.* AR. (Mus. Pfau ap. Gessner.)

Cum in his numis Titus non dicatur *Divus*, certum est, eos signatos vivo adhuc fratre Tito. Intelligimus etiam, a Tito filiae delatum Augustae honorem.

Numi Iuliae mortuo Tito signati.

IVLIA. AVGVSTA. DIVI. TITI. F. *Hujus caput.*

DIVVS. TITVS. AVGVSTVS. *Caput Titi laureatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

IVLIA. AVGVSTA. *Hujus caput.*

DIVI. TITI. FILIA. *Pavo cauda explicata.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Pavo in mortuarum numis symbolum obvium, at in hoc numo Iuliae, ceu Iunoni per adulationem tributum credi posset, nisi idem typus occurreret etiam in numis Domitiani Caesaris. Argenteum alium cum eodem pavonis typo citat Vaillantius, sed inscriptum: CONCORDIA. AVGVST., qualis aversa est etiam in numis Domitiani.

IVLIA. AVGVSTA. DIVI. TITI. F. *Hujus caput.*

VESTA. *Dea sedens.* AR. max mod. (Pellerin Mel. I. p. 181. Baldini ad Vaill. T. II. p. 102.)

Diva Iulia.

DIVA. IVLIA. AVGVSTA. *Hujus caput.*

Sine epigraphe. Thensa a binis elephantis tracta, super qua signum Iuliae d. sceptrum, s. ramum. AR. (Morelli, Vaill.)

DIVAE. IVLIAE. AVG. DIVI. TITI. F. S. P. Q. R. *Carpentum a binis mulis tractum.*

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XV. (*in aliis* XVI.) CENS. PER. P. P. *in medio* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Ex posteriore hoc numo discimus, Iuliam V. C. 843, 844, quibus Domitianus COS. XV. fuit, jam fuisse vita functam. Etiam soli numi docent, consecratam fuisse a Domitiano, qui ejus mortis causa exstitit.

Numus restitutus.

Vide hunc descriptum in tractatu de numis restitutionum.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum Graecarum numos habemus percussos Smyrnae, et Thyatirae, quos vide apud Vaillantium, Pellerinium, Haymium. Singularis est numus Pergami apud Spanhemium [a]), in quo ejus caput jungitur cum capite Domitiani, tam parum ergo dissimulata ejus Caesaris cum nepte sua consuetudine, quam illam dissimulavere Ephesii, ut supra ex Philostrato docuimus.

Coloniarum, et Alexandrini desunt.

---

a) In Caess. Iuliani p. 64.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	RR.
Argentei max. formae supra citati	RRRR.
Aenei I. formae	R.
Aenei II. formae	C. fere.

De numis commatis peregrini continuo actum.

DOMITIANVS.

Natus est ex Vespasiano et Fl. Domitilla IX. Kal. Nov. patre consule designato, inituroque mense insequente honorem, ut testatur Suetonius [a]). Fuit hic primus Vespasiani consulatus adhuc privati, isque suffectus, quem gessit per Novembrem, et Decembrem V. C. 804. Vide, quae altius in Vespasiano sub titulo *Consul* diximus. Cum pater V. C. 822 ab externis legionibus imperator pro Vitellio esset renunciatus, ipse Romae relictus a Vitellianis cum patruo Sabino exeunte Decembri obsessus est in Capitolio, hocque incenso aegre apud aedituum occultatus ibi pernoctavit; tum mane facto lineo amictu turbae sacricolarum Isiacorum immixtus ignoratusque evasit quaesito alibi latibulo [b]).

V. C. 822 *P. X.* 69.
CAESAR. PRINC. IVVENT. PRAETOR. DESIG.

Caeso circiter die XX. Decembris Vitellio progressus e latebris Domitianus a militibus Caesar consalutatur [c]). Militum judicium confirmat senatus, qui praeterea Domitiano praeturam urbanam, et consulare imperium decernit [d]).

Dixi in numis Vespasiani, et Titi ad praesentem annum V. C. 822, posse ad hunc annum referri numos aureos, et argenteos, in quorum aversa (nam anticam Vespasianus pater occupat) exhibentur Titus, et Domitianus vario cultu, et inscriptione: TITVS. ET. DOMITIAN. CAESARES. PRIN. IVVEN. vel: LIBERI. IMP. AVG. etc. quos descriptos vide in numis Vespasiani ad annos V. C. 822 et 823. Quod si horum complures revera anni praesentis sunt, necesse est, eos non in urbe fuisse signatos, quoniam uterque nonnisi exeunte Decembri, caeso nempe Vitellio, Romae Caesar est agnitus. At feriri poterant Antiochiae; nam legiones, quo tempore Vespasianum ausae sunt imperatorem proclamare, non dubitaverint,

---

a) In Domit. c. 1. b) Tacit. Hist. III. 74. Suet. c. 1. c) Tacit. Hist. III. 86. Suet. c. 1. d) Tacit. Hist. IV. 3. Suet. c. 1.

ejus quoque filios agnoscere Caesares. Vide, quae plura in Vespasiano ad hoc argumentum pertinentia disserui.

V. C. 823 *P. X.* 70.
CAESAR. PRINC. IVVENT. PRAETOR.

Kalendis Ianuariis praeturam init a), eamque licenter, et intemperanter exercet muneribus publicis pro libidine distributis, sic ut absens Vespasianus miraretur, quod non et sibi successorem mitteret b). Adversum Gallos, Batavos, et Germanos rebelles una cum Muciano proficiscitur, verum audito per iter, rem a Petilio Ceriali prospere gestam, Lugduni subsistit c). Domitiam uxorem ducit d).

CAESAR. AVG. F. COS. *Caput Titi nudum barbatulum.*
CAESAR. AVG. F. PR. *Caput Domitiani nudum imberbe.*

IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. *Caput laureatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)
T. CAES. AVG. F. COS. — D. CAES. AVG. F. PR. *Capita adversa Titi et Domitiani.*

Antica cum patris capite, sed epigraphen dissimulat Vaillantius. AE. II.
TIT. ET. DOMIT. EX. S. C. *Vterque Caesar in suggestu adversus sedens, ante unumquemque inferne figura togata stans.*

IMP. CAES. AVG. VESP. COS. II. TR. POT. *Caput laureatum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Omnes hi numi certe hoc anno signati sunt, quia Vespasianus in iis dicitur COS. II., Titus COS., et Domitianus PR*aetor*, quibus ii muniis tum fuere insignes.

Ad hunc annum referri etiam possunt numi alii cum Titi et Domitiani capitibus, quos in Vespasiano ad V. C. 822 et 823 descripsi.

V. C. 824 *P. X.* 71.
CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. et COS. DES. II.

Consul suffectus, et mox consul designatus II., ut continuo probabitur. Patris et fratris triumpho Iudaico albo equo conspicuus interest e).

CAES. AVG. F. DES. IMP. *Titus paludatus stans d. hastam, s. parazonium.*
AVG. F. COS. DES. IT. S. C. *Domitianus adversus stans eodem cultu.*

IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. III. *Caput laureatum.* AE. I. (Mus. Caes.)
T. IMP. CAESAR. COS. DES. II.
CAESAR. DOMIT. COS. DES. II. *Typus idem.*

Aversa incerta, haud dubie patris Vespasiani. AE. I. (Beger Thes. Br. T. II. p. 631. Morelli.)

Eosdem hos numos jam descripseram, in moneta Vespasiani ad hunc annum, quo loco verum eorum explicatum sta-

---

a) Tac. Hist. IV. 39. b) Suet. in Domit. c. 1. Tac. H. L. IV. passim. c) Tac. H. L. IV. 68. 85. 56. Suet. in Domit. c. 2. Silius Ital. Punic. III. 608. d) Dio L. LXVI. §. 3. Suet. c. 1 e) Suet. in Domit. c. 2. Ioseph. Bell. Iud. L. VII. 5.

bilire conatus sum, quorsum lectorem remitto. Ytrumque numum ad solum hunc annum pertinere, indubitatum est; nam in priore Vespasianus dicitur COS. III., et in altero Titus COS. DES. II. certis praesentis anni characteribus. Quod ad Domitianum propius pertinet, cum is in his numis dicatur COS. DES. II., quaerendum, quo tempore fuerit COS. I. Tacentibus historicis litem egregie decidit tabula aenea, quae exstat apud Gruterum [a]:

IMP. CAESAR. VESPASIANVS.
AVG. PONT. MAX.
TR. POT. II. IMP. VI. P. P.
COS. III. DESIG. IIII. - - et
infra:
NON. APRIL. CAESARE. AVG.
F. DOMITIANO.
CN. PEDIO. CASTO. COS. - - -

Notae Vespasiani titulo additae manifeste evincunt, istud epigramma esse anni praesentis V. C. 824, et quidem TR. POT. II. semestris prioris, quo labente Domitianus mense Aprili fuit consul suffectus. Egregie etiam consentit Zonaras, qui agens de Vespasiani et Titi triumpho Iudaico, quem actum exeunte Aprili opinantur eruditi, addit, Domitianum *tum consulem* (ὑπατευοντα) interfuisse triumpho equo vectum. Serius, sed eodem adhuc anno, ut numi praesentes definiunt, designatus est COS. II. in sequens biennium, ut revera processit V. C. 826.

V. C. 825 *P. X.* 72.
CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. DES. II.

Annales hoc, et consequentibus aliquot annis nihil de Domitiano memorant. Nimirum comperto, eum rerum novarum cupidum, simulare coepit modestiam, ac simplicitatem, atque inprimis studium literarum, et amorem carminum profiteri, quo velaret animum [b]).

CAESAR. DOMITIAN. COS. DES. II. S. C. *Domitianus eques s. hastam.*

T. CAES. VESPASIAN. IMP. PON. TR. POT. COS. II. *Caput Titi laureatum.* AE. I. (Mus. Caes.)

De Domitiano consule designato II. egimus ad annum praecedentem. Hic typus haud dubie proponit Domitianum, quo is modo patris triumphum est comitatus, ut proxime diximus. De liberis paterni triumphi comitibus vide, quae observabimus in numis L. Veri ad annum V. C. 921.

* * *

CAESAR. AVG. F. DOMITIANVS. COS. DES. II. *Caput laureatum.*

S. C. *Templum Iovis Capitolini.* AE. II. (Mus. Theup.)

Hic numus primus est, qui laureatum Domitiani caput sistit, de quo notabo plura in tractatu de cultu capitis Augg. De typo aversae actum in numis Vespasiani ad V. C. 824.

---

a) Pag. 573. 1. b) Tacit. Hist. IV. 86. Suet. in Domit. c. 2.

V. C. 826 *P. X.* 73.
CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. II.

Nihil de Domitiano adferunt annales, sed abundare incipiunt numi.

A. CAES. AVG. F. DOMIT. COS. II. *Caput laureatum, in AV. et AR.*
B. CAESAR. AVG. F. DOMITIAN. COS. II. *Caput laureatum, in AE. II.*
C. CAESAR. AVGVSTI. F. *Caput laureatum, in AE. II.*
D. CAES. AVG. F. *Caput laureatum, in AE. III.*

* * *

Antica incerta. (*Ea, quam Gorius ad Morellii Impp. praetendit, haud dubie fallit.*)

CONG. II. COS. II. S. C. *Domitianus togatus sedens in substructione adstante Liberalitate, et in imo figura ad accipiendum congiarium vestem pandente.* AE. II. (Morelli, Vaill.)

Numus insignis, et eximiae raritatis. Domitianum adhuc privatum, et primis principatus annis fuissi egregie liberalem, refert Suetonius [a]).

* * *

Vt lit. C.

DOMITIANVS. COS. II. *Duplex cornucopiae intermedio caduceo.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vide, quae de omisso in numis similibus S. C. ad numum similem Vespasiani V. C. 827, ac praecipue Tiberii V. C. 774 notavi.

* * *

Vt lit. D.

DOMIT. COS. II. *Caduceus.* AE. III. (Morelli.)

Etiam in hoc numo, in quo item pro typo caduceus, deest nota S. C., quamvis in reliquis omnibus hujus moduli, quales copiosos, sed cum typis aliis, Morellius tabula XXV. Domitiani sistit, nunquam absit.

* * *

Vt lit. B.

S. C. *Domitianus in lentis quadrigis d. ramum, s. sceptrum cum aquila.* AE. II. (Mus. Caes.)

Indicat hic typus processum Domitiani consularem.

* * *

Vt lit. B.

VICTORIA. NAVALIS. S. C. *Victoria prorae navis insistens d. lauream, s. palmae ramum.* AE. II. (Mus. Caes.)

Typum explicavimus in moneta Vespasiani ad V. C. 824.

Reliqui typi in anni hujus numis sunt obvii.

V. C. 827 *P. X.* 74.
CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. III. DES. IV.

Hoc item anno neglectus in annalibus Domitianus.

Partes adversae hoc anno sunt, ut praecedente, nisi quod COS. II. in COS. III. migrat.

Vt lit. A.

PRINCEPS. IVVENTVT. *Spei typus.* AV. AR. (Mus. Caes.)

In aeneis II. formae typi obvii.

a) Cap. 9.

V. C. 828 *P. X.* 75.

CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. IV. DES. V.

Volagase I. Parthiae rege a Vespasiano auxilia adversum Alanos, et ducem belli alterum ex ejus filiis deposcente, omni ope contendit Domitianus, ut ipse mitteretur. At Vespasianus ipsa auxilia petenti regi negavit [a]).

CAESAR. AVG. F. DOMITIANVS. *Caput laureatum.*

COS. IIII. *Cornucopiae, vel Pegasus.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

PON. COS. IIII. DES. V. PRINC. IVVENT. *Ara ignita.* AV.

Numum hunc aliis catalogis ignotum exhibet Morellius.

V. C. 829 *P. X.* 76.

Ex numis hujus anni conjiciunt eruditi, demandatam fuisse hoc anno Domitiano expeditionem in Sarmatas, et ab hoc recepta signa legionum, sed perperam, ut continuo patebit.

A. CAESAR. AVG. F. DOMITIANVS. *Caput laureatum, in AV. et AR.*
B. *Eadem epigraphe addito COS. V. in AV. AR.*
C. CAESAR. AVG. F. DOMITIAN. COS. V. *in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

COS. V. *Barbarus genuflexus vexillum offert.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta. Fallit ea, quam Gorius adfingit.

SIGNIS. A. SARMATIS. RESTITVTIS. *Idem typus.* AV. (Morelli.)

Gorius in utrumque numum commentatus [b]) ejus explicatum arcessit ex iis, quae narrat Suetonius [c]), Domitianum *necessario expeditionem unam in SARMATAS suscepisse, legione cum legato simul caeso - - - de SARMATIS lauream Capitolino Iovi retulisse.* Qua in re jucundum est videre, quam propere in fraudem inducantur ii, qui non consultis fontibus aliorum scrinia compilant. Gorius, quod passim ipse manifestat, Mediobarbum omnia sus deque vertentem plerumque secutus hoc etiam loco cum eodem duce graviter offendit. Enimvero utrumque hunc numum esse Domitiani adhuc Caesaris, ipse profitetur, et arguit istud praeter capitis inscriptionem etiam consulatus V. At Suetonius, qui Domitiani expeditiones, alias, quas Caesar, alias, quas Augustus susceperat, refert, Sarmaticum istud bellum inter posteriores enumerat [d]). Igitur ad numum hunc explicandum ex Suetonio nihil habemus subsidii, et expeditio Sarmatica, quam numus memorat, multo fuit prior altera, cujus meminit Suetonius.

Quaerenda igitur expeditio altera

a) Suet. in Domit. c. 2. Dio L. LXVI. §. 15.
b) ad Morellii Impp. Tom. II. pag. 416.
c) Cap. 6. d) Cap. 6.

anno praesente, aut proxime praecedente in Sarmatas mota. Eam breviter attingit Tacitus [a]), prolixius persequitur Iosephus [b]), nimirum V. C. 823 Sarmatas inter belli civilis turbida Istrum transgressos irruisse in Moesiam, et adortos Romana praesidia tum modica, multos, atque una consularem legatum Fonteium Agrippam in praelio occidisse. Qua re audita Vespasianum misso exercitu duce Rubrio Gallo eos gravibus damnis adfectos ex imperii finibus submovisse. Amissa tum etiam signa Romana caeso legato verisimile est, sed postliminio recuperata hi numi docent.

Mediobarbus, Gorius, aliique ex solis his numis, nam aliis monumentis destituebantur, arguunt, hoc anno Domitianum bellum hoc mandante patre suscepisse, finivisseque. At quae eis istud adserendi ratio? an quod insigne istud factum numis Domitiani inscribitur? ergo etiam *victoria navalis*, quam in lacu Gennesareth a Vespasiano circa annum V. C. 821 reportatam diximus, tribuenda Domitiano tum Romae degenti, quoniam ea in Domitiani quoque numis, iisque V. C. 826 signatis memoratur. Neque minus male arguitur, hoc anno susceptum bellum Sarmaticum, quoniam ejus egregie confecti honos in hujus anni numis praedicatur. Sic enim etiam memoratam victoriam navalem necesse erit arguere relatam V. C. 824, quoniam eam numi Vespasiani hujus anni produnt, item anno 826, quoniam eam ad hunc annum numi Titi, et Domitiani repetunt. Piget adferre exempla, quam amaverint imperatores praeclara sua facta per plures subinde annos praedicare. Paucis ut absolvam, ex his numis neque evinci potest, ullum fuisse ad hunc annum bellum Sarmaticum, neque Domitianum ad illud gerendum Roma profectum. Et mirum sane esset, Vespasianum ejus curam mandasse potius Domitiano dubiae fidei adolescenti, et nulla bellica laude cognito, neglecto filio natu majore Tito multarum palmarum duce, ac tum in otio Romae deside.

Ad eandem victoriam Sarmaticam referri tuto posset numus Vespasiani, quem exhibui ad annum V. C. 824, in cujus aversa legimus: SIGNIS. RECEPTIS, verum ut ibi disputavi, argumentum aversae non minus pertinere potest ad bellum Germanicum, quo amissa quoque cum legionibus signa constat, et haud dubie finito tumultu recepta.

Ceterum omnis scientia, barbarum in his numis genuflexum esse Sarmatam, fundatur in vocabulo SARMATIS numi secundi; nam si illud abesset, Parthus omnino esset habendus; adeo omnis habitus, et cultus Parthum spirat, qualis nempe ad omnes apices simillimus, et item flexo genu sistitur in argenteis Augusti numis vexillum offerens, quem Parthum esse certum est. Et mirum sane videatur, Sarmatis et Parthis tanto terrarum intervallo disjunctis idem fuisse vestimenti genus. Advertendum etiam, alterum hunc numum Morellianum neque a Vaillantio, neque alio quopiam conspectum, tametsi in numis Ar-

a) Hist. IV. 59. b) de Bell. Iud. L. VII. c. 5 sub fin.

schotanis exhibeatur numus Domitiani cum simillimo barbari genu curvantis typo adjecta epigraphe: SIGNIS. A. SARMATIS. RECEPT. [a]) sed satis cognita est intuta ejus catalogi fides. Quod si numus hic delicatioribus aliis suspectus videatur, ut revera satis per hoc opus vidimus, non satis semper sinceros videri numos, quos Morellius in suo Thesauro imperatorum proposuit, tum enimvero liceret suspicari, in numo ex adductis primo contineri argumentum Parthicum, ut revera ex annalibus hujus aetatis vidimus, Vespasianum aliquoties cum Parthis collisum, sed in qua causa parce nos instruunt monumenta residua. Conjecturam insigniter firmat Eutropius, cum narrat [b]), Armeniam a Parthis sublatam, legionesque Romanorum sub jugum missas. Ex quo verisimile fit, effecisse serius Vespasianum sive auctoritate, sive minis, ut earum aquilae restituerentur, ipsum vero hos numos feriundos curasse sumpto exemplo ex numis Augusti propter similem causam signatis. Apud Silium Italicum [c]) haec Iuppiter vatem agens de Domitiano:

Huic laxos arcus olim Gangetica pubes
Submittet, vacuasque ostendent Bactra pharetras.
Hic et ab Arctoo currus aget axe per urbem,
Ducet et Eoos, Baccho cedente, triumphos.

Quibus ex verbis colligi posset, Domitianum, sed jam Augustum, saltem per duces cum Parthis bellum gessisse. Verum qualecunque istud Orientis obsequium his versibus descriptum, tum et actus triumphus nihil ad praesentes numos faciunt, qui Domitiano adhuc Caesare signati sunt.

* * *

Reliqui hujus anni numi typos obvios, aut priorum annorum offerunt.

V. C. 830 *P. X.* 77.

CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. VI.

Nihil produnt annales.

CAESAR. AVG. F. DOMITIANVS. COS. VI. *Caput laureatum.*

PRINCEPS. IVVENTVTIS. *Vesta sedens d. Palladium.* In aliis: *Duae dexterae junctae sustinentes aquilam legionariam prorae navis infixam.* In aliis: *Salus stans.* AV. AR.

Haec aversae epigraphe in aureis, et argenteis ejus numis ab hoc anno, usque dum Augustus diceretur, obvia est, verum typi valde differunt, atque hi, saltem quod constet, nullo cum titulo principis juventutis nexu.

* * *

Eadem adversa.

S. C. *Spei typus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Notandum, hos numos valere etiam in subsequens biennium, per quod COS. VI. duravit.

V. C. 831 *P. X.* 78.

CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. VI.

Ad hunc etiam annum referendi nu-

a) Tab. 31. b) in Nerone. c) Punic. III. v. 610.

mi anno superiore descripti, ut ibidem monui.

V. C. 832. *P. X.* 79.
CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. VI. DES. VII.

Moritur Vespasianus pater IX. Kal. Iul. Succedit frater Domitiani Titus. Queritur noster, relictum se participem imperii, sed fraudem testamento adhibitam [a]). Eum solatur frater, perseverans testari consortem fore, et successorem [b]).

Numi ad annum V. C. 830 descripti huic etiam anno possunt applicari. Sed ad hunc annum vere pertinet numus sequens:

CAES. DOMITIAN. COS. DES. II. S. C. *Domitianus eques, s. hastam.*
T. CAES. VESPASIAN. IMP. PON. TR. P. COS. VII. *Caput Titi laureatum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numus hic totus nitidus est, et citra fraudis suspicionem, ei tamen pars utraque male videtur cohaerere. Nam si aversam spectes, quia Titi consulatum VII. praedicat, numus sine dubio debetur anno praesenti V. C. 832. At Domitianus hoc anno non fuit COS. DES. II., qualis dicitur in antica, sed COS. VI. DES. VII. Quin Domitianum COS. DES. II. jam vidimus in ejus numis, qui sunt anni V. C. 824. Nolo praetexere monetarii sphalma, cum facile possit apparens haec pugna conciliari. Constat, ut dicemus sub finem ad titulum consulis, ex consulatibus VI., quos Domitianus ante imperium gessit, unum tantum fuisse ordinarium, reliquos quinque suffectos. At constat etiam, anno, in quo sumus, Domitianum in annum sequentem fuisse consulem designatum, et quidem *septimum*, si habeatur ratio consulatuum quinque suffectorum, consulem *iterum*, seu II., si iidem negligantur. Si ergo postremum placuit monetario, plenum habemus numi hujus explicatum. Infra ad annum V. C. 834 videbimus, eodem modo Pagium alienum Domitiani consulatum explicasse, sed minus, ut videtur feliciter. Ceterum simile huic exemplum dabunt numi Macrini eodem modo explicandi.

V. C. 833 *P. X.* 80.
CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. VII.

Non desinit clam, palamque fratri struere insidias, solicitare exercitus, meditari fugam, patienter eas injurias ferente Tito, nonnunquam cum lacrimis obsecrante, ut tandem bono erga se animo esse vellet [c]).

A. CAES. DIVI. VESP. F. DOMITIAN. COS. VII. *Caput laureatum, in AE. I. et II.*

---

a) Suet. c. 2. b) Suet. in Tito c. 9. Victor epit. in Tito. c) Suet. in Tito c. 9. in Domit. c. 2.

B. CAES. DIVI. AVG. VESP. F. DOMITIAN. COS. VII. *Caput laureatum, in AE. I. et II.*

C. CAESAR. DIVI. F. DOMITIANVS. COS. VII. *Caput laureatum, in AV. AR. et Quinariis.*

D. CAES. DIVI. AVG. VESP. F. DOMITIANVS. COS. VII. *Caput laureatum, in AE. I.*

* * *

Vt lit. C.

PRINCEPS. IVVENTVTIS. *Pallas gradiens, vel lectisternium, super quo galea, vel caper intra coronam.* AV. AR.

Hujus anni numi Palladem, ejusve attributa proponere incipiunt, quod deinde argumentum, ex quo Augustus dictus est, in ejus moneta perfrequens ad fastidium usque est, multum variante ejus deae habitu. Conspirant adeo numi cum scriptorum testimoniis, qui copiosi sunt in memorando vesano Domitiani in Palladem adfectu. Eam ab illo superstitiose cultam refert Suetonius [a]), ejusque honori celebrata quotannis quinquatria [b]), aucta eo usque insania, ut Palladis se filium publice profiteretur [c]). Vide de hoc argumento passim Martialem, et ejus deae causa turpissime adsentantem Quinctilianum [d]).

Ad eundem Palladis cultum pertinet etiam galea super lectisternio, tum et caper; nam caprum perniciosum orbi monstrum Pallas virtute, et prudentia confecit, ejusque pellem, Graecis αἰγίδα, pectori suo obduxit, serviturum partim tegumenti vice, partim praesidio adversum pericula, ut refert Diodorus Siculus [e]). Exhibent etiam copiosi Domitiani numi caput Medusae ejus pectori adfixum, ad quod haud dubiae adludit Martialis [f]):

Accipe belligerae crudum thoraca Minervae,
Ipsa Meduseae quem timet ira deae.

Et idem alibi [g]):

Dic mihi, virgo ferox, cum sit tibi cassis, et hasta,
Quare non habeas aegida? Caesar habet.

Vt lit. D.

S. C. *Amphitheatrum.* AE. I. (Vaill. Theup.)

Eodem anno signati sunt numi fratris Titi cum eodem typo, quos vide.

* * *

Copiosi sunt Domitiani numi consulatu VII. notati; verum hi non tantum ad annum praesentem, sed etiam sequentem usque ad Septembrem pertinent, quo is dictus est Augustus.

V. C. 834 *P. X.* 81.

AVG. TR. P. COS. VII. DES. VIII. PONT. P. P.

L. Flavio Silva Nonio, Asinio Pollione Verrucoso cos.

Tito idib. Sept. vita functo succedit in imperio frater Domitianus.

a) Cap 15. b) Cap. 4. et Dio L. LXVII. §. 1. c) Philostr. vit. Apollon. L. VII. c. 24. d) Instit. L. X. c. 1. e) L. III. c. 69. f) L. VII. epigr. 1. g) L. XIV. epigr. 179.

Ad reliquos anni hujus menses spectant numi, qui cum Augusti titulo consulatum VII. conjungunt.

IMP. CAES. DOMITIAN. (in aliis DOMITIANVS.) AVG. PONT. *Caput laureatum*, in AV. AR.

IMP. CAESAR. DOMITIANVS. AVG. *Caput laureatum*, in AV. AR.

Inscriptiones aversarum:

TR. P. COS. VII. vel: COS. VII. DES. VIII. P. P. vel TR. P. COS. VII. DES. VIII. *typis obviis*. AV. AR.

Eodem anno PONT. MAX.

A. IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. P. M. *Caput laureatum*, *in AV. AR.*

B. IMP. DOMITIAN. CAES. DIVI. VESP. F. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VII. *Caput laureatum*, *in AE. I.*

C. IMP. D. CAES. DIVI. VESP. F. AVG. P. M. TR. P. P. P. COS. VII. *Caput radiatum*, *in AE. II.*

D. IMP. CAES. DIVI. VESP. DOMITIAN. AVG. P. M. *Caput laureatum*, *in AE. I. II.*

Inscriptiones aversarum in AV. et AR. sunt ut in prioribus solo PONT. notatis, et conspirant plerumque typi. Aenei *Romam sedentem*, vel *Pacem Augusti* sistunt.

Ad hunc annum referendus etiam erit numus, quem sic describit Occo:

IMP. DOMIT. AVG. P. M. COS. II. ✠ S. C. *Cornix*. AV.

Hunc numum Pagius omissum a Mediobarbo, haud dubie, quod suspectus illi videbatur, conqueritur, cum tamen temporum rationi nequaquam repugnet. Esto, Domitianum dici Augustum, et nonnisi COS. II., nimirum inquit, prudens monetarius suffectorum quinque Domitiani consulatum rationem non habuit a). Ingeniose istud, et secundum ea, quae infra ad Domitiani consulatus notabimus, vere. At enim nequaquam propterea approbandus numus, quod se chronologiae, et historiae subjicit. Aliae rationes persuadere Pagio debuerant, numum jure a Mediobarbo omissum, quas inter praecipua est, quod numo aureo inscriptum S. C. praetenditur. Ad me quod attinet, numum falsum non dixero, sed inique promulgatum; nam numi similes Domitiani typo cornicis, vel corvi obvii sunt, sed aenei IV. formae, et ejus generis, quales infra post numos hujus principis vagos recensebimus. Sed neque epigraphen Occonianam, etsi chronologiam non laedat, gemino altero exemplari mihi cognito possum confirmare. Tamen numum Domitiani, qui suffectos reticet, dedimus supra ad annum V. C. 832.

a) Critic. Baron. ad ann. Chr. 83.

V. C. 835 *P. X.* 82.
TR. P. I. II. COS. VIII. DES. IX. P. M. P. P. IMP. II.
Domitiano Aug. VIII. T. Flavio Sabino cos.

Mores urbis bonis legibus emendat. Capitolium magnifice restituit, de quo mox. Ei nascitur filius, de quo infra in Domitia.

Inscriptiones partium adversarum sunt eaedem cum iis, quas anno superiore altero loco descripsi. Variat tantum unica in eximio argenteo maximae formae, quem continuo dabo.

Vt lit. C.
TR. POT. IMP. II. COS. VIII. DES. IX. P. P. *typis obviis, plerumque Palladis.* AV. AR.

Vt lit. D.
TR. P. COS. VIII. DES. VIIII. P. P. S. C. *perpetuo et vario Palladis typo.* AE. I. II.

* * *

IMP. CAESAR. DOMITIAN. AVG. P. M. COS. VIII. *Caput laureatum.*

CAPIT. RESTIT. *Templum Iovis Capitolini tetrastylum, in cujus medio Iupiter sedens adstante ad dexteram Pallade, ad sinistram Iunone.* AR. max. mod. (Pellerin Mel. I. p. 181. Pembrock Part. III. tab. 41.)

Capitolium bello Vitelliano flammis haustum, restitutumque mox a Vespasiano, iterum imperante Tito V. C. 833 incendio absumptum est, ut ad hunc annum diximus. Eodem adhuc anno Titum ei restituendo manum admovisse docet inscriptio fratrum Arvalium, quam dissertatione illustravit Philippus a Turre a), recitatque Muratorius b), in qua legimus: VII. idus Decembres in aedem Opis convenisse sacerdotes, ut nuncuparent vota AD. RESTITVTIONEM. ET. DEDICATIONEM. CAPITOLI. AB. IMP. T. CAESAR. VESPASIANO. AVG. Mortuo anno sequente Tito fratris coepta continuavit Domitianus, absolvitque teste praeter complures alios Suetonio c), et Silio Italico d). Quae fuerit operis magnificentia, abunde docet Plutarchus e), qui, cum Capitolii ter flammis absumpti, ter restituti fata enarrasset, refert, a Domitiano in solam deaurationem absumpta XII. millia talentorum, columnas fuisse ex marmorae Pentelico, easque se vidisse Athenis longitudine crassitiei elegantissime respondente, at multum subinde decoris Romae demptum, cum perpoliendo, et exsecando minueretur vera proportio. Quo anno finitum sit opus, et dedicatum, reticent historici; at egregius hic numus annum praesentem adsignat. Templum istud in numis Vespasiani, quos vide ad annum V. C. 824, columnas in fronte sex exhibet, sed in numo praesente quatuor. Quare Domitianus aut universam structuram mutavit, aut in eo fingendo minus fideles fuere monetarii.

Saepius alias dixeram, numos argenteos maximae formae, qui primis Au-

a) Monum. vet. Antii. b) pag. 312. c) Cap. 5. d) Punic. III. 622. e) in Poplicola.

gustorum saeculis signati sunt extra urbem cusos videri. Eam sententiam praesens numus confirmat si modo non aspernamur indicia non levia, quae is ipse suppeditat. Epigraphe, quae capiti adjicitur, in nullo certo commatis Romani conspicua est. Epigraphe etiam aversae non in orbem ducitur, ut in reliquis Domitiani omnibus, sed in lineas dividitur. Quae tamen urbs insigne hoc numisma ediderit, in incerto est.

V. C. 836 *P. X.* 83.
TR. P. II. COS. IX. DES. X. P. M.
P. P. IMP. II.

Domitiano Aug. IX. Q. Petilio Rufo cos.

Agricola in Britannia Caledonios vincit [a]). Britanniam mari circumfluam tunc primum certa fide cognoscitur [b]). Videtur Domitianus hoc adhuc anno expeditionem in Cattos suscepisse, de qua vide annum sequentem.

IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. P. M. *Caput laureatum.*
TR. POT. COS. VIIII. P. P. *Pallas stans.* AR. *Caduceus.* Quin (Mus. Caes.)
Eadem adversa.
TR. POT. II. COS. IX. DES. X. *Pallas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Eodem anno:
TR. P. III. IMP. V.

Antica non proditur.
TR. P. III. IMP. V. COS. VIIII. P. P. *Elephas.* AR. (Morelli ex museo reg. Gall.)

Hujus anni tantum argentei mihi cogniti, etsi verisimile sit, cusos etiam aureos cum iisdem typis, quod et alias plerumque factum observamus. Aenei omnino desiderantur.

V. C. 837 *P. X.* 84.
TR. P. III. IV. COS. X. DES. XI. P. M. P. P. IMP. V. VI. VII.

Domitiano Aug. X. T. Aurelio Sabino cos.

Incipit GERMANICVS, mox CENSOR.

Bellum in Cattos nulla urgente causa susceptum [c]) dux ipse componit, nisi factum istud jam anno praecedente. Certe *Germanici* titulus hoc primum anno in numis legitur. (Vide infra sub titulo *Germanici.*) Agricolae virtute pacata ad tempus Britannia, et servire coacta [d]).

A. IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERMANICVS. *Caput laureatum, in AV. AR.*
B. IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. GERMANIC. *Caput laureatum, in AV. et AR.*
C. IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. X. *Caput radiatum, in AE. II.*
D. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. X. *Caput radiatum, in AE. II.*

---

a) Tacit. in Agric. c. 25 seq. b) Ibid. c. 28. Dio L. LXVI. §. 20. c) Suet. c. 6.
d) Tacit. in Agric. c. 29.

Adversa non proditur.

GERMANICVS. COS. X. *Mulier seminuda, et moesta clypeo Germanico insidens, inferne hasta fracta.* AV. (Morelli.)

Primum nunc occurrit captus ex victis, ut ferebat, Germanis titulus *Germanici*, cum tamen reversus esset a stulta expeditione, ne viso quidem hoste, ut testatur Dio [a]). Neque dubitavit agere triumphum, sed quem derisui fuisse ait Tacitus, emptis per commercia, quorum habitus, et crines in captivorum speciem formarentur [b]). Atque hunc titulum stolida vanitate partum adeo sibi proprium fecit, ut non modo in omnibus deinceps numis usque ad vitae finem reliquis suis titulis adjiciendum curaret, sed etiam passim a Martiali, Silio Italico, Statio κατ' ἐξοχὴν *Germanicus* diceretur. Demus hanc veniam poetis, quia pro vocabulo *Domitianus*, quod metri legibus nimium saepe repugnat, aliud magis opportunum nacti sunt. Sed et turpis adulator Quinctilianus nulla pressus metri superstitione eum nullo alio nomine, nisi *Germanici Augusti* indicat [c]). Innumeri per annos sequentes sunt numi, qui ementitum istud victae gentis fortissimae decus jactant inscripto in aversa, ut in numo praesente, GERMANICVS, vel: GERMANIA. CAPTA, vel IMP. additis variis numeris, et in quibus typi sunt, ut in hoc ipso: *Germania moesta specie mulieris clypeo insidens*, qui ex forma oblonga Germanicus est, et quo se ea gens distinguit, vel: *Tropaeum erectum inter similem mulierem sedentem, et inter Germanum revinctis manibus inter arma sua stantem*, quod hic commemoravi, ne deinceps repetere necesse sit. Si qui erunt alii rariores typi, suo loco prodentur. Sunt qui existiment, hunc titulum multis antea annis a Domitiano fuisse adoptatum, de quo disputabo infra, quo loco de hujus principis titulis ex instituto agam.

* * *

Vt lit. A. vel B.

P. M. TR. POT. III. IMP. V. COS. X. P. P. *Pallas stans vario cultu*, vel: *Aquila insistens fulmini.* AV. AR.

Vt lit. D.

IOVI. CONSERVATORI. S. C. *Iuppiter stans d. fulmen, s. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Narrat Tacitus [d]), Domitianum, cum obsessus a Vitellianis in Capitolio apud aedituum proxima nocte lateret, ac feliciter postridie insidias evasisset, mox potiente rerum patre disjecto aeditui contubernio modicum sacellum IOVI CONSERVATORI, aramque posuisse, casus suos marmore expressam.

* * *

Antica incerta.

IMP. VII. COS. X. CENS. POT. P. P. *Pallas stans d. fulmen, s. hastam.* AR. (Morelli ex mus. reg. Gall.)

Vnicus hic est numus mihi cognitus, qui Domitianum jam hoc anno *censoria potestate* praeditum adserat, qui titulus in sequentis anni numis obvius est. De numi fide dubitari nequit, cum eum Morellius ex museo regis Galliarum sistat. Vide plura infra sub titulo *Censor.*

a) L. LXVII. §. 4. b) in Agric. c. 39. c) Inst. L. X. c. 1. d) Hist. L. III. 74.

V. C. 838 *P. X.* 85.
TR. P. IV. COS. XI. DES. XII. P. M. P. P. CENS. IMP. VII. VIII. IX.

Domitiano Aug. XI. T. Aurelio Fulvo cos.

Bella externa incerta, domi atrocia crudelitatis in Domitiano exempla.

A. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XI. CENS. POT. P. P. *Caput laur. in AE. I. laur. vel radiat. in AE. II.*

B. IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERM. COS. XI. *Caput laur. in AE. I. laur. vel radiat. in AE. II.*

C. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. IIII. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

D. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XI. CENS. PER. P. P. *Caput laur. in AE. I. et II.*

E. IMP. DOMIT. AVG. GERM. COS. XI. *Caput muliebre in AE. III.* (Morelli tab. XXIV. n. 35.)

* * *

Vt lit. C.

P. M. TR. P. IIII. IMP. VII. COS. XI. P. P. *Pallas stans*, vel: *Aquila insistens fulmini.* AR. (Morelli tab. X. n. 28 seq.)

Vt lit. C.

P. M. TR. P. IIII. IMP. VIII. COS. XI. P. P. *Aquila insistens fulmini.* AV. (Morelli ex mus. reg. Gall.) vel: *Pallas stans.* AR. (Morelli.) vel: *Victoria.* Quin. (Morelli.)

Vt lit. C.

IMP. IIII. COS. XI. CENSORIA. POTESTAT. P. P. *Germania clypeo insidens.* AV. AR. In aliis: CENS. POT. *vel:* CENS. PER. *typis jam notis.* AV. AR. (Morelli, Mus. Caes.)

Vt lit. A. vel B.

S. C. *Imperator paludatus stans d. parazonium, s. hastam, d. pede fluvium procumbentem calcat.* AE. I. (Mus. Caes.)

Fluvium hunc esse Rhenum, quem revera per expeditionem anni prioris transgressum Domitianum scribit Zonaras, indicant alii numi huic simillimi, nisi quod praeterea in imo scriptum offerant RHENVS, quos depictos sistunt Patinus [a]), et Morellius. Vt prioris generis numi sunt obvii, ita hi cum vocabulo RHENVS rarissimi, nisi forte praestat fraudem suspicari; nam magnopere mirum, eum ignotum fuisse Vaillantio, ignotum item nobilissimis aliis museis. Neque Morellius ad ejus numi picturam musei mentionem adjecit; ex quo apparet, aliorum eum tantum indicia secutum. A Rheno adulandi etiam materiam cepit Martialis, cum principem adloquitur: *Tibi summe Rheni domitor etc.* [b]).

Eodem anno.
TR. P. V. IMP. IX. X. XI.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. V. *Caput laureatum.*

---

a) Ad Suet. Domit. c. 2. b) L. IX. epigr. 7.

IMP. VIIII. COS. XI. CENS. POT. P. P. *Pallas*. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

IMP. XI. COS. XI. CENS. P. P. P. *Pallas*. AR. (Mus. Caes)

Aenei copiosi reliqui I. et II. formae, qui consulatu XI. notantur, obvias habent, tritasque inscriptiones, et typos. De rarioribus aeneis III. formae hujus anni agetur separatim sub finem.

V. C. 839 *P. X.* 86.

TR. P. V. COS. XII. DES. XIII. P. M. P. P. CENS. IMP. XI. XII. XIII.

Domitiano Aug. XII. Serv. Corn. Dolabella cos.

Primus agon Capitolinus constitutus, more Olympicorum quinto quoque anno redeunte celebratus [a]). Incipit bellum Dacicum auctore gentis rege Decebalo [b]), per plures annos varia fortuna, sed etiam magno Romanorum opprobrio gestum, de quo vide Tillemontium ad hunc et sequentem annum.

Magna est inter eruditos lis, quo anno bellum istud coeperit, quoque desiverit, quorum varias opiniones proponit Tillemontius in nota VI. ad hunc annum. Singuli numos in sententiae suae patrocinium advocant. Verum confidenter ausim adserere, Domitiani numos omnes quibuscunque annis signatos nullum praebere Dacici belli indicium, sive inscriptiones, sive typos consulas, et si careremus historicis, ignoraremus sane, bellum a Domitiano cum Dacis gestum. Pagius, qui numos advocat, aut Dacos cum Germanis confundit, aut vagis numorum typis rem agit [c]). Quare Tillemontius optimo inter haec incerta consilio Eusebio inhaerendum censet, qui initium hujus belli anno praesente adfigit, durasse vero saltem usque ad exitum anni V. C. 843, quoniam idem Eusebius ad annum sequentem Domitiani triumphum Dacicum constituit, cujus ipse etiam Suetonius meminit [d]). Iuvat hoc loco monere, exstare numum Domitiani ab incerto populo signatum, inscriptumque: ΜΥΣΙΑ, typo provinciae lugentis, quo indicari Daciam cisdanubianam, et ipsum hoc Domitiani cum Dacis bellum, dixi in numis Moesiae superioris Vol. II. pag. 6.

A. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. V. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XII. CENS. PER. P. P. *Caput laur. in AE. I. laur. vel radiat. in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

IMP. XI. COS. XII. CENS. P. P. P. (Mus. Caes.) Fuisse imperatorem XI. adhuc XIII. Kal. Mart. hujus anni, docet tabula honestae missionis apud Sanclementium [e]).

IMP. XII. COS. XII. CENS. P. P. P. (Mus. Caes.)

IMP. XIII. COS. XII. CENS. P. P. P. *typis jam cognitis Palladis, vel Germaniae scuto insidentis*. AV. AR. et Quin.

a) Censorin. de die nat. c. 18 sub. init. et fin. b) Eusebius. c) Critic. Bar. ad ann. Ch. 86. d) Cap 6. e) de vul. aera. p. 155.

Eodem anno.

TR. P. VI. IMP. XIV.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VI. *Caput laureatum.*
IMP. XIIII. COS. XII. CENS. P. P. P. *Pallas.* AV. AR. (Mus. Caes.)

In aeneis utriusque formae copiosis typi jam vulgati.

V. C. 840 *P. X.* 87.

TR. P. VI. COS. XIII. DES. XIV. P. M. P. P. CENS. IMP. XIV.

Domitiano Aug. XIII. A. Volusio Saturnino cos.

Bellum cum Dacis continuatum creditur.

A. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VI. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIII. CENS. PER. P. P. *Caput laur. in AE. I. laur. vel radiat. in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

IMP. XIIII. COS. XIII. CENS. P. P. P. *Typis solitis.* AV. AR. et Quin.

Eodem anno.

TR. P. VII. IMP. XIV.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VII. *Caput laureatum.*
IMP. XIIII. COS. XIII. CENS. P. P. P. *Typis Palladis.* AR. *Victoriae.* Quin. (Mus. Caes.)

Aenei vetera argumenta repetunt.

V. C. 841 *P. X.* 88.

TR. P. VII. COS. XIV. P. M. P. P. CENS. IMP. XIV. XV. XVI.

Domitiano Aug. XIV. L. Minucio cos.

Ludi saeculares acti. Ad hunc annum, etsi re satis incerta, refert Tillemontius seditionem a L. Antonio Germaniae superioris praeside motam, qui imperium invadere est ausus. Adversus eum profectus quidem Domitianus, mox iterum reversus est, audito, Antonium a L. Maximo victum, caesumque esse. Vide plura apud Tillemontium.

A. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIIII. CENS. PER. P. P. *Caput laur. in AE. I. Caput laur. vel radiat. in AE. II.*

B. IMP. CAES. DOMITIAN. AVG. GERMANICVS. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

C. DOMITIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum in AV.*

D. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERMAN. P. M. TR. P. VII. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

E. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VII. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

F. IMP. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIIII. *Caput Palladis, in AE. III.* (Morelli tab. XXV. n. 29.)

G. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERMANIC. COS. XIIII. *Caput laureatum, in AR.* (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. G.

CENS. P. P. P. *Pallas stans d. fulmen, s. hastam, pro pedibus clypeus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. D vel E.

IMP. XIIII. COS. XIIII. CENS. P. P. P. *Germania sedens, vel Pallas.* AV. AR.

IMP. XV. COS. XIIII. CENS. P. P. P. *Pallas.* AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

IMP. XVI. COS. XIIII. CENS. P. P. P. *Pallas.* (Morelli.)

Cum mihi de antica non constet, certus esse non possum, utrum numus hic ad trib. potestatem VII. an VIII. referendus sit.

Vt lit. C.

GERMANICVS. COS. XIIII. *Germania moesta clypeo patrio insidens, infra hasta fracta.* AV. (Mus. Caes.)

Eodem anno.

TR. P. VIII. IMP. XVII. — XX.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. *Caput laureatum.*

IMP. XVII. COS. XIIII. CENS. P. P. P.

IMP. XVIII. etc.

IMP. XIX. etc.

IMP. XX. etc. *Typi in his plerumque Palladis.* AR. (Mus. Caes. Morelli.)

Numi tribunatus VIII. possunt etiam referri ad annum sequentem, quo Domitianus fuit adhuc COS. XIIII.

Aenei I. et II. formae typis obviis.

LVDI SAECVLARES.

Primus ex imperatoribus Augustus ludos saeculares celebravit anno V. C. 737, et quidem ut testabatur ipse Claudius [a], *intermissos eos Augustos multo post diligentissime annorum ratione subducta in ordinem redegit.* Scripserat haec Claudius adhuc privatus in historiis suis. Verum idem in principatu suo culpabat Augustum, tanquam anticipasset ludos, nec legitimo tempori reservasset [b], atque hoc titulo repetiit hos ludos V. C. 800, credo, quod justum videbatur, saeculares secundum saecula urbis conditae constitui, de quo canone vide quae olim copiosius sumus dicturi ad numum Maximiani Herculei inscriptum: SAECVLARES. AVGG. Anno ab his XLI. eos rursum fecit Domitianus *computata ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat* [c]. Eundem hunc annum testatus est etiam Censorinus [d]: *Septimos Domitianus, se XIV. et L. Minucio Rufo cos. anno DCCCXLI.* Tabulae Capitolinae eos in annum sequentem differunt. Memorant enim annum V. C. 841, qui in nostris Varronianis est 842. Sed quod ad verum horum ludorum tempus, modumque pertinet, non est hujus loci inquirere, et videri

a) Suet. in Claud. c. 21. b) Suet. l. c. c) Suet. in Domit. c. 4. d) de die natali c. 17.

possunt, quae copiose disputant Censorinus [a]), Zosimus [b]), Valerius Maximus [c]), et auctores moderni, quorum elucubrationes collegit Fabricius [d]). Quod huc pertinet, certum est ex Censorino, anno praesente a Domitiano hos ludos factos, et numi praeterea nos edocent, eos celebratos in Domitiani trib. potestate VIII., nam numi, qui horum ludorum meminere, tribunatum VIII. passim eloquuntur. Verum haec ipsa peristasis molesta nonnullis visa. Nimirum, inquiunt, constat, saeculares in aestate celebrari solitos. At numi eorum testes Domitiani tribunatum VIII. inscriptum habent omnes. Coepit is idib. Septembris V. C. 841, ergo ludi hi acti essent aestate jam praeterita. Istud anni tempus ut salvum persistat, nos existimant repugnare, si differantur in aestatem anni sequentis, quo tempore Domitianus adhuc consulatu XIV. et trib. potestate VIII. insignis fuit. Dubium istud ut expediat Pagius, qui hanc causam uberius tractavit [e]), exhibet ex Mediobarbo numum, qui cum mentione saecularium Domitiani tribunatum VII. conjungit. Refertur is apud Mediobarbum inter aeneos pagina 137 sub finem, captus ex indice manuscripto musei Cavatortae, teste parum idoneo. Alterum testimonium validius narrante Pagio, missam sibi esse picturam numi argentei, in cujus una facie legitur: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GER. P. M. TR. P. VII., in altera: COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. typo praeconis gradientis, atque in hoc denario notam VII. esse integerrimam fatentibus ipsis, qui videre, Toinardo, et Vaillantio. Haec Pagius. Hoc inditium si non fallit, praeter Censorini oraculum aliud habemus testimonium certissimum, ludos hos celebratos fuisse anno praesente, neque in sequentem differri posse, numosque horum solennium praecones majore deinceps copia per secutum proxime tribunatum VIII. fuisse signatos. Non praetermittendum, quo tempore hi ludi spectabantur, Tacitum fuisse praetorem, iisque intentius adfuisse, quoniam erat sacerdotio quindecumvirali praeditus, ad quod horum ludorum cura pertinuit, ut ipse perhibet [f]).

Cum aliorum etiam Augustorum habeamus numos ludorum saecularium testes, nempe Augusti, Severi, Philipporum, Gallieni, Maximiani Herculei, in nullis tamen ritus, ac caerimoniae per haec sacra observatae tam varie, ac diligenter exhibentur, quam in his Domitiani. Operae igitur pretium, si in his curatius versemur.

A. DOMITIANVS. AVGVSTVS. GERMANICVS. *Caput laureatum, in AV.*

B. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. *Caput laureatum, in AR. et Quin.*

C. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIII. CENS. PER. P. P. *Caput laur. in AE. I. laur. vel radiat. in AE. II.*

---

a) L. c. b) L. II. sub init. c) L. II. c. 4. d) Bibliograph. ant. pag. 442. e) Critic. Baron. ad ann. Chr. 88. f) Ann. XI. 11.

* * *

Vt lit. A.

COS. XIIII. *Cippus, cui inscriptum:* LVD. SAEC. FEC. *intra lauream.* AV. (Mus. Caes.)

Alius, sed antica, ut lit. B. et ex AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. *Vir togatus gradiens tectus galea, ex qua binae alae adsurgunt, d. bacillum, s. clypeum rotundum.* AR. et Quin. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

Eadem epigraphe inserta cippo, juxta candelabrum, et similis vir gradiens. AR. (Mus. Caes.)

Gorius varias eruditorum conjecturas enumerat, quid opinandum sit de viro, cultu tam singulari ingrediente [a]), aliis Salium, aliis Fecialem, aliis praeconem putantibus, atque ipse denique suam proponit conjecturam, videri Minervam a Domitiano propter cognitum in eam adfectum ludorum, de quibus agimus, arbitram constitutam, atque istud paullo infra [b]) non jam conjicientis more, sed confidenter adfirmat. Non meminit Gorius, simillimam figuram, nisi quod pro bacillo caduceum dextera praefert, proponi etiam in numis Augusti ad annum V. C. 737, tum et gentis Sanquiniae, signatis item occasione ludorum saecularium illo tempore obitorum. Vnde liquet, virum sic indutum esse qualemcunque horum ludorum, aut caerimoniarum ministrum, ac verisimiliter praeconem ludos promulgantem, ut jam ad numos hujus argumenti gentis Sanquiniae observavi, nisi forte fuit habitus ipsorum quindecumvirorum, quorum, ut dixi, fuit procurare ludos saeculares.

Vt lit. C.

COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. S. C. *Imperator togatus stans d. pateram ad aram sacrificat; hinc mulier humi sedens, et d. cornucopiae tenens, illinc popa porcam attinens, pone citharoedus, et tibicen.* AE. I. (Mus. Farn. Morelli.)

Hic, et sequentes numi egregie nos in ludorum saecularium caerimoniis erudiunt, et apposite ad ea, quae de eorum origine et ritu liberaliter commemorant Valerius Maximus [c]), et cumprimis Zosimus [d]). In praesente numo fingitur imperator sacris ad aram operans ad lyrae et tibiae concentum. Iacet humi Tellus mater, quam notat cornucopiae, nimirum fecundam rerum parentem, et adducitur porca, nempe Telluri immolanda, quod ipsum praeceptum est versibus Sibyllinis inter haec ludorum solennia fieri, quos hoc loco sistit Zosimus:

αὖθι δε Γαιῃ
Πληθυμενῃ χοιρος τε και ὗς ἱεροιτο μελαινα.

deinde vero Telluri
Feraci porcus, et sûs immoletur nigra.

Vnde et Horatius inter alia numina, quibus tum vota fieri consuevere, Tellurem quoque invocat [e]):

Fertilis frugum, pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona.

---

a) Ad Morellii Impp. T. II. p. 427. sub init. b) pag. 429. c) L. II. c. 4. §. 5. d) L. II. e) Carm. saec. v. 29.

Vt lit. C.

COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. S. C. *Imperator togatus stans d. pateram ad aram sacrificat citharoedo et tibicine adstantibus, juxta popa bovem attinens, pone alius victimam securi feriens, pone templum sex columnarum.* AE. II. (Mus. Caes.)

Horum ludorum tempore oblatos fuisse Iovi et Iunoni boves albos, Diti, et Proserpinae nigros, cum ex se, tum ex versibus Sibyllinis memorat Zosimus, et Horatius a):

Quique vos bobus veneratur albis.

Vt lit. C.

Similis aversa, nisi quod popa adstans caprum, et ovem attinet. AE. II. (Mus. Caes. Morelli.)

Has quoque victimas explicat Zosimus: *prima*, ait, *nocte spectaculorum* (nam tres dies, noctesque duravere) *tribus aris in ripa fluminis constructis imperator cum quindecumviris tres agnos caedit.* Mox infra ex oraculo Sibyllae versum recitat:

ἐνθα σε ῥεζειν
Ἱερα ποντογενοις Μοιραις ἀρνας τε και
αιγας.
subinde te immolare
Natis mari Parcis ovesque, et capros.

Vt lit. C.

Similis aversa, nisi quod humi procumbat Fluvius d. cornucopiae tenens. AE. II. (Mus. Caes. Morelli.)

Est hic fluvius Tiberis; nam docente Zosimo ex lege horum ludorum hostiae propter Tiberis ripam ad Terentum (locum sic dictum in campo Martio) diis sacrificabantur, monente id ipsum Sibylla quoque:

θεοισι μεν ἀθανατοισι
Ρεζειν ἐν πεδιῳ παρα Θυμβριδος ἀπλετον
ὑδωρ.
diisque immortalibus
Sacrificare in campo propter Tiberis
immensum fluentum.

Vt lit. C.

COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. S. C. *Imperator togatus stat s. volumen tenens, adstat pone vir alius togatus; inde procedunt tres pueri manibus elatis palmae ramum praeferentes.* AE. I. (Mus. Farnes. Morelli.)

Explicationem puerorum procedentium suppeditat Zosimus: *die tertio in Apollinis aede Palatina ter novem illustres pueri, totidemque puellae, patrimi omnes, ac matrimi, hoc est: qui ambos parentes adhuc superstites habent,* (ὁι παντες ἀμφιθαλεις, ὁπερ ἐςιν, ἀμφοτερȣς τȣς γονεις ἐχοντες) *hymnos et paeanas Graeca Romanaque lingua canunt.* Similia mox recitant versus Sibyllini. Et secundum hoc Horatius b):

Condito mitis, placidusque telo
Supplices audi pueros Apollo,
Siderum regina bicornis audi
Luna puellas.

Et Catullus c):

Dianae sumus in fide.
Puellae, et pueri integri,
Dianam pueri integri,
Puellaeque canamus.

Vt lit. C.

COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. S. C. *Imperator togatus stans d. extenta adlo-*

a) Carm. saec. v. 49. b) Carm. saec. v. 33. c) in Carm. saec.

quitur tres figuras togatas genu flectentes, et manus attolentes. AE. I. (Mus. Farnes. Morelli.)

Verisimile est, hoc typo sisti Domitianum, qui tanquam pontifex maximus hortatur Quirites, ut ludos hos magna frequentia et adsiduitate peragant, quod ipsa etiam Sibylla in extremis suis versibus monet:

ἤμασι δ' ἔστω
Νυξι τ' ἐπασσυτερῃσι θεοπροπιους κατα θωκους
Παμπληθης ἀγυρις, σπουδη δε γελως τε μεμιχθω.

diebus vero sit
Noctibusque singulis ad deorum pulvinaria
Frequens conventus, seriaque cum ludicris alternent.

Vt lit. C.

COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. S. C. *Imperator togatus sedens in suggestu, cui inscriptum:* SVFPD., *porrigit aliquid figurae togatae infra stanti adstante figura alia minore, et manus attollente, in suggestu duo vasa donis referta, retro templum quatuor columnarum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Literas suggestui inscriptas explent eruditi legendo: SVF*fimenta* Populo Da*ta*, iisque notari putant ea, quae narrat Zosimus a): *paucis diebus, antequam ludi peragerentur, in Capitolio, temploque Palatino quindecumviri sedentes in suggestu lustralia populo distribuebant. Ea sunt faces, et sulphur, et bitumen.* Non alius magis numus falsariorum turpem artem exercuit, vidique ejus generis exempla innumera ex omni metallo, etiam maximae formae.

Vt lit. C.

COS. XIIII. LVD. SAEC., *cum quo continuo jungitur:* A. POP., *reliqua epigraphe* FRVG. AC. *inscripta suggestui. Imperator togatus sedens in suggestu, inferne duae figurae togatae, quarum una ex vase fruges effundit, pone templum, in imo:* S. C. AE. (Mus. Caes.)

Aversae epigraphe nodum offert vindice dignum. Spanhemius eam sic explicandam existimat: A. POP*ulo* FRVG*es* AC*ceptae*, quae illae verba de primitiis frugum, tritici, hordei, fabarum intelligenda censet, quas ineuntibus hisce ludis universus populus diis sacrorum illorum praesidibus offerret, quaeque sacris illis peractis, ut ait Zosimus, universo populo distribuerentur, και τῳ παντι δημῳ διανεμονται b). Ex Spanhemii ergo, aliorumque mente fuit populus, qui fruges accepit, vel, ut cum numis loquar, a quo fruges acceptae sunt. Nuper vir praeclare eruditus Steph. Antonius Morcellus aliam ejus explendae viam inivit, scilicet: COS. XIIII. LVD*is* SAEC*ularibus* A. POP*ulo* FRVG*es* AC*cepit*, miraturque, istud a Spanhemio observatum non esse, cum idem primitiarum, quas pontifex maximus diis libaret, oblationem hic significari, erudite, ut solet, ostenderit c). Aliter ut sentiret, virum eruditum impulerit ipsa epigraphes ratio. Nam in hac tantum exprimuntur verba: COS. XIIII. LVD. SAEC. omisso FEC*it*, quod in praecedentibus nunquam deest. At

a) L. c. b) de praest. num. T. II. p. 538. c) de Stilo inscript. p. 257.

enim fieri poterat, ut vocabulum istud, quo reliquae inscriptioni locus fieret, excluderetur, sic tamen, ut illud subaudiri necesse sit, quo modo in numis Augusti ad annum V. C. 737, et gentis Sanquiniae legitur tantum: AVGVST. DIVI. F. LVDOS. SAE., suppresso, quod subaudiendum est, *fecit*. Probabilior alia causa fuerit, quod naturalis epigraphes lex suam videatur lectionem imperare. Nam cum illa incipiat cum recto COS. XIIII., non poterit oratio claudi cum vocabulo AC*ceptae*, sed AC*cepit*. Non negavero, in hac Morcelli sententia inscriptionis stilum magis esse nitidum, ac tersum, an vero etiam veritati magis consentaneum, magnopere dubitem. Etenim si sic legas, is, qui fruges accepit, non erit populus, sed Domitianus, qui a populo accepit. At vero nullum habemus veterum testimonium, per hos ludos a populo principibus munus fuisse oblatum, sed potius contrarium. Ergo cum istud probari non possit, neque vel levissimo argumento probaverit ipse ejus sententiae auctor, possumus adhuc explicationem receptam sequi, et beneficium istud in populum collatum credere.

V. C. 842 *P. X.* 89.
TR. P. VIII. IX. COS. XIV. DES. XV. P. M. P. P. CENS. IMP. XXI.

T. Aurelio Fulvo II. A. Sempronio Atratino cos.

Deficiunt certa hujus anni gesta. Aliqui ad hunc annum Domitiani in Dacos expeditionem referunt.

Pars numorum, qui trib. potestatem VIII. et consulatum XIV. continent, quosque ad annum superiorem descripsi, ad hunc etiam annum possunt referri, nisi aliud praecipiat imperatoris titulus quater in hoc tribunatu auctus, sed qui parum chronologiae servit.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIIII. *Caput laureatum.*
IMP. XXI. COS. XIIII. CENS. P. P. P. *Pallas.* AR. (Mus. Caes.)

Aeneos certos hujus anni non habemus. Ceterum ad annum praesentem aeque ac praecedentem pertinent numi inscripti COS. XIV., qui consulatus numerus utrumque annum occupat.

V. C. 843 *P. X.* 90.
TR. P. IX. COS. XV. P. M. P. P. CENS. IMP. XXI.

Domitiano Aug. XV. M. Cocceio Nerva II. cos.

Incerta etiam hujus anni gesta.

A. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XV. CENS. PER. P. P. *Caput laureatum in AE. I. laureatum vel radiatum in AE. II.*
B. DOMITIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum, in AV.*
C. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. VIIII. *Caput laureatum, in AR.*
D. IMP. DOMIT. AVG. GERM. COS. XV. *Caput laureatum, in AE. III.*

* * *

Vt lit. C.

IMP. XXI. COS. XV. CENS. P. P. P. *Pallas.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

GERMANICVS. COS. XV. *Germania clypeo insidens.* AV. In alio: *Imperator in quadrigis d. ramum, s. sceptrum cum aquila.* AV. (Mus. Caes.) AR. (Morelli.) In aliis: *Pallas stans vario cultu.* AV. (Morelli.)

Sunt, qui Domitiani triumphum Dacicum ad hunc, vel sequentem annum constituunt, capto praeterea augurio ex quadrigis, ut putant, triumphalibus, quas offerunt numi consulatu XV. notati, quo Domitianus hoc et sequente anno insignis fuit. Verum idem typus exstat etiam in aureo apud Morellium cum nota COS. XIIII., qui adeo referendus est ad proximum superius biennium, quin et in numis consulatibus XVI. et XVII. inscriptis. Ex quo satis apparet quadrigas has non esse triumphales, sed iis processum Domitiani consularem indicari, praecipue cum aquilam consularem manu praeferat, de quo consulatus insigni monebimus plura in tractatu de consulibus Augustis.

* * *

Aenei I. et II. formae argumenta cognita repetunt. De aeneis III. formae agetur sub finem numorum hujus principis.

Eodem anno.

TR P. X. IMP. XXI.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. X. *Caput laureatum.*

IMP. XXI. COS. XV. CENS. P. P. P. *Pallas.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 844 *P. X.* 91.

TR. P. X. XI. COS. XV. DES. XVI. P. M. P. P. CENS. IMP. XXI.

M. Vlpio Trajano, Man. Acilio Glabrione cos.

Triumphum de Dacis ad hunc annum refert Eusebius, quem etiam memorat Suetonius [a]), sed sine temporis nota.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XI. *Caput laureatum.*

IMP. XXI. COS. XV. CENS. P. P. P. *Pallas.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

Antica incerta.

VOTA. PVBLICA. COS. XV. *Imperator ad aram sacrificans sociis tibicine, popa, victima.* AR. (Mediob.)

Mediobarbus in his votis intelligit decennalia. Sin istud, numus erit anni praecedentis 843, vel praesentis 844, prout nimirum Domitianus decennalia celebraverit vel ineunte anno X. imperii, vel exeunte, de quo non satis constat. Sed conceptorum publice votorum variae esse causae potuere.

* * *

Exstant complures aenei omnis formae cum consulatu XV., sed qui aeque anno praecedenti possunt adplicari.

V. C. 845 *P. X.* 92.

TR. P. XI. COS. XVI. P. M. P. P. CENS. IMP. XXI.

Domitiano Aug. XVI. Q. Volusio Saturnino cos.

Nihil memoria dignum suppeditant annales.

a) Cap. 6.

A. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XVI. CENS. PER. P. P. *Caput laur. in AE. I. laur. vel radiat. in AE. II.*

B. DOMITIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum, in AV. rarius nudum, in AV.* (Mus. Caes.)

C. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XI. *Caput laureatum, in AR.*

* * *

Vt lit. C.

IMP. XXI. COS. XVI. CENS. P. P. P. *Pallas.* AR. (Mus. Caes.)

Antica non proditur.

IMP. XXI. COS. XVI. CENS. P. P. P. *Palma.* Deest. S. C. AE. II. (Morelli.)

Propter typi raritatem commendandus, etsi ignorem, quae causa palmam in hujus anni moneta plantaverit, nisi forte adludit ad patris in Iudaea victorias. Numum citat Morellius ex museo Schwarzburgico, nunc Saxo-gothano. At miror, eum reticeri a Liebeo, qui rariores ejus musei numos descripsit.

Vt lit. B.

GERMANICVS. COS. XVI. *Germania clypeo insidens*, vel: *Imperator in processu consulari*, vel: *Pallas.* AV. (Mus. Caes.)

Eodem anno

TR. P. XII. IMP. XXII.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XII. *Caput laureatum.*

IMP. XXII. COS. XVI. CENS. P. P. P. *Pallas vario cultu.* AR. (Mus. Caes.)

Possunt hi numi etiam referri ad partem priorem anni sequentis.

V. C. 846 *P. X.* 93.

TR. P. XII. XIII. COS. XVI. P. M. P. P. CENS. IMP. XXII.

Pompeio Conlega, Cornelio Prisco cos.

Bellum in Sarmatas hoc forte anno a Domitiano susceptum legione cum legato simul caesa, cujus meminit Suetonius [a]).

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XIII. *Caput laureatum.*

IMP. XXII. COS. XVI. CENS. P. P. P. *Pallas.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

Aenei consulatu XVI. notati, quoniam hic in tres annos cadit, et abstinent mentione tribuniciae potestatis, certo ex his anno adfigi nequeunt, quod notandum pariter ad annum sequentem.

V. C. 847 *P. X.* 94.

TR. P. XIII. XIV. COS. XVI. DES. XVII. P. M. P. P. CENS. IMP. XXII.

L. Nonio Torquato Asprenate, T. Sextio Magio Laterano cos.

Nihil ad hunc annum memorabile sufficit historia.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XIIII. *Caput laureatum.*

---

a) Cap. 6.

IMP. XXII. COS. XVI. CENS. P. P. P. *Pallas.* AV. AR. (Mus. Caes.)

* * *

Numos alios omnis metalli, qui praeterea ad hunc annum referri possunt, pete ex praecedente biennio.

V. C. 848 *P. X.* 95.
TR. P. XIV. COS. XVII. P. M. P. P. CENS. IMP. XXII.

Domitiano Aug. XVII. T. Flavio Clemente cos.

Flavium Clementem consobrinum suum, ac tum consulem interfici jubet, quod Christianis sacris, sive, ut dici tum solebat, Iudaeorum superstitioni addictus esset [a]), atque ad haec tempora constituitur ab eruditis altera ecclesiae persecutio.

A. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XVII. CENS. PER. P. P. *Caput laureatum, in AE. I. laureatum, vel radiatum, in AE. II.*

B. DOMITIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum, vel nudum, in AV.*

C. IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XIIII. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. C.

IMP. XXII. COS. XVII. CENS. P. P. P. *Pallas.* AV. AR. *Victoria gradiens.* AR. et in Quin. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

GERMANICVS. COS. XVII. *Germania jacens super clypeo*, vel: *Processus consularis*, vel: *Pallas.* AV. (Mus. Caes. Morelli.)

* * *

Aenei vetera recinunt.

Eodem anno.
TR. P. XV. IMP. XXII.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XV. *Caput laureatum.*

IMP. XXII. COS. XVII. CENS. P. P. P. *Pallas, vel Victoria.* AR. (Mus. Caes.)

Numi sic inscripti porriguntur etiam ad annum sequentem, quoadusque caesus est Domitianus.

V. C. 849 *P. X.* 96.
TR. P. XV. XVI. COS. XVII. P. M. P. P. CENS. IMP. XXII.

C. Antistio Vetere, Manlio Valente cos.

Die XVIII. Septembris Domitianus a Stephano liberto, et conjuratis caeditur anno aetatis XLV., imperii anno XV. die VI. [b]).

Non poterat videri mors praematura principis, per quindecim annos, grande mortalis aevi spatium, in optimum quemque saevientis, in bona civium perinde ac sua involantis, et praestantium virorum virtutem, ac praeclara facta, quod eorum caedibus et exiliis palam fecerat, tanquam piaculum detestantis. Inhumanos ejus mores strictim, at nervose notat Tacitus sic de impiissimi principis imperio loquens [c]): *Dedi-*

---

a) Dio L. LXVII. §. 14. b) Sueton. c. 17. c) in vita Agric. c. 2.

mus profecto grande patientiae documentum, et sicut vetus aetas vidit, quid ultimum in libertate esset, ita nos, quid in servitute, adempto per inquisitiones et loquendi audiendique commercio. Memoriam quoque ipsam cum voce perdidissemus, si tam in nostra potestate esset oblivisci, quam tacere. Et fuit ejus crudelitas tanto minus ferenda, quod cum incredibili arrogantia, ac vanitate conjuncta fuit. Idem, qui suscepto bello ne viso quidem hoste reversus est, et de Dacis sic triumphavit, ut non puderet annuum eis tributum persolvere, tot tamen per urbis regiones arcus cum quadrigis, et insignibus triumphorum, quod inspecti etiam numi testantur, exstruxit, quot et quantos ante eum nemo [a]). Septembrem, et Octobrem ex nominibus suis *Germanicum*, *Domitianumque* appellavit, quod altero imperium suscepisset, altero natus esset [b]). Flaviae genti templum erexit [c]), ac denique dominum se, deumque compellavit ipse, et compellari se ab aliis voluit [d]), quos insanos titulos ex numis quidem extorres, operibus tamen figlinis inscriptos reperit Passerius [e]), ut taceam aequalium scriptorum, ac praecipue poetarum ingenia in adsentationes praecipitia. Atque hic dominus deusque quotidie sibi horam seposuit, qua venari muscas, et stilo configere instituit [f]). Nihil magis ineptum convivio funebri, quod viris urbis gravissimis apparavit, descripsitque prolixe Dio [g]). Quare eo mortuo ita laetatus est senatus, ut continuo juberet scalas inferri, clypeosque et imagines ejus coram detrahi, et adfligi solo, novissime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret [h]). Atque haec princeps causa fuit, cur Procopius aevo suo unicam superfuisse tantum ejus statuam potuerit adserere, etsi putida ibi, ut plane conjicio, admixta fabula [i]). At miles caesum Domitianum gravissime tulit, statimque eum *divum* appellare conatus est, postulatis ad poenam, quod in Nerva exsequemur, caedis auctoribus [k]). Causa tanti adfectus fuit stipendium quarta parte auctum, qua inconsulta liberalitate factum, ut cessante ad hos sumptus aerario militum numerum cogeretur imminuere, provinciae vero necessariis praesidiis nudatae tanto magis barbarorum incursionibus paterent [l]).

Vxor *Domitia*, et ex ea natus filius. Vide infra in numis Domitiae.

* * *

Numi ad annum praecedentem descripti, qui trib. potestatem XV. et consulatum XVII. memorat, etiam hunc sibi annum vindicant. Certi hujus anni numi, intelligo tribunatum XVI. praeferentes, nondum reperti.

* * *

Numum consecrationis, quem ex Patino descripsit Mediobarbus, fuisse a falsario intrusum, docuit cl. Valois [m]).

Numi vagi.

DOMITIANVS. AVG. GERM.
Caput nudum.

a) Suet. c. 13. b) ibid. c) Suet. cap. 1. 5. d) Suet. c. 13. e) Lucern. T. I. tab. 74. T. III. tab. 26. 38. f) Suet. c. 3. Dio L. LXVI. §. 9. g) L. LXVII. §. 9. h) Suet. c. 23. i) Hist. arcan. c. 8. k) Suet. c. 23. l) Suet. c. 7. 12. Zonaras. m) B. L. Tom. XII. pag. 314.

IMP. CAESAR. *scriptum aut in gyrum, aut in epistylio templi Iovis Capitolini, vel Palladis, vel aliorum.* AR. (Morelli tab. IX. n. 1—5.)

Antica incerta.

IOVI. CVSTODI. *vel:* IVPPITER. CVSTOS. S. C. *Iuppiter sedens d. fulmen, vel Victoriolam.* AE. I. (Morelli.)

Suetonius [a]): *Novam autem excitavit aedem in Capitolio CVSTODI IOVI.* Causam addit Tacitus [b]): nimirum Domitianum in Capitolio ex Vitellianorum inquisitione elapsum, *mox imperium adeptum IOVI CVSTODI templum ingens, seque in sinu dei sacravisse.*

De numis aeneis III. vel IV. formae.

Indicavi supra in moneta Vespasiani, hoc imperante signatos fuisse numos aeneos minimae formae. Exile istud aes copiosius est sub Domitiano, atque etiam sub consequente paullo post Trajano. Hos inter numulos multi sunt, qui imperatoris neque caput, neque nomen offerunt, nonnulli tamen per typos, ut conjicere licet, pertinere ad Domitianum cognoscuntur. Ex his eos, qui memorabiliores sunt, et certe Domitiani, hic recensebo, dilatis reliquis ad imperium Trajani. Id genus numi videri possunt apud Morellium in Domitiano tab. XXV., apud Gessnerum tab. LXVII., et in Catalogo musei Caesarei ad calcem numorum Trajani.

IMP. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIIII. *Caput Palladis.*

S. C. *Noctua, vel oleae ramus. In aliis abest epigraphe Domitiani manentibus reliquis.*

IMP. DOMIT. AVG. GERM. COS. XI. *in aliis:* COS. XV. *Caput Apollinis laureatum.*

S. C. *Lyra*, vel: *Serpens tripodi implexus*, vel: *Corvus ramo insistens. In aliis abest epigraphe Domitiani.*

IMP. DOMIT. AVG. GERM. *in aliis addito* COS. XV. *Caput Cereris spicis coronatum.*

S. C. *Vas prominentibus spicis*, vel: *Spicae cum papaveribus colligatae*, vel: *Navis expanso velo.*

IMP. DOMIT. AVG. GERM. *Caput Palladis.*

IO. IO. TRIVMP. *Arbor olivae.* (Theupoli.)

Eandem aversam habent etiam numi nonnulli, quos inter tesseras reponimus.

Hactenus vidimus, typos aversae constanter referri ad numina, quorum capita in antica proponuntur.

IMP. DOMIT. AVG. GERM. *in medio:* S. C.

Rhinoceros.

Tres id genus numuli sunt in museo Caesareo, iique integerrimi. In omnibus his ex rhinocerotis naribus duo cornua protuberant, alterum, quod propius rictum est, longius, alterum paullo altius, et minus prominens. Rarior est species rhinocerotum bicornium, eorum tamen jam meminere veteres. De simili Martialis [c]):

Namque gravem GEMINO CORNV
sic extulit ursum.

a) Cap. 5. b) Hist. III. 74. c) Lib. Spectac. epigr. 22.

Praeclare secundum hos numos Pausanias, cum narrat [a]), vidisse se rhinocerotas, quos ταυϱους Αιϑιοπικους vocat, quorum e naribus extremis cornu prominet, et paullo superius alterum, non tamen magnum. Haec commemoranda fuere, quia Harduinus ex ipsis his Domitiani numis manifestum esse docet, unico in nare cornu hanc feram esse instructam [b]), eundemque deinde errorem forte ex Harduino haustum, in Domitiani numis nonnisi unum cornu observari, propagavit Iacobus Bruce Anglus, qui in suo Abyssiniae itinerario multa de hoc animali alias unicorni, alias bicorni enarravit, quo loco historiam naturalem quadrupedum ejus regionis describit.

Numi commatis peregrini.

Vrbium Graecarum liberarum justa superest copia. Ex his memorandi nonnulli, quorum certam non tenemus patriam.

Numi argentei ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ, *anni novi sacri*, de quibus ex proposito egimus Vol. IV. in tractatu de notis chronologicis.

Sunt et alii argentei III. formae elegantis operis, in quorum aversa: ЄΤΟΥC ΙΔ. ΥΠΑΤΟΥ. ΙΖ. *Vna, vel duplex lyra insistente plerumque noctua.* Variae his numis patriae ab auctoribus adsignantur, sed verius esse Lyciae vindicandos, probare conatus sum in ejus regionis numis. Sunt hujus generis etiam sub Nerva, et Trajano signati. Reperiuntur apud Morellium sub Domitiano tab. XII. n. 43 etc. et in Vaillantii numis praest.

Sunt etiam argentei, et aenei: ΟΜΟΝΟΙΑ. CЄΒΑCΤΗ, *typo Concordiae sedentis, vel stantis.* (Vaill. Mus. Caes.) quorum item natales ignorantur:

Memorandus item:

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput laureatum.*

ΠΟΛΙΟΥΧΟC. *Pallas gradiens d. hastam intentans, s. clypeum.* AE. II. (Mus. Farnes. T. IX. tab. VIII. n. 9.)

Πολιουχοι Suidae sunt *urbium praesides*; quare istud epitheton variis diis a veteribus inditum fuit. Privatim illud tributum est Palladi a Spartanis, cui hoc nomine templum in arce fuit [c]), et Vitellius pateram immensae magnitudinis *clypeum Minervae*, αιγιδα Πολιουχου, *appellavit* [d]), quae jam observavit Gyraldus. Quaecunque urbs fuit, quae hunc numum signavit, certum videtur, hoc typo usam in Domitiani gratiam, a quo Minervam insignitius cultam noverat, praecipue cum ea eodem cultu, ut in Graeco hoc numo proponitur, frequenter in moneta Romana compareat.

ΜΥΣΙΑ. *Provincia moesta humi sedens juxta armorum congeriem.* Vide, quae de singulari hoc numo conjeci in numis Moesiae superioris Vol. II. p. 6.

Coloniarum numi rari sub patre, et fratre, sub Domitiano majore numero occurrunt.

Alexandrinorum magna copia.

---

a) L. IX. c. 21. b) Nota LVII. ad Plii librum VIII. c) Pausan. L. III. c. 17. d) Suet. in Vitell. c. 13.

TITVLI DOMITIANI.

Consul.

Domitianum anno V. C. 824 processisse consulem primum, et quidem suffectum, de quo consulatu varie ab eruditis fuit disputatum, supra ad ejusdem anni numos comprobavi. Ceterum ex consulatibus sex, quos, antequam imperium obtineret, obivit, nonnisi unum ordinarium gessit, eumque cedente, et suffragante fratre, ut docet Suetonius a). Fuit hic alter ejus consulatus, quem inivit V. C. 826. Magis infra refert Suetonius b): *Consulatus XVII. cepit, quot ante eum nemo* (serius Theodosius junior omnino XVIII.), *ex quibus septem medios continuavit, omnes autem paene titulo tenus gessit, nec quemquam ultra Kalendas Maji, plures ad idus usque Ianuarias.* Etiam Ausonius XVII. Domitiani consulatus enumerat c), et suffragantur marmora omnia, et numi, dempto unico, quem praeter cl. Valesium d) laudat Harduinus aeneum I. formae, et inscriptum: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XVIII. CENS. PERP. P. P., testatus praeterea, numum esse integerrimum, ac nitidissimum, atque ex eo fastos esse corrigendos, qui consulatus tantum XVII. Domitiano tribuunt e). At ego pace viri eruditi dixero, malim ex omnibus scriptoribus, et monumentis unum numum, quam ex uno numo illos omnes corrigi. Esto, numum esse integrum, ac sanum, an nullis numi veteres laborant monetariorum peccatis? Cur ergo in absolvendo hoc Harduini numo tam simus diligentes, praecipue cum tot, ac tam certis monumentis adversatur? Admisso igitur monetarii lapsu neque erit necesse circumspicere cum Mazzoleno alterum effugium, intelligi nimirum XVIII. consulatum, sed *designatum*, etsi absolute positus sit. Adfert is quidem exempla varia, nonnunquam consulatus designatos sumptos fuisse absolute f), verum alibi docebimus, rationes ad id probandum allatas in fallace fundamento niti. Ceterum nonnunquam a monetariis consulatuum Domitiani suffectorum rationem non fuisse habitam, exemplum altius dedimus ad annum V. C. 832.

Pontifex maximus.

Domitianum non continuo cum imperio adivisse pontificatum maximum, verum aliquanto serius, probant numi ad annum V. C. 834 descripti, in quorum aliis una cum Augusti appellatione dicitur simpliciter PONT., in aliis PONT. MAX.

Censor.

Narrat Dio g), Domitiano ab expeditione Germanica reverso decretum a senatu, ut, quod nemini adhuc contigit, *censor perpetuus* (τιμητὴς διὰ βίου) designaretur. Tillemontius eam expeditionem figit ad annum V. C. 836. Verum cum numi Mediobarbi Domitianum

---

a) In Domit. c. 2. b) Cap. 13. c) In gratiar. actione pro consulatu ad Gratianum c. 27. d) B. L. Hist. T. XII. p. 313. e) Hist. Aug. ad annum P. X. 96. f) Animadv. VI. in num. mus. Pisani p. 117. 125. g) L. LXVII. §. 4.

jam anno 835 censorem appellent, nonnihil ipse conturbatur, quoniam sic anticipanda esset expeditio, ut sibi cum Dione conveniat. At enim virum ego eruditum ea cura liberum esse jubeo; nam in numis certae fidei, iisque bene exploratis, quales certe non sunt Mediobarbiani, non dicitur censor, nisi anno demum V. C. 837, quin hactenus unicus tantum mihi cognitus est hujus anni numus hoc titulo insignis, quem supra ad hunc annum exhibui, obvio deinceps in sequentium annorum moneta. Ex quo jure colligimus, exeunte anno V. C. 837, neque antea, hunc titulum Domitiano fuisse delatum. Advertendum praeterea, in laudato numo anni V. C. 837 notari tantum CENS*oriam* POT*estatem*, at in numis anni sequentis V. C. 838 jam CENS. POT., vel plenius CENSORIA. POTESTAT., jam CENS. PER. Atque deinceps istud CENS. PER., vel compendio CENS. P. usque ad ejus mortem constanter valuit. Vnde conjici posse videtur, Domitiano anno V. C. 837 *censoriam potestatem* simpliciter fuisse decretam, at anno sequente *censuram perpetuam*.

Germanicus.

Germanici titulus obvius est, atque ad taedium in utraque pagina monetae Domitiani repetitus. At quo anno hunc sibi adsciverit, disputatur. Norisius, cum videret, numos, in quorum una parte scriptum: IMP. CAESAR. DOMITIANVS. AVG. GERM. P. M., in altera: TR. P. COS. VII., non dubitavit adfirmare, Domitianum mox ab adito imperio (nam tum consul VII. erat) titulum Germanici sumpsisse, memorem nimirum belli Germanici, ad quod ipse anno V. C. 823 peradolescens cum Muciano egressus est, atque etsi illud bellum confectum jam erat, antequam Germaniam attingeret, tamen sibi ejus confecti decus per stolidam vanitatem adrogasse. Atque ob hanc ipsam expeditionem, ait, Domitiano adhuc Caesari permissum fuisse laureae gestandae jus [a]). In eadem sententia fuit etiam Gorius, commentatus in numum Morellii tab. XV. n. 21, in cujus aversa est: GERMANICVS. COS. VII. S. C. *Domitianus capite laureato eques citato cursu.* AE. I. Quam mire variaverint auctores alii in figendo hujus tituli principio, vide notas variorum ad Silii Italici L. III. v. 607 edit. Drackenborch.

In haec avia deflexere viri eruditi Mediobarbum ducem inconsulte secuti. Non nego, existere numum a Norisio, aliosque similes complures a Mediobarbo adductos, verum quovis pignore certarem, esse eos ex genere subaeratorum. Et exstat revera in museo Caesareo numus similiter inscriptus, sed cujus hiatus vilem animam prodit, cujus generis numorum ex perfidis officinis Flaviorum praecipue aetate magnam vim prodivisse, vetus est querela. Eorum justum numerum suppeditabit vel unum museum Caesareum. Hujus ingenii numos qui volet in scribenda historia critica vades adhibere, etsi certae sint antiquitatis, is profecto historiam veram consarcinabit, sed talem, qualem Lucianus per jocum commentus

a) Epoch. Syrom. diss. III. p. 269.

est. Verum satis ista perspecta sunt iis, quibus licet de numis judicare non ex praeconio catalogorum, sed ex ipso usu. Mediobarbus praeter innumeras alias labes, quibus refertum est ejus opus, etiam hoc peccat, quod subaeratos a probis argenteis non secrevit. Sane acutissimo Tillemontio adeo adversari veritati videbatur, Domitianum jam in consulatu VII., seu V. C. 834 dictum fuisse Germanicum, ut non dubitaret adserere, suspectos sibi videri numos omnes sic inscriptos. (in Nota IV. ad Domitian.) Quapropter cuperem etiam novo examine inquiri in fidem aenei Morelliani mox laudati, in quo item GERMANICVS conjungitur cum COS. VII., cujusque similem usque non reperi. Quod si lubet fidem habere huic Morellii numo, habeamus et fidem alteri ab eodem edito, in quo contra omnes nobis cognitos Domitianus dicitur IMP*erator* XXIII., de quo agemus articulo sequente. Plane igitur certum, in proponendis his numis, qui in chronologicis notis peccant, aut errasse Morellium delineantem, aut chalcographum, aut etiam in iis elaborandis ipsum monetarium veterem. Morellium in pingendo nonnunquam fuisse incautiorem, jam alias detexi, ejusque palmare exemplum dedi in denariis Scipionis Asiagenis. Chalcographum quis absolvere volet, praecipue in hoc imperatorum opere, cui suprema Morellii manus defuit? Sed neque desunt hac praecipue aetate certa in numis monetariorum peccata, neque in argenteis modo, quorum imperantibus Flaviis cognita est perversio, sed et aeneis. Est in museo Caesareo aeneus I. formae integerrimus, isque obvius, in cujus antica Vespasianus dicitur COS. III., certo charactere anni V. C. 824. In aversa Titus dicitur: CAES. AVG. F. AVG. IMP., cum tamen ex praescripto aliorum similium, quos in ejus anni moneta obtuli, tum et chronologiae legibus certo scribendum fuerit: CAES. AVG. F. DES. IMP. Ceterum non deest effugium, neque istud violentum, quo patrono in laudato numo Morelliano recte una stare possint et GERMANICVS. et COS. VII. Alias diximus, ex consulatibus sex, quos Domitianus adhuc Caesar gessit, quinque fuisse suffectos. Hos ergo si neglexit monetarius, cujus aliud exemplum dedi supra ad annum V. C. 832, consulatus VII. numi praesentis adnumeratis quinque suffectis erit reipsa XII., numusque adeo signatus V. C. 839.

His, ut oportebat, praemonitis standum omnino tantum numis certae fidei, iisque magno numero superantibus existimo. Atque secundum hos certi reddimur, Domitiano Germanici nomen non fuisse inditum, nisi exeunte anno V. C. 836, vel statim incipiente anno 837. Ejus gravem rationem mihi sufficit istud, quod nullum vidi anni prioris numum, qui Germanici titulum ostentet, nullum posterioris, qui eum omittat. Atque haec sententia egregie stabilitur Alexandrinis Domitiani numis, inscriptis ΕΤΟΥΣ. ΤΡΙΤΟΥ, quorum alii titulum ΓΕΡΜ. omittunt, alii addunt. Coepit Domitiani annus III. die XXIX. Augusti V. C. 836. Ergo is parte priore anni hujus Alexandrini hunc titulum nondum recepit, atque uti in his numis ante annum III. non legitur,

sic neque deinceps amplius omittitur. Hoc igitur admisso rite stabilitur ipsis etiam numis eruditorum judicium, qui anno V. C. 836 coeptum a Domitiano cum Cattis bellum, illudque hoc anno exeunte, aut ineunte altero compositum judicavere. Item, si dixit Martialis de Domitiano a):

Nobilius (nomen) *domito tribuit Germania Rheno,*
Et puer hoc dignus nomine Caesar eras.

non voluit intelligi, Domitianum, cum puer adhuc esset, jam Germanici titulo fuisse decoratum, sed adulantis more dicit tantum, cum hoc nomine fuisse dignum, nimirum causa expeditionis Germanicae socio Muciano, de qua actum supra.

Dacicus.

Sic dictum fuisse Domitianum ex poetarum testimoniis tenemus, quae congessit Liebeus b), sed auctoritatis publicae monumenta eo abstinent.

Imperator.

Non diu lectorem in hoc articulo morabor, cum soli numi hujus tituli numeros satis commode figant, et vix aliquid conferant marmora, aliaque monumenta. Ex his igitur constat, Domitianum vicies et bis dictum imperatorem. At liberaliorem experior Morellium, qui aeneum II. formae proponit inscriptum: IMP. XXIII. COS. XVII. CENS. P. P. P. c). Licebit tanto magis indicio huic diffidere, quia ad numi imaginem non exstat nota ejus musei, quod tam rarum cimelium contineret. Quare permissum nobis putamus, aut lectoris, aut chalcographi, aut monetarii ipsius vitium suspicari. Quo tempore hunc titulum iteraverit, supra per singulos annos adscriptum reperies. At in singulis reperire causam iterationis tacentibus historicis vel Oedipo negotium facessat. Eam certe non sufficiunt hostes victi eo numero, quem hic titulus offert. Veriorem in ejus cupiditate reperio; nam oblatum fuisse Caesaribus aurum, quotiescunque quis imperator ex victoriis diceretur, ipse Augustus profitetur in marmore Ancyrano d). Nonnullas de barbaris victorias Eusebius in Chronico certis annis adfixit.

PRETIVM.

Aurei - - - - - - - - - - -	C.
Aureum maximae formae ex museo regis Galliarum indicat cl. Beauvais.	
Argentei - - - - - - - - - -	C.
Aenei I. II. III. formae - - - - - - - -	C.

a) L. II. epigr. 2. b) Goth. num. pag. 252. c) Tab. XIX. n. 4. d) Tab. IV. v. 26.

Commatis peregrini:

Argentei max. mod. cum *anno novo sacro* - -	RR.
Tetradrachma alia - - - - - - - -	RRRR.
Vrbium liberarum, vel coloniarum - - - - vix	R.
Alexandrini - - - - - - - - -	C.

DOMITIA.

Fuit Domitia Longina filia Cn. Domitii Corbulonis, viri consularis, et fratris uterini Caesoniae, quae fuit Caligulae uxor [a]), quem post conservatum Orientem furens in optimum quemque Nero vita privavit. Nuptam L. Lamiae Aemiliano Domitianus V. C. 823 per vim a marito abstraxit, ipso etiam serius, cum rerum potiretur, caeso [b]). Eam altero imperii anno dixit Augustam [c]). Paullo post comperta ejus cum Paride histrione consuetudine repudiavit, capto etiam de ea interficienda consilio, rursum intra breve tempus impatiens discidii, velut efflagitante populo reduxit [d]). Consciam, et participem fuisse caedis Domitiani, dixere Dio [e]), Zonâras, et Aurel. Victor [f]). In marmore Herculanensi legitur: DOMITIAE. CN. F. DOMITIANI. CAESARIS [g]). Aliud monumentum multo illustrius dederunt ruinae veterum Gabiorum nuper detectae, cujus descriptionem mecum communicavit cl. Georgius Zoëga, serius vulgatam ab Ennio Vicecomite [h]). Marmor longum palmos Rom. XVI. portae templi imminens prolixum continet epigramma, unde ea tantum excerpo, quae ad Domitiam nostram pertinent. Incipit vero sic:

IN. HONOREM. MEMORIAE. DO
MVS. DOMITIAE. AVGVSTAE
CN. DOMITI. CORBVLONIS. FIL.
DOMITII. POLYCARPVS. ET
EVROPE. LOC. DAT. DECRET.
ORDINIS. DECVR. AEDEM
FECERVNT. ET. EXORNAVE
RVNT. STATVIS. ET. RELI
QVIS. REBVS. PECVNIA. SVA
etc.

Sequitur decretum decurionum municipii Gabiorum factum IMP. CAES. T. AELIO. HADRIANO. ANTONINO. AVG. PIO. III. M. AELIO. AVRELIO. CAES. COS. (est annus V. C. 893. P. X. 140.) quo acceptatur liberalitas Polycarpi, qui posteaquam exstruxisset TEMPLVM. IN. HONOREM. AC. MEMORIAM. DOMITIAE, largitus est municipio Gabiorum IIS. X. M. N., ex cujus pecuniae reditu IIII. IDVS FEBRAR. NATALE. DOMITIAE decurionibus, et seviris fieret divisio etc. Ex insigni hoc monumento colligo, Domi-

---

a) Plin. L. VII. §. 4. b) Sueton. c. 1. Dio L. LXVI. §. 3. c) Suet. c. 3. Euseb. in Chronico. d) Suet. c. 3. Dio L. LXVII. §. 3. e) l. c. §. 15. f) in Epitome. g) Symbol. Rom. Vol. I. p. 7. h) Mus. Pio-Clem. T. VI. p. 76.

tiam caeso conjuge Domitiano vitam adhuc diu prorogasse, eique non multo post mortem tempore (nam beneficiorum memoria diu durare non solet) a gratis libertis Polycarpo et Europe exstructum templum, ac demum V. C. 893 dictam pecuniam municipio concessam. Discimus item, ea quoque aetate licitum fuisse privatis, in honorem etiam eorum, qui in divos relati non fuere, ac saltem illustrium personarum, ex pietatis adfectu erigere templa.

Filius. Domitiano ex Domitia natum esse filium, testatur Suetonius a): *deinde uxorem Domitiam, ex qua in secundo suo consulatu filium tulerat, alteroque anno consalutaverat Augustam - - - repudiavit.* Apparet ex verbis nonnihil implexe positis, locum hunc esse luxatum, quod jam agnovere commentatores. Addo historiam ipsam fieri ambiguam, et inductos fuisse in fraudem viros eximios. Nam si verba *in secundo suo consulatu* sumantur rigide, hic Domitiani filius natus est anno V. C. 826, quo pater Domitianus processit consul II., in qua opinione fuit etiam Tillemontius b). At enim certum est ex Martiali, eum natum esse tum, cum Domitianus jam esset Augustus. Nam sic eum recens in lucem datum adfatur c):

Nascere Dardanio promissum nomen Iulo,
Vera deum sobolès, nascere magne puer.
Cui pater aeternas post saecula tradat habenas,
Quique regas orbem cum seniore senex.

Ergo secundus hic consulatus intelligendus est is, qui ei jam Augusto secundus fuit; alioqui Suetonius eo capite exsequitur illa, quae peregit Domitianus jam arbiter imperii. Quare verisimiliter hic natus est anno V. C. 835, atque hac occasione factum fuerit, ut Domitiam Augustam diceret, quod ibi addit Suetonius, et ad hunc annum refert Eusebius. Falluntur, qui hunc filium ex Iulia Titi filia Domitiano natum autumant; nam nolebat ex hac fieri pater, jussa, quotiescunque conciperet, foetum abigere, ut in hujus vita diximus. Ad filium infantem ut revertar, eum praematura morte exstinctum, et a patre inter divos relatum, docent cum numi, tum Silius Italicus d), qui cum Domitiano coelestes honores praedicit, filio etiam certam in Olympo stationem adsignat, nimirum:

solioque Quirinus
Concedet, mediumque parens, fraterque locabunt,
SIDEREI juxta radiabunt tempora nati.

Adde Statii testimonium e):

tua turba relicto
Labetur coelo, miscebitque oscula juxta.
Ibit in amplexus NATVS, fraterque paterque,
Et soror.

Quo anno mortuus sit, non constat. Eum numi infantem proponunt, verum quod ei nomen fuerit, dissimulant.

---

a) Cap. 3. b) Tom. II. Part. I. p. 105. c) L. VII. epigr. 3. d) Punic. L. III. 627. e) L. I. Silv. I. 99.

Numi:

DOMITIA. AVGVSTA. IMP. DOMIT. *Hujus caput.*

IMP. CAES. DOMITIANVS. AVG. P. M. *Caput laureatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

In aliorum aversa:

CONCORDIA. AVGVST. *Pavo.* — PIETAS. AVGVST. *Mulier sedens, pro pedibus puerulus.* AV. AR. (Mus. Caes.)

* * *

DOMITIA. AVGVSTA. *Hujus caput.*

VENVS. AVG. *Venus seminuda aversa stans s. hastam, et simul columnae innixa, d. galeam.* AR. m. m. (Pellerin Mel. I. p. 181. Mus. Caes.)

Dubium non videtur, hunc numum extra urbem signatum secundum ea, quae de hujus formae numis saepe alias dixi.

* * *

DOMITIA. AVGVSTA. IMP. DOMIT. *Hujus caput.*

DIVVS. CAESAR. IMP. DOMITIANI. F. *Infans globo insidens inter septem astra.* AV. AR. (Vaill. Mus. Caes.)

Hic, et numi sequentes una anonymum Domitiani filium continent, de quo continuo egi.

* * *

DOMITIAE. AVG. IMP. CAES. DIVI. F. DOMITIANI. AVG. *Hujus Caput.*

DIVI. CAESARIS. MATER. (*in aliis:* MATRI.) S. C. *Domitia sedens dexteram versus puellum togatum adstantem extendit.* AE. I. (Vaill.)

Numus hic rarissimus est, si modo certae fidei. Sane is, qui est in museo Caesareo, parum habet antiqui moris. Etiam is, qui fuit in museo d'Ennery, suspectus nonnullis est visus.

* * *

Adversa fere similis.

DIVI. CAESARIS. MATER. S. C. *Mulier ad aram sacrificans s. hastam.* AE. I. et II. (Vaill. Mus. Christinae, Mus. d'Ennery.)

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum justo numero exstant numi non modo cum capite Domitiae solius, sed etiam juncto capite Domitiani mariti, quos vide apud Vaillantium. In numo Lappensium Cretae capitis inscriptio proditur: ΔΟΜΙΤΙΑ. ΛΟΝΓϾΙΝΑ. ϾϾΒΑϹΤΗ. (Mus. Farnes. T. IX. tab. 9.) *Longinae* cognomen, cujus memoriam conservavit Suetonius, in nullo alio, quod sciam, numo additur.

Coloniae numus cum ejus capite vix exstat.

Alexandrini sunt rarissimi, quos vide loco suo.

PRETIVM.

Aurei - - - - - - - - -	RRRR.

Argentei - - - - - - - - - -	RR.
Argentei max. formae - - - - - -	RRRR.
Aenei I. formae - - - - - - -	RRRR.
Aenei II. formae - - - - - - -	RRR.
Aenei III. formae - - - - - - -	O.

Commatis peregrini, ut proxime dictum.

VESPASIANVS IVNIOR.

Exstant numi aenei Smyrnae signati:

ΟΥΕϹΠΑϹΙΑΝΟϹ. ΝΕΩΤΕΡΟϹ. *Caput juvenile nudum.*

ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Victoria gradiens.* In aliis: *Spes gradiens.* (Harduin Hist. Aug. p. 733. Haym Tom. I. p. 248. Pellerin Mel. II. p. 49)

Eruditi, qui in hos numos commentati sunt, varias proposuere sententias, cujus fuerit filius Vespasianus hic, quem *juniorem* compellant hi numi. Censet Harduinus [a]), *fuisse eum filium Vespasiani, sed ex secunda conjuge Domitilla.* Bis in paucis verbis insigniter hallucinatur vir eruditus, primum, quod quartam sobolem adfingat Vespasiano, cum tamen diserte tradat Suetonius, tres tantum liberos Vespasiano tulisse Domitillam, Titum, Domitianum, et cognominem matri Domitillam [b]). Deinde quod Domitillam secundam Vespasiani uxorem appellet, perinde quasi de prima aliqua ejus uxore constaret. Haec ergo sententia inter solita Harduini figmenta amolienda est. Eundem Vespasiani quoque filium fecit cl. Beauvais nuperus Caesarum biographus, non tamen ex Domitilla, sed ex Caenide concubina, quam pridem sibi dilectam mortua Domitilla revocavit, habuitque etiam imperator paene justae uxoris loco, ut eodem loco narrat Suetonius. Verum an ullo pacto verisimile, filium illegitimo thoro natum in hac filiorum legitimorum Titi, et Domitiani potentia in nomen Vespasiani adoptatum, eique publice dedicatam monetam?

Vero propiora docet Haymius [c]) inductus Suetonii indicio, qui agens de T. Flavio Clemente haec scribit [d]): *Denique Flavium Clementem patruelem suum contemptissimae inertiae interemit, cujus filios etiam tum parvulos successores palam destinaverat, et abolito priore nomine alterum VESPASIANVM appellari jusserat, alterum Domitianum.* Eorum etiam meminit Quinctilianus, cum utrumque sibi a Domitiano erudiendum datum narrat his verbis [e]): *Cum vero mihi Domitianus Augustus sororis suae nepotum delegaverit curam etc.* sed nomina omittit. Huic igitur Vespasiano numos hos confidenter tribuendos esse existimat. Sunt tamen nonnullae rationes, quae istud quoque judicium impediunt, inter quas memoranda, quod facies in numis propo-

---

a) l. c. b) in Vespas. c. 3. c) l. c. d) in Domit. c. 15. e) Instit. orat. in prooem. ad L. IV.

sita justum virum arguit, cum tamen ex verbis Suetonii non obscure colligatur, utrumque tum fuisse parvulum, cum pater Clemens caesus est, nimirum V. C. 848 in ejus ipsius consulatu. Anno sequente caesus Domitianus. Postea certe juveni huic Vespasiano moneta dedicata non est. Viderint ergo eruditi, utrum ea oris lineamenta possint parvulo convenire, tametsi Graecis ejus aevi monetariis neque magna ars, neque adcuratio fere constiterit. Sed enim placet rem in medio relinquere. Omnium minime ferendum ejus judicium, qui museum Pembrockianum vulgavit, cum numum similem Domitiano tribuit [a]. Vespasiani nomen Titus quidem, at Domitianus nunquam tulit.

M. COCCEIVS NERVA.

M. Cocceium Nervam, quae sunt omnia ejus nomina in Marmore Gruteri [b], Aurelius Victor in Caesaribus Cretensem origine facit, praefatus, hactenus per Italiam ortos imperium rexisse, deinceps advenas, alter Victor in Epitome oppido Narniensi genitum, quod verius; nam certum est, primum Trajanum ex non Italis fuisse imperatorem [c], sic ut Victoris possimus testimonium aspernari. Gens non magnopere illustris, tamen ex consulatibus inclyta, quos ejus majores in hanc domum intulere. Subductis annis LXVI., quot Nervam vixisse memorat Dio [d], eum nasci oportuit anno V. C. 785. Docente marmore, quod citat Gruterus [e], matrem habuit Sergiam Plautillam Laenatis filiam. Honores mature adiit, et per probatam bello virtutem a Nerone anno V. C. 818 triumphale decus, et effigiem apud palatium est consecutus, ac tum in annum sequentem designatus praetor [f]. V. C. 824 processit consul cum Vespasiano, et 843 consul iterum cum Domitiano. Hoc caeso die XVIII. Septembris V. C. 849 per virtutum commendationem imperator factus est operam conferentibus Petronio Secundo praefecto praetorio, et Parthenio caedis auctoribus [g].

V. C. 849 *P. X.* 96.
TR. P. COS. II. DES. III. P. M. P. P.
C. Antistio Vetere, Manlio Valente cos.

Inolita per Domitiani aevum vitia proscribit, securitatem, et libertatem revocat.

A. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. II.*

B. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. II. DESIGN. III. P. P. *Caput laureatam, in AE. I. et II.*

---

a) Part. III. tab. 51. n. 1. b) pag. 300. c) Dio L. LXVIII. §. 4. d) l. c. e) pag. 246. f) Tac. Ann. XV. 72. g) Eutropius.

C. IMP. NERVA. CAES. AVG. PONT. MAX. TR. P. *Caput laureatum*, *in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. A.

CONCORDIA. EXERCITVVM. *Duae dexterae junctae juxta aquilam legionariam prorae navis infixam.* AV. AR. *et addito* S. C. *in* AE. I. (Mus. Caes.)

Indicat typus aversae concordiam legionum tam terrestrium, quam classicarum.

Vt lit. A. et B.

CONGIAR. PR. S. C. *Imperator togatus in suggestu considens adsidente juxta alia figura togata, adstat figura tesseram tenens, et alia per gradus adscendens, pone Palladis signum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numus hic satis est cognitus, at suspecta mihi lectio numi alterius cetera simillimi, quem edidit Patinus a), in quo is legit: CONGIAR. II. praecipue si pars adversa consulatum II. inscribit. Verisimile non est, Nervam virum moderationis cognitae intra tres menses bis distribuisse congiarium, quae liberalitas caro stetit. Videtur pro PR. perperam legisse II.

Vt lit. C.

COS. II. DESIG. III. P. P. *Diana venatrix gradiens d. sagittam ex pharetra promit comite cane.* AR.

Observat Vaillantius, hunc aversae typum in moneta Romana insolentem esse. Censet igitur, cum Nervam ex Creta oriundum dicat Victor, Diana autem singulari in hac insula religione coleretur, propterea eam huic denario insertam. At dixi supra, non satis unius Victoris testimonio Cretense Nervae genus probatum. Ceterum similis Dianae typus frequens est in numis Augusti, quem ibi ad Siciliam referendum diximus.

Vt lit. A.

FISCI. IVDAICI. CALVMNIA. SVBLATA. S. C. *Palma.* AE. I. (Mus. Caes.)

Inde a primis reipublicae Iudaicae temporibus Iudaei dimidium sicli, seu duas drachmas in usum altaris pendere jubebantur, ut legere est in libro Exodi b). Ea pecunia subinde in templi sumptus cessit, collata non modo ab his, qui Iudaeam incoluere, sed et ab iis, qui in quacunque orbis parte versabantur, Romanis privatum istud tributum jam vetantibus, cujus supra in numis Vespasiani p. 327 exempla dedi, jam edicto permittentibus, cujus generis unum nomine Augusti vulgatum proposuit Philo Iudaeus c), at plura alia Iosephus d). Idem Philo corrogatam hanc pecuniam aliquoties per eum tractatum vocat ἀπαρχας, *primitias*, ergo illa eandem habuit naturam cum iis muneribus, quae olim coloniae metropolibus ad cultum patriorum deorum singulis annis mittere consuevere, quo modo Polybius quoque vocavit ἀπαρχας illud, quod Carthaginienses Tyrum metropolin suam mittere sunt soliti e). At certum est etiam teste eodem Philone f), a totius orbis Iudaeis sanctam civitatem metropolis loco fuisse habitam. Ceterum dictum illud dimidium sicli fuit notum

---

a) Thes. num. p. 154. b) XXX. 12. 13. c) de Legat. ad Caium p. 592. d) Antiq. L. XVI. c. 6. e) Exc. legat. 114. f) Advers. Flacc.

didrachmum census, quod pro se, et Petro persolvisse Christum statere per miraculum in pisce invento narrat Matthaeus a). Anno V. C. 823 Hierosolymis a Vespasiano cum templo eversis jussi sunt Iudaei ubicunque terrarum existentes didrachmum illud repraesentare, non tamen cessurum in usum suorum sacrorum, sed Iovis Capitolini, ut diserte perhibent Iosephus b), et Dio c). A Domitiano *Iudaicum fiscum acerbissime actum esse*, narrat Suetonius d), *ad quem deferebantur, qui vel improfessi Iudaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent.* Spanhemius, qui in hoc quoque numo explicando eruditam suam facundiam comprobavit e), docente ipsa numi epigraphe arguit, non ipsum fiscum Iudaicum, seu didrachmum, quod censuere varii, a Nerva abolitum dici, sed tantum ejus *calumniam* sublatam, hoc est: ab eodem fiscali debito solvendo immunes in postremum mansisse, quicunque se haud erant Iudaeos professi, nec inde pro Iudaeis in fiscales tabulas relati. Nam quam turpiter, nequiterque sub Domitiano inquisitum sit in eos, qui de Iudaismo suspecti fuere, eodem loco Suetonius adlato infami facto confirmat. Atque ad hanc explicationem confirmandam illustre mihi exemplum praesto est. Constantinus M., ut idololatriae licentiam coerceret, teste Eusebio f) binas leges condidit, quarum una fuit *νομος ὁ μεν ἐιργων τα μυσαρα της κατα πολεις και χωρας το παλαιον συντελουμενης ἐιδωλολατρειας*, *lex coercens ea, quae plane abominanda per urbes, et regiones antiquitus patravit idololatria.* Quibus verbis persuasi fuere non pauci, voluisse Constantinum omnes hac lege paganae religionis ritus aboleri, sed quod certae historiae adversatur. Tantum dicit Eusebius, vetita ab imperatore *τα μυσαρα*, sive quae supra modum infanda, praecipue extra urbem, vetus superstitio fovit, aluitque. Iudaeos etiam postea non fuisse immunes a solvendo hoc didrachmo, docemur ex epistola Origenis ad Africanum: *και νυν Ιουδαιων το διδραχμον ἀυτοις* (Ρωμαιοις) *τελουντων*, *et cum nunc quoque Iudaei didrachmum illis* (Romanis) *pendant.* Satis apparet, rem Iudaicam magni fuisse hac aetate, et vel in ipsa urbe momenti, atque tanta atrocitate, et promiscue quidem per causam Iudaismi in populum saevitum, ut sublata tandem causa dignum istud factum censeret senatus, cujus memoria in aere perennaret.

Palmam esse Iudaeae symbolum, res nota. Plinius g): *Iudaea vero inclyta est vel magis palmis.*

V. C. 850 *P. X.* 97.
TR. P. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.
Nerva Aug. III. P. Virginio Rufo cos.

Ingens Romae seditio, qua praetoriani auctores caedis Domitiani ad mortem postulant, eosque licet reluctante Nerva interimunt. Ergo Nerva senectutem suam sperni sentiens Traja-

a) XVII. 24. b) de Bell. Iud. L. VII. c. 6. §. 6. c) L. LXVI. §. 7. d) Cap. 12.
e) Tom. II. p. 500. f) in vita Const. L. II. c. 45. g) L. XIII. §. 6.

num in Germania inferiore, quam tum rexerat, absentem adoptat [a]). Ipso adoptionis die, qui secundum eruditorum sententiam cadit in exeuntem Octobrem, vel ineuntem Novembrem, laureatae literae venerunt, nunciantes, relatam in Pannonia victoriam [b]). Cum Suevis bellum gessisse Nervam, ex marmore probat Albertus Rubenius, in quo Q. Attius dicitur donis donatus AB. IMPERATORE. NERVA. AVG. GERM. BELLO. SVEBIC. CORON. AVREA [c]). Ex victoria exeunte hoc anno dicitur imperator II. et GERMANICVS.

A. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. III. P. P. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. I. II. sed in his postremis saepe radiatum.*

B. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. POT. *Caput laureatum in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. A.

NEPTVNO. CIRCENS. CONSTITVT. S. C. *Neptunus nudus stans d. demissa, s. tridentem, pro pedibus ancora.* AE. II.

Numum hunc a Rev. Ashby Anglo editum reperio in opere, quod *Archaeologia published by the Society of Antiquaries of London* inscribitur, ubi exstat volumine III. pag. 165. Auctor eum integerrimum, tectum viridi patina, repertumque ante annos non multos in horto prope Colcestriam adserit. Explicandae epigraphes tres modos proponit, legendo vel: NEPTVNO. CIRCENS*es* CONSTITVT*i*, vel: NEPTVNO. CIRCENS*i* CONSTITVT*a* scilicet *statua*, vel NEPTVNO. CIRCENS*ium* CONSTITVT*ori*, omnesque varios hos modos exemplis ex vetere moneta petitis stabilire satagit. Praeterea jure unicum vocat, neque ex quocunque alio museo, vel catalogo cognitum. Obtulit is dissertationem suam eruditae societati mense Majo anno 1772. Verum en tibi similis argumenti numum alium, et hunc quoque unicum, quem singulari dissertatione academiae Cortonensi dedicata illustravit Philippus Becchettus Ord. Praed. Eccum!

IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. COS. IIII. - - *Caput laureatum.*

NEPTVNO. CIRCENSES. RESTITVT. S. C. *Neptunus nudus stans d. flagellum, s. hastae innixus, humi genius Tiberis jacens.* AE. II.

Nemo erit emunctioris naris antiquarius, cui non mirabile videbitur, non, quod hi numi contineant argumentum historiae Romanae scriptoribus ignotum, nam plura alia nos docet Nervae moneta, quorum illi ne verbo quidem meminere, verum in numis binis, quorum singuli sunt unici, referri factum idem, sed modo plane dissimili, illo Circenses constitutos, hoc restitutos docente, Quapropter nequaquam dubito, eo animo futuros plerosque, ut alterutrum condemnandum putent, et forte delicatiores aliquos, qui utrumque fastidient. Atque hujus causa incerti nolo argumenti inquisitioni inhaerere.

Vt lit. A.

PLEBEI. VRBANAE. FRVMENTO.

a) Dio L. LXVIII. §. 3. b) Plin. Paneg. c. 8. c) ad num. Arschot. pag. 52. edit. Beger.

CONSTITVTO. S.C. *Modius prominentibus spicis, et papavere.* AE. I. (Mus. Caes.)

Partem votorum populi Romani, qualis hac aetate fuit, praeter panem et Circenses nihil amplius optantis, numus hic exprimit. Stante adhuc republica constitutum, ut populo e publico frumentum leviore pretio, egentiori plebi sine pretio distribueretur. Gratuitas has largitiones in plebem collatas fuisse menstruas, docet Dionysius Halicarnassensis diserte perhibens, singulis mensibus (*κατα μηνα*) frumentum egenis civibus (*τοις ἀποϱοις των πολιτων*) donatum a). Suetonius de Augusto b): *ac ne plebs frumentationum causa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternum mensium tesseras dare destinavit, sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cujusque mensis acciperet.* Ad haec beneficia referri non debent congiaria, aliaeque liberalitates saepe in numis memoratae, primum quia hae non statae, fixaeque, sed extraordinariae, et arbitrariae fuerunt, deinde quia posteriorum harum non egentiores modo, sed universus populus fuere participes. Sane generatim scriptores, et monumenta, cum de fixis his largitionibus loquuntur, *plebis* vocabulum adhibent. Haec, atque his plura argumentum praesens illustrantia erudite observavit Spanhemius, quem adi c), tum et Pitiscum sub *Plebs urbana.* Addo, meminisse hujus beneficii a Nerva in plebem profecti etiam codicem MS. bibliothecae Caesareae Vindobonensis, quem citat cl. Brotier in suo Tacito d). Ejus auctor incertus haec de Nerva: *et funeraticum plebi urbanae instituit XLXIIS*, id est, denarios LXII. cum semisse. Quo loco pro *funeraticum* haud dubie praeeunte nostro numo legendum: *frumentum.* Cum quo denariorum numero fere conspirat, quod de Augusti liberalitate narrat insigne monumentum Ancyranum e): TRIBVNITIAE. POTESTATIS. DVODEVICINSIMVM. CONSVL. XII. TRECENTIS. ET. VIGINTI. MILLIBVS. PLEBEI. VRBANAE. SEXAGENOS. DENARIOS. VIRITIM. DEDI. Similem numerum dedit Xiphilinus ex Dione f): *ὁ δε Αυγουςος το του δημου του σιτοδοτουμενου πληθος, ἀοριςον ὀν, ἐς ἐικοσι μυϱιαδας κατακλεισε, και ὡς γε τινες λεγουσι, καθ' ἑνα ἑξηκοντα δϱαχμας ἐδωκε.* *Augustus autem multitudinem eorum, qui frumentum ex publico accipiebant, et quorum numerus indefinitus fuit, ad CC. millia coercuit, et ut nonnulli auctores sunt, singulis LX. drachmas dedit.* Ceterum hoc Nervae beneficium, tum et typus modii admonet me insignis marmoris Sardiani, in quo laudatur L. Iulius Bonnatus, quod ЄΝΔЄΙΑϹ. ΓЄΝΟΜЄΝΗϹ. ΚΑΤΑ. ΤΟΝ. ΔΗΜΟΝ. ΜЄΓΑΛΟΨΤΧΙΑ. ΧΡΗϹΑΜЄΝΟϹ. ЄΚ. ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ЄΙϹ. ЄΠΙΚΟΤΦΙϹΜΟΝ. ЄΚΑϹΤΩ. ΠΟΛΙΤΗ. ЄΧΑΡΙϹΑΤΟ. ΜΟΔΙΟΝ, *orta in populo annonae caritate excelsi animi impulsu singulis civibus modium ad sublevandam inopiam ex propriis reditibus admensus est* g). In numis Laodiceae colo-

a) Ant. L. IV. pag. 228. b) Cap. 40. c) Tom. II. pag. 531. d) Tom. IV. pag. 234. e) Chishull Ant. Asiat. p. 174. lin. 6. f) L. LV. §. 10. g) Spon. Misc. pag. 356.

niae Syriae ad similem typum modii legitur: AETERNVM. BENEFICIVM, nimirum eodem sensu, ut ibi diximus.

Vt lit. A.

TVTELA. ITALIAE. *Imperator sellae curuli insidens dexteram extendit versus puellum puellamque, adstante juxta muliere.* AE. I. (Tristan.)

Narrat de Nerva Victor: *puellas, puerosque natos parentibus egestosis sumptu publico per Italiae oppida ali jussit.* Istud ergo indicat laudata in hoc numo tutela, cujus pietatis quam illustrem heredem habuerit filium Trajanum, in hujus moneta intelligemus.

Vt lit. A.

VEHICVLATIONE. ITALIAE. REMISSA. S. C. *Duae mulae pascentes, pone vehiculum.* AE. I. (Mus. Caes.)

En alterius generis beneficium Nervae humanitate in provinciales derivatum, *vehiculatio Italiae remissa*, novo hoc, et inaudito, si numum hunc demas, in Latinorum lingua vocabulo, sic tamen, ut satis vel ab hoc ipso, vel a typo aversae intelligatur, nomine vehiculationis notari illud, quod a scriptoribus *res*, vel *cursus vehicularis*, *vehicularium munus*, *vehicula publica*, *cursus publicus* dicebatur. In hujus servitii originem, naturam, ac leges praeclare iterum inquisivit incredibilis vir eruditionis Spanhemius [b]). Nimirum integra adhuc republica legati publice ad exteras gentes missi, ut perhibet Livius [c]), oppidatim jumenta imperabant. Coepit onus istud, ut fit, ingravescere libidine magistratuum peregre profectorum, aut redeuntium, ac tandem provincialibus juxta vias positis, praecipue per Italiam, esse intolerabile. Atque hanc licentiam a Nerva fuisse coercitam, praesens numus edocet, quibus legibus, incertum, tacentibus scriptorum veterum commentariis, aut deperditis. Quae deinceps in hac re vehiculari a principibus constituta fuerint, vide apud laudatum Spanhemium.

Eodem anno
TR. P. II. IMP. II.
Incipit GERMANICVS.

A. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. II. COS. III. P. P. *Caput laureatum, in numis omnis metalli, et formae, in AE. II. formae saepe caput radiatum.*

B. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. POT. II. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

C. IMP. NERVA. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. P. II. *Caput laureatum, in AR.*

* * *

Vt lit. C.

IMP. II. COS. III. DES. IIII. P. P *Typi varii.* AR. (Mus. Caes.)

De titulo *Germanici, et imperatoris II.* vide, quae occupavimus in annalibus.

V. C. 851 P. X. 98.
TR. P. II. COS. IV. P. M. P. P. GERM. IMP. II.
Nerva Aug. IV. Trajano Caes. II. cos.

Moritur Nerva exeunte Ianuario, sex-

a) In Epitome. b) Tom. II. p. 561. c) L. LXII. 1.

to et sexagesimo aetatis anno secundum Dionem, sed variant alii. Vide Tillemontium.

Brevitatem imperii justitiae, et moderationis laude abunde pensavit. Nobilissimum ejus factum, atque omnium linguis celebratissimum fuit adoptio Trajani. Quod narrat Lactantius a), Nervam translato in Trajanum imperio ad privatam vitam redivisse, et in hac consenuisse, in fabulis putandum.

A. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. II. COS. IIII. P. P. *Caput laureatum*, *in AV. et AR.*

B. IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. II. *Caput laureatum*, *in AV. et AR.*, *item AE. I. II.*

* * *

Vt lit. B.

IMP. II. COS. IIII. P. P. *Typi varii.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Numi vagi.

IMP. NERVA. CAES. AVG. *Modius prominentibus spicis.*

S. C. *Caduceus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Similes numi absque Nervae capite, aliique aliis typis occurrunt, qui mos circum hanc aetatem in moneta aenea III. formae obtinuit.

Divus Nerva.

Nervam a Trajano inter divos relatum testatur Eutropius, et cumprimis Plinius in Panegyrico toto capite VIII., ubi ait, a Trajano Nervae constitutas aras, pulvinaria, flaminem.

DIVVS. NERVA. AVG. *Caput nudum.*

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. *Statua imperatoris insidens thensae, quam bini elephanti loricati cum suis singuli rectoribus trahunt.* AV. (Vaill.)

DIVI. NERVA. ET. TRAIANVS. PATER. *Capita adversa, Nervae laureatum, Trajani patris nudum.*

IMP. TRAIANVS. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput Trajani laureatum.* AV. (Mus. Caes.)

De hoc numo, in quo gemini patres, naturalis, et adoptivus consecrati memorantur, agetur infra in numis Trajani ad annum V. C. 867.

Alium numum, in quo Divus Nerva cum Plotina sociatur, vide infra in numis Plotinae.

* * *

DIVO. NERVAE. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila insistens fulmini.* In aliis: *Ara luculenta.* AR. (Mus. Caes.)

Hi numi argenti impuri multo sunt serius signati. De iis ex proposito agemus in tractatu de numis consecrationum.

Numi restitutionum.

Eos, qui ad hanc classem pertinent, cum Nervae capite, dedimus altius in tractatu de hoc numorum genere Vol. V. p. 102.

---

a) De Mortib. persecut. c. 18.

Numi commatis peregrini.

Exstant non pauca tetradrachma, quae, licet inscripta Latine, dubium non est in Graecis urbibus signata, suntque:

IMP. NERVA. CAES. AVG. P. M. TR. P. *Caput laureatum.*

COM. ASI. ROM. ET. AVG. *Templum duarum columnarum, in cujus aditu Roma stans Augustum paludatum coronat.* AR. max. mod. (Vaill.)

Hos numos signatos fuisse apud Pergamum Mysiae, docui in hujus urbis moneta, tum in Augusto ad annum V. C. 735.

IMP. NERVA. CAES. AVG. GERM. P. M. TR. POT. P. P. *Caput radiatum.*

COS. IIII. *Fasciculus sex spicarum.* AR. max. mod. (Mus. Caes.) In nova Romana Vaillantii editione citantur etiam similes numi, sed inscripti: COS. II. et COS. III.

Alias saepe monui, argenteos Latine loquentes, cum tetradrachma sunt, omnes haud dubie extra urbem fuisse percussos. Sane hos ipsos Vaillantius ipse non inficiatur esse urbis Graecae opus, quamvis eo peccat, quod patriam iis Alexandriam adsignat, quod refutare minime necessarium puto, cum jam nemini ignotum esse existimem, quantum hos inter, et monetam Alexandrinam intercedat discriminis.

Epigraphe capitis incerta.

COS. III. *Signum Dianae in templo distylo, cujus peristylio inscriptum:* DIANA. PERGENSIS. AR. max mod. (Vaill.)

Ipsa inscriptio, et forma numi suadent, numum hunc foris, et quidem apud Pergenses Pamphyliae lucem vidisse.

ΑΥΤΟΚΡ. ΝΕΡΟΥΑϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹΕΒΑϹΤ. *Caput laureatum in area.* ΛΥ.

ΥΠΑΤΟΥ. ΤΡΙΤΟΥ *Duae lyrae, quibus insistit noctua.* AR. III. (Mus. Caes. Tristan. Vaill.)

Tristanus, ubi in hunc numum commentatur a), totus est in extundendo sensu allegorico, sic ut duabus lyris opinetur notari felicem concordiam, et harmoniam Nervam inter, et adoptatum Trajanum, et cum chorda lyrae, quae graviorem sonum edebat, Graecis diceretur ὑπατη, ajebat, ingeniosum monetarium inscripto ΥΠΑΤΟΥ adlusisse etiam ad Nervae consulis Romani graves mores. Hos subtilis ingenii liberos, qui volet tollat. Nos aimus, hunc numum pertinere ad Lycios, qui se inscripto in antica ΛΥ. facile manifestant, et in moneta sua saepe lyrae typo usi sunt, ut in hujus gentis numis docui, quo statuto omnis allegoria, in qua applicanda nimium saepe sedulos video antiquarios, ultro evanescit. Satis esto, eundem typum occurrere etiam in numis Trajani, a Nervae adeo morte signatis. Mira est oratio in his numis: ΥΠΑΤΟΥ. ΤΡΙΤΟΥ, quam si Latine reddas, erit: *consulis tertii*, cum hoc loco dicendum fuisse ΤΡΙϹ. vel ΤΡΙΤΟΝ. Sed jam olim aliud ejusdem naturae exemplum dedi ex numo argenteo Caesareae Cappadociae cum capite ejusdem Nervae, in quo legitur: ΥΠΑΤΟΥ. ΤΕΤΑΡΤΟΥ b).

a) Comment. hist. p. 278. b) Sylloge I. p. 55.

Numi spurii.

EXVLES. ROMAE. RED. S. P. Q. R. *intra coronam quernam.*

PALATIVM. NERVAE. *Palatium magnificum octo columnarum etc.*

Vtrumque numum promulgavit Tristanus, sed qui vidisset, nemo alius fuit. Certe malignae artis uterque habendus.

De numo inscripto NEPTVNO. CIRCENS. etc., eoque valde suspecto egi supra ad annum V. C. 850.

Tribunicia potestas.

De lite, quae inter chronologos causa numorum Nervae, quibus tribunicia potestas III. inscripta ferebatur, diu agitata fuit, vide, quae disseremus in tractatu de tribunicia potestate.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei, et argentei	C.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	R.
Commatis peregrini:	
Argentei maximae formae	RR.
III. formae	R.
Aenei tam urbium liberarum, quam coloniarum	R.
Alexandrini	RR.

M. VLPIVS TRAIANVS.

M. Vlpius Trajanus natus est apud Italicam Hispaniae V. C. 806 die XVIII. Septembris a). Ei praeterea fuisse cognomen *Criniti*, perhibet Eutropius, a majoribus, ut nos jure opinamur, haustum. At non sic visum Laurentio Lydo infimi aevi grammatico, quo teste Κρινιτον ἀυτον τοις Ρωμαιοις ἐδοκει καλειν δια την περι τας της κεφαλης ἀυτȣ τριχας σπȣδην, *Crinitum eum Romanis vocare placuit propter impensius ejus in capillorum cultu studium* b). Familia ejus antiqua magis, quam clara exstitit; nam pater ejus Trajanus, cujus infra ad annum V. C. 867 producentur numi, primus fuit, qui in eam consulatum intulit c). Puer admodum Parthica lauro gloriam patris auxit d). Decem stipendia tribuni munere emeritus e) factus praetor V. C. 839 f) et consul V. C. 844 g) a

a) Kalendar. Vindob. b) de Mensib. in Ianuar. c. 7. c) Eutrop. d) Plin. in Paneg. c. 14. e) Ibid. c. 15. f) Spartian. in Hadrian. c. 1. g) Dio L. LXVII. §. 12.

Domitiano in patriam Hispaniam missus [a]) ortis subinde in Germaniae finibus turbis ab eodem evocatus, et inferiori Germaniae praefectus reliquos Domitiani annos, partemque imperii Nervae eo in munere exegit.

V. C. 850 *P. X.* 97.

CAESAR. IMPERATOR. COS. DES. II. TR. P. GERM.

Nerva Aug. III. P. Virginio Rufo cos.

Trajanus a Nerva adoptatus in autumno anni hujus, ut visum eruditis, (V. infra in titulis Trajani.) *simul FILIVS, simul CAESAR, mox IMPERATOR, et consors TRIB. POTESTATIS, et omnia pariter, et statim factus est* [b]), fuitque primus imperator ex iis, qui Italicae stirpis non fuere [c]). Nerva GERMANICI titulum cum Trajano communicat [d]). Versabatur tum Trajanus Coloniae Agrippinae [e]).

V. C. 851 *P. X.* 98.

CAES. IMP. COS. II. TR. POT. GERM.

Nerva Aug. IV. Trajano Caes. II. cos.

Consulatum II. absens init.

* * *

Vix credam, exstare numos Trajano Caesari, necdum Augusto, signatos, videturque Nerva praeter *Augusti* et *pontificis maximi* titulos reservasse sibi etiam jus cudendae monetae. Vereor, ut genuinus sit numus a Tristano editus [f]), et alter similis in numis Arschotanis: NERVA. TRAIAN. CAES. GERM. NER. AVG. F. P. TR. P. COS. *Caput Trajani laureatum.* ✠ ADOPTIO. *Nerva, et Trajanus stantes jungunt dexteras*, qui forte confictus est ex simili numo Hadriani. Eum ipsum numum cl. Gabriel Brotier ex museo regis Galliarum citat [g]), utrum vere, testentur autoptae.

Eodem anno:

AVGVSTVS TR. P. I. II. COS. II. P. M. GERM.

Nerva sub exeuntem Ianuarium vita functo Trajanus Augusti titulum Coloniae Agrippinae suscipit [h]). Scribit continuo ad senatum, nulli viro bono ab se metum fore. Praetorianos motae sub Nerva seditionis reos variis causis arcessitos e medio tollit [i]). Ceterum annum hunc inter barbaras gentes exigit [k]).

A. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. P. M. *Caput laureatum, in AE. I., in AE. II. etiam radiatum.*

* * *

Vt lit. A.

PONT. MAX. TR. POT. COS. II. *variis typis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

---

a) Plin. Paneg. c. 14. b) Plin. Paneg. c. 8. c) Dio L. LXVIII. §. 4. d) Plin. Paneg. c. 9. e) Eutrop. f) Comment. hist. T. I. p. 288. g) ad Tacit. in Agric. c. 3. h) Eutrop. i) Dio. k) Plin. Paneg. c. 56.

Vt lit. B.

TR. POT. COS. II. S. C. *variis typis* AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 852 *P. X.* 99.

TR. P. II. III. COS. II. DES. III. P. M. GERM.

A. Corn. Palma, C. Sosio Senecione II. cos.

Incipit PATER. PATRIAE.

Labente hoc anno Romam ingreditur, et congiarium distribuit testibus Plinio, et numis. Patris patriae titulum hoc anno admittit, ut et OPTIMI. a senatu oblatum, sed qui serius in moneta comparet. De his vide plura infra in titulis Trajani.

A. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. NERVA. CAES. TRAIAN. AVG. GERM. P. M. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

C. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. P. M. *Caput laureatum, in AE. I. laureatum, vel radiatum in AE. II.*

D. *Vt in praecedente, sed addito: TR. P., in AE. I. et II.*

* * *

Vt lit. D.

CONG. PR. COS. II. P. P. S. C. *Imperator togatus sedet congiario distribuendo intentus adsistentibus aliis figuris.* AE. I. (Vaill. Mus. Caes.)

A Trajano in urbem reduce *locupletatas tribus, datumque congiarium populo, et datum totum, cum donativi partem milites accepissent,* diserte memorat Plinius [b]). Literae PR. legendae haud dubie PR*imum*, quia puncto non separantur, cum secus P*opuli* R*omani* legi possent. Infra ad V. C. 857 occurret CONGIAR. SECVND.

Vt lit D.

COS. II. DES. III. P. P. S. C. *Victoria gradiens d. clypeum tenet, cui inscriptum:* S. P. Q. R. (Mus. Farnes.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *typis variis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

TR. POT. COS. II. P. P. S. C. *typis variis* AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 853 *P. X.* 100.

TR. P. III. IV. COS. III. DES. IV. P. M. P. P. GERM.

Trajano Aug. III. Sex. Iulio Frontino III. cos.

Mense Septembri Plinius consul suffectus nomine senatus, atque imperii panegyricum, qui superest, Trajano dixit, in quo laudes, etsi veras, immodica adulatione corrumpit, ac praeterea veterem, ac veram eloquentiam desiderari facit.

A. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. P. M. *Caput laureatum, in AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

---

a) In Paneg. inde a cap. XX.   b) in Paneg. c. 25.

C. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. *Caput laureatum, in AE. II.* (Mus. Farnes.)

* * *

Vt lit. C.

COS. III. DES. IIII. P. P. S. C. *Miles stans.* AE. II. (Mus. Farnes.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. III. P. P. *variis typis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

TR. POT. COS. III. P. P. S. C. *variis typis.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 854 *P. X.* 101.

TR. P. IV. V. COS. IV. P. M. P. P. GERM. IMP.

Trajano Aug. VI. Sex. Articuleio Paeto cos.

Trajanus tributum Decebalo Dacorum regi inde a Domitiani aetate pendi solitum repraesentare detrectat, ejusque infamiae abolendae causa ipse Daciam intrat. Sunt, qui existiment, nixi fide numorum, et marmorum, eam expeditionem jam anno praecedente susceptam. Verum abunde refutantur illi silentio Plinii, qui cum mense Septembri ejus anni panegyricum suum dixisset, ne verbo quidem instantis ejus belli meminit, quod utique ad Trajani sui laudes nequaquam dissimulasset. Alii hoc eodem, in quo sumus, anno confectum, deinde triumphatum autumant. At vero Dacici titulus in certis ejus aetatis monumentis nonnisi anno V. C. 856 P. X. 103 comparet. Varias de hoc eruditorum conjecturas expensas vide apud Tillemontium [a]), et Fabrettum [b]).

A. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. P. M. *Caput laureatum, in AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. IIII. P. P. *variis typis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

TR. POT. COS. IIII. P. P. S. C. *variis typis.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 855 *P. X.* 102.

TR. P. V. VI. COS. IV. P. M. P. P. GERM. IMP. II. III.

C. Sosio Senecione III. L. Licinio Sura cos.

Bellum Dacicum continuatur.

* * *

Ad hunc etiam annum jus habent numi ad annum superiorem descripti, in quibus solus consulatus IV. absque numero trib. potestatis notatur.

V. C. 856 *P. X.* 103.

TR. P. VI. VII. COS. IV. DES. V. P. M. P. P. GERM. IMP. III. IV.

Suburano III. P. Horatio Marcello cos. Incipit DACICVS.

Capta Sarmizegethusa Daciae urbe

a) In Nota X. ad Trajanum. b) de Columm. Traj. cap. IX.

principe, magnaque ejus regni parte sinistris praeliis amissa Decebalus ad Trajanum profectus, supplexque pacem duris conditionibus obtinet [a]). Reversus Trajanus *ex invicta gente primum triumphum* agit, et DACICVS cognominatur [b]).

A. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. P. M. TR. P. VI. *Caput laureatum.*
IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. P. P. S. C. *Mulier sedens d. lauream, s. hastam.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

B. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. *Caput laureatum.*
DACICVS. COS. IIII. P. P. *Victoria prorae navis insistens d. lauream, s. palmam.* AR. (Mus. Caes.) In alio: *Hercules stans.* AR. (Noris Epoch. Syrom. p. 240.)

C. IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. DACICVS. P. M. *Caput laureatum.*
TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. S. C. *Roma galeata thoraci insidens dexteram extendit versus Daciam genu flectentem, adstat imperator paludatus s. hastam tenens.* AE. I. (Vaillant in iconismo Trajani numis hujus formae praefixo.)

D. *Alios duos eodem modo inscriptos, sed typo diversos memorant Fabrettus autopta,* (de Column. Trajan. pag. 275.) *et Norisius.* (de Epoch. Syrom. p. 241.)

Postremi tres numi magnum adferunt ad historiam, et chronologiam momentum. Ex his enim invicte probatur, quod jam praestitit Fabrettus [c]), Trajanum non Kalendis Ianuariis anni praesentis V. C. 856, sed sequentis 857 processisse consulem V., quia cum tribunicia potestate VII., quam is inivit initio Novembris anni praesentis, conjungitur COS. IV. DES. V. Commode isthaec. Verum reclamant veteres omnes fastorum Romanorum scriptores, qui consensu unanimi consulatum Trajani V. anno V. C. 856, non sequenti 857, adfigunt, quae difficultas tanta visa est Pagio, ut auderet adserere, vel erratum fuisse a monetariis scalpendo perperam TR. P. VII. pro TR. P. VI., vel numos esse spurios, praecipue cum non facile alterius imperatoris plures numi adulterini circumferantur [d]). Norisius, Fabrettus, Mediobarbus numis fidem habent, consulatumque differunt. Tillemontius ambiguus haeret, quem super hoc argumento consule [e]). Me si quis consulat, ajo, differendum consulatum, non modo nixus auctoritate numorum, sed et argumentis aliis, quae antequam producam, paucis respondendum est Pagio numorum fidem in dubium vocanti. Esto, errari potuissse in numo uno, verum sic inscripti produntur tres; eos vero νοθειας accusare inhumanum videatur, cum eorum probitatem tueantur Vaillantius, Fabrettus, Norisius, illustres hujus causae vades. Quod ait, falsariorum artem sese praecipue in adulterandis Trajani numis exercuisse, luben-

---

a) Dio L. LXVIII. §. 9. b) Plin. epist. 4 lib. VIII. Dio l. c. §. 10. c) de Column. Traj. p. 274. d) Critic. Baron. ad ann. 103. e) Nota X. et XIII. ad Traj.

ter dabo, verum iis tantum, qui factum aliquod ad historiam illustrius insculptum offerunt, quorum catalogum dabo ad calcem monetae hujus imperatoris, non autem iis, qui vulgares tantum inscriptiones, et typos continent, quales sunt ii omnes, de quibus nobis nunc sermo, et disputandi causa.

Quod numi adserunt, egregie confirmat marmor his verbis compositum:

IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F.
NERVA. TRAIANVS. GERMANICVS.
PONT. MAX. TRIB. POT. VI. IMP. II.
COS. III. P. P. INCHOATAM. A. D.
NERVA. PATRE.
SVO. - - -

Hujus marmoris fides nequaquam ambigua; nam praeterquam quod illud Gruterus binis locis paene invariatum, integris certe notis chronologicis proposuit [a]), illud etiam de novo inspici, consulique curavit Norisius testante non modo Fabretto [b]), sed etiam se ipso [c]). Inquiramus ergo in notas chronologicas. Dicitur Trajanus TRIB. POT. VI. Coepit hic tribunatus exeunte Septembri V. C. 855, et cum Trajanus secundum patronos adversae sententiae processerit consul quintum Kalendis Ianuariis anni proxime sequentis 856, marmor autem eum dicat COS. IIII., necesse foret, illud positum fuisse intra Octobrem, et Decembrem anni V. C. 855. Ergo etiam numi supra sub A. descripti, cum easdem notas, nempe TR. P. VI. et COS. IIII. contineant, intra idem tempus cusi erunt. At mormor Trajannum dicit IMP. II., numi vero IMP. IIII. Ergo Trajanus in eorum sententia intra tres hos menses bis iteravit imperatoris titulum. Ea hujus tituli iteratio Trajano obtigit ex victoriis Dacicis, ut inter omnes convenit. Iam vero in numo obvio B. is dicitur DACICVS COS. IIII., cumque ex Dione constet, post has victorias Trajanum Romam reversum de Dacis triumphasse, ac tunc demum DACICVM. cognominatum [d]), necesse iterum foret, Trajanum intra tres hos menses duplicem insignem reportasse victoriam, confecisse ingens bellum, reversum Romam, egisse triumphum, ex quo Dacici cognomen abstulit. An istud ullo pacto verisimile? an non rerum infinita copia, et immensa locorum distantia laxius temporis spatium postulant? Viderint adversarii, ut his se laqueis expediant. Accedit et illud: secundum ipsum Pagium duravit bellum Dacicum usque ad annum V. C. 856 P. X. 103, quo tandem Trajanus in consulatu suo V. triumphavit [e]). At qua is ratione cum hac sua sententia componet obvios tot Trajani numos inscriptos DACICVS. COS. IIII? quibus docemur utique, Trajanum ante consulatum V. egisse triumphum, dictumque Dacicum, ergo secundum ipsum anno V. C. 855 P. X. 102. Deinde, si Trajanus anno demum 103 reversus est, triumphavitque, sequitur, eum Kalendis Ianuariis ejus anni consulatum V. in

a) Pag. 177. 2. et 190. 3. b) de Columnn. Traj. p. 278. c) Epoch. Syromac. p. 240.
d) L. LXVIII. §. 10. e) Critic. Baron. ad ann. 101. et 103.

Dacia inivisse. Verum constat ex Plinio [a]), propositum fuisse Trajano, non inire consulatum, nisi Romae, quae sane praecipua ei causa fuit recusandi consulatus III. quem absens in Germania suscipere debuisset.

Proposui nodos, qui sententiam partis adversae impediunt. In judicium vocemus nostram; quae consulatum V. in annum V. C. 857 P. X. 104 prorogat. Hic vero plana omnia, et exporrecta. Inivit Trajanus trib. potestatem VI. circa finem Septembris V. C. 855, fuitque tum teste marmore IMP. II. Labente ea trib. potestate usque ad Septembrem anni V. C. 856 bis auxit imperatoris titulum, reversusque est in urbem, et designatus consul V. in annum sequentem, ac tum signati numi litera A. propositi: TR. P. VI. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. Egit tum triumphum Dacicum, recepitque DACICI nomen, et mox signati numi litera B. descripti: DACICVS. COS. IIII. Continuo auspicatus est trib. potestatem VII. exeunte Septembri, atque intra hunc, et proximum Decembrem compingendi numi lit. C. et D. inscripti: TR. P. VII. IMP. IIII. COS. IIII. DES. V. addito constanter DACICI nomine.

Ceterum negari nequit, magnopere huic quoque sententiae obstare unanimem fastorum consensum. Expendat lector, plusne fiduciae tribuendum sit concordibus aevi inferioris scriptoribus, an monumentis publicis, coaevis, nullasque vices passis.

V. C. 857 P. X. 104.

TR. P. VII. VIII. COS. V. P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. IIII.

Trajano Aug. V. L. Appio Maximo II. cos.

Decebalus propalam accusatus convictusque, neque implevisse pacis conditiones, et res novas moliri, hostis iterum a senatu judicatur.

IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. DACICVS. P. M. *Caput laureatum, in AE. II. etiam radiatum.*

TR. P. VII. IMP. IIII. COS. V. P. P. S. C. *typis variis, et obviis.* AE. I. II.

Ex consulatu V. et trib. potestate VII. certum fit, numos hos signatos fuisse a Kalendis Ian. hujus anni usque ad exeuntem Octobrim.

Eadem epigraphe et caput.

CONGIAR. SECVND. COS. V. *Typus congiarii solitus.* AE. I. (Mus. Farn. Vaill.)

Alterius hujus congiarii scriptores non meminere, neque numus aliud praeter consulatum V. enunciat per plures annos vagum. Tribuendum tamen huic anno satis fidenter ausim adserere, quia in eo eadem est capitis inscriptio, quae in numis praecedentibus tam hujus anni, quam exeuntis superioris. Videbimus autem ex numis, quos deinceps cum consulatu V. describemus, capitis epigraphen esse diversam, ac propterea eos annis potius sequentibus tribuendos.

---

a) Paneg. c. 60.

IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. GERM. *Caput laureatum.*

DACICVS. COS. V. P. P. *Dacia moesta clypeo patrio insidens, infra gladius incurvus.* AV. *Victoria gradiens.* Quin. (Mus. Caes.)

Hos quoque numos ad hunc annum referendos existimo, quoniam habemus numos aureos, et argenteos anni prioris similiter utrinque inscriptos mutato tantum consulatus numero, in aversa autem numorum, quos deinceps signatos videbimus, vix unquam omittitur titulus *Optimi Principis.*

IMP. NERVA. TRAIANVS. AVG. GER. DACICVS. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. COS. V. P. P. *typis variis ad victoriam Dacicam fere adludentibus.* AV. AR.

Rationes mox adlatae hos quoque numos huic anno vindicant.

V. C. 858 *P. X.* 105.

TR. P. VIII. IX. COS. V. P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. IIII.

Ti. Iulio Candido II. A. Quadrato II. cos.

Incipit verisimiliter hoc anno in partibus numorum anticis epigraphe dandi casu expressa, et in aversis titulus OPTIMI. PRINCIPIS, de quo vide plura in notis sub finem numorum Trajani.

Trajanus facto in Danubio ponte lapideo stupendi operis Daciam intrat, qua tota capta Decebalus violentas sibi manus infert. Imperator regis thesauros sive in Sargetia flumine, sive cavernis defossos reperit. Facta isthaec anno praesente, et haud dubie parte sequentis. Palma Syriae praeses Arabiam Petraeam Romanis subjicit [a]).

IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. *Caput laureatum.*

DAC. CAP. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. *variis typis Daciam captam adumbrantibus.* AR.

Vere ad historiam. Numi post primum bellum Dacicum a Trajano motum signati *Daciam captam* non praedicant, quoniam ea licet sub duris conditionibus permissa Decebalo fuit. At nunc *captam* legimus, ut capta revera fuit teste Dione [b]), aliisque.

Eadem adversa.

DANVVIVS. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. *Fluvius decumbens dexteram navi adstitutae adplicat, s. urnae innititur. AR.* obvius.

Huic sociandus alter:

IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Caput laureatum.*

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *Fluvius s. arundinem tenens d. Daciae jacentis collum premit, dextero genu ejus femori imposito.* AE. I. obvius.

Merebatur illustris hic fluvius, ut in numis quoque proponeretur, cum quod testis esset luculentus immensi in bellum Dacicum apparatus, et ex vicino victoriarum, tum quod trajiciendus erat, ut in hosticum perveniretur. Idem in numo ex propositis altero violentas prostratae Daciae manus inferendo indicare videtur, ejus quoque in subigenda Dacia aliquod fuisse meritum. Revera

a) Dio L. LXVIII. §. 11. seq. b) l. c.

classem in Moesia, atque adeo in Danubio adversus barbarorum incursiones stetisse, comprobat praeter plures alias inscriptio Gruteriana a), in qua *classis Flaviae Moesicae* fit mentio. At maxima Trajano ex ipso flumine parta gloria, cum illud ponte lapideo junxit, quod opus, si Dioni fides eam substructionem adcurate describenti, longe omnia Trajani opera superavit, docuitque, nihil esse, quod humano ingenio effici nequeat b). Ejus formam aedificii videre sibi videntur eruditi in columna Trajani Romae superstite, et quidem tabula E segmento LXXIV. num. 260 picturae Morellianae, positae ad calcem Thesauri numorum imperatorum. Exstat etiam ejus pontis arcus unus in aeneis quibusdam Trajani numis, quos vide infra inter numos vagos consulatus V. At enim non vereor, νοθειας notam impingere numo aeneo a Mediobarbo edito c), in quo: PONS. TRAIANI. DANVVIVS. typo pontis, quam mercem verecunda quaevis musea hactenus repudiavere, atque similis fraudis figmentum reputo inscriptionem ad hoc argumentum pertinentem, vulgatam pridem a Lazio, et Leunclavio, restitutam a Grutero d), quam ferunt in ponte Danubii ad ruinas urbis Warhel repertam:

PROVIDENTIA. AVG. VERE
PONTIFICIS. VIRTVS. ROMA
NA. QVID. ÑON. DOMET. SVB.
IVGVM. ECCE. RAPITVR. ET
DANVBIVS

An in ullo unquam Romanorum epigrammate, praecipue publico, similem legimus orationem, et tam indecoram jactantiam? et an dignus majestate Romana ineptus in verbo PONTIFICIS lusus? Nimirum recens adulteratorum fraus sese potissimum in fingendis veterum prodigiis exercuit, quo facilius cupidis illuderent.

Ceterum non defuere, qui verba Dionis hunc pontem usque adeo efferentis in examen vocarent, negarentque, posse datas ab eo mensuras cum legibus architectonicis consistere, quantumque ex ejus reliquiis, quae supersunt hodie ad portam ferream Serviam inter, et Walachiam potest colligi, opus universum diditam de eo famam non aequare, pilasque tantum fuisse lapideas, fornices ligneos. Vide Marsilii Danubium variis locis, et in compendio notam Raimari ad hunc Dionis locum. Dejiciendum autem curavit Hadrianus metuens, ne barbari oppressis pontis custodibus in Moesiam intrarent e). Teste Procopio f) utrique pontis capiti additum fuit castellum, operisque architectus Apollodorus Damascenus, quod postremum adfirmat etiam Tzetzes g).

De jactato alio ponte lapideo in Istro, opere Constantini M., ac numis ejus testibus, vide hujus Augusti monetam.

---

a) Pag. 575. 1. b) L. LXVIII. §. 13. c) in Trajano ad V. C. 858. d) pag. 162. 6.
e) Dio l. c. f) de Aedific. Iustin. L. IV. c. 6. g) in Chiliade II.

* * *

IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Caput laureatum.*

ARAB. ADQ. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Mulier stans d. ramum, s. calamum, pro pedibus struthio, in aliis camelus.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Caput laureatum, in AE. II. etiam radiatum.*

ARAB. ADQVIS. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *Idem typus.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Inde ab Augusti aetate, qui Arabiam duce Aelio Gallo, sed infelice successu, tentaverat, ei regioni ab armis Romanis quies fuit. Felicius istud sub Trajano tentatum, qui eam Eutropio teste in provinciae formam redegit. Ejus expeditionis dux fuit A. Cornelius Palma Syriae praeses. Tempus definit Dio, nempe quo bellum Dacicum II. exivit [a]; et apertius Chronicon Eusebii, et Alexandrinum, ex quibus habemus, Arabas Petraeos, et Bostrenos ab anno praesente annos suos computare, de qua epocha egi in numis urbium Arabiae. Recte igitur numi laudati, testes *Arabiae adquisitae*, huic anno tribuuntur, etsi sequentem etiam non respuant. Vix est, quod moneam, partem a Romanis occupatam exiguam tantum Arabiae immensum excurrentis partem constituisse, eamque, quae Iudaeae adsita, et a Petra ejus urbe principe *Petraea* appellata fuit. Ad typum quod attinet, fuisse camelum, animal in Arabia perfrequens, proprium ejus regionis symbolum, cum ex numis gentis Aemiliae, et Plautiae, tum ex aliis Graecis, inscriptis ΑΡΑΒΙΑ, cognitum est. Quod vero dextera gestat, Tristanus, qui in hoc explicando redundat [b]), ramum turis, quodque sinistra, calamum odoratum, secundum veteres scriptores Arabiae opes, suspicatur, qua in sententia subinde adseclam habuit Spanhemium [c]), quod examen historiae naturalis studiosis permitto.

V. C. 859 *P. X.* 106.

TR. P. IX. X. COS. V. P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. V.

L. Ceionio Commodo Vero, L. Tutio Cereali cos.

Trajanus in urbem reversus de Dacis iterum triumphat [d]). Viam per paludes Pomptinas munire incipit [e]), de quo vide infra ad annum V. C. 863.

Tillemontius, aliique censent, Trajanum hoc adhuc anno profectum in Orientem, ut Parthis bellum inferret, et anno sequente in urbem iterum reversum. Verum istud prorsus non videri verisimile, infra in animadversione II. evincere conabor.

* * *

Numi certi hujus anni non habentur, eos tamen, qui huc pertinere possunt, vide inter numos vagos consulatus V. post numos ad annum V. C. 864 descriptos.

---

a) L. LXVIII. §. 14. b) Comm. hist. T. I. p. 299. c) T. I. p. 360. d) Plin. L. VIII. epist. 4. e) Dio L. LXVIII. §. 15.

V. C. 860 *P. X.* 107.

TR. P. X. XI. COS. V. P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. V.

L. Licinio Sura III. C. Sosio Senecione IV. cos.

Incerta hujus anni acta historicorum inopia.

* * *

De numis anni hujus eadem esto lex.

V. C. 861. 862. *P. X.* 108. 109.

TR. P. XI. XII. XIII. COS. V. P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. VI.

App. Annio Trebonio Gallo, M. Atilio Metilio Bradua cos.

A. Corn. Palma II. C. Calvisio Tullo II. cos.

Eadem rerum utriusque hujus anni ignoratio, et numorum, qui ad hoc tempus pertinent, incertitudo.

V. C. 863 *P. X.* 110.

TR. P. XIII. XIV. COS. V. P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. VI.

Ser. Salvidieno Orfito, M. Paeducaeo Priscino cos.

Viam Benevento Brundusium sternendam curat, coeptamque per paludes Pomptinas finit. (V. marmora mox citanda.)

IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Caput laureatum.*

VIA. TRAIANA. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCPI. S. C. *Mulier humi sedens d. rotam, s. rupi imposita.* AE. I. (Mus. Caes. Mediobarb.)

Magnos sumptus fecisse Trajanum in sternendas vias, obiter praedicat Dio a). At alio loco commemorat b), eum paludes Pomptinas lapidibus stravisse, additis per viam aedificiis, et pontibus magnificis. Inchoatam hanc jam fuisse anno V. C. 859 saltem mox finito bello Dacico II., satis ex verbis Dionis colligitur, finitam vero anno praesente, aut saltem sequente, docet lapis Tarracinae exstans quem his verbis sistit Fabrettus autopta c):

IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. FI LIVS. NERVA. TRAIANVS. AVG. GER MANICVS. DACICVS. PONT. MAX. TRIB. POT. XIIII. IMP. VI. COS. V. P. P. - - SILICE. SVA. PECVNIA STRAVIT

Hoc item anno, aut exeunte superiore terminatam ab eo viam aliam, quae Benevento Brundusium ducit, aliud marmor apud Gruterum docet d):

IMP. CAESAR. DIVI. NERVAE. F. NERVA. TRAIANVS. AVG. GERM. DACIC. PONT. MAX. TR. POT. XIII. IMP. VI. COS. V. P. P. VIAM. A. BE NEVENTO. BRVNDVSIVM. PECV NIA. SVA. FECIT.

Exstat hoc marmor hodieque in oppido dicto *Bisceglia* e). In marmore Gruteri f) habemus curatorem VIAE. NOVAE TRAIANAE, et apud eundem g) *curatorem trium Trajanarum.* In alio narratur h), Trajano imperante stratam viam per Bruttios, et Salentinos, sed

a) L. LXVIII. §. 7. b) l. c. §. 15. c) de Colum. Traj. p. 291. d) pag. 151. 2. e) Voyage pittor. de Naples Vol. III. p. 58. f) p. 1091. 8. g) p. 446. 4. h) p. 199. 1.

notis chronologicis in hoc valde corruptis. Neque vero is Italiae solum muniendis viis providit, sed remotis etiam provinciis; nam Victor memorat *iter conditum per feras gentes, quo facile ab usque Pontico mari in Galliam permeatur* a). Galenus quoque insignes vias a Trajano munitas praedicat b). Quae vero in praesente numo VIA TRAIANA vocatur, ea ipsa haud dubie est, quam per Pomptinas, atque inde Brundusium ductam diximus, quaeque eadem fuit, quae vetus Appia, sed quam Trajanus aut vitium passam refecit, aut omissis ambagibus contraxit, aut interruptam continuavit.

Similes numi adhuc in consulatu VI. Trajani, iique tum copiosius, et ex omni quidem metallo percussi sunt. Quid quod multis post Trajanum annis praeclari ejus moliminis in numo renovata est memoria, qui talis esse fertur:

IMP. TRAIANO. PIO. FEL. AVG. P. P. *Caput laureatum.*
VIA. TRAIANA. *Mulier humi sedens d. flagellum, s. rotae innixa.* AR.

Cl. le Beau numi hujus index c) suadente metallo, (nam vilioris est argenti) fabrica, modulo, literarum forma, et quia *Pii Felicis* nomina adduntur, quibus simul sumptis nullus imperatorum ante Commodum usus est, inferiore eum aevo signatum judicavit, cumque Gordiani Pii in eo lineamenta agnovisset, non dubitavit huic eum imperatori tribuere, cui forte placuerat, quia viam Trajanam refecerit, alterum se Trajanum velle videri, ac nominare etiam. Alia mihi sententia. Esse eum aetatis multo inferioris partum, facile mihi cum viro cl. convenit, sed non esse in eo propositum Trajanum, non continuo dedero. Ait, obstare nomina *Pii Felicis*, at constat, sequiore aevo nonnunquam defunctis principibus fuisse tributos titulos, quibus usi sunt principes successores. Sic idem Trajanus apud Havercampum in numo contorniato dicitur P. F d). Ad lineamenta quod attinet, erudito le Beau Trajanum fastidienti plane adversatur Mangeartus illata ejusdem numi mentione, *il n'est pas possible*, ait, *d'y méconnoître les traits de Trajan, pour peu qu'on veuille y faire attention.* Gordianum etiam in hoc numo inficiatur Harduinus, et Trajanum ipsum agnoscit, sed prave formatum e). Restitutam ergo serius munitae ejus a Trajano viae memoriam inserto etiam ejus capite dubitari nequit, quo modo et praecedentium Augustorum consecrationes imperator, quisquis ille fuit, renovavit, eorum quoque capitibus in moneta propositis, quae ipsa pariter a veris eorum lineamentis plerumque multum abludunt.

* * *

Alios hujus anni numos vide inter numos vagos consulatus V. post annum sequentem descriptos.

V. C. 864 *P. X.* 111.
TR. P. XIV. XV. COS. V. DES. VI.
P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. VI.
C. Calpurnio Pisone, M. Vettio Bolano cos.

Incerta iterum hujus anni acta. Tamen certos hujus anni numos habemus.

---

a) In Caesarib. b) de meth. med. L. IX. c. 8. c) B. L. Tom XXI. p. 347. d) Num cont. p. 102. e) ad Plin. T. I. p. 411.

IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. DES. VI. *Caput laureatum.*

AET. AVG. (*de qua epigraphe continuo*) PIET. *vel* VESTA, *vel: Victoria inscribens clypeo:* DACICA, *addito in singulis:* S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *typis congruis.* AR. (Mus. Caes.)

NVMI VAGI
consulatu V. notati.

Ingens est numorum Trajani copia, qui consulatum V. inscriptum praeferunt, sed certos characteres non habent, unde colligi possit, cui anno ex annis octo, quibus consul V. exstitit, numi sic inscripti sint inserendi. Ex infinita messe seligam tantum eos, qui insigniores, et eruditiores typos offerunt praemissa pro more inscriptionum capitis oeconomia.

A. IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Caput laureatum, in AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

C. IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. A.

AET. AVG. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Mulier stans d. caput Solis, s. Lunae.* AR. (Mus. Caes.)

Eandem aversam jam habuimus in aureis Vespasiani, et Titi. Romanos principibus suis adsignasse *Aeternitatem*, velut certam divinitatis notam, nimio constat. Ne cumulem generalia exempla, en tibi exemplum, quod ad Trajanum privatim pertinet. Scripsit ad Trajanum Plinius a), *Rogatus a Nicaeensibus publice per ea, quae mihi et sunt, et debent esse sanctissima, id est: per AETERNITATEM TVAM, salutemque, ut preces suas ad te perferrem etc.* Ejus imago veteribus fuere Sol, et Luna, quoniam, ut ait Mamertinus b), *quidquid immortale est, stare nescit, aeternoque motu se servat aeternitas.* Vide similem sententiam apud Pacatum c). At jam antiquissimis temporibus utrumque sidus aeternitatem signavit. *Thronus ejus*, inquit psaltes regius d), *sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum.* Sed et auctor est Diodorus Siculus e), Aegyptios vetustissimos mundum supra se contemplatos, et non sine stupore demiratos universi naturam existimasse, *ἐιναι δυο θεȣς αϊδιȣς τε και πρωτȣς τον τε ἡλιον, και την σεληνην, esse duos deos aeternos, et primos Solem, Lunamque*, quorum illum dixere Osirin, hanc Isidem. Sed de hoc gemini astri symbolo cum principibus Romanis comparato vide, quae plura adferemus ad numum Severi anni V. C. 955, cujus antica inscribitur: CONCORDIAE. AETERNAE.

a) L. X. epist. 87. b) in Genethl. Maxim. c. 3. c) in Panegyr. c. 10. d) Psalm. LXXXVIII. v. 38. e) Bibl. L. I. §. 11.

Vt lit. A.

ALIM. ITAL. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. *Imperator togatus stans dexteram extendit versus duas parvas figuras adstantes, s. volumen, ut videtur.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

Epigraphe similis addito S. C. *Mulier stans d. spicas, s. cornucopiae, adstat parva figura togata.* In aliis: *Imperator sedens dexteram extendit versus mulierem adstantem cum binis infantibus, quorum unum in ulnis gestat adstante altero.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Laudabilem Trajani curam alendae Italiae soboli impensam, tam auctores veteres, quam marmora, et numi testatam reliquere, tametsi idem meritum jam praeceperit pater Nerva, ut diximus ad hujus numum inscriptum: TVTELA. ITALIAE anni V. C. 850. Depraedicat in Trajano beneficium istud Dio, cum narrat a), Trajanum V. C. 852 in urbem reversum *reipublicae curam inprimis gessisse, sic ut civitatibus etiam Italiae multa largitus sit ad educationem liberorum*, deinde Plinius in Panegyrico, dum capite XXVI. et binis sequentibus conquisitos, conscriptosque infantes memorat, qui publicis sumptibus alerentur. *Paullo minus*, ait, *P. C. quinque millia ingenuorum fuerunt, quae liberalitas principis nostri conquisivit, invenit, adscivit. Hi subsidium bellorum, ornamentum pacis, publicis sumptibus aluntur, patriamque non ut patriam tantum, verum ut altricem amare condiscunt. Ex his castra, ex his tribus replebuntur etc.* Dictus fuit panegyricus anno V. C. 853, ex quo patet, Trajanum mox ab adito imperio tam praeclarae humanitati animum adplicuisse. Addimus extra causam, Plinium hanc principis sui liberalitatem non tantum oratoris more collaudasse, sed etiam imitatum, cum certam summam IN. ALIMENTA. PVERORVM. ET. PVELLARVM. PLEB. VRBAN. dedisse perhibetur in marmore apud Muratorium b), cujus praestitae liberalitatis meminit etiam in epistola ad Caninium c). Ad Trajanum ut revertar, lapis haud multo post statutus, nimirum intra annos V. C. 854 et 856, ut inscriptus consulatus IV. docet, vulgatusque a Muratorio d) eandem principis optimi liberalitatem commendat:

IMP. NERVAE. TRAIAN. AVG. GER. PONT. MAX. TRIB. POT. COS. IIII. P. P. NOMINE. PVERORVM. PVELLARVMQVE. EX. S. C. PVB. D. D.

aut, ut in simili apud Gruterum legitur e): NOMINE. PVERORVM. PVELLARVMQVE. VLPIANORVM. Proximum pro temporis serie monumentum, quod hanc Trajani beneficentiam comprobet, est insignis tabula aenea quantivis pretii, anno 1747 in agro Placentino eruta, lata pedes X S., alta pedes V S. pondere librarum DC., in quam commentati sunt Muratorius, et Gorius in opere Florentiae edito in folio anno 1749, et quae describitur a Sebastiano Donato in Supplem. ad nov. Thes. Muratorii Part. II. p. 437, in cujus exordio legitur:

a) L. LXVIII. §. 5. b) pag. 732. c) L. VII. ep. 18. d) pag. 230. 5. e) pag. 1084. 7.

OBLIGATIO. PRAEDIORVM. OB. IIS. DECIENS. QVADRAGINTA. QVA TVOR. MILLIA. VT. EX. INDVL GENTIA. OPTIMI. MAXIMIQVE. PRIN CIPIS. IMP. CAES. NERVAE. TRA IANI. GERMANICI. DACICI. PVERI PVELLAEQVE. ALIMENTA. ACCI PIANT. etc.

Ex titulo DACICI eruimus, tabulam hanc confectam inde ab anno V. C. 856. Ejus liberalitatis a Trajano in generis humani incrementum exercitae meminit etiam Spartianus [a]), atque ut ad numos redeam, factum istud comprobatur copiosis numis non modo in consulatu ejus V., sed etiam serius in VI. percussis, qui elegantes ad rei argumentum typos offerunt. Habemus ergo hanc Trajani liberalitatem per quinque postremos consulatus, sive ab anno V. C. 852 saltem usque ad 865 publicis monumentis consignatam, et nobilitatam. Coeptum a Nerva et Trajano beneficium principibus successoribus in exemplum abivisse, videbimus in numis Faustinae senioris inscriptis: PVELLAE. FAVSTINIANAE. Pium M. Aurelii institutum commendat marmor, quod dedicavere PVERI. ET. PVELLAE. ALIMENTARI. FICOLNENSIVM [b]), tum et *novae puellae Faustinianae* ab eodem principe nutritae [c]). Principis incerti meritum celebrat marmor a Muratorio editum [d]), quod hoc loco lubet totum restituere:

C. ALFIO. C. F. SERGIA.
CLEMENTI. MAXIMO. IV VIR. I. D.
AEDILIQ. PECVNIARVM
PVLICAR. Q. ALIMENTOR.
PVERI. ET. PVELLAE. QVI
EX. LIBERALITATE. SACRATIS
SIMI. PRINCIPIS. ALIMEN.
ACCIPIVNT. CONSENSV
PARENTVM. EX. AERE.
CONLATO.

Sed de praebitis cum a Trajano, tum successoribus alimentis vide plura alia apud Spanhemium [e]). Quaestores alimentorum qualis ex proximo marmore fuit C. Alfius, vel ut alibi vocantur, quaestores pecuniae alimentariae, plures ex lapidibus collegit Reinesius [f]).

* * *

Vt lit. B.

AQVA. TRAIANA. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *Genius fluvii intra antrum procumbens d. arundinem, s. urnam, ex qua aqua profluit.* AE. I. II. Obvius.

Trajanum aquis urbis Romae restituendis, corrigendisque magnam curam impendisse testem habemus locupletem Sex. Iulium Frontinum [g]). *Nec satis fuit*, inquit, *principi nostro* (Trajano) *ceterarum restituisse copiam et gratiam. Anionis quoque novi vitia excludi posse vidit.* Et postquam narrasset, qua is ratione excluserit vitia, concludit, *haec tam felix proprietas aquae, omnibus dotibus aequatura Marciam, copia vero su-*

a) In Hadriano. b) Marini Iscriz. Alban. p. 42. c) Capitolin. c. 26. d) pag. 469. 9.
e) Tom. II. p. 542. f) Syntagm. Inscr. T. I. p. 405. g) de Aquaed. art. 92. 93.

peratura, venit in locum deformis illius, ac turbidae, novum auctorem imperatorem Caesarem Nervam Trajanum Augustum praescribente titulo. Argumentum istud adhuc in Trajani consulatu VI. illatum est monetae, et quidem omnis metalli.

* * *

Vt lit. B.

CONGIARIVM. TERTIVM. S. C. *Typus congiarii solitus, retro tripus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Quo anno Trajanus tertiam hanc liberalitatem erogaverit, decidi nequit.

* * *

Vt lit. A.

COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. *typis variis.* AV. AR. etiam Quin.

Numi aurei, et argentei sic inscripti fuere ordinaria moneta per totum consulatum V. signata, sed quae certis annis adfigi nequit. Est hujus generis numorum ingens copia, neque minor varietas in typis manente eadem utrinque inscriptione. Hi plerumque sive ad victoriam Dacicam, et Arabiam adquisitam adludunt, sive varia numina, templa, symbolica etc. offerunt, quae singula recensere longum foret, et parum ad causam profuturus labor.

* * *

Vt lit. B.

PORTVM. TRAIANI. S. C. *Portus variis aedificiis ornatus, in cujus medio triremes.* AE. I. (Vaill. Mus. Farn. et Christinae.)

Tres sunt Italiae portus, qui hunc *portus Trajani* titulum vindicare sibi posse videntur, I. *Centum cellae*, hodie *Civita vecchia*, de quibus sic coaevus Plinius [a]): *Villa pulcherrima* apud hanc urbem *cingitur viridissimis agris, imminet litori, cujus in sinu fit cum maxime portus.* Et cum prolixe enarrasset rationem novi operis, addit: *habebit hic portus etiam NOMEN AVCTORIS.* II. Ostia ex vetere scholiaste Iuvenalis, qui ad hujus versus 76 et 77 Satyrae XII.

> *Tandem intrat positas inclusa per aequora moles,*
> *Tyrrhenamque Pharon, porrectaque brachia sursum,*

sic commentatur: Inclusa per aequora, *portum Augusti dicit, sive Trajani.* Porrectaque, *quia Trajanus portum Augusti restauravit in melius, et interius tutiorem SVI NOMINIS fecit.* III. Ancona, nam in arcu Trajani, qui integer adhuc exstat in portu Anconae, hoc legitur epigramma praemissis ejus titulis, et TR. POT. XVIIII [b]).

PROVIDENTISSIMO. PRINCIPI. SENATVS. P. Q. R. QVOD. ACCESSVM ITALIAE. HOC. ETIAM. ADDITO EX. PECVNIA. SVA. PORTV. TVTIOREM. NAVIGANTIBVS. REDDIDERIT.

Omnibus rite expensis verisimillimum videtur, hunc *portum Trajani* esse portum Centum cellarum, qui totus Trajani opus fuit, quemque diserte Plinius *habiturum nomen auctoris* testatur. Atque etsi Ostiensis etiam portus dicatur Trajani, levius tamen prae Pliniano est scholiastis testimonium, qui in veris nominibus potuit hallucinari, et ut illud demus quoque, verisimile non est, voluisse senatum in moneta praedicare por-

---

a) L. VI. epist. 31. b) Gruter p. 247. 6.

tum a Trajano tantum restauratum, auctumque, et negligere alterum Centum cellarum ab eo immensis sumptibus e fundamento excitatum. Multo minus intelligi poterit portus Anconitanus, quem amplificatum quidem a Trajano, et tutiorem redditum constat, at non ab eo appellationem traxisse.

Vt lit. A.

REST. ITAL. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. *Imperator togatus stans mulierem genu flectentem sublevat, versus quem duo puelli adstantes manus attollunt.* AV. et mutatis nonnullis AE. I. II. (Mus. Caes.)

Dubium non est, hoc typo innui alimenta, de quibus supra actum, soboli Italiae adsignata, eamque hac liberalitate restitutam.

Vt lit. C.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *Typis variis.* AE. I. II.

Numi cum hac epigraphe per hunc consulatum omnium maxime obvii, et quidem in omni metallo, et forma, et potiorem numorum Trajani partem constituunt. Typorum etiam prodigiosa varietas, plerumque ad victam Daciam adludentium. Ex omni grege binos digniores seligam.

Vt lit. B.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *Circus cum omni suo ornatu.* AE. MM. mod. et AE. I. (Mus. Caes.)

Factos a Trajano in Circum sumptus commemorat Dio a): *Hippodromo inscripsit: perfecisse se, ut populo Romano sufficeret; nam postquam damnum passus esset, majorem, et pulchriorem effecit.* Etiam Pausanias inter magnifica Trajani opera recenset hippodromum duorum stadiorum longitudinem aequans b). Fuisse eum delectatum varii generis spectaculis, iterato refert Dio c), et Plinius venationis studiosum testatur d). Neque alia de causa aetate sequiore tot crediderim ei dedicatos numos, quos *contorniatos* dicimus, in quibus missus Circenses, venationes etc. exhibentur, quam quod posteritati constabat, his eum studiis animi relaxandi causa fuisse delectatum. De Trajani in Circum maximum meritis vide paucis disserentem cl. Morcellum e).

* * *

Vt lit. B.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *Arcus pontis turri utrinque munitus, infra in undis navicula.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Plerisque visum, portum Trajani, de quo supra, non pontem horum numorum typo proponi. At imaginem accuratius consideranti facile patebit, esse opus arcuatum, et erectum, non horizontali sinu in portus morem curvatum, turrim quoque esse perviam, et instar portae, per quam pons possit adiri. Certi portus, quos in numis habemus, nimirum Ostiensis sub Nerone, et alter sub Trajano, longe alia sunt forma. Exhibet ergo arcus hic, velut pars totius, famigeratum Danubii pontem, de quo egi supra ad numum DA-

---

a) L. LXVIII. §. 7. b) L. V. c. 12. c) L. LXVIII. §. 10 et 15. d) Paneg. c. 81.
e) de Stilo Inscr. p. 69.

NVVIVS anni V. C. 858. Vide etiam judicium Fabretti de hujus numi typo [a]), tum similem typum in numis Severi ad annum V. C. 961.

Vt lit. B.

VRBS. ROMA. HETERNA. (*sic*) *Templum sex columnarum*, *ante quod sacrificium plurium figurarum.* AE. m. m. (Mus. Pisani.)

Illustris numus, si modo genuinus.

V. C. 865 *P. X.* 112.

TR. P. XV. XVI. COS. VI. P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. VI.

Trajano Aug. VI. T. Sextio Africano cos.

Trajanus hoc anno consul VI procedit. Ceterum nihil certum suppeditant annales.

A. IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum*, *in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum*, *in AE. I.*, *etiam radiatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A. in aliis, *ut lit. B.*

ALIM. ITAL.	S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *typis congruis*, *qui descripti*, *et explicati jam sunt in numis consulatus V.* AV. AR. AE. I. II.
AQVA. TRAIANA.	
ARAB. ADQ.	
PIET.	
VESTA.	
VIA. TRAIANA.	

Vt lit. B.

DACIA. AVGVST. PROVINCIA. S. C. *Mulier pileo patrio tecta rupi insidens d. spicas*, *s. signum militare*, *binis puellis in rupe adsidentibus*, *quorum hic spicas*, *ille botrum tenet.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Daciam a Trajano in provinciam redactam constitutis in ea colonis Dio, Eutropius, Victor, Suidas, aliique affatim tradidere. Neque istud confirmat modo numus praesens commatis Romani, sed etiam numi in ipsa Dacia inde a Philippo signati, inscriptique: PROVINCIA. DACIA. Mediobarbus numos similes jam in consulatu V. praecusos memorat. Verum tot, ac tanta sunt per illud opus extremae indiligentiae testimonia, ut ejus unius fide stari tuto non possit. Numi musei Caesarei, aliique certi, quos viderim, nonnisi consulatum VI. objiciunt. Haec si ita habent, videtur Dacia hoc demum anno rebus omnibus rite ordinatis, stabilitisque coloniis plenam provinciae Romanae formam indepta. Dicitur Dacia in his numis AVGVSTI. PROVINCIA, quia Augustis attributa fuit, non senatui, populoque, de qua divisione, et discrimine provinciarum egimus Volumine IV. Ad typum quod attinet, eum descripsi ex integerrimis musei Caesarei, cum in eorum descriptione varient alii. Rupes regionis naturam haud dubie exprimit, quam etiam hoc pacto descripsit Dio [b]). Statius Daciam saepe vocat *verticem*, vel *montem*, etiam absolute, v. c. in Equo max. v. 80.

tu tardum in foedera MONTEM
Longo Marte domas.

a) De Columm. Traj. p. 98. b) L. LXVIII. §. 8.

Botrus, et spicae ad soli fertilitatem alludunt.

Vt lit. A. in aliis, ut lit. B.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI, *typis variis.* AV. AR. AE. I. II.

Annus hic, et sequens hoc modo majorem monetae partem in omni metallo inscripsit.

V. C. 866 *P. X.* 113.

TR. P. XVI. XVII. COS. VI. P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. VI.

L. Publico Celso II. L. Clodio Crispino cos.

Columna cochlis Trajani exeunte hoc anno, aut priore sequentis parte dedicatur. (Vide, quae mox disseram.) Reliqua omnia incerta.

Huic anno applicari etiam possunt numi omnes ad annum praecedentem descripti. Addo insignes alios:

Vt lit. A., in aliis, ut lit. B. (Vide annum priorem.)

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. (*addito in aeneis* S. C.) *Columna cochlis, super qua statua imperatoris.* AR. AE. I. II.

En monumentum Trajani illustre, et in hodiernum diem in urbe aeterna superstes, nihilque ab longae aetatis injuriis passum, nisi quod insistens superne imperatoris statua exitium non evasit. Damnum ut sarciret Sixtus V. pontifex maximus, cum praestitisset ad numorum praesentium fidem aliud ibi Trajani simulacrum constituere, maluit divi Petri apostolorum principis signum aeneum eo loco collocare, magnopere mirantis, quid ad se insculptum per columnae aream bellum Dacicum, caedes ac tumultus, incendia, veteris superstitionis ritus pertinerent, et sic clarissimum istud opus in turpem hybridam transformare. Ejus scriptores veteres non pauci meminere. Obiter Dio [a]): *In foro columnam maximam collocavit.* Liberalius alii mensuram ipsam addunt. Eutropius altam pedes CXLIV. adserit [b]) Cassiodorus pedes CXL. [c]). P. Victor altam pedes CXXVIII. et habere intus gradus CLXXXV., fenestellas XLV. [d]) cum quo consentit auctor Notitiae imperii utriusque in descriptione Romae.

Stetit ingens haec moles in foro, quod aedificavit Trajanus ipse, et de se *Trajanum* appellavit, ut narrant Dio, et Eutropius [e]), cujusque mox infra imaginem ex numis intuebimur, atque ut addita inscriptio docet, quam continuo integram proponam, et iisdem paene verbis Dio [f]), fuit mensurae loco, ad declarandum, quantae altitudinis terra ex monte Quirinali, ut immensis ejus fori substructionibus locus esset, sit egesta. Opus anaglyphum, quo columna tota amicitur, ducta in modum cochleae, unde et *cochlis* dicitur, imaginum serie, sistit res a Trajano per utrumque bellum Dacicum egregie gestas, quas hic describere longum foret, et adiri potest Alphonsus Ciaconius, qui delineatas olim, ut fertur, ab ipso Raphaele Vrbinate, ejusque discipulis columnae hujus figuras commentario erudito illustravit, deinde Raphaelis Fabretti Syn-

---

a) L. LXVIII. §. 16. b) in Trajano. c) in Chronico. d) in Regione urb. VIII.
e) ll. cc. f) l. c.

tagma de columna Trajani, denique imagines aeri incisae, ab adcuratissimo Andrea Morellio ex gypseis formis depictae, quas olim Ludovicus M. magnis sumptibus ex ipso archetypo expressas deferendas Lutetiam curavit. Hae tabulae aeneae Gorii animadversionibus illustratae exstant ad calcem Tomi III. ejus operis, quod numos primorum XII. imperatorum ab eodem Morellio delineatos exhibet.

Tempus, quo mirandum hoc opus finitum, dedicatumque est, satis prope definit epigramma supra columnae ostium positum:

SENATVS. POPVLVSQ. ROMANVS. IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F. NERVAE. TRAIANO. AVG. GERM. DACICO. PONTIF. MAXIMO. TRI. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P. AD. DECLARANDVM. QVANTAE. ALTITVDINIS. MONS. ET. LOCVS. TANTis operiBVS *). SIT. EGE STVS

*) Ita post alios legendum recte contendit Fabrettus [a]), aliis aliter lacunam explentibus.

Praecipiente hoc epigrammate columna haec perfecta denique est, quando Trajanus trib. potestatem XVII. jam inchoavit, quod factum in autumno anni praesentis V. C. 866. Non ergo ejus dedicatio in anterius tempus dimoveri potest, neque etiam in multo posterius, quam priorem anni sequentis partem; nam, ut in Animadversione I. post hujus Augusti numos fuse probabimus, Trajanus anno sequente inter titulos suos adoptavit cognomen OPTIMI, quo cum nostrum epigramma abstineat, necesse est opus hoc absolutum, et epigraphen exaratam intra tempus sic definitum, de quo vide adhuc, quae ad sequentem annum inter numos consulatus VI. observabo.

V. C. 867 *P. X.* 114.

TR. P. XVII. XVIII. COS. VI. P. M. P. P. GERM. DAC. IMP. VI.

Q. Ninnio Hasta, P. Manlio Vopisco cos.

Incipit hoc anno in numorum antica titulus OPTIMO, *et desinit in horum aversa titulus* OPTIMO. PRINCIPI. *Vide Animadversionem I. post numos Trajani.*

Audito, Chosroen Parthiae regem Armeniam pulso Exedare dedisse Parthamasiridi, Trajanus ratus violata imperii jura, revera gloriae cupiditate motus in Orientem proficiscitur, bellum Parthis facturus [b]). Vide Animadversionem II. eodem loco exstantem.

A. IMP. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. NER. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GER. DAC. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

C. IMP. CAES. NER. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum, in AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

COS. VI. P. P. S. P. Q. R. *Columna cochlis, aliive typi.* AR. (Mus. Caes.)

a) De Columna Traj. p. 52. b) Dio L. LXVIII. §. 17.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. *Columna cochlis*, *aliive typi*. AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PROFECTIO. AVGVSTI. *Imperator eques d. hastam praecedente figura militari*, *et tribus sequentibus*. AV. (Mus. Caes.)

Alius, *sed antica*, *ut lit. C.* AE. I. (Vaill.)

Hos numos non esse signatos ante hunc annum, et in ejus aversa exhiberi Trajani ad bellum Parthicum profectionem, abunde per binas animadversiones ad calcem ejus numorum positas probabimus.

* * *

Vt lit. C.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS. S C. *Columna*, *super qua noctua*. AE. I. (Seguin Num. sel. p. 147. Ficoroni Piombi ant. p. 6. seq.)

Existimat laudatus Ficoronus, columnam in hoc numo propositam esse eandem, quae hodie in area curiae Innocentianae montis Cytorii humi procumbens conspicitur, et quae vulgo nunc honori Antonini Pii a M. Aurelio, et L. Vero dedicata fertur, ut dicemus in numis divi Antonini. Causam inde repetit vir eruditus, quod in imo ejus columnae scapo legitur epigramma Graecum, quod nomen Trajani, et operis architectum memorat. Quare existimat, monumentum unum ab altero mutua opera illustrari. Viderint istud eruditi Romani, qui, quae de dicto epigrammate feruntur, possunt ipsi explorare. Revera consultus a me cl. Zoëga in haec verba rescripsit: nemini jam in urbe dubium videri, columnam hanc Antonini honori fuisse dedicatam, praetensam autem epigraphen judice ipso Cajetano Marinio artis epigraphicae ante omnes peritissimo aliud non esse, quam rudes quasdam lapicidae notas, quibus columnae aut magnitudo, aut pondus indicatur, cujus generis notae eodem loco incisae jam etiam in aliis columnis sunt compertae. Haec et plura alia amicissimus Zoëga. Ceterum praesentis numi typum Seguinus recte ex numo Constantini M. explicavit, in quo videas noctuam cippo insistentem addita epigraphe: SAPIENTIA. PRINCIPIS.

* * *

Numi inscripti, ut in A. B. C. exhibuimus, non modo ad annum praesentem pertinent, sed eo usque differri possunt, dum denique Trajani titulis nomen PARTHICI accessit, ut deinceps videbimus.

NVMI ALII CONSVLATVS VI. quos verisimile est anno praesente signatos.

Cum inde ab anno V. C. 858 in numis Trajani omnibus epigraphe capitis in dandi casu, seu dedicationis ritu concepta sit, habentur numi consulatu VI. insignes, in quibus casus rectus rursum obtinet. Habent horum aversae *Forum Trajani*, *Basilicam Vlpiam*, et *Divos Nervam et Trajanum patrem*. Hic epigraphes modus, ac praeterea, quod id genus numi fere tantum in auro, et argento reperiuntur, opinari facit, eos jubente Trajano fuisse signatos, et cum dicta opera dedicaret, parentibusque suis illustriorem quendam honorem haberet, liberaliter in populum distributos. Facta haec verisi-

militer anno praesente, atque non multo ante quam ad bellum Parthicum exiret, sic ut videatur, non voluisse eum antea urbe egredi, antequam impositam operibus suis supremam manum, eaque dedicata ipse conspiceret. Non leve conjecturae robur addit omissus in horum antica titulus OPTIMI, quem infra in animadversione I. dicemus labente hoc anno collatum, et fere circa autumnum, quo etiam tempore ad bellum egressum diximus, sic ut hos numos serius signatos credibile non sit. Deinde cum constet, columnam cochlidem, quae in ipso Trajani foro stetit, circa idem tempus fuisse dedicatam, ut ad annum superiorem diximus, videtur eodem tempore ipsum etiam forum Trajanum, et basilicam, quae ejus quoque pars exstitit, dedicasse, ac tum demum omnibus his peractis ad bellum intentum egressus.

* * *

IMP. TRAIANVS. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum.*

FORVM. TRAIANI. *Aedificium perelegans statuis, columnis, tropaeis ornatum.* AV. (Mus. Caes.)

Numus hic insignis fabricae admirabile illud forum exhibet, cui ut locum planum, atque opportunum reperiret, Trajanus obstantem montem Quirinalem tanta altitudine, quanta columnae cochlidis est, jussit effodi, ut diserte Dio a), et cum ejus verbis plene conspirans epigramma ipsi columnae cochlidi insertum, quod integrum ad annum superiorem recitavi. Situm fuit in regione urbis VIII., ut testatur P. Victor b). Ejus architectum Dio alio loco prodit eundem Apollodorum Damascenum, qui et mirabilem pontem in Danubio fecit c). Ornatum fuisse undequaque simulacris hominum, equorum, et insignium militarium, non numus hic modo ostentat, verum et scriptum prodidere Pausanias d), et A. Gellius e), qui etiam addit, subscriptum fuisse: EX. MANVBIEIS., nimirum Dacico bello reportatis. Ammianus Marcellinus *ejus structuram etiam numinum assensione mirabilem, ejusque giganteos contextus nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos* vocat f), atque inter reliqua commendat statuam Trajani equestrem, quam ipsam exhiberi puto in ejus numis in consulatu VI. cusis. Sed et multo adhuc serius ejus magnificentiam praedicavit Cassiodorus, cum ait g): *Trajani forum vel sub assiduitate videre miraculum est.* Quin vel exeunte saeculo VIII. aerae Christianae tam spectabiles adhuc ejus fuere reliquiae, ut transiens illac Gregorius M. papa tantae substructionis admiratus consilium auderet supremum numen implorare, ut ab aeternis inferni poenis eximeretur Trajanus architectus, neque reluctantem piis votis deum experiretur, quam lepidam fabulam miremur a Paulo diacono primum fuisse adprobatam, deinde valgatam h).

Eadem epigraphe et caput.

BASILICA. VLPIA. *Porticus perelegans gradibus sublimis, et statuis exornata.* AV. (Mus Caes.)

---

a) L. LXVIII. §. 16. b) in Descript. urb. c) L. LXIX. §. 4. d) L. V. c. 12.
e) Noct. Att. L. XIII. c. 24. f) L. XVI. g) Variar. L. VII. form. 6. h) in vita S. Greg. M.

Basilica est amplior quaedam substructio ornata porticibus, columnis, signis, tropaeis, et magis adeo ad majestatem, et magnificentiam regiam, quam utilitatem seu publicam, seu privatam comparata, unde et nomen traxit, tanquam *aedes regias* diceres. Hoc ἐτυμον jus dedit Statio, basilicam Pauli uno vocabulo *regiae* significandi a):

Illinc belligeri sublimis REGIA Paulli.

Vetus illa, atque simplex respublica hac adhuc substructionum vanitate caruit, fatente ipso Livio ad annum V. C. 544: *neque enim tum basilicae erant* b). Non multo post auctis urbis opibus Cato basilicam a se Portiam dictam aedificavit, secutae aliae, quas in lexico suo enumerat Pitiscus. Inter has admirationi fuit basilica *Aemilia*, seu *Paulli*, cujus imaginem dedimus in numis gentis Aemiliae ad denarium inscriptum: AIMILIA. REF*ecta*, quem adi. Servierunt illae in varios usus. Narrat Plutarchus c): tribunos plebis populum in basilicam Portiam convocare fuisse solitos. Et Seneca d): *fremitu judiciorum basilicae resonant.* Alios earum usus vide apud laudatum Pitiscum. Basilicae nostrae, cujus auctor Trajanus, meminit Lampridius, cum narrat e), Commodum toga sumpta *in basilica Trajani praesedisse.* Et Vaillantius laudat Nicephorum narrantem f): *porro senatu in basilicam, quae Vlpia, convocato.* Huic numo jungendus alter similis:

IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum.*

BASILICA. VLPIA. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *Porticus similis.* AE. I. (Mus. Farn. Vaill. Mus. Christin.)

Vtriusque partis inscriptio valuit ab anno V. C. 865 usque ad 867 jam adultum, quo titulus OPTIMO in anticam est trajectus, ut superius pluribus comprobavi. Ergo illustris haec substructio etiam senatu jubente numis fuit illata, atque haud dubie postremo hoc anno V. C. 867, quo dedicatam hanc basilicam verisimile dixi, et antequam Trajanus OPTIMI titulum reciperet.

* * *

IMP. TRAIANVS. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum.*

DIVI. NERVA. ET. TRAIANVS. PAT. *Capita adversa Nervae laureatum, Trajani patris nudum,* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

DIVVS. PATER. TRAIANVS. *Caput Trajani patris nudum.* AV. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

DIVVS. PATER. TRAIAN. *Trajanus pater togatus sedens d. pateram, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

De Nerva consecrato satis dictum in hujus imperatoris moneta. Superest Trajanus pater naturalis in his numis propositus, qua occasione, quae de illustri hoc viro, et per filii claritudinem

a) Silv. I. 1. 29. b) L. XXVI. c. 27. c) in Caton. min. c. 5. d) de Ira L. III. c. 35. e) in Commodo c. 2. f) L. VII. c. 26.

multo illustriore sive auctores, sive monumenta prodidere, colligere juvat.

Hic patria Hispanus jam sub Nerone clarus exstitit. Nam a Fl. Iosepho memoriae proditum, a Vespasiano bellum cum Iudaeis gerente missum Trajanum legionis X. praefectum, qui Iapham expugnaret, qua in expeditione virtutem suam cumprimis probavit [a]). Idem alio etiam loco ejus meminit, cum Tito Taricheas oppugnanti subsidio missus est [b]). Ergo propter virtutem charus Vespasiano, qui mox imperium adeptus Trajanum consulem renuntiavit, cujus memoriam, fastis ejus nomen reticentibus, (nam suffectum eum fuisse dubium non est) conservavit Plinius junior, qui eum *consularem* vocat [c]). Videtur etiam tum inter patricios fuisse adscriptus, quoniam idem Plinius eodem loco patricium eum quoque appellat. Ex consulatu propraetore missum in Syriam, docemur numo insigni, qui editus exstat in museo Pembrock [d]), et jam antea cognitus Spanhemio [e]).

- - - IMP. PON. - - *Caput Titi laureatum.*

ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΕΚΡ. *intra coronam.* AE.

Perperam editor ejus musei Domitianum in antica exhiberi censet; nam quo tempore numus hic signatus est, nimirum V. C. 829, imperatoris titulum Domitianus non habuit, ad quem lapidem nolim offendisse ipsum etiam Belleyum, qui erudite de hoc numo disseruit [f]). At Titus jam inde ab anno V. C. 824 imperatoris nomine insignitus fuit. Causa vero dedicandae Tito monetae Trajano fuerit amicitia, atque conjunctio. Nam Iosephus utroque loco a me supra laudato Trajanum Tito adfuisse scribit. Quin in Iaphae obsidione, cum oppidani jam ad extrema essent redacti, Titum sibi a Vespasiano mitti postulavit, ut in eum captae urbis posset honorem transferre.

Ex anno epochae ΕΚΡ. certi sumus, numum hunc Antiochiae Syriae fuisse signatum inde ab autumno V. C. 829, ac praeterea certi sumus, quod ex nullo scriptore tenemus, Trajanum tum propraetore rexisse Syriam. Neque istud solum insigni huic cimelio debemus, verum etiam quod ejus aevi res in Syria gestas illustrat, ut copiose videri potest in laudata Belleyi dissertatione, ex qua in hac braevitate pauca solum excerpo. Plinius haec de Trajano Aug. praedicat [g]): *Nonne incunabula haec tibi, Caesar, et rudimenta, cum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres, nomenque Germanici jam tum mererere, cum ferociam, superbiamque Parthorum* *) *ex proximo auditus magno terrore cohiberes, Rhenumque et Euphratem admirationis tuae societate conjungeres.* Habemus ergo certum testimonium, Trajanum patrem contra Parthos stetisse, laurumque re bene gesta

---

a) Bell. Iud. L. III. c. 7. §. 31. b) l. c. cap. 9. §. 8 et cap. 10. §. 3. c) Paneg. c. 9. d) Part. III. tab. 87. e) Tom. II. p. 329. f) Mem. B. L. T. XXX. p. 271. g) Paneg. c. 14.

*) Pro *Parthorum* legendum esse *barbarorum* non inique conjicit Mathias Gessnerus in edit. Plinii Lipsiae 1770.

emeritum. Tempus vero, reliquasque peristases omnes ignoramus. Iam vero constat ex iis, quae in annalibus Vespasiani ad annum V. C. 828 observavi, et pluribus persequitur Belleyus [a]), circa istud tempus aliquid Vespasiano irarum cum Vologese Partho intercessisse. Cum igitur eo ipso tempore Trajanus teste numo fuerit praeses Syriae, isque a Plinio dicatur decoratus lauro Parthica, verisimile est, ejus belli curam a Vespasiano demandatam Trajano, eumque ex hoc ornamenta triumphalia adeptum, quoniam eum Plinius alio loco *triumphalem* quoque appellat [b]).

Trajanum ex praetura Syriae avocatum fuisse ad regendam pro consule Asiam, docet insigne marmor editum a Muratorio [c]), repertumque apud Laodiceam Phrygiae. Eo in monumento, quod Belleyum in indagandis ejus viri magistratibus fugisse videtur, haec leguntur:

ΤΙΤΩΙ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΩ. ΥΠΑΤΩ. ΤΟ. Ζ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΥ. ΥΙΩΙ. ΚΑΙ. ΤΩΙ. ΔΗΜΩΙ. ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΣ. ΛΥΚΙΟΥ. ΤΟΥ. ΝΕΙΚΟΣΤΡΑΤΟΥ. ΤΟΥΤΟΝ. ΛΙΘΟΝ. ΕΚ. ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. κ. τ. λ. ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝΤΟΣ. ΤΟΥ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΤΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ.

Tito Caesari Augusto Vespasiano cos. VII. imperatoris Vespasiani F. et populo Nicostratus Lycii F. Nicostrati N. hunc lapidem suis sumptibus erexit etc. Dedicavit Trajanus procos.

Idem marmor vidit, ediditque Chandlerus [d]), sed qui postrema vocabula plenius sic legit: ΚΑΘΙΕΡΩΣΑΝΤΟΣ. ΜΑΡΚΟΥ. ΟΥΛΠΙΟΥ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. Ex quo adeo certi sumus, marmoris hujus Trajanum fuisse ex gente Vlpia. Ex inscripto Titi consulatu VII. manifestum est, lapidem hunc dedicatum anno V. C. 832, et quidem ejus altero semestri; nam Titus primum ex ante diem IX. Kal. Iul. ejus anni dictus est Augustus. Inique dubitat Muratorius, an nomine *Trajani proconsulis* in hoc lapide memorati indicetur Trajanus postea dictus Augustus, an ejus pater. Constat Trajanum filium anno V. C. 832 annos fuisse natum nonnisi XXVI., quae aetas muneri proconsulari matura non fuit, atque ipse anno demum V. C. 844 consul primum processit. Ergo lapis hic sine dubio ad Trajanum patrem pertinet, eumque Asiae fuisse proconsulem evincit. Quid eo deinceps factum, et quo anno, quave morte obierit, incompertum. Satis constat, quo tempore Plinius panegyricum dixit, nimirum anno V. C. 853, eum in vivis non amplius fuisse, ut patet ex ejus capite 89.

Quem ex Plinio *patricium*, *consularem*, et *triumphalem* vidimus [e]), et ex numo, et marmore rectorem primum Syriae, deinde Asiae, praesentes numi Latini Trajani jussu signati *divum* faciunt, quod reticuere scriptores, alterumque istud post Domitillam Vespasiani uxorem habemus exemplum hominis inter coelites relati, qui privatus mortuus est. Quo

a) L. c. pag. 282. b) Paneg. c. 9. c) pag. 446. 3. d) Inscr. ant. pag. 30. e) Paneg. c. 9.

anno Trajanus in patrem pius hos ei honores decreverit, incertum. Anno V. C. 853, quo dictus est Plinii panegyricus, humanitatem nondum exuit; nam sic de eo Plinius a): *sed et tu, pater Trajane (nam tu quoque, si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem)* - - - *Macte uterque* (Nerva et Trajanus pater) *ingenti in remp. merito, cui hoc tantum boni contulistis. Licet alteri vestrum filii virtus triumphalia, coelum alteri dederit* - - - Ex quo patet, tum adhuc Trajanum Aug. patri statuas triumphales, et ornamenta quidem, sed nondum coelum decrevisse, etsi jam consecrato patre adoptivo. Quoniam numi hi eandem habent aetatem, eandem etiam rationem inscriptionis anticae, quae est in numis *Fori Trajani*, et *Basilicae Vlpiae*, verisimile est, Trajanum eo tempore, quo forum suum dedicavit, novos quosdam honores Nervae jam consecrato addidisse, constituta forte in foro aede sacra, atque eosdem honores cum naturali suo patre communes esse voluisse. Fingitur Trajanus pater sine laurea, ut privatus distingueretur a Nerva imperatore.

* * *

Vt lit. A.

VIRTVTI. ET. FELICITATI. *Virtus, et Felicitas stantes cum attributis.* AV. (Morelli Specim. tab. V.)

Non pudebat magnas, et illustres animas, res suas praeclare gestas non uni tribuere virtuti, sed etiam felicitati acceptas referre. Hoc ingenio fuere summi veteris aevi viri, inter Graecos Timoleon, inter Romanos Sulla, de quibus vide Plutarchum.

IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum, in AR.*
IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum, in AE. I.*

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. (*addito in AE.* S. C.) *Imperator in lento equo d. hastam.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Est haec haud dubiae statua illa equestris, quam profusa cum laude praedicat Ammianus b). Narrat, Constantium II. Romam profectum, cum inter alia Romanae magnificentiae opera admiraretur forum Trajani, et simile quid moliri se posse desperaret, saltem *Trajani equum locatum in atrii medio, qui ipsum principem vehit, imitari se velle dicebat, et posse. Cui prope adstans regalis Hormisda, cujus e Perside discessum supra monstravimus, respondit gestu gentili, ante, inquit, imperator stabulum tale condi jubeto, si vales: equus, quem fabricare disponis, ita late succedat, ut iste, quem videmus.*

V. C. 868 *P. X.* 115.

TR. P. XVIII. XIX. COS. VI. P. M. P. P. OPTIM. GERM. DAC. IMP. VII. VIII. IX.

L. Vipstano Messala, M. Vergiliano Pedone cos.

Antiochiae Syriae ingenti terrae tremore fere oppressus motis in vere castris Armeniam invadit, eamque totam

a) Cap. 89. b) L. XVI. c. 10.

subigit exacto Parthamasiri Partho, et imposito praeside Romano. Transgressus in Mesopotamiam multa oppida capit, et *Parthicus* a militibus dicitur a).

A. IMP. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. *Caput radiatum*, *in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. NER. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GER. DAC. *Caput laureatum*, *in AV. et AR.*

C. IMP. CAES. NER. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum*, *in AE. I.*, *etiam radiatum in AE. II.*

Numi sic inscripti tum ad partem anni praecedentis, ex quo *Optimi* titulum Trajanus adoptavit, tum ad praesentem pertinent. Tamen sequentes ad annum, in quo sumus, certo referendi.

Vt lit. A.

IMPERATOR. VII. *Imperator sedens in suggestu adstantibus duabus aliis figuris*, *infra milites cum signis militaribus*, *quorum aliqui manus attollunt.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

IMPERATOR. VIII. *in aliis:* VIIII. S. C. *Typus similis.* AE. I. (Mus. Caes.)

Fuisse Trajanum hoc anno imperatorem VII. et VIII., hi numi comprobant. De IX. nonnihil ambigi potest, de quo videatur infra, quo loco de titulo *imperatoris*, et causa iterationis agam. Typus offert imperatorem suos adloquentem milites, et horum una adsensum juxta id, quod indicat Lucanus b):

His cunctae simul adsensere cohortes,
Elatasque alte quaecunque ad bella vocaret,
Promisere manus.

Vt lit. A.

REX. PARTHVS. *Imperator in suggestu sedens*, *cui adstat praefectus praetorio*; *in imo rex Parthus supplex*, *et militibus circumdatus.* AV. (Morelli Specim. p. 59. Vaillant. Spanheim T. II. p. 580.) Similem AE. I. profert etiam Vaillantius in Num. praest.

Praeclare numum hunc explicat, et illustrat Morellius ex Dione narrante c), Armenia hoc anno capta Parthamasirin ejus regem ex Arsacidarum sanguine ad Trajani colloquium admissum. Sedisse pro tribunali imperatorem, et accedentem Parthamasirin diadema sibi detractum ad Trajani pedes posuisse. Quo facto cum clamorem milites sustulissent, quod regem Arsacidam Pacori filium adstantem sine diademate velut captivum viderent, regem perterritum se convertisse, velut qui effugium circumspiceret. Verum ubi se militum corona septum vidit, deprecatum fuisse, ne quid in turba dicere cogeretur etc. En omnem hanc narrationem ad numi imaginem exactam. Imperator pro tribunali, rex supplex absque diademate, vel tiara, et ipse dictus REX. PARTHVS, sive quod, ut asseverat Dio, ex sanguine Arsacidarum fuit, sive quod pulso Exedare Armeniae a Parthis rex datus est, ut dixi in annalibus anni praecedentis; adstat etiam militum corona Dioni memorata. Hae igitur peristases omnes consentiente etiam Spanhemio Morellii judicium rite confir-

a) Dio L. LXVIII. §. 18 seq. b) L. I. v. 386. c) L. LXVIII. §. 19.

mant. Recte igitur Morellius contra Vaillantium arguit, regem in hoc numo propositum, sive Parthamasirin, esse diversum ab eo, qui in numis sequentis anni proponitur inscripto REX. PARTHIS. DATVS, sive Parthamaspates, quem Trajanus Parthis regem praefecit. Vaillantii sententiam ipsa capitis epigraphe, sed quam is malo suo in consilium raro adhibuit, evertit. Si rex hujus numi esset rex Parthiae, a reliquis Trajani titulis non abesset titulus PARTHICI, quem capta Parthia obtinuit, et qui nunquam abest in numis, in quibus facta Parthiae jactantur, et adest constanter in numis inscriptis REX. PARTHIS. DATVS, et anno sequente signatis. Hic titulus cum absit, sitque epigraphe capitis talis, qualis anno praesente viguit, certum est, percussum numum, antequam Trajanus Parthiam tentasset, ergo anno praesente, quo ipso istud Parthamasiris factum contigisse diximus.

V. C. 869 *P. X.* 116.

TR. P. XIX. XX. COS. VI. P. M. P. P. OPTIM. GERM. DAC. IMP. X. XI.

L. Aelio Lamia, Aeliano Vetere cos.

Incipit PARTHICVS.

Assyriam intrat, et accepta in fidem Ctesiphonte *imperator* appellatur confirmato PARTHICI cognomine. (Vide infrà commentarium ad hunc titulum.) Ad Oceanum penetrat. Redux Ctesiphonte Parthamaspatem Parthiae regem designat. Arabiam inter Tigrim, et Euphratem sitam tentat a).

A. IMP. CAES. NER. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GER. DAC. PARTHICO. P.M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum, in AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

B. IMP. CAES. NER. TRAIAN. OPTIM. AVG. GERM. DAC. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

C. IMP. CAES. NER. TRAIAN. OPTIM. AVG. GER. DAC. PARTHICO. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

D. IMP. CAES. NER. TRAIANO. OPTIMO. AVG. GERM. *Caput radiatum, in AE. II. III.*

* * *

Vt lit. A.

ARMENIA. ET. MESOPOTAMIA. IN. POTESTATEM. P. R. REDACTAE. S. C. *Imperator paludatus stans d. hastam, s. parazonium inter duos fluvios, et mulierem pileo Armeniaco tectam humi considentes.* AE. I. (Mus. Caes.)

Sunt isthaec facta anni prioris, ac praesentis. Indicat Armeniam mulier pileo patrio tecta, qualis etiam conspicitur in numis Augusti inscriptis: ARMENIA. CAPTA. Mesopotamiam notant fluvii duo, nimirum quae Euphrate, et Tigri comprehensa, ἐν μεσῳ των ποταμων, inde nomen abstulit. Ovidius, quo loco Caii Caesaris Agrippae F. triumphum de Parthis, sed irrito augurio, praesagit, et quae tum procedent fercula, symbola captarum regionum, urbiumque, sequentes etiam admiscet versus hunc numum illustrantes b):

a) Dio L. LXVIII. §. 26. b) Artis amat. L. I. v. 223.

Hic est Euphrates praecinctus arundine frontem,
Cui coma dependet caerula, Tigris erit.
Hos facito Armenios, haec est Danaeia Persis,
Vrbs in Achaemeniis vallibus ista fuit.

Vt lit. D.

DAC. PARTHICO. P. M. TR. POT. XX. COS. VI. P. P. *Corona querna, intra quam* S. C. AE. II. III. (Mus. Caes.) AR. (Khell. Supplem. ad Vaill. p. 54.)

Occurrit rursus numerus trib. potestatis, qui inde a tribunatu VII. ex Trajani moneta exulavit. Similis, sed argenteus citatur a Khellio.

* * *

Vt lit. C.

PARTHIA. CAPTA. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. *Tropaeum, hinc et illinc captivus sedens.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PARTHICO. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. *Caput Solis radiatum,* in aliis *varii typi alii.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Caput Solis Orientis est symbolum a Trajano subacti, quod satis declarant tot numi alii inferioris aevi inscripto: ORIENS. AVG., et typo Solis.

Vt lit. C. in AV., ut lit. A. in AE.

REGNA. ADSIGNATA. *Imperator sedens in suggestu adstantibus duabus aliis figuris, infra tres viri, quorum prior dexteram porrigit tanquam aliquid accepturus.* AV. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

REX. PARTHIS. DATVS. S. C. *Imperator paludatus sedens in suggestu adstante alia figura novo regi Parthiae infra stanti diadema imponit, quem mulier pileo Parthico tecta flexo genu veneratur.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vtriusque numi argumentum cum nomini Romano, tum Trajano ipsi gloriosum. Praeclarum hunc imperatorem in Oriente non Parthis modo, sed aliis etiam populis dedisse reges, alios in fidem accepisse, et confirmasse, aliorum lites composuisse, ex Dione, Eutropio, aliisque novimus. Alterum numum eximie illustrat Dio [a]). *Itaque*, ait, *ut Ctesiphontem venit, Romanis omnibus, Parthisque, qui tum aderant, in magnam planitiem congregatis, conscensoque alto tribunali Parthamaspatem imposito ei diademate Parthis regem praefecit.* In numo alio, inscripto: REX. PARTHVS, non proponi Parthamaspatem Parthiae, sed Parthamasirin Armeniae regem, in numis anni superioris animadverti.

Vt lit. C.

VOTA. SVSCEPTA. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. S. P. Q. R. *Imperator togatus stans ante aram, ex adverso mulier d. pateram, s. cornucopiae sacris operans.* AV. (Mus. Caes.)

Primum nunc comparent *vota*, quae fuisse decennalia magis ex numis sequentium imperatorum patebit. Haud dubie haec celebrata fuerint circa initium Novembris, quando Trajanus trib. potestatem XX. inivit.

a) L. LXVIII. §. 30.

V. C. 870 *P. X.* 117.

TR. P. XX. COS. VI. P. M. P. P. OPTIM. AVG. GERM. DAC. PARTH. IMP. XI. XII.

Quinctio Nigro, C. Vipstanio Aproniano cos.

Ex Arabia redux in morbum incidit, quo ingravescente commissa Hadriano tum Syriae praesidi exercitus cura Romam redit, sed in itinere Selinunte Ciliciae ex aqua intercute exstinguitur primis mensis Augusti diebus aetatis anno LXI. secundum alios LXIV. [a]). Eutropius et Cassiodorus eum mortuum esse apud Seleuciam Isauriae scripsere, quos male Pagius in Critica ad hunc annum refutat ex numo Trajani, quem dedit Mediobarbus, in cujus aversa legitur: SELINVNTEM, quem numum esse confictum jam satis constat. Cineres aureae urnae inclusi columnae ejus cochlidi illati sunt [b]).

Vir fuit ad tantum imperium regendum natus, credebaturque post atrocia priorum Caesarum exempla orbi terrarum divino quodam munere missus. Nam quod extraneus erat domui Nervae, neque Italiam patriam habuit, nullum illi jus ad id fastigium praesto fuit. Sane in nullo alio laudando magis fuit eloquens, et unanimis antiquitas. Non alienus modo ab omni crudelitate, sed ultro in bonum quemque beneficus, indulgentia, justititia, facilitate, affectu in senatum populumque, veterem visus est libertatem restituisse, atque eo nomine *Optimi* cognomen communi consensu est promeritus. Vt in vita privata parcus, ac modicus, sic in sumptibus faciendis, cum id respublica, aut Romani nominis majestas, aut ipsa pacis ornamenta postularent, magnificus fuit, ac liberalis. Ejus in muniendis viis, aedificandis portubus, excitando Romae foro amplissimo, sternendis pontibus molimina fidem prope superantia ex ipsis numis vidimus. In bello manu consilioque promptus militis, ducisque munia omnia obivit, ejusque auspiciis crevit res Romana adjectis ad septemtriones Dacia, ad Orientem Armenia, et Mesopotamia. Hic tantus vir vitiis non caruit. In vinum, ac puerorum amores praeposteros pronus fuisse fertur, gloriae etiam appetentior, quam, alio obtentu, veram exstitisse suscepti in Oriente belli causam testatur Dio [c]); quodque passim videre erat ejus titulos aedibus inscriptos, eum Constantinus M. *herbam parietariam* dicere consuevit [d]). Trajecturum se etiam in Indiam Alexandri M. exemplo adfirmabat, si adhuc per aetatem suam liceret [e]), etsi tantas jam cis, et ultra Euphratem regiones occupaverat, quantas propter earum distantiam, et malam populorum fidem retineri posse spes nulla adfulgebat, quasque paullo post Hadrianus meliore consilio abjiciet. Ejus memoriae principis delatum est, ut deinceps principibus a senatu adclamaretur: *felicior Augusto, Trajano melior* [f]).

a) Dio L. LXVIII. §. 33. et Reimarus in subjecta nota. b) Dio L. LXIX. §. 2. Victor in Epit. Eutropius, Cassiodorus, Iornandes in Trajano. c) L. LXVIII. §. 17. d) Victor Epit. Ammianus L. XXVII. e) Dio L. LXVIII. §. 29. f) Eutrop.

* * *

Numi superiore anno indicati ad hunc quoque annum fere omnes possunt referri.

DIVVS TRAIANVS.

Trajanum coelitum numero adscriptum testantur numi, tum marmorum numerus ingens, ac scriptores, quos inter cumprimis legendus Spartianus [a]), qui etiam dedicati Trajano templi meminit.

* * *

DIVO. TRAIANO. PATRI. AVG. *Caput laureatum.*

IMP. CAES. TRAIAN. HADRIAN. OPT. AVG. G. D. PART. *Caput Hadriani laureatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

DIVVS. TRAIANVS. PATER. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

IMP. HADRIAN. DIVI. NER. TRAIAN. OPT. FIL. REST. *Hadrianus stans ad aram sacrificat.* AR. (Mus. Caes.)

Posteriorem hunc denarium rarissimum jam exhibui in tractatu de numis restitutionum Vol. V. p. 100. Hactenus nonnisi ex museo d'Ennery cognitus fuit, sed idem anno praesente gazae etiam Caesareae accessit repertus inter denarios imperatorios bis mille sexcentos in agro Novocileiensi Styriae. Quam graviter is quoque doctrinam eruditi le Beau de numis inscriptis REST. feriat, colligi potest ex iis, quae eodam loco copiose exposui.

* * *

DIVO. TRAIANO. PARTH. AVG. PATRI. *Caput laureatum.*

Phoenix. AV. (Mus. Caes.)

Phoenix aeternitatis symbolum, quemque propterea *aeternam avem* dixit Claudianus [b]), nunc primum in hoc Trajani consecrati numo comparet, et comparebit saepius deinceps ad notandum *saeculum aureum*, ac praecipue *felicem temporum reparationem*, quae primum occurrit in numis Constantis Constantini M. filii, quos vide.

DIVVS. TRAIANVS. PARTH. PATER. *Figura virilis togata sedens d. ramum, s. hastam.*

Aversa Hadriani. AE. I. (Vaill.)

DIVO. TRAIANO. PARTH. AVG. PATRI. *Caput laureatum.*

TRIVMPHVS. PARTHICVS. *Trajanus in quadrigis triumphalibus d. sceptrum cum aquila, s. ramum.* AV. (Mus. Farn.)

Eximium hunc, et rarissimum numum insigniter illustrat Spartianus his verbis [c]): *Cum triumphum ei* (Hadriano) *senatus, qui Trajano debitus erat, detulisset, recusavit ipse, atque imaginem Trajani curru triumphali vexit, ut optimus imperator ne post mortem quidem triumphi amitteret dignitatem.* In hanc sententiam etiam Victor [d]). Hujus triumphi meminit etiam opus anaglyphum, quod aeri incisum sistit Fabrettus [e]), et in quo proponitur M. ANTONIVS. EXOCHVS gladiator, qui adeptus est palmam in ludis institutis OB. TRIVMPhum DIVI. TRAIANI, nisi forte, quoniam monumentum illud non videtur

a) In Hadriano. b) Carm. XLV. v. 63. c) in Hadriano. d) in Epit. e) de Colum. Traj. p. 256.

Trajani triumpho coaevum, sed artis multo posterioris, legendum potius: OB. TRIVMP*hales* DIVI. TRAIANI, nam ex Dione constat [a]), imperatori Trajano vita functo spectacula fuisse a senatu decreta, quae *Parthica* sunt appellata, et celebrata per multos annos, tandem peragi desivere. Quae Dio Parthica dicit, eadem haud dubie sunt, quae vetus Kalendarium a Lambecio ex bibliotheca Caesarea editum vocat TRIVMPHALES, et adfigit ad XIV. Kal. Octobres, qui dies reipsa fuit natalis Trajani. Vt adeo certum videatur, certamina haec PARTHICA, seu TRIVMPHALIA ob Trajani hunc *triumphum Parthicum* fuisse a senatu ad hunc Trajani natalem fixa, et quotannis renovari solita. Vnde et causam petendam existimo, cur tanto numero exstent contorniati Trajani imagine insignes, nimirum distributi inter ludos novorum triumphalium causa actos, ac conjici propterea etiam posse, hos triumphales nequaquam, ut narrat Dio, celebrari desitos, nisi forte ejus aetate neglecti, serius cognito in spectacula Romanorum adfectu restitui coepere.

DIVO. NERVAE. TRAIANO. AVG. *Protome Trajani.*

S. P. Q. R. DIVO. TRAIANO. PARTHICO. *Aurora d. facem luculentam, s. palmam tenens in curru, quem leo et aper juncti trahunt; praecedit Hercules nudus d. clavam super humero.* AE. max. mod.

Praestantem hunc numum singularis typi causa nequaquam negligendum censui, etsi videam, a nonnullis eum in contorniatis putari, de quo vide Havercampum [b]). Apta allegoriae dispositio, tum et anticae cum aversa nexus, quem vix unquam in toto contorniatorum agmine reperias, faciunt, ut non gravate adsentiar Havercampo, eum ex vili eorum classe eximenti. At non satisfaciunt, quaecunque ad eum explicandum sive Erizzus, sive Tristanus, sive postremum Havercampus aliena sane, et longe arcessita attulere. Enimvero Triumphum Aurorae duce Trajano, novo Hercule procuratum, victis barbaris, velut monstris, ad jugum adactis verum video illustris hujus cimelii argumentum. Facile est evincere, figuram curru vectam esse Auroram, non vero, quod aliis visum, seu Victoriam, seu Dianam alatam. Ex lege communi Aurorae tantum et alae, et fax competunt. Alatam habes in Denariis gentis Plautiae, facem praefert in insigni numo Alexandrino cum capite L. Veri, quem olim edidi [c]). Atqui vetus mos, terras in ortum sitas Solis, vel Aurorae imagine adumbrare. Sic in numis aureis Trajani, signatis, ex quo ad bellum Parthicum profectus est, saepe videas caput Solis, et quo tempore L. Verus bellum cum Parthis gessit, signatus est Alexandriae numus, quem mox citavi, typo Aurorae, et adscripto HΩ, quod vocabulum Graecis *Aurora* est. Denique in numis inde ab Aureliano signatis perpetuum est: ORIENS. AVG. typo Solis. Iam vero in omnibus his monumentis Sol, sive Aurora orbis situm indicant, qui principibus et belli, et laudis materiem suppeditavit. Atque ex hoc more Virgilius quoque gentes

a) L. LXIX. §. 2. b) de Contorn. p. 93. c) Sylloge I. p. 72.

in ortum sitas vocat *Aurorae populos*, vel vires *Orientis* [a]). Non minus eleganter leo Nemeaeus, et aper Erymanthinus currum subire jussi indicant Parthos ab novo Hercule victos, tanquam monstra orbi Romano exitialia, et modo servire jussa. Sic et Sesostriem invectum publice legimus junctis currui triumphali regibus, quos bello vicerat [b]). Praeclare ergo numus hic et vindicatum a Parthis Orientem, et hos servituti subjectos, et ipsum vindicem Trajanum ob oculos ponit, atque hac de causa omissis aliis ejus titulis Germanici, et Dacici solus *Parthici* inscriptus legitur. Signatus est haud dubie occasione triumphalium, quae Trajano post mortem fuisse decreta, continuo diximus.

* * *

Numum: DIVIS. PARENTIBVS, aliosque, huc adhuc pertinentes vide infra in numis Plotinae.

* * *

DIVO. TRAIANO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila expansis alis*, in aliis: *Ara ignita*. AR.

Sunt ex argento impuro, neque Trajano coaevi, sed multo signati serius. Quis eorum fuerit auctor, inquiretur in tractatu de numis consecrationum.

Numi restitutionum.

Horum unum argenteum restitutore Hadriano dedimus paullo supra inter numos divi Trajani, tum et in tractatu de numis restitutionum.

De numis aeneis III. formae.

Supra ad calcem numorum Domitiani monui, hujus, et consequentium proxime imperatorum aetate signatos numos aeneos III., ac etiam IV. formae, in quorum antica eorum capita, aut saltem epigraphe sistitur. Hujus generis complures cum Trajani capite habentur, videnturque flati sub initio ejus imperii, nam plerumque GERM*anici* tantum, raro DAC*ici* titulum addunt. In aversa varii sunt typi, addito semper, quo Romanorum esse monetam agnoscas, S. C., ut: *lupa*, *aper*, *clava*, *Diana venatrix*, *Hercules*, *caduceus*, *etc.*

At sunt etiam similes aenei, qui imperatoris neque caput, neque epigraphen exhibent, verisimiliter autem inde a Vespasiano usque ad Hadrianum percussi sunt, quorumque hic meminisse videtur opportunissimum. Habent ii plerumque in superficie adversa caput numinis cujuspiam, in aversa praeter constans S. C. ejus proprium attributum. Sic:

Caput Iovis. ✠ *Fulmen*, vel: *Aquila fulmini insistens.*

Caput Martis. ✠ *Thorax*, vel: *Tropaeum.*

Caput Palladis. ✠ *Noctua.*

Caput Apollinis. ✠ *Tripus.*

Caput Tiberini. ✠ *Lupa cum gemellis lactentibus.* Hunc numum ex museo Caesareo edidi, et explicavi in mea Sylloge I. p. 100.

Pileus alatus Mercurii. ✠ *Caduceus.*

Gryphus pede anteriore rotae impo-

a) Aen. VIII. 686. 687. b) Diodor. L. I. §. 58.

sito. ✗ *Tripus.* Vtrumque istud attributum est Apollineum, quo modo attributa numi praecedentis sunt Mercurii. Fuit gryphus Nemesi quidem sacer, et sic etiam perinde cum rota huic deae adstituitur, ut diximus in numis Smyrnae Ioniae. At illum Apollo quoque sibi vindicat, ut in hoc numo certe ad Apollinem refertur propter tripodem in aversa positum. Significat igitur rota, gryphos junctos fuisse Appollinis currui, ut diserte docet Claudianus [a]), et numi Aureliopolis Lydiae.

Numi commatis peregrini.

Copiosos habemus hujus classis numos in urbibus Graecis signatos. Multi etiam exstant ex argento puro, et maximae etiam multi formae, ut: COM. ASI. ROM. ET. AVG. signati Pergami Mysiae. — DIAN. PERG. signati Pergae Pamphyliae. — COS. II. *Fasciculus sex spicarum*, urbis non satis certae. Vulgavit numos similes Vaillantius in numis suis praestantioribus. Vide etiam, quae de his in numis Nervae commatis peregrini diximus.

ΔΙΚΤΥΝΝΑ. ΚΡΗΤΩΝ. De numis his argenteis egi in moneta Cretae in genere.

Sed et in moneta Trajani peregrina insignis est numerus numorum argenteorum I. et III. formae, quin et aeneorum, in quorum aversa perpetua est epigraphe ΔΗΜΑΡΧικης ΕΞουσιας ΥΠΑΤος, addito constanter numero consulatus, non semper tribuniciae potestatis. Quoniam in his urbis, vel regionis nomen non additur, eorum patriam necessario ignoramus, nisi cum typi aut certum, aut saltem verisimile indicium suppeditant. Operae pretium, certos ab incertis secernere, atque istud hoc loco a me fieri ad meum institutum plane pertinet propterea, quia, quod patriae mentione abstinent, locum certum, sibique debitum in parte I. hujus operis habere non poterant. En utrorumque catalogum:

Numi inscripti: ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. *quorum patria certa, aut verisimilis.*

Epigraphe, et caput Trajani.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. - - ΥΠΑΤ. - *Typi:*

Caput Herculis laureatum. AR. I.

Aquila clavae insistens, juxta lauri ramus. AR. I.

Mulier velata et turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens. AR. I.

Sunt hi numi haud dubie Antiochiae Syriae, in cujus eos moneta plene descriptos, et explicatos reperies.

ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙϹ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚ. *Caput laureatum.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. ς. *Diana Pergensis in templo distylo.* AR. II. (Mus. Caes.)

Est Pergae Pamphyliae. Sub Nerva, et paullo supra sub Trajano dedimus numos cum epigraphe: DIANA. PERGENSIS, et simili typo.

Eadem epigraphe et caput.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟ. ς. *Figura paludata d. hastam insistens Argaeo monti.* AR. III. (Vaill.)

Est haud dubie Caesareae Capadociae propter insculptum montem Argaeum. Vide hujus numos.

a) De VI. consulatu Honorii. v. 30.

ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. ΓΕΡΜ. *Caput laureatum.*
ΔΗΜ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. Β. *Duae lyrae, quibus insistit noctua.* AR. III. (Mus. Caes.)

Similis aversa habetur in numis Lyciorum, quos adi.

* * *

Numi inscripti: ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤ. *quorum patria incerta.*

Arabia stans d. ramum, s. calamum. pro pedibus camelus. AR. I. et III. (Vaill. Mus. Caes. Khell Subplem.)

Typus sumptus ex numis Trajani Romanis inscriptis ARAB. ADQ., secundum quos adeo quaecunque ea urbs Trajano *Arabiam adquisitam* gratulatur.

* * *

Fortuna stans. AR. I. (Theupoli.) AR. III. (Mus. Caes.)

Fasciculus sex spicarum. AR. I. (Vaill.)

Aquila legionaria inter duo signa militaria. AR. I. (Vaill.)

Caput mulieris pectore tenus d. sagittam. AR. I. (Theupoli.)

Caduceus. AR. III. (Mus. Caes.)

Libertas stans. AR. III. (Vaillant.)

Mulier stans d. spicas, s. hastam. AR. III. (Vaillant.)

Duae dexterae junctae aquilam legionariam tenent prorae impositam. AR. III. (Vaill. Mus. Caes.)

Protome muliebris d. bacillum. AR. III. (Mus. Caes.)

Victoria gradiens. AR. III. (Khell Subplem.)

Camelus. AR. III. (Vaill.)

Caput Iovis Ammonis. AR. III. (Mus. Caes.) etiam forma quinarii. (Vaill.) AE. I. et III. (Mus. Caes.)

NVMI METALLORVM.

Exstant numi, qui metallorum meminere, quae Romanorum industria, et cupiditas variis in provinciis constituit, et excoluit. Ejus generis habemus inscriptos Trajani, et Hadriani nomine, forte etiam consequentium mox imperatorum, suntque omnes aenei III. formae, etsi certum sit, fodinas in his numis memoratas nobiliora etiam metalla fudisse. Ex quo argui potest, istud monetae genus in eorum stipendium, qui ad opus in metallis faciundum destinati fuere, percussum esse. Propositum mihi est, in hunc locum conferre numos omnes veterum metallorum testes, neque solum Trajani nomine, sed etiam successoris Hadriani insignes, additis praeterea ejusdem argumenti autonomis, aliisque, qui me judice huc spectare videntur, etsi alii antiquarii aliud decreverint.

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. *Caput laureatum.*
METALLI. VLPIANI. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* AE. III. (Mus. Caes.)

IMP. TRAIANO. AVG. GER. DACICO. TR. P. COS. V. P. P. *Caput laureatum.*
METALLI. VLPIANI. DELM. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Martis galeatum barbatum.
METAL. DELM. *Thorax.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Rec. I. p. 77.)

Caput juvenile laureatum.
METAL. DELM. *Cervus stans.* AE. III. (Mus. Caes. Mus. Com. Vitzai.)

Epigraphe ignota. Caput Hadriani.

METAL. DELM. *Typus ignotus.* (Harduin Num. urb. ill. sub *Pannonia.*)

Hi numi metalla *Dalmatiae*, quae passim et *Delmatia* antiquis dicta fuit, praedicant, nisi quod numus ex allatis I., qui regionem reticet, forte ad metallum Pannonicum, de quo proxime, pertinet. Quam fuerint ea in regione divites auri fodinae, cum historici veteres, tum poetae abunde meminere, quorum testimonia, ne olim cantata recinam, videsis in Blasii Caryophili opere *de antiquis fodinis* pag. 55.

IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. VI. P. P. *Caput laureatum.*

METALLI. VLPIANI. PANN. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* AE. III. (Morelli Specim. p. 215.)

Caput Trajani radiatum.

METALLI. PANNONICI. *in area numi.* AE. III. (Gessner ex museo Pfau tab. LXXXII. n. 57.)

Succedit metallum Pannonicum. De Pannoniae fodinis, quas numi stabiliunt, nulla apud veteres mentio, etsi contermina Dacia iis abundavit.

IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. AVG. *Caput laureatum.*

DARDANICI. *Mulier stans d. spicas, s. vestem adducit.* AE. III. (Mus. Caes.)

ROMA. *Caput Romae galeatum.*

DARDANICI. *Mulier stans d. spicas, s. vestem adducit.* AE. III. (Mus. Caes.) Similem habes apud Pellerinium, sed corrupta epigraphe Rec. I. tab. X. n. 9.

Numos sic inscriptos ad eandem hanc classem pertinere non immerito suspicamur, suppresso nimirum vocabulo METALLI, quod in praecedentibus numis aperte ponitur. Falluntur, qui eos monetam urbis volunt, atque Dardanum gentis Trojanae, atque adeo ἀνεκαθεν Romae auctorem respiciunt. Nam primum fabrica in iis Romana non est, deinde abest nota S. C. aeris Romani hac praecipue aetate certum indicium. Harduini explicationem, quia per somnium conceptam, prudens praetereo a). Fuit autem Dardania regio sita in Moesia superiore versus Macedoniam, et saepe memorata veteribus cum historicis, tum geographis, et in marmore ipsa Trajani aetate posito dicitur L. Besius PRAEF. ALAE. DARDANORVM b). Et duravit haec ejus regionis appellatio adhuc sub Diocletiano; nam ex Dardania fuisse oriundum Claudium Gothicum, refert Trebellius Pollio c). Certum igitur, fuisse in hoc tractu fodinas, quae a regione nomen adeptae sunt perinde ac Dalmaticae, et Pannonicae, atque ad harum modum percussos numos cum epigraphe DARDANICI. Magnum meae sententiae robur addit Plinius, qui ex ea regione venisse aurum scripsit, quod *Dardanum* dictum est d), et in Constitutione Gratiani e) memorantur procuratores metallorum intra Macedoniam, Daciam, mediterraneam Mysiam, seu Dardaniam.

HADRIANVS. AVGVSTVS. *Caput nudum.*

AELIANA. PINCENSIA. *intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem fiducia numum praesentem

---

a) Ad Plin. Tom. I. p. 216. b) Marm. Oxon. c) in Claudio. d) L. XXXIII. §. 12. e) Cod. L. XI. tit. 6. §. 4.

ad hanc classem revoco. Censuit Fröhlichius [a]), hac aversae inscriptione indicari certamina *Aelii* Hadriani honoribus *Pinci* in Moesia celebrata, quo in judicio secutus utique est antesignanum Harduinum, sic de hoc numo scribentem: cum Hadrianus lustraret Moesiam, *certamina Pinci sunt edita*, *quae hoc numo PINCENSIA appellari suboluit ante nos nemini* [b]). In eadem sententia fuit quoque Morellius [c]). Plane videtur, Harduino hoc etiam loco odoram suam vim parum cessisse feliciter. Enimvero adduci non possum, ut credam, ludos, qui magnos sumptus, et copiosos apparatus postulant, fuisse constitutos in urbe Moesiae pertenui, et vix cognita, neque vel unum habemus exemplum ludorum numis urbium hujus tractus inscriptorum. At habemus numos frequentes in hoc tractu, qui metalla memorant, Dalmaticum, Pannonicum, Dardanicum, cum quibus númus praesens conspirat fabrica, magnitudine, atque etiam aetate; nam solum cum Trajani, et Hadriani capite habemus metallorum numos saltem certos. Neque ab horum more abludit typus hujus numi, nam epigraphen intra coronam habemus quoque in sequentibus binis metallis. Si ergo suppleamus omissum vocabulum *metalli*, quod suppressum quoque vidimus in numis duobus proxime praecedentibus, habemus sensum percommodum: METALLA. AELIANA. PINCENSIA, nimirum dicta *Aeliana* ab auctore *Aelio* Hadriano, quo modo dicta vidimus *Vlpiana* ab institutore *Vlpio* Trajano, et *Pincensia* a Pinco, apud quam urbem ea fuere constituta. Ceterum Pincum Moesiae superioris oppidum memoratur in Notitia imperii, cujus gentile Ptolemaeo est: Πικηνσιοι. Anvillius illud paullo infra Viminacium Istro adstituit, quo nunc loco Gradisca [d]).

IMP. CAESAR. TRAIAN. HADRIANVS. AVG. *Caput laureatum.*

MET. NOR. *intra coronam.* AE. III.

Eloquitur *metallum Noricum.* Fuisse Noricum auri fossilis ferax, ex Polybio refert Strabo [e]). Sed et abundasse ferro veterum multi docuere, de quo videantur Caryophilus [f]), et Spanhemius [g]). In marmore Muratorii dicitur Ti. Claudius Macro CON. FER. NOR. id est: *confector*, vel *conductor ferri Norici* [h]). De ferro Norico frequens mentio apud veteres, quorum testimonia collegit Potterus [i]). Ad numi hujus explicationem adhaesit Patinus, et proposuit dubitantis more, an liceat METropolin NORici, hodie *Nürenberg* suspicari [k])?

Caput juvenile incertum.

METAL. AVRELIANIS. *intra coronam.* AE. III. (Morelli Specim. p. 215. Pembrock P. III. tab. 91.) Similem crassiusculum, eumque integerrimum vidi ipse in museo ill. com. Vitzai.

Postremus hic metallorum numus aliud nihil docet, quam fodinas quasdam forte a M. Aurelio dictas fuisse *Aure-*

a) Not. elem. p. 32. b) Num. Ant. illustr. sub *Pincum.* c) Specim. p. 216. d) B. L. Tom. XXVIII. p. 435. e) L. IV. p. 319. f) de ant. fodin. p. 50. g) Tom. II. p. 630. h) pag. 28. 3. i) ad Clem. Alex. Strom. L. I. p. 363. k) Num. impp. in indice numor. Hadr.

lianas, quemadmodum *Vlpianas*, et *Aelianas* vidimus. Verum ubi gentium sitae fuerint, reticente patriam numo ignoramus. Si hunc numum pertinere ad Aurelianum dixisset cl. Pinkertonus, posset fortasse permitti, at quod idem laudatos supra numos cum epigraphe *Metalli Vlpiani Pannonici*, *Norici*, et *Delmatici* ad eundem Aurelianum refert [a]), istud enimvero incredibile videatur.

ANIMADVERSIO I.

qua probatur, titulum OPTIMO anno demum V. C. 867 *fuisse numorum anticae insertum.*

Tres sunt variae rationes, quibus numi Trajani in consulatu VI., qui in sextum annum porrigitur, signati inscribuntur.

Prima offert inscriptionem capitis, et partium aversarum eandem, quae hactenus in numis consulatus V. valuit, nimirum: IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. etc. in AV. et AR. vel: IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AVG. GER. DAC. etc. in AE., et in aversa item raro omittitur formula: S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. Typorum etiam argumenta plerumque sunt eadem, sic ut inter utriusque generis numos vix aliud discrimen observetur, nisi quod pro COS. V. legatur COS. VI.

Secunda eo a priore differt, quod formulam OPTIMO. PRINCIPI in aversa omittit, et vocabulum OPTIMO in anticam admittit, et cum reliquis Trajani titulis miscet, legiturque constanter hoc ordine: TRAIANO. OPTIMO. AVG. Neque in numis sic inscriptis comparent amplius vetera consulatus V. argumenta historica, ut: *Alimenta Italiae*, *Aqua Trajana*, *Arabia adquisita*, *Via Trajana*.

Tertia ad priores titulos addit vocabulum PARTHICO, sic ut post vocabula TRAIANO OPTIMO. AVG. GER. DAC. proxime jungatur verbum PARTHICO, nisi cum in aversam trajicitur.

Ex adcurata hac descriptione suapte patescit triplicis rationis inscriptiones ita sibi successisse, ut una ab altera fuerit extrusa. Nam ex quo secunda ratio invaluit, cujus aetatem mox propius definiemus, prior in usu esse desiit, et cum semel vocabulum PARTHICO adhiberi coeptum est, illud constanter in numis retentum fuit. Sane numi, quos haud dubie constat primis hujus sexennii annis fuisse signatos, verbo OPTIMO in antica abstinent, illud recipiunt ii, quos tempus medium cudit, et in numis ultimi triennii adhaeret vocabulum PARTHICO. Egregie cum numis conspirant marmora, quaecunque sunt indubitatae fidei, quae tanto magis praesentem disputationem juvant, quanto diligentius trib. potestatis numerum addunt, quo Trajani numi plerumque abstinent.

His constitutis inquirendum tempus, quo Trajanus vocabulum OPTIMO reliquis titulis adscribere coepit. In epigrammate columnae Trajani, quod totum ad annum V. C 866 descripsi, quodque trib. potestatem XVII. eloquitur, is titulus inter reliquos Trajani honores

a) Essay on medals Vol. I. p. 274.

nondum comparet. Cum hoc marmore conspirant etiam numi Graeci. In museo Caesareo, alibique habentur numi Alexandrini:

ATT. TPAIAN. CEB. ΓEPM. ΔAKIK. *Caput Trajani.*

L. IZ. *Typis variis.*

Et sane nullum habemus monumentum, quod cum trib. potestate XVII., vel anno Trajani XVII. conjungeret titulum OPTIMI. Contra vero monumenta omnia, quae vel Trajani trib. potestatem XVIII. exprimunt, vel quorum aetas in eam incidit, OPTIMI titulum addunt. Quod ad marmora attinet, exstat unum, quod post Gruterum sincerius edidit Muratorius [a]), et Iohannes de Vita [b]), in quo legitur omissis reliquis: TRAIANO. OPTIMO. AVG. GERMANICO. DACICO - - - TRIB. POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI. In alio apud Gruterum [c]): - - - TRAIANVS. OPTIMVS. AVG. GERM. DACICVS. - - - TRIB. POT. XVIII. IMP. VIII. COS. VI. Addit nonnullas alias idem docentes Fabrettus [d]). Concordant cum marmoribus numi Graeci. Exstat in museo Caesareo numus Alexandrinus:

ATT. TPAIAN. APIστος CEB. ΓEPM. ΔAKIK - - *Caput Trajani.*

L. IH. *Mulier decumbens in lectisternio.*

Exstant numi signati Laodiceae Syriae:

ATTOKP. NEP. TPAIANOC. APICT. KAI. CEB. ΓEP. ΔAK. *Caput Trajani.*

IOTΛIEΩN. TΩN. KAI. ΛAOΔIKEΩN. BΞP. *Caput muliebre turritum.* (Mus. Caes. et Theupoli.)

Coepit aera Laodicenorum ab autumno V. C. 706. Numus ergo praesens signatus est ab autumno anni V. C. 867 usque ad autumnum anni sequentis, intra quod ipsum tempus currebat Trajani trib. potestas XVIII.

Cum ergo monumenta omnia, quae trib. potestatem XVII. memorant, abstineant titulo OPTIMI, illa vero, quae tribunatum XVIII. sistunt, eum constanter usurpent, colligo, titulum hunc inter ipsa fere confinia utriusque trib. potestatis, atque adeo labente anno Iuliano 867 fuisse decretum, et adhiberi coeptum. Nam si pluribus mensibus, antequam exspirasset trib. potestas XVII., is fuisset collatus, verisimile est, exstiturum unum saltem, alterumve monumentum, quod titulum OPTIMI cum dicta potestate XVII. conjungeret, et si collatus fuisset aliquot mensibus serius post initum jam tribunatum XVIII., verisimile item est, exstiturum aliquod monumentum tribunatu XVIII. insigne, quo hic titulus omitteretur. Conjecturam meam non parum juvat numus aureus, in cujus aversa est: PROFECTIO. AVGVSTI, quem numum referendum esse ad iter Parthicum hoc anno susceptum, in sequente animadversione docebo. In hujus antica jam leguntur tituli TRAIANO. OPTIMO. AVG. Ingressus est Trajanus hoc iter, ut verisimile est, circa autumnum, qua occasione signatus est

a) Pag. 231. 2. b) Inscript. Benevent XVII. 1. c) pag. 190. 7. d) de Columna Traj. pag. 293.

numus praesens in honorem Trajani proficiscentis, et jam OPTIMI titulo decorati. Norisii tenuis conjectura est, Trajano hoc OPTIMI decus a senatu decretum fuisse labente hoc anno inter solennia ejus natalis XIV. Kal. Octob. a) atque adeo mihi saltem in tempore collati ejus tituli belle cum summo hoc viro convenit.

Haec copiosius a me sunt disputata, quoniam multum serviunt non modo ad collocandos rite numos, verum etiam corrigendos scriptores veteres, novosque, et impostorum fraudes detegendas. Xiphilinus ex Dione b) et Zonaras nomen OPTIMI Trajano decretum nonnisi post captam Armeniam, et Mesopotamiam adserunt, quae anno primum sequente, eoque satis adulto contigere. At marmor, quod post alios recitat Fabrettus c), positum IDIBVS. IANVARIS. L. VIPSTANO. MESSALLA. M. PEDONE. COSS., qui fuere consules anni sequentis, et in quo Trajanus dicitur OPTIMVS. AVG., luculente docet, eum jam medio Ianuario V. C. 868 Optimi cognomen tulisse. Quid quod Trajanus jam dicatur OPTIMVS in numis inscriptis: IMPERATOR. VII. VIII. VIIII., quos titulos ex victoriis primum Armeniacis, Parthicisque nactus est, et antequam PARTHICI titulum adipisceretur, qui ex omnibus his numis adhuc abest. Ergo is Optimi titulum jam secum in Orientem tulit. At multo minus ferendum est recentiorum peccatum in ejus nominis prolepsi admissum. Mira sane est Occonis confidentia ita ad numos anni V. C. 863 ex tripode pronunciantis: *OPTIMI cognomen sibi a senatu decretum hoc anno Trajanus admittit*, et quod amplius mirere, jam inde ab anno V. C. 858 velut sui oblitus numos citat Optimi titulo in antica inscriptos. Atque hoc ipsum Occonis edictum respexerit Vaillantius, quando in suis numis praest. Impp. Tom II. pag. 121 edit. Rom. temere adserit, jam in consulatu V. Optimi cognomen occurrere. Refert Muratorius inscriptionem, in qua Trajanus dicitur TR. P. XVIII., et compellatur *Germanicus*, *Dacicus*, *Parthicus* d). Ea viro erudito aliam ob causam adulterina videtur. Addere potuit et hanc, quod in ea Optimi cognomen omittitur, quod in genuinis monumentis cum hac trib. potestate abesse non solet, et dicitur *Parthicus*, quo nomine Trajanus nonnisi in monumentis trib. potestatis XIX. et XX. decoratur. En tibi notas illas syrtes, in quibus inconsulti, et viarum rudes falsarii vulgo adhaerent, nec alia magis ratione mala impostorum fides in apricum profertur.

Quae alia ad decretum hunc OPTIMI titulum pertinent, infra in titulis Trajani commemorabo. Hoc loco propositum tantum fuit in examen vocare, quo anno is in partes anticas cognominis vice involaverit.

ANIMADVERSIO II.

qua probatur I., Trajanum bellum in Parthos non movisse jam anno V. C. 859,

a) Epoch. Syrom. pag. 247. b) L. LXVIII. §. 23. c) de Columm. Traj. pag. 293.
d) pag. 1075. 2.

neque illud bellum fuisse duplex. II. Verisimiliter anno V. C. 867 *Trajanum ad illud profectum.*

I. Eruditus historiae imperii Romani scriptor Tillemontius prolixe probare instituit, Trajanum jam anno V. C. 859 P. X. 106 adversus Parthos profectum. Argumenta, quibus sententiam suam tueri nititur, in pugnum contracta haec fere sunt. I. testimonium Ioannis Malalae, qui Trajanum VII. die Ianuarii V. C. 860 P. X. 107 Antiochiam ingressum scribit, et deinceps in Persas profectum. II. Acta martyrii S. Ignatii, in quibus hic dicitur a Trajano Antiochiae praesente conjectus in vincula, et ad bestias damnatus, *praesidentibus apud Romanos Syria, et Senecio*, qui erant consules ejusdem anni V. C. 860. Hujus quoque sententiae vades citat chronica Eusebii, et Alexandrinum. III. Auctoritas marmorum et numorum, in quorum aliquibus Trajanus jam in consulatu V. dicitur *Parthicus*, aut typi proponuntur ad bellum Parthicum spectantes. Vide plura apud ipsum Tillemontium in nota XVII. et XXI. ad Trajanum. At cum idem vir eruditus sententiam suam vehementer contrariis Norisii argumentis premi videret, quibus is evincere contendit, Trajanum non potuisse ante annum V. C. 865 P. X. 112 in Parthos proficisci, (Vide ejus epistolam consularem, aut in compendio Tillemontium l. c.) et tamen argumentis suis grave pondus inesse, non aliam esse aptiorem viam ratus est, qua dissidium istud conciliaretur, quam si statuatur duplex Trajani in Parthos exitus, prior in consulatu ejus V., alter VI.

Haec Tillemontii argumenta, utut in speciem valida, facile tamen cum gravioribus comparata vim omnem amittunt. Atque horum validissimum sane est, ex auctoribus, et monumentis veteribus plane constare, Trajanum in consulatu VI. in Orientem profectum, ut mox videbimus; at illum per consulatum V. Roma abfuisse, nedum longinquum, grave, ac periculosum in remoto Oriente bellum gessisse, nullo indubitatae fidei testimonio posse comprobari. An credibile, istud praeteritum fuisse ab historicis, et ab horum nullo vel tenuem factam mentionem belli Parthici *duplicis*, cum tamen duplex bellum Dacicum aperte distinguant Dio, et Spartianus? et an ullo pacto credibile, si Trajanus revera in consulatu V. cum Parthis fuit commissus, neque redivit inglorius, nullam in numis, vel marmoribus fieri mentionem seu victoriarum, seu decretorum honorum, ut: triumphi, arcus, aucti imperatoris tituli etc.? Videmus in numis sopito pridem bello Dacico signatis perpetuo, atque ad fastidium jactari Dacica, nimirum vetera illa, an reticuisset senatus, qui imperatorem suum laudis immodicum novit, novas lauros ex Oriente adportatas? Nam neutiquam moror paucula illa exempla ex numis, et marmoribus Tillemontio obtrusa. Valeant haec monumenta, ut sane valere multum debent, at tum solum valeant, cum nobis de eorum fide plene constat. Bellam enimvero Trajani historiam, quam quis ex catalogis seu lapi-

dum, seu numorum, quos nobis Gruterus, Muratorius, Mediobarbus obtrusere, volet contexere Non habent fabulae monstra magis obscoena, Chimaeras, Cerberos, Centauros, quam inauspicatus is partus erit, *ut nec pes, nec caput uni reddatur formae.* Sinceri lapides, et numi nequaquam ante consulatum VI. aut titulum *Parthici*, aut Parthici belli facta sistunt. Numi TIGRIS, vel INDIA, vel REX. PARTHIS. DATVS addito COS. V. unum Mediobarbum praeconem habent. Hujus indicio si stare velit Tillemontius, in eo reperiet numum, quo teste multo adhuc maturius licebit bellum Parthicum inchoare; jam enim in consulatu IV. proponit numisma inscriptum TIGRIS. Atque inter haec nescio an audienda adhuc videantur laudata acta martyrii S. Ignatii, ac praecipue testimonium Malalae, qui eodem hoc loco tam absurda de Trajano narrat, ut mirum videatur, argumentis aliis contrarium docentibus ad eum velle virum quempiam cordatum provocare. Certum igitur, bellum Parthicum nec fuisse duplex, nec coeptum ante consulatum VI., et qui alia adhuc argumenta volet, consulat Norisii epistolam consularem.

II. Inquirendus continuo annus consulatus VI., quo verisimile est, Trajanum paludatum ad bellum Orientis exivisse. Quantumcunque varient eruditorum de hac profectione sententiae, certissimum tamen videtur, eam labente anno V. C. 867 contigisse, ac verisimiliter circa autumnum, sic ut peragratis Asiae minoris provinciis appellere deinde in Syriam, et initio anni sequentis consistere Antiochiae, et experiri ibi horrendum illum terrae motum potuerit. Argumentum I. duco ex numo insigni aureo musei Caesarei, in cujus antica Trajanus dicitur OPTIMVS. AVG., et in aversa: PROFECTIO. AVGVSTI, typo *imperatoris equitis d. hastam gestantis, praecedente figura militari, tribus sequentibus.* Probavimus in animadversione superiore, titulum OPTIMVS. AVG. in antica numorum non coepisse, nisi currente hoc anno V. C. 867 P. X. 114, ergo numus praesens ante hunc annum signari non potuit, atque adeo neque profectionem ad aliud bellum, quam extremum istud Parthicum indicare potest. Cumque fere certum sit, numum non posterius, sed sub ipsum tempus profectionis, quae ejus feriundi occasionem praebuit, fuisse percussum, sequitur etiam, ipsum iter ante hunc etiam annum non fuisse susceptum. II. Non esse susceptum serius, manifestum fit ex tempore terrae motus Antiocheni, sed quod inter discrepantes tot sententias ante omnia stabiliendum. Nullus auctorum, qui ejus stragis meminere, illud pluribus notis chronologicis insignivit, quam Ioannes Malala [a]). Narrat, eam accidisse die XIII. Decembris feria I. post gallicinium, aerae Antiochenae anno 164, post annos duos, ex quo Trajanus in Orientem venit. Coepit annus Antiochenus 164 in autumno V. C. 868, ergo secundum Malalam terrae motus contigit in Decembri ejusdem anni V. C. Iam demonstravit Norisius, plerasque has Malalae notas aut male dictatas,

a) Chronogr. L. XI.

aut in mendo cubare a). Sed ego Malalae inconstantiam ejus ipsius verbis coarguo. Refert hoc loco terrae tremorem ad annum V. C. 868. Paullo supra narravit, Trajanum anno imperii sui XII. mense Octobri in Orientem profectum, ut Parthis bellum inferret. Coepit annus Trajani XII. fine Octobris, aut initio Novembris V. C. 861. Hoc loco narrat, terrae motum ingruisse biennio post ejus in Syriam adventum, ergo terrae motus contigit secundum alterum hunc ejus calculum anno V. C. 863, ad summum 864, atque adeo quatuor saltem annis solidis a se ipso dissentit. Eusebius eum ad annum V. C. 866, Evagrius ad annum 864 revocat. At omnium adcuratissime Dio, qui cum eos recenseret, quibus ea strages fatalis fuit, addit: ὡν ἑις και ὁ Πεδων ὁ ὑπατος ἐγενετο, *inter quos etiam fuit consul Pedo* b). Eum fasti omnes consulem ordinarium anni V. C. 868 produnt conlega Vipstano Messalla. Hoc Dionis testimonio refellitur rursus Malala, qui terram motam in Decembri statuit, etsi in anno cum Dione conspiret. Nam ex titulis IMP. VII. et VIII., quos anno V. C. 868 sibi Trajanus addidit, abunde colligitur, eum initio veris mox in hosticum movisse, transitoque Euphrate, et in remotissimis terris positum credibile non est voluisse Antiochiam redire, ut ibi hiberna, et Decembrem ageret, quanquam et ipse Dio in hac fuisse sententia videatur, sed quem mox refutabimus. Superest adhuc dimicatio cum Pagio, qui cum Malala terrae motum Decembri adfixit praeter causas alias jam cognitas persuasus testimonio anonymi cujusdam Olympiadum descriptoris Graeci, quem in suis historiarum collectaneis exhibuit Scaliger. Is terrae motum Antiochensem ad annum III. Olympiadis 223 refert, atque illi quoque inter eos, quos ruina oppressit, memoratur ὁ Πεδων ὑπατος c). Currebat, ait Pagius, hic annus III. inde a Iulio anni V. C. 868, ergo malum illud accidere non potuit initio ejus anni, quo tempore nonnisi annus II. ejus Olympiadis numerabatur d). Verum quam exigua sit horum collectaneorum auctoritas praecipue in notis chronologicis, et quae pluribus locis a Scaligero ipso interpolata fuisse constat, noverunt omnes. Istud testimonium qui amplecti volet, amplectatur etiam illud, quod paucis lineis altius dictat, Hadrianum factum esse imperatorem anno IV. Olympiadis 222, qui respondet anno V. C. 865 manifesta quinquennii anticipatione. Possum reliqua a Pagio objecta praeterire hoc uno addito, Baronium quoque, Calvisium, et Norisium ante initium veris V. C. 868 terram Antiochiae moveri jussisse. III. Etiam ex titulis IMP. VII. et VIII. manifestum fit, Trajanum labente anno hoc V. C. 867 in Orientem abivisse. Quod hactenus constet, ii solum junguntur cum ejus trib. potestate XVIII., quae coepit ineunte Novembri hujus ipsius anni 867, ex quo patet, in hoc tribunatu, quoniam bis titulum iteravit, bellum maxime saeviisse. Esto, Trajanum jam an-

---

a) Epoch. Syrom. p. 183. b) L. LXVIII. §. 25. c) pag. m. 341. d) Crit. Bar. ad ann. Ch. 115.

no V. C. 866, et ineunte adeo mox trib. potestate XVII. in Parthos profectum, an verisimile est, Trajanum toto hoc tribunatu aut otiosum Antiochiae consedisse, aut nullum patrasse insigne factum bellicum, quo imperatoris titulum augeret, cum tamen Dio initium belli statim ab ejus in Syriam adventu ducat? Ex his ipsis etiam titulis docemur, non potuisse Trajanum in Orientem exire anno sequente V. C. 868; nam appulisset eo, quando jam inivit trib. potestatem XIX. At qui deinde fuere Romani imperii hostes, de quibus in tribunatu XVIII. victis tituli imperatorii numerum bis auxit?

Ex his palam fit, Dionis narrationem hac parte cum veteribus monumentis parum esse concordem, nisi, quod verisimile videtur, corrupta fuit ab epitomatore Xiphilino. Secundum hunc necesse foret, uno anno Trajani profectionem anticipare. Nam postquam narrasset, eum Antiochiam adventasse a), continuo bellum orditur, et qua ratione Trajanus Armeniam subegerit, subinde trajecerit in Mesopotamiam, ejusque oppida ceperit, dictus propterea a senatu *Optimus*, et a militibus *Parthicus* Nisibi, Batanisque captis. Igitur ex Dionis sententia anno V. C. 866 ad bellum hoc est profectus, et in vere sequentis anni 867 coepto bello usque ad hiemis initium foris stetit, tum Euphrate rursum trajecto Antiochiam repetiit. Ibi sub initium anni V. C. 868, qui propter Pedonis consulatum, ut dixi, fixus est, gravem terrae motum perpessus b) in vere rursum in aciem exivit, reliqua belli confecturus c). Quae quidem omnia satis ab iis, quae per utramque animadversionem diximus, refelluntur. Omnibus igitur his secum collatis praestabit Trajani ex urbe discessum figere ad annum V. C. 867, deinde Antiochenum terrae motum ad initium anni 868, cujus proximo vere in Parthos egressus est meriturus duplicem imperatoris hoc adhuc anno honorem, neque, ut dixi, videtur verisimile, Trajanum nisi finito bello ad hiberna Antiochiam reversum. Norisius, qui olim Trajani expeditionem ad annum V. C. 865 P. X. 112, vel non multo tardius fixerat d), serius eam anno hoc ipso V. C. 867 P. X. 114 inchoatam agnovit e), ejusque lectis, ponderatisque rationibus acquievit etiam Tillemontius f).

MAGISTRATVS et TITVLI.

De tempore adoptionis, et trib. potestate Trajani.

Belleyus in erudita dissertatione, qua numum Graecum, qui Trajano trib. potestatem XXI. (ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΚΑ.) adserit, explicare aggressus est, ante omnia necesse duxit, tempus adoptionis Trajani in examen vocare g). Recitatis variorum sententiis, quorum alii diem XVIII. Septembris, alii XXVII. vel XXVIII. Octobris, alii principium Novembris maluere, ipse Panvinio adhaeret, adoptionem ad XVIII. Septem-

a) L. LXVIII. §. 18. b) l. c. §. 24. c) l. c. §. 26. d) in Epist. cons. e) Epoch. Syrom. p. 183. f) in nota XXII. et XXV. in Traj. g) Mem. B. L. T. XXI. p. 452.

bris figenti. Argumenta, ut ait, invicta petit I. ex panegyrico Plinii diem XVIII. Septembris *triplici gaudio laetum* adserentis [a]), *qui principem abstulit pessimum* (Domitianum) *dedit optimum*, (Nervam) *meliorem optimo genuit*, (Trajanum) quo solo vocabulo *genuit* Plinius indicare voluit, ut existimat Belleyus, et natalem Trajani, et natalem adoptionis, seu imperii. II. Ex numo Trajani apud Gabala Syriae signato, quem edidit Frölichius [b]), et qui praeter annum epochae ΓΜΡ. Trajanum dicit: ΝЄΡ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝΟC. absque Augusti titulo. Coepit epocha Gabalorum in autumno V. C. 707, ergo numus hic signatus est ab autumno V. C. 849. Cum vero Trajanus in hoc numo jam dicatur *Caesar*, necesse est, eum cusum fuisse ante autumnum V. C. 850, quo jam coepit annus Gabalorum ΔΜΡ. Nuncius igitur adoptati die XVIII. Septembris Trajani circa finem Octobris a Gabalenis est acceptus, ac continuo signatus hic numus, antequam annus ΓΜΡ. exspirasset.

An ex verbis Plinii adoptio Trajani ad diem XVIII. Septembris invicte figatur, (nam aliud praeterea argumentum nullum adfert Belleyus) jure dubitare liceat. Eorum sensum si expendamus, manifestum fit, oratorem vocabulo *genuit* intelligi voluisse Trajani natalem, cum certum sit, Trajanum hoc die natum fuisse. An una comprehenderit natalem adoptionis, grave ex eo dubium, quod tum dies ille non *triplici gaudio laetus*, sed *quadruplici* dicendus fuisset, quod sane non neglexisset Plinius oratoris more omnes captans causas herois sui in coelum extollendi, quo argumento ad refutandam Panvinii sententiam usum jam video Tillemontium [c]). Tantum ergo abest, ut Plinius Belleyi sententiae patrocinetur, ut adversetur etiam. Numus Gabalorum diem adoptionis non decidit, quanquam istud neque adfirmet Belleyus; tamen per epochae annum ΓΜΡ exigere videtur, Trajanum saltem in Septembri jam fuisse adoptatum, et Caesarem dictum, atque hoc pacto Victorem [d]) falsi arguere, adserentem, Trajanum tribus duntaxat mensibus fuisse conlegam Nervae, cujus oraculum secuti viri praestantissimi Dodwellus, Norisius, Pagius, Tillemontius, aliique adoptionem Trajani ad exeuntem Octobrim, vel ineuntem Novembrim constituerunt. Nam a die XVIII. Septembris V. C. 850, quo adoptatus Trajanus a Belleyo statuitur, usque ad exeuntem Ianuarium, quo mortuus est Nerva; saltem quatuor sunt menses solidi. Tamen, ut verum fatear, non magnopere mihi probatur, tantum fiduciae in uno hoc Gabalorum numo reponi, nec satis video rationis, cur adeo properarent Gabaleni, ut, simul audito, adoptatum fuisse Trajanum, perpaucis adhuc residuis anni sui ΓΜΡ diebus, statim ejus nomine, et effigie monetam ferirent. Quid quod serius, quam haec dictaveram, ex numis a Sestinio vulgatis, iisque magis integris comperi, in eodem hoc Gabalensium numo Trajanum non Caesarem tantum, sed Augustum insuper compellari, quin valde esse verisimile, initium

a) Cap. 92. d) IV. Tentam. c) Nota III. ad Nervam. d) in Epitome.

aerae Gabalensis uno anno serius esse constituendum, quae omnia olim copiosius comprobabo in Addendis ad numos Gabalorum. Interim non verisimile modo est, sed plane necessarium statuere, fuisse Trajanum adoptatum, et trib. potestate ornatum, antequam in Orientis urbibus in autumno V. C. 850 novus annus iniret, ut continuo patebit.

Non excessisse Trajanum trib. potestatem XX., tam numi commatis Romani, quam marmora, quae modo sint certae fidei, luculente produnt. At Belleyus in eadem dissertatione a) Trajani binos argenteos, unumque aeneum, Tyri, ut opinabatur, percussos, ex Pellerinii thesauro profert, in quorum aversa legitur: ΔΗΜΑΡΧ. ЄΞ. ΚΑ. ΤΠΑΤ. ϛ. Serius binos similes argenteos ex museis Austriacis addidit Khellius b), quorum unus nunc est in museo Caesareo. Ergo Trajanus, quod cum Romano trib. potestatis computo conciliari nequit, omnino tribunatum XXI. attigit. Eam difficultatem sic resolvere tentavit Belleyus. Supponit I. ex calculo Norisii, annum Tyriorum coepisse die XIX. Octobris. Supponit II, ut diximus supra, Trajanum die XVIII. Septembris adoptatum fuisse. Concludit igitur, Tyrios a dicto Septembris die usque ad XIX. Octobris numerasse annum primum, sumendo annum incompletum pro completo, et ab hoc die inchoasse secundum, quod etiam ab Aegyptiis factum ex numis ipsis novimus, qui annum secundum imperii Augustorum semper a die primo mensis Thot, seu XXIX. Augusti auspicati sunt, etsi principatus paucis tantum diebus ante ejus mensis exordium fuisset aditus. Ergo secundum hanc regulam trib. potestas XXI. apud Tyrios inire debuit die XIX. Octobris V. C. 869.

Principio modus, quem vir eruditus ad explicandum istud aenigma invenit, praeposterus, et pugnare cum ipsa ratione videbatur. An enim, ajebam, licuit provincialibus alium statuere iterandae trib. potestatis modum, quam quem ipse princeps, ac senatus R. constituit, observavitque? qua ratione Tyrii tribunatum, qui, etsi singulis annis renovatus, anni tamen vicem non obtinuit, poterant in annos suae rationis convertere? Novimus, singulos Augustos natalem, quo imperium obtinuere, et trib. potestatem renovavere, peculiari modo celebrasse, et per provincias celebrari jussisse, uti novimus, Vespasiano placuisse Kalendas Iulias c), Hadriano III. idus Augusti d), ergo cum Romae, ac per provincias ex sententia Belleyi die XVIII. Septembris conceptis votis ageretur XX. Trajani natalis, eundem et egere Tyrii, sic tamen, ut solidis XI. mensibus trib. potestatem anticipaverint, cujus iteratio, saltem Trajani adhuc aetate, a dicto natali pendebat? Aegyptiorum exemplum, quibus adde exemplum Orientalium in numis ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ, minus recte quadrat; nam illi annos imperii Caesarum, non tribunitiam potestatem, ad anni sui rationes adcommodaverunt, ac propterea non inscripserunt numis

a) Pag. 458. b) Subplem. ad Vaill. p. 60. c) Tacit. Hist. II. 79. d) Spartian.

ΔΗΜ. ΕΞ., sed Λυκαβαντος, vel ΕΤΟΥΣ, quae vocabula *anuum* significant. Paucis ut absolvam, ut non licuit provincialibus aliquid immutare in numero consulatuum, aut titulis patris patriae, Dacici, Parthici etc., quoniam haec accessio a principis, aut senatus arbitrio pendebat, ita verisimile quoque videbatur, modum, quo princeps tribunatum iteravit, esse debuisse normam, qua, et non alia, provinciales quoque uterentur.

Haec cum maxime apud animum meum reputarem, cuperemque reperire rationem, qua prolepticum hunc tribunatum XXI. excusarem, incidi in binos numos, qui Belleyi sententiam saltem esse probabilem possunt persuadere. Sunt vero:

ΑΥΤΟΚΡ. ΚΑΙΣ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ. ΣΕΒ. ΓΕΡ. ΔΑΚ. *Caput Trajani laureatum.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. Iϛ. ΥΠΑ. Ε. *Arabia stans d. calamum, pro pedibus camelus.* AR. III. (Khell. Subplem. ad Vaill. p. 59.)

Eadem adversa.

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. Iϛ. ΥΠΑΤ. ϛ. *Caput Herculis Tyrii.* AR. I. (Mus. Caes.)

Videmus in utroque hoc numo eandem trib. potestatem XVI., sed in priore consulatum V., in altero VI. Horum alter nihil alienum a Romano more offert, at repugnat prior. Nam secundum Romanorum computum trib. potestas XVI. cum consulatu V. componi nequit. Nam cum Trajanus tribunatum hunc XVI. in autumno V. C. 865 inivit, non amplius consul V., sed jam inde a Kalendis Ian. ejusdem anni consul VI. exstitit. Ergo anticipata haud dubie est trib. potestas, numusque signatus ab autumno V. C. 864 usque ad proximas Kalendas Ian. 865, quibus consul VI. processit Trajanus. Quare in quacunque demum Orientis urbe hic numus cusus est, confirmat sane, urbes Asiaticas, saltem nonnullas, in calculo trib. potestatis morem a Romanis diversum secutas, qui verisimiliter alius non exstitit, quam quem Belleyus, ut supra vidimus, docui, nimirum dum urbes tribunatum imperatorum cum legibus suorum annorum composuere, quantumcunque is mos rationi videatur adversari.

Non possum hoc loco dissimulare nobile marmor ab Aratispitanis Hispaniae Trajano jam mortuo positum, quod vidit, et excepit eruditus Carterus Anglus, et exposuit in opere, quod inscripsit: *Iter Gibraltari Malagam versus*, et quidem parte II. Vol. III. cap. 4.

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. F.
DIVO. TRAIANO. OPTVMO
AVG. GERM. DACICO. PARTHICO
PONT. MAX. TRIB. POT. XXI. IMP.
XIII. COS. VI. P. P. OPTVMO
MAXVMO. QVE. PRINCIPI. CON
SERVATORI. GENERIS. HVMANI
RESPVBLICA. ARATISPITANORVM
DECREVIT. DIVO. DEDICAVIT

Nihil video in hoc marmore, quod non conveniat Trajano, aut quod viri eruditi, qui epigraphen exscripsit, possit negligentiam arguere, ut adeo omnem possit fidem promereri. Duo tantum sunt animadvertenda TRIB. POT. XXI., quae praeterquam in memoratis proxi-

me nūmis non legitur, et IMP. XIII.; quod in nullo alio monumento proditur cum postremus imperii numerus hucusque cognitus sit XII. Quae si vera sunt, sequetur, Trajani postremum tribunatum revera fuisse XXI., non, quod hactenus constabat, XX, et hac parte marmor cum laudatis tetradrachmis conspirare. Atqui si vere Trajanus numeravit tribunatus XXI., novum habemus in ejus chronologia nodum, qui sententias omnes, quae hactenus de calculo trib. potestatis circumferuntur, impedit, ut computanti facile patebit. Ergo interea admittamus explicationem, quam de trib. potestate a nonnullis Graecis ad annum suum civilem exacta dedimus, et negligamus marmor positum ab Aratispitanis, obscuri et geographis omnibus ignoti nominis, donec ejus fidem plura alia, ac sincera monumenta confirmabunt.

Consul.

Trajanum V. C. 844 adhuc privatum processisse consulem, in synopsi privatae ejus vitae diximus. V. C. 850 adoptatus a Nerva, et consul II. in annum sequentem designatus est, eumque consulatum Kalendis Ian. V. C. 851 absens inivit, et inter barbaras gentes gessit a). Cum moris tum esset, ut, cum quis Augustus dictus est, anno continuo sequente susciperet consulatum, eum recusavit per speciem, quod absens illum gerere non posset b). V. C. 853 processit consul III. V. C. 854 consul IV. V. C. 857 consul V. secundum numos, et marmora, sed fasti omnes quintum hunc consulatum anno praecedente inchoant, quod dubium ad annum V. C. 856 expendi. Tandem V. C. 865 consul VI.

Pater patriae.

Patris patriae titulum aliquanto tempore recusasse Plinius docet c). *At tu etiam nomen patris patriae recusabas. - - - Nomen illud, quod alii primo statim principatus die, ut imperatoris, et Caesaris, receperunt, tu usque eo distulisti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus aestimator jam te mereri fatereris. Itaque soli omnium contigit tibi, ut pater patriae esses ante quam fieres.* Ex verbis Plinii colligere licet, Trajanum nonnisi post suum in urbem adventum hunc titulum admisisse, qui contigit V. C. 852, nam priore capite ejus in urbem profectionem describit. Conspirant quoque numi, qui hoc primum anno eum titulum memorant.

Optimus princeps, Optimus.

Trajano cognomen OPTIMI datum fuisse mature, et haud dubie mox post ejus in urbem ex Germania adventum, qui contigit anno V. C. 852, testis luculentus est Plinius, qui collati ejus a senatu tituli in panegyrico, quem anno sequente dixit, jam meminit, et quidem uno loco d): *jam quid tam civile, tam senatorium, quam illud additum a nobis OPTIMI cognomen?* Et alibi e): *justisne de causis S. P. Q. R. OPTIMI tibi cognomen adjecit? - - - Adoptavit te optimus princeps in suum, senatus in OPTIMI nomen.* Igitur Trajanus saltem

a) Plin. Paneg. c. 56. b) Ibid. c. 60. c) Paneg. c. 21. d) Cap. 2. e) Cap. 88.

anno V. C. 853 hoc titulo ornatus jam fuit. Verum eo in monumentis publicis, saltem iis, quae supersunt, et sunt indubitatae fidei, numos intelligo, ac marmora, usus non est ante annum V. C. 858, ut ad anni hujus monetam animadverti, atque etiam tum, quod cumprimis observandum, is mos obtinuit, ut titulus hic nunquam partem numi anticam occuparet, sed semper aversam, et fere semper hac formula: S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. Observandum etiam, eodem tempore, quo haec formula coepit, coepisse etiam morem, epigraphen capitis dandi casu, seu dedicationis ritu, efferendi. Ex quo satis apparet, circa hoc tempus novo senatus consulto decretum esse, ut hic OPTIMI PRINCIPIS titulus etiam monumentis publicis infereretur. Anno demum V. C. 867 factum, ut titulus OPTIMI. PRINCIPIS in numorum aversa desineret, et vocabulum OPTIMO in anticam trajiceretur, sic ut semper medium locum inter TRAIANO et AVG. occuparet, de quo fusius disputavi supra pag. 448 in animadversione peculiari, quo loco et parachronismos Dionis, et recentiorum de constituto hoc titulo commemoravi ex concordia tam numorum, quam marmorum evidentes. Ergo hoc tempore titulus OPTIMI, etsi fiducia Plinii jam pridem cognominis vices obtinuit, instar veri cognominis adhiberi, et in usu esse coepit, quod vel ex successoris Hadriani numis patet, in quem is, quia verum cognomen, per adoptionem transivit.

Germanicus, Dacicus, Parthicus.

GERMANICVS. Plinius in Panegyrico [a]): *Allata erat ex Pannonia laurea id agentibus diis, ut invicti imperatoris exortum victoriae insigne decoraret.* Addit, continuo post a Nerva lauream in gremio Iovis depositam, et in hominum concione, deorumque adoptatum Trajanum. Fuere, qui censerent, quos inter postremo ipse Belleyus [b]), victoriam, propter quam allata est laurea, fuisse reportatam ab ipso Trajano, qui imperante Nerva translatus in Pannoniam ex Germania inferiore Marcomannos ei provinciae imminentes ingenti clade adfecit, ac propterea primum Nervae, dein hujus permissu sibi *Germanici* nomen peperit. Sed enim si haec victoria fuisset Trajani, an istud reticuisset Plinius panegyrista, cui ingens inde ejus laudandi campus patuisset? Et vero per scriptores omnes constat, Trajanum, cum adoptatus est, fuisse Germaniae inferiori praefectum, et constat ex Plinio, Nervam mox ab audita victoria Iovi gratias acturum conscendisse Capitolium, et una adoptasse Trajanum; constat denique ex Eutropio, Trajano, cum Coloniae Agrippinae ageret, adoptionem nunciatam. An verisimile, Trajanum intra tam breve tempus, quod inter victoriam, et adoptionem intercessit, Coloniam redire potuisse, tanto a Pannonia regionum intervallo dissitam? Sane praetensa haec ejus in Pannoniam profectio, et Marcomannorum in eam impressio, et relata ab eo victoria, si Cedrenum exci-

a) Cap. 8. b) B. L. Tom. XXI. p. 444. seq. in Mem.

pias infimi aevi scriptorem, nullo testimonio comprobantur, quasi vero non alter aliquis rejicere Germanos, quicunque ii fuere, Pannoniae minitantes potuisset, aut Trajanus adoptari, nisi relata victoria, non potuisset. Collatus *Germanici* titulus ad rem non pertinet, nam hunc adeptus est non propter victoriam, sed jure adoptionis, quo in omnes patris titulos successit, nimirum quo eodem jure Hadrianus, cum primum adoptatus fuit, dictus est *Optimus*, *Germanicus*, *Dacicus*, *Parthicus*. Vere igitur loquitur Plinius [a]), Trajano, *cum Germaniae praesideret*, *GERMANICI nomen hinc* (Roma) *missum*, nimirum communicato hoc per adoptionem titulo, perinde ac ei titulus filii, Caesaris, imperatoris Roma quoque missus est. Titulum *Germanici*, quia adoptione nactus illum est, jam primi ejus numis ostentant, neque is in postremis omiserat.

DACICVS. Hunc titulum Trajano delatum fuisse ex victoriis Dacicis, eoque monumenta publica uti coepisse anno V. C. 856, supra in numis ad hunc annum diximus. Confirmatur istud numis Alexandrinis, qui eum nunquam ante annum Z sistunt, qui coepit die XXIX. Augusti V. C. 856. Ergo falsi arguitur inscriptio laudata a Grutero [b]), qua Trajanus dicitur DACICVS. TR. P. IIII. COS. IV. VICTO. DECEBALO, quae sunt notae anni V. C. 854.

PARTHICVS. Dixi supra in annalibus, titulum Parthici monumentis inferri coeptum V. C. 869, quo anno currebat trib. potestas XIX. et XX. Ejus nunc ratio expedienda.

I. In nullo certae fidei marmore cum trib. potestate XVIII. conjungitur titulus Parthici. Vide hujus tribunatus inscriptiones plures collectas a Fabretto [c]).

II. Vulgavit Muratorius marmor, in quo Trajanus dicitur TRIBVNIC. POTEST. XIX., et abest adhuc Parthici cognomen [d]). At in alio marmore apud Gruterum in eadem TRIBVNIC. POTEST. XVIII. dicitur Parthicus. Haec ergo epigrammata probant, circa autumnum V. C. 868, quo tribunatum XIX. inivit, nondum hunc titulum tulisse.

III. Idem, atque eodem plane modo comprobatur ex numis. Est in museo Caesareo numus integerrimus Trajani Laodiceae Syriae signatus cum anno epochae ΓΞΡ, ex quo abest cognomen Parthici. Alter simillimus, et cum eodem anno ΓΞΡ laudatur a Norisio ex museo regis Galliarum, et in quo titulus Parthici additur [e]). Coepit aera Laodiceae anno V. C. 706. Signati ergo sunt hi numi ab autumno V. C. 868 usque ad autumnum anni V. C. 869, comprobantque, currente hoc anno Laodiceno Trajanum Parthici cognomen adoptasse. Cum autem annus hic totus fere coincidat cum trib. potestate XIX., sequitur, currente hoc tribunatu titulum hunc ad alios titulos accessisse. Novi, Norisium ex numo ejusdem Laodiceae, qui cum anno ΒΞΡ jam Parthici titulum praefert, arguere, eum hoc cognomine jam anno V. C. 868 fuisse

a) Paneg. c. 9. b) pag. 246. 6. c) Col. Traj. p. 292. d) pag. 450. 4. e) Epoch. Syrom. p. 239.

decoratum. Sed vereor, ne fors numi vitio deceptus vir eruditus legerit BΞP. pro ΓΞP.; nam si parte priore anni ΓΞP. Trajanus nondum dictus est Parthicus, ut ex numo nitidissimo musei Caesarei supra ostendi, multo minus id nomen anno hunc praecedente ferre potuit. Accedit, in solo museo Farnesiano servari complures similes Laodiceae numos cum anno BΞP, alium illaesum in museo Caesareo, in nullo tamen horum legi titulum Parthici. Ergo certum videtur, labente anno Laodiceno ΓΞP, et quod eodem recidit, labente tribunatu XIX. Parthici elogium Trajano accessisse. Idem confirmant numi Alexandrini inscripti L. IΘ., quorum alii Parthici titulum adhuc omittunt, alii addunt. Coepit annus IΘ. die XXIX. Augusti V. C. 868, cujus adeo initio Trajanus eo titulo certe caruit.

IV. Narrat Dio, Trajanum captis in Mesopotamia Nisibi, et Batanis ab exercitu dictum Parthicum a). Contigisse istud V. C. 868, supra ad eundem annum indicavi, et prolixius in animadversione II. quam altius pag. 450 dedi. At non contentum fuisse Trajanum hac militum voluntate, sed exspectasse in hujus tituli usus sententiam senatus, eo patet, quod infra idem Dio refert b), Trajanum capta Ctesiphonte imperatorem appellatum *confirmato Parthici cognomine.* Supra in annalibus computata temporum ratione Ctesiphontem captam dixi V. C. 869, ergo etiam tum confirmatum Parthici cognomen, et in monumentis publicis adhiberi coeptum.

Trajano ob res adversum Parthos prospere gestas a senatu non modo decretum fuisse nomen Parthici, sed etiam ludos perpetuos dictos *Parthicos*, supra in numis consecrati Trajani docui.

Imperator.

De Trajano adoptato haec Plinius c): *simul filius*, *simul Caesar*, *mox IMPERATOR*, *et consors tribuniciae potestatis*, *et omnia pariter*, *et statim factus est*, *quae proxime parens verus* (Vespasianus) *tantum in alterum filium* (Titum) *contulit.* At hoc loco vocabulum *imperator* conlegam imperii significat, non vero titulus est ex victoriis partus, ut verba Plinii diserte docent, etsi aliud videatur Fabretto d), sed quod nos argumentum alibi laxius tractabimus. Eodem modo Titum a patre adsumptum imperatorem velut conlegam, in hoc disputavimus.

Ratio tituli *imperatoris* ob victorias iterati docentibus numismatum, et marmorum praescriptis, quae tamen utraque aliquoties destituunt, ejusmodi est:

IMP. II. in marmore Puteolano, quod primum Gruterus e), deinde correctius edidit Fabrettus f), conjungitur cum TR. P. VI. et COS. IIII. Sunt hae notae annorum V. C. 855 et 856, sed quia posteriore hoc anno Trajanus jam fuit IMP. IIII., certum videtur, titulum IMP. II. partum jam fuisse anno 855, aut residuus adhuc fuit ab anno 854, quoniam hoc jam anno coepit bellum Dacicum, ex quo Trajano accessisse hunc titulum verisimile est. Nam non

a) L. LXVIII. §. 23. b) §. 28. c) Paneg. c. 8. d) de Columm. Traj. p. 89.
e) pag. 190. 3. f) l. c. p. 278.

adsentior Fabretto, ex levi causa conjicienti, Trajanum jam anno V. C. 851 dictum IMP. II. ex Germanica expeditione [a]).

IMP. III. Hic titulus in nullo, quod norim, monumento legitur. Partum censeo V. C. 855, vel sequente, ex bello item Dacico primo.

IMP. IIII. conjungitur in numis cum TR. P. VI. COS. IIII. DES. V., qui sunt indices anni 856. Iungitur etiam in numis cum TR. P. VII. COS. IIII. DES. V. qui sunt ejusdem anni indices, sed partis posterioris. Legitur hic numerus adhuc in trib. potestate VIIII., quam inivit in autumno V. C. 758, cum qua conjungitur in marmore Gruteriano [b]), et alio apud Muratorium [c]).

IMP. V. jungitur cum trib. potestate VIIII. in marmore Gruteriano [d]), et quoniam eundem tribunatum junctum etiam cum IMP. IIII. videmus, certum est, hoc currente titulum iteratum, qui nimirum coepit ab autumno V. C. 858, quo tempore maxime incubuit bellum Dacicum II., ex quo repetitus honos. Fallit igitur marmor Muratorii, quod IMP. V. copulat cum TR. P. VIII. [e]), et oppido intempestivum est alterum apud eundem [f]), quod Trajanum TR. P. VIIII. COS. V. IMP. V. jam *Parthicum* appellat.

IMP. VI. Quo anno accesserit hic numerus, ignoratur cum tribunatuum X. et XI. inscriptiones desint. Eum demum jungi videmus cum TR. P. XII. apud Gruterum [g]), et Muratorium [h]). Inivit haec in autumno V. C. 861. Forte haec iteratio residua adhuc est ex Arabia Petraea, quam V. C. 858 a Palma imperio adjectam diximus. Et jungitur adhuc cum TR. P. XVII. inita per autumnum V. C. 866 in celebri inscriptione columnae cochlidis, quam ad annum hunc descripsi.

IMP. VII. conjungitur cum TR. P. XVIII., quae inivit V. C. 867, in marmore apud Muratorium [i]), et in arcu Beneventano [k]). Labente hoc tribunatu diximus bellum cum Parthis in Armenia gestum V. C. 868. Narrat Dio [l]), cum victus Armeniae rex Parthamasiris Trajanum posito diademate supplex adivit, eum a militibus tanquam ex victoria adclamatum fuisse imperatorem. Dictus tum videtur IMP. VII.

IMP. VIII. Et hic numerus copulatur cum eadem TR. P. XVIII. in marmore Gruteriano [m]).

IMP. VIII. VIIII. Alteruter numerus scriptus est in arcu portus Anconitani secundum eos, qui inscriptionem hodieque exstantem excepere, sed hi ipsi in numero quoque trib. potestatis variant, aliis XVIII., aliis XVIIII. promulgantibus [n]). Videtur ergo nobile illud epigramma multum ab aetatis injuriis passum legem amplius facere non posse. Instituto novissimo examine legendum esse TR. POT. XVIIII. narrat cl. Fea [o]). Vtrumque hunc numerum addiderit Trajanus per gesta V. C. 868 in Armenia,

---

a) Col. Traj. p. 283. b) pag. 247. 1. c) pag. 449. 4. d) pag. 162. 2. e) pag. 231. 6. f) pag. 449. 2. g) pag. 190. 4. h) pag. 231. 1. i) pag. 231. 2. k) Vita Antiq. Benev. p. 256. l) L. LXVIII. §. 19. m) pag. 190. 7. n) Grut. p. 247. 6. Fabretti de Col. Traj. p. 293. Vaillant in Colon. p. 150. Pedrusi Mus. Farn. T. VI. p. 221. o) ad Winkelmannum Vol. II. p. 373.

et Mesopotamia bella. IMP. VII. VIII. VIIII. leguntur etiam in numis, qui ad eundem annum 868 referendi videbantur.

IMP. X. in nullo monumento reperire licuit, quare neque ejus iterationis tempus definiri potest.

IMP. XI. jungitur cum TR. P. XVIIII. et absque titulo *Parthici* in lapide apud Muratorium a). Dixi supra, quo loco tempus dati tituli Parthici definivi, eum collatum fluente trib. potestate XVIIII., et haud dubie V. C. 869. Ergo Trajanus hujus anni principio fuerit adhuc IMP. XI. Verum idem IMP. XI. in alio marmore, quod est apud Gruterum b), jungitur cum TR. P. XVIIII., et titulo Parthici, quod adeo epigramma posterius est. Narrat Dio, Trajanum capta Ctesiphonte dictum *imperatorem*, et *Parthicum* c), quae dixi evenisse V. C. 869.

IMP. XII. jungitur cum TR. P. XX. in insigni marmore apud Muratorium d). Est hic numerus iterati imperii postremus, saltem in monumentis certis, captusque forte ab expeditione postrema in Arabiam suscepta.

IMP. XIII. junctum cum TR. P. XIII. in marmore nuper reperto, quod dicatum fuit Trajano jam vita functo. Illud supra sub titulo trib. potestatis totum recitavi, ubi vide, quae de utriusque numeri insolentia observavi.

Numi Trajani falsi, aut suspecti.

Vetus est querela, vix alium esse imperatorem, cujus numi plures adulterini circumferantur. Ea labes Mediobarbi cumprimis catalogum in hujus Augusti numis corrupit, de quo dubites, utrum erudiat magis, an perturbet, quemque si sequare, fieri non potest, quin in avia certissime deducare. Lubet in eorum gratiam, qui deflectere a vera semita metuunt, ex omni Mediobarbi farragine nullo selectu corrasa nonnullos indicare, quos neque ipse sinceros unquam viderim, neque in sobriis catalogis vulgatos legerim, in quo critico examine jam praeclare versatus est cl. Valesius, cujus judicia vide in Actis Parisinis Inscript. Tomo XIV. pag. 116, et Tomo XVI. p. 145, quem ego appello libentius propterea, ne solus videar Mediobarbi laudibus velle detrahere.

V. C. 850. TRAIANVS IMP. CAESAR. *Capita Nervae, et Trajani in prospectu.*

851. ADOPTIO. *Figura militaris etc.*

854. TIGRIS. P. M. TR. P. etc. *Tigridis fluvii decumbentis symbolum.*

858. ARABIA. AVGVST. PROVINCIA. *Puer ducens capistro camelum etc.*

PORT. OST. S. C. *Portus Ostiensis etc.*

PONS. TRAIANI. DANVVIVS. *Pons etc.*

860. AEGYPTOS. *Sphingis typus.*

IND. P. R. in alio: INDIA. PRO. P. R. *Rhinoceros.*

TIGRIS. *Tigridis fluvii forma expressa.*

NILVS. *Nili typus etc.*

---

a) Pag. 450. 4. b) pag. 248. 2. c) L. LXVIII. §. 28. d) pag. 231. 4.

VIRTVS. AVGVSTI. TIGRIS. *Pons supra Tigrim stratus cum fluvii typo.*

V. C. 866. CIRCVS. TRAIAN. *Circus etc.*

NAVMACHIA. *Pugnae navalis in Tiberi exhibitae typus etc.*

BIBLIOTHECA. TRAIANI. *Ophus hexaphilon etc.* (sic)

867. ASSYRIA. IN. POTESTATEM. P. R. RED. *Figura stolata etc.*

868. ADIAB. S. P. Q. R. etc. *Figura captiva sedens etc.*

ASSYRIA. ET PALAESTINA. IN. POTEST. P. R. REDAC. *Mas et femina Assyrii etc.*

ADVENTVS. AVG. MAVRETANIAE, in alio: ADVENTVI. AVG. ARAB.

ARABIA. CAPTA. *Palma.*

DE CALDAEIS.

BABYLONIA. *Structura e lapide quadrato.*

EVPHRATES. *Pons etc.*

869. EXERCITVS. PARTH. *Imperator adloquitur cohortes.*

EXPEDITIO. AVG. PARTH. *Imperator eques etc.*

870. SELINVNTEM *in peristylio portae latae aedificii lapidei spoerici* (sic). Hunc numum proposuit etiam Harduinus in suo Plinio [a]), et more suo, nugas miscendo seriis, explicat. Trajanus apud Selinuntem mortuus fraudi occasionem dedit. Vide, quae de hoc numo praeterea diximus supra ad V. C. 870.

Cavendum a numis aeneis I. formae, inscriptis: BASILICA. VLPIA, vel: PORTVM. TRAIANI, nonnullisque aliis, quorum non pauca exstant exemplaria maligni commatis.

PRETIVM.

Commatis Romani:		
	Aurei, et argentei	C.
	Aenei I. et II. formae	C.
	Aenei III. formae	R.
Commatis peregrini:		
	Argentei max. mod.	RR.
	III. formae	R.
	Aenei urbium liberarum	R.
	Coloniarum	RR.
	Alexandrini	C.

a) L. V. §. 22.

POMPEIA PLOTINA.

De hac his verbis Plinius a): *Tibi uxor in decus, et gloriam cedit. Quid enim illa sanctius? quid antiquius? --- Eadem quam modica cultu? quam parca comitatu? quam civilis incessu?* Haec orator fortasse minus incorruptus, at easdem virtutes de mortua praedicat historia. Ita nimirum de illa Dio b): *Hujus uxor Plotina, cum primum ingrederetur palatium, conversa ad gradus, et ad confertos circumstantes,* talis, *inquiebat,* huc ingredior, qualem me exire cupio. *Atque ita sane se gessit in toto principatu, ut omni reprehensione caruerit.* Disertius Aurelius Victor c): *Pompeja Plotina incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Trajani,* et mox subjicit, correptum ab ea propter immodicas procuratorum exactiones maritum, et ad mitiora consilia conversum. Hadrianum ejus opera a Trajano fuisse adoptatum, cum quo teste Dione familiarius consueverat d), in hujus vita disseremus. Quo anno dicta fuerit Augusta, incertum. Testatur Plinius e), ei, atque Marcianae Trajani sorori oblatum a senatu hunc titulum, sed eas deprecatas, quamdiu Trajanus patris patriae appellationem recusasset. Hanc is satis mature accepit, nempe V. C. 852. Ergo utraque femina etiam tunc id cognomen nacta videri possit. Verum obstat, quod mox idem Plinius addit: *et sint, et habeantur Augustae, quia non vocantur.* Ergo tempore dicti panegyrici, nempe V. C. 853 eo nomine adhuc caruere. Ceterum in Trajani trib. potestate IX., quae coepit in autumno V. C. 858, utramque jam dictam fuisse Augustam, docet marmor apud Muratorium f). Mortua est imperante Hadriano, qui de se bene meritae basilicam apud Nemausum opere mirabili exstruxit g). Atratus etiam per novem dies fuit, et in ejus laudes carmina fecit h). Stetit quoque in Thracia urbs ab ejus nomine *Plotinopolis* dicta.

Numi vivo Trajano signati.

PLOTINA. AVG. IMP. TRAIANI. *Hujus caput.*
CAES. AVG. GERMA. DAC. COS. VI. P. P. *Vesta sedens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Signati sunt hi numi V. C. 865, vel parte priore anni 866; nam illo Trajanus processit consul VI., hoc labente cognomen *Optimi* collegit, quo praesentes numi abstinent.

Eadem adversa.

CAES. AVG. GERMA. DAC. COS. VI. P. P. *Ara ignita altior, prae qua sigillum Pudicitiae basi impositum, in imo:* ARA. PVDIC. AV. AR. (Vaill. Mus. Caes.)

Vidimus supra, Plotinam a Plinio propter vitae sanctitatem laudari, cum

---

a) Paneg. c. 83. b) L. LXVIII. §. 5. c) Epit. in Fl. Iuliano. d) L. LXIX. §. 1.
e) Paneg. c. 84. f) pag. 230. 7. g) Spartian. h) Dio L. LXIX. 10.

qua adeo *ara pudicitiae* egregie jugatur. Vidimus tamen etiam, a Dione huic ejus virtuti labem adspergi propter consuetudinem cum Hadriano. Iam prima Romae aetate stetit in urbe sacellum, et *ara pudicitiae*, tam patriciae, quam plebeiae [a]), cujus adhuc meminit Iuvenalis [b]):

Maura Pudicitiae veterem cum praeterit aram.

Eadem adversa.

FIDES. AVGVST. S. C. *Mulier stans d. spicas, s. canistrum.* AE. I. (Mus. Caes.)

PLOTINAE. AVG. TRAIANI. AVG. *Hujus caput.*

VENERI. GENETRICI. S. C. *Venus stans d. sursum elata, s. extenta.* AE. I. (Pembrock P. III. tab. 51.)

Numi mortuo Trajano signati.

PLOTINA. AVG. DIVI. *Caput Plotinae.*

TRAIANI. PARTHICI. *Vesta sedens.* Quin. AV. (Mus. Caes.)

* * *

PLOTINAE. AVG. *Hujus caput.*

IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANO. OPT. AVG. G. D. PART. *Protome Hadriani laureata.* AV.

Singularis hic numus, et cujus similis hactenus conspectus non est, ex eorum est numero, qui, ex auro omnes, ante annos non multos ad Castrum novum prope Centumcellas reperti sunt. Vide Museum Pio-Clementinum [c]). Insigne istud cimelium testatur filii Hadriani in matrem Plotinam adfectum.

Diva Plotina.

Plotinam consecratam testantur marmora apud Gruterum [d]), in quibus produntur *Aemilia*, et *Cantia sacerd. divae Plotinae*, tum templum ejus honori apud Nemausum erectum [e]), denique numi sequentes:

PLOTINA. AVG. IMP. TRAIANI. *Hujus caput.*

CONSECRATIO. *Aquila stans.* Quin. (Mus. Caes.)

DIVAE. PLOTINAE. AVGVSTI. MATRI. *Hujus caput, prae quo astrum.*

DIVO. TRAIANO. AVGVSTI. PATRI. *Caput Trajani nudum, prae quo astrum.* AV. (Mus. Caes.)

Epigraphe incerta. Caput Hadriani.

DIVIS. PARENTIBVS. *Capita adversa* (*in aliis jugata*) *Trajani, et Plotinae astris insignita.* AV. (Vaill. in Hadriano.)

Binos numos postremos illustrat marmor, quod post Maffeium edidit Donatus [f]): DIVO. NERVAE. TRAIANO. PARTHICO. ET. DIVAE. PLOTINAE. etc. IMP. HADRIANVS. etc. PARENTIBVS. SVIS.

* * *

DIVI. NERVA. P. ET. PLOTINA. AVG. IMP. TRAIANI. *Capita adversa, Nervae laureatum, et Plotinae.*

IMP. CAES. NER. TRAIAN. OPTIM. AVG. P. M. TR. P. COS. VI P. P. *Caput Trajani laureatum.* AV. (Vaill. Num. praest. in Trajano. Morelli Specim. p. 58. Liebe p. 441.)

---

a) Liv. L. X. c. 23. b) Sat. VI. 307. c) Tom. I. p. 96. d) pag. 322. 1. 2. e) Spartian. Dio L. LXIX. 10. f) ad Thes. Murat. p. 138. 10.

Cum in numo praesente Plotina diva dicatur, jure arguit Vaillantius, eum non a Trajano, qui uxore superstite decessit, feriri potuisse. Signatus igitur est ab Hadriano, etsi hujus nomen reticeatur, in honorem majorum, qui sibi per adoptionem accessere. Mirum tamen, atque omnino singulare quid numus hic offert, nimirum si is mortuo Trajano signatus est, omitti nomen DIVI, quod tamen additur ad caput Plotinae, quae pluribus post maritum annis mortua, et consecrata demum est. Verum habeatur fides Vaillantio, et Morellio, qui eum ex museo regio edidere, et Liebeo autoptae, qui similem suum ex museo Saxo-gothano adcuratius vulgavit.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

Rari sunt hujus classis numi, quos videre est apud Vaillantium, Pellerinium, et in compilatione Gessneri. At singularis est numus a Pellerinio propositus a), et signatus apud Mytilenen, in quo exhibentur capita Plotinae, et Matidiae, etsi in hoc misere vapulet orthographia, cum harum nomina scripta legantur hoc modo: ΠΛΩΤΤ. et MATT.

Coloniarum.

Harum numi prioribus sunt multo rariores.

PRETIVM.

Commatis Romani:		
	Aurei, et argentei	RR.
	Aenei I. formae	RRR.
	Aenei I. et II. formae	O.
Commatis peregrini:		
	Vrbium liberarum	RR.
	Coloniarum	RRR.
	Alexandrini	O.

MARCIANA.

Trajani soror, Matidiae, de qua mox infra, mater. Cui nupta fuerit, in ea ejus aetatis historiae caligine ignoramus. Plinius, quo loco Plotinae laudes persequitur, etiam Marcianam celebrat b), quas laudes nisi adulatio infecit, fuit singulari simplicitate, candore, moderatione, nulla adversum potentem fratris uxorem aemulatione. Addit, ab ea Plotinae exemplo aliquamdiu recu-

a) Rec. III. p. 229. b) Paneg. c. 84.

satum *Augustae* cognomen id tamen subinde admissum, etsi ignoretur annus, marmora et numi docent, ut supra in Plotina dictum. Annum quoque nescimus, quo mortem obivit. Constat ex marmore Muratorii a), eam vixisse adhuc in Trajani trib. potestate IX., quae coepit V. C. 858. Sed etiam constat, eam in ejus trib. potestate XVIII., quae inivit circa autumnum V. C. 867, in vivis amplius non fuisse. Nam in epigrammate arcus Anconitani per hunc tribunatum posito, quod vulgavit Gruterus b), *divae* appellatione decoratur, quamquam sint, qui ibi legant TR. POT. XVIIII., ut supra in Trajano sub titulo *Imperator* monui. Ejus quoque honori Trajanus in Moesia inferiore urbem statuit, a nomine dictam *Marcianopolin*, Ponte Euxino adsitam, et diu non parum illustrem. Post mortem divinos honores abstulisse, infra docebitur

Numi.

MARCIANA. AVG. SOROR. IMP. TRAIANI. *Hujus Caput.*
CAES. AVG. GERMA. DAC. COS. V. P. P. *infra:* MATIDIA. AVG. F. *Mulier sedens inter duos infantes adstantes.* AR. (Morelli Specim. p. 100.)

Eadem adversa.
CAES. AVG. GERMA. DAC. COS. VI. P. P. *infra:* MATIDIA. AVG. *Mulier sedens inter duos infantes adstantes.* AR. (Mus. Caes.)

Bis in prioris numi explicatione peccat insignis Morellius, I. quod epigraphen aversae expleat hoc modo: MATIDIA. AVG*usti* F*ilia.* Matidia *Augusti* filia non fuit, sed AVG*ustae*, nempe Marcianae. Explendum igitur legendo: AVG*ustae* F*ilia.* II. quod adstantes infantes Matidiae filias faciat, quae fuere Sabina, et Matidia junior. Infantium in his numis idem sensus est, qui in aliis Matidiae numis, in quibus sistitur similis mulier, sed stans et utraque manu pusionem gestans, scriptos juxta: PIETAS. AVGVST., quibus in numis Vaillantius quoque binas Matidiae filias videt. Teste Spartiano Sabina Hadriano nupsit V. C. 853. Non modo numi bini, quos hic proposui, multo serius sunt signati, quia consulatus V. et VI. iis inscripti leguntur, sed etiam laudatus numus Vaillantii; nam hoc anno, ut in Plotina, et nunc in Marciana vidimus, neque mater Marciana, multo minus filia Matidia *Augustae* adhuc titulum tulere. Sequeretur ergo, Sabinam jam pridem Hadriano nuptam adhuc in matris Matidiae sinu gestari, quod absurdum jam notavit Khellius c). Indicatur ergo his typis Matidiae *pietas* in genus humanum, quae Trajani exemplum imitata procuratis alimentis tenerae aetati providerit.

Diva Marciana.

Marcianam coelitum numero insertam praeter numos sequentes probant etiam marmora. Apud Gruterum exstat lapis positus Cetraniae Severinae SACERDOTI. DIVAE. MARCIAN*ae.* Quo anno hos honores adepta sit, in occulto est. Scimus solum, divam jam fuisse circa

a) Pag. 230. 7. b) pag. 247. 6. c) Subplem. p. 66.

annum V. C. 867, quoniam in arcu portus Anconitani, qui Trajani trib. potestatem XVIII. memorat, (nisi forte legendum XVIIII., ut in Trajano sub titulo *imperatoris* dictum) legitur: DIVAE. MARCIANAE. AVG. SORORI. AVG. a).

DIVA. AVGVSTA. MARCIANA. *Hujus caput.*

CONSECRATIO. *Aquila stans.* AV. item Quin. AV. AR. et AE. I. addito S. C. Sunt omnes in museo Caesareo.

Eadem adversa.

CONSECRATIO. *Thensa a duobus equis vecta.* AR. (Vaill.)

Eadem adversa.

EX. SENATVSCONSVLTO. *Thensa a duobus elephantis cum sessoribus vecta, supra quam figura velata.* AR. AE. I. (Vaill. Mus. Christinae.)

Eadem adversa.

LIBERTAS. PVBLICA. *Mulier stans d. --- s. hastam transversam.* AR. (Pembrock P. III. tab. 24.)

Numi commatis peregrini.

Vnum Sardibus percussum ex thesauro regis Galliarum stitit Vaillantius b). Philadelphiae Lydiae, et Aleae Arcadiae signatos protulit Arigonius. Ejusdem alium sibi oblatum putavit Haymius signatum Marcianopoli Moesiae inferioris, verum in eo non esse legendum ΜΑΡΚΙΑΝΑ, sed ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙC, dixi in urbis hujus moneta.

Coloniarum numi desiderantur.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei, et argentei - - - - - -	RR.
Aenei I. formae - - - - - - -	RRR.
Aenei II. et III. formae - - - - -	O.
Commatis peregrini:	
Liberarum urbium - - - - - -	RRR.
Coloniarum - - - - - - - -	O.
Alexandrini - - - - - - - -	O.

MATIDIA.

Marcianae Augustae Trajani sororis filia. Patrem ignoramus, ut et maritum, ex quo Sabinam peperit, quae vivo adhuc Trajano cum Hadriano juncta fuit. Trajani patrui cineres una cum Plotina in urbem comitatam refert Spartianus c). Reliquam ejus vitam aetas obliteravit. A Trajano *Augustae* titulum abstulisse, testantur numi, sed ignoratur ejus collati annus. Supra in primo Marcianae numo vidimus, eam in Trajani consulatu V. nondum dici

a) Grut. pag. 247. 6. b) in Num. Graec. c) in Hadr. c. 5.

Augustam, sed solum Augustae filiam. At in consulatu VI. Augustae honore fuisse ornatam, alter Marcianae nummus docet. In divarum numerum relatam infra videbimus.

Proles:

I. SABINA Hadriani Aug. uxor.

II. MATIDIA junior. Hujus meminere trina epigrammata, quae fere conspirant a). Horum unum sic junioris hujus Matidiae genus persequitur:

MATIDIAE
AVG. FIL. DIVAE
MARCIANAE. AVG.
NEPTI. DIVAE. SABINAE
AVG. SORORI
IMP. ANTONINI
AVG. PII. P. P. MATERTERAE
MINTVRNENSES
D. D.

Cum nostra haec Matidia in hoc marmore dicatur quidem filia Augustae, sed non ipsa Augusta, et quidem adhuc tempore Antonini Pii, docemur, eam neque in provectiore aetate Augustae titulum tulisse. Observandum praeterea ad hoc Minturnensium epigramma, multum laborare Tillemontium, qua ratione junior haec Matidia dici queat Antonini Pii matertera, seu matris soror, (*tante maternelle*) dum constat, hujus Augusti matrem fuisse Arriam Fadillam; et miratur, si vere ejus matertera exstitit, feminam tam illustrem omissam fuisse a Capitolino, qui tamen hujus Augusti genus ac stirpem prolixe commemorat. Quare varias illatae hujus necessitudinis conjecturas proponit, neque tamen sibi satisfacit b). Etiam Reinesius subsidia ex genealogia quaerit, sed incassum c). At vero facile aenigma istud solvitur, si duplicem necessitudinis conditionem spectemus, aliam, quam efficit natura, aliam, quam adoptio. Secundum priorem modum non fuit Matidia Antonini matertera, ac propterea omissa fuit a Capitolino, qui naturalem tantum stirpem enarrare instituit; at fuit talis per adoptionis legem; nam secundum hanc Sabina facta est mater Antonini, et, quod consequitur, Sabinae soror Matidia junior evasit matertera Antonini, atque hoc titulo usi Minturnenses, qui marmor illud huic Matidiae honoris causa posuere, commemorato primum naturali cum praecedentibus Augustis nexu, in hujus defectu adscititium collaudant, ut eam per adulationem cum imperantis principis domo possint conjungere. Sane si Sabina potuit dici mater Antonini Pii, nempe per adoptionem, ut habetur in marmore Gruteriano d), etiam Sabinae soror Matidia dici potuit ejus Augusti matertera, per adoptionem item.

Iunior haec Matidia numis caret.

Numi:

MATIDIA. AVG. F. *in area:* CAES. AVG. GERMA. DAC. COS. V. P. P. *Mulier sedens inter duos infantes adstantes.*

MARCIANA. AVG. SOROR. IMP. TRAIANI. *Caput Marcianae.* AR. (Morelli Specim. p. 100.)

a) Gruter p. 252. 9. 10. et p. 1085. 3. b) Nota I. in Ant. Pium. c) Inscr. Class. III. n. 20. d) pag. 252. 7.

Alius, similis sed: MATIDIA. AVG. *et* COS. VI. AR. (Mus. Caes.)

Horum numorum explicationem pete ex primis Marcianae numis, et ex iis, quae supra de Matidia nostra diximus.

MATIDIAE. AVG. *Hujus caput.*
PLOTINAE. AVG. *Caput Plotinae.* AV. (Mus. Caes.)

Erat Plotinae gravis ratio Matidiam observandi. Effecit illa artibus suis, ut Hadrianus, quem impensius amabat, hujus filiae Sabinae nuberet, quo facto viam amasio suo, qui adeo per Trajani proneptem Caesareae domui conjunctus fuit, ad adoptionem stravit. En praecipuam causam nexus, qui inter utramque feminam intercessit, et quem praesens numus confirmat. Vtramque etiam conjunctam infra in Mytilenes numo intuebimur.

MATIDIA. AVG. DIVAE. MARCIANAE. F. *Hujus caput.*
PIETAS. AVGVST. *Mulier stans inter duos infantes.* AV. AR. item AE. I. addito S. C. (Sunt omnes in museo Caesareo.)

Eadem adversa.
PIETAS. *in alio:* PIETAS. AVGVST. *Mulier stans utraque manu infantem gestat.* AR. (Vaill. Khell. Suppl.)

Horum numorum explicationem ex Marcianae numis arcesse.

Eadem adversa.
PIETAS. AVG. *Mulier ad tripodem sacrificans.* AV. AR. (Vaill. Khell. Subplem.)

Diva Matidia.

Matidiam fuisse consecratam, soli fere numi docent, a quo, quatenus iri potest, indagandum. Vaillantius ex verbis Spartiani [a]): Hadrianus *socrui suae honores praecipuos impendit ludis gladiatoriis, ceterisque officiis*, arguit, eam ab Hadriano *divae* honores adeptam. Sin istud, credo, Spartianum, quod supremum, ac summum erat officium, nequaquam fuisse dissimulaturum. At enim video in marmore Minturnensium, quod supra recitavi, quodque Antonini Pii aetate Matidiae junioris honori positum fuit non dici: MATIDIAE. DIVAE. AVG. FIL., sed tantum: MATIDIAE. AVG. FIL. Quare si mortua jam tum, et consecrata fuisset senior Matidia, tam parum omissus fuisset in hac titulus DIVAE, quam parum in eodem marmore omissus fuit juxta nomina Marcianae matris, et Sabinae filiae. Videtur ergo protracta in LXX. saltem annos aetate sub Antonino mortua, et ab hoc inter divas relata. Verum quae hic disputo, tum solum valebunt, cum quis Hadriani numum, quem mox secundo loco subjiciam, et qui consecratam ab hoc Matidiam testificatur, inter adulterinos volet ablegare.

DIVA. AVGVSTA. MATIDIA. *Hujus caput.*
CONSECRATO. *Aquila stans.* AV. (Mus. Caes.)

En certissimum ex aureo hoc numo Matidiae consecratae testimonium. Sed ejus memoriam conservavit etiam plumbum. Nam tubo hujus metalli Romae reperto Sponius inscriptum legit: TEMPLO. MATIDIAE [b]).

---

a) In Hadr. b) Miscell. p. 55.

* * *

IMP. CAESAR. TRAIAN. HADRIANVS. AVG. P. M. TR. P. COS. III. *Caput laureatum Hadriani.*

DIVAE. MATIDIAE. SOCRVI. S. C. *Templum, intra quod figura sedens, hinc et illinc sacellum, intra quod Victoria, ut videtur, basi insistens, et coronam offerens; utrinque porrigitur porticus.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Numum hunc mole sua conspicuum nam praeterquam quod volumen numorum I. formae excedit, solito etiam est crassior, et ex Romano Carthusianorum museo Vindobonam translatum, genuinum judicavere antiquarii Romani [a]), et Frölichius [b]). Pars numi antica videtur fraudis suspicione carere, opus aversae non ejusdem candoris est. Veniam dabit lector, si tristior sum in adprobandis numis, a quorum agnito valore pendet veritas historica. Hic numus si genuinus est, certi erimus, Hadriano imperante mortuam Matidiam, et consecratam, de quo aliorsum dubitari posse, continuo diximus. Nescio, quo obducto oculis glaucomate Casaubonus ad citatum supra Spartiani locum Marcianam possit pro Matidia Hadriani socrum profiteri.

Numi commatis peregrini.

ΜΑΤΙΔΙΑ. ΜΥΤΙ. *Caput Matidiae.* ΠΑΝΚΡΑΤΙΔΗϹ. *Aesculapius stans.* AE. III.

Numum hunc edidit Vaillantius ex museo Foucault, et hoc Parmam translato restituit Pioveneus, sed legit ΠΑΝΚΡΑΤΙΔΕϹ. Similis citatur etiam in museo Theupoli.

Alium apud eandem Mytilenen percussum, in quo Matidia cum Plotina jungitur, in hujus moneta memoravi.

Trallianum Lydiae edidit Haymius.

PRETIVM.

Commatis Romani:		
	Aurei, et argentei - - - - - -	RR.
	Aenei I. formae - - - - - - -	RRR.
	Aenei II. et III. formae - - - - -	O.
Commatis peregrini:		
	Vrbium liberarum - - - - - -	RRR.
	Coloniarum - - - - - - - -	O.
	Alexandrini - - - - - - - -	O.

a) Baldinus in Vaillant. edit. Rom. Tom. III. p. 118. b). Cimel. Vindob. P. II. p. V.

HADRIANVS.

P. Aelio Hadriano, ut eum vocat Dio [a]), major patria fuit Hadria Piceni, unde majores ejus profecti Scipionum aetate apud Italicam Hispaniae consederunt [b]). Pater ejus fuit Aelius Hadrianus cognomento Afer, mater Domitia Paulina domo Gadibus, natusque est Romae IX. Kal. Febr. V. C. 829 [c]), secundum alios Italicae [d]). Decennis patre orbatus in tutelam Trajano consobrino suo ac municipi, subinde Augusto, at tum praetori datus est [e]). Obitis primae aetatis muniis translatus in Moesiam, subinde profectus ad Trajanum, ut novum adoptione Caesarem salutaret, et exercitus gratulationem deferret, in Germania superiore consistere jussus est [f]). Trajano cum propter mores, tum formam charus primum, dein ducta ejus ex sorore Marciana nepte Sabina arctius eidem conjunctus viam ad supremum fastigium planiorem est nactus. V. C. 854 quaestor, atque exacto hoc munere ad bellum Dacicum Trajanum est prosecutus. V. C. 858 tribunus plebis, eodemque fere tempore alteram expeditionem Dacicam sectatus, praepositusque legioni I. Minerviae praeclara edidit virtutis specimina [g]). Confecto hoc bello praetor ludos magnificos edidit [h]). Post haec legatus pro praetore in Pannoniam inferiorem missus compressis Sarmatis consulatum sibi emeruit, qui tamen ordinarius non fuit, sed suffectus [i]). Hunc consulatum Panvinius anno V. C. 862 illigat. Magis deinde in familiaritatem Trajani admissus Plotinae praecipue studio, destinatus est legatus ad imminens bellum Parthicum. V. C. 870 cum Trajanus propter adversam valetudinem reditum ex Oriente pararet, Hadrianum in annum sequentem Plotina agente consulem designatum in Syria cum exercitu reliquit [k]). Neque multo post Trajanus apud Selinuntem Ciliciae ad extrema deductus invitus quidem, verum uxore machinas omnes admovente Hadrianum adoptavit [l]). Nec desunt, qui celatam per aliquot dies Trajani mortem, et compositas interim a Plotina adoptionis tabulas, easque ad senatum missas adsererent [m]).

HADRIANVS CAESAR.

Numorum Hadriani agmen ducat numus mirae indolis:

IMP. CAES. NER. TRAIAN. OPTIM. AVG. GERM. DAC. *Caput Trajani laureatum.*

HADRIANO. TRAIANO. CAESARI. *Caput Hadriani laureatum.* AV.

---

a) L. LXVIII. §. 33. b) Spartian. Victor in Epit. c) Spartian. d) Eutropius, Iornandes, Hieronym. in Chron. Euseb. e) Spartian. Dio. f) Spartian. g) ibid. h) ibid. i) Spart. Dio L. LXIX. k) Spart. Dio L. LXVIII. §. 33. et L. LXIX. §. 1. l) Eutrop. Spartian. m) Spartian. Dio L. LXIX. §. 1. Victor in Caess. Cedrenus.

Numum hunc ex museo de Cleves edidit, illustravitque Belleyus, iterato testatus, antiquitatis illum esse plane indubitatae [a]). Praefari istud necesse fuit, quod plura cimelium istud continet, quae historiae, et chronologiae adversantur. Vtrum velis, arguit Belleyus, seu vivo Trajano, seu mortuo signatum statuas, inter malleum et incudem deprehensus es medius. Sin mortuo, cur, inquit, abest titulus DIVI? (tametsi minus premat haec difficultas, quia Trajanus dici DIVVS non potuit, antequam senatus Romae consecrationem mortuo decerneret) et cur Hadrianus, qui mox intellecta Trajani morte Augustum sese dixit, adhuc dicitur Caesar? Sin vivo, qua ratione intra triduum feriri potuit hic numus, cum constet, Trajanum, posteaquam Hadrianum principio Augusti V. C. 870 in extremo suo morbo adoptavit, post triduum excessisse? Cur deinde abest titulus *Parthici*, quo Trajanum jam anno praecedente in omnibus suis numis usum novimus? Denique cur peccatur in nominum ordine, quando Hadrianus adoptatus dicendus fuerat TRAIANVS HADRIANVS, non HADRIANVS TRAIANVS? Haec paradoxa impulere Belleyum, ut crederet, Plotinam, quam constat omnes adhibuisse machinas, ut ab aegroto marito Hadriani sui adoptionem extorqueret, sic ut teste Dione crederetur etiam, totum hoc adoptionis negotium ab uxore inscio Trajano fuisse peractum, Plotinam, inquam, vivo adhuc, sed languente marito numos similes furtive cusos sparsisse inscripto Hadriani Caesaris nomine, ut vere a Trajano adoptatus crederetur. En tibi Belleyi conjecturas verisimiles quidem, tamen ad explicandam numi vere antiqui insolentiam necessario arcessitas. Et vero opus deproperatum, et non in otio confectum arguunt non modo nomina Hadriani male, ut dixi, sibi succedentia, sed etiam pars adversa male cum aversa sociata. Etenim in parte adversa numorum Trajani postremo ejus biennio signatorum tum tantum omittitur titulus PARTHICO, quando is in partem aversam fuit trajectus; ergo is in praesentis numi antica omittendus non fuit. Ergo monetarius, dum opus urget, inconsulto matricem arripuit, alterius generis aversis destinatam. Posset hic numus juvare Dodwellum, qui inter adoptionem Hadriani, et mortem Trajani annum interponit [b]), si qua posset esse fiducia in numo unico, et quem variae, justaeque causae fratribus dissimilem arguunt.

V. C. 870 *P. X.* 117.

AVGVSTVS. TR. P. COS. DES. II. P. M. P. P. OPT. GERM. DAC. PARTH.

Quinctio Nigro, *C. Vipstanio Aproniano cos.*

Hadrianus V. idus Aug. Antiochiae literas adoptionis accipit, quem diem deinceps natalem adoptionis celebravit. III. idus Aug. excessus Trajani nunciatur, qui dies subinde natalis imperii ha-

---

a) B. L. Mem. Tom. XXIV. p. 89.

b) Append. ad dissert. Cyprian. XXXX. seq.

hitus [a]). Continuo legiones ex Armenia, Mesopotamia, et Assyria, quoniam difficulter teneri poterant, abducit, Euphrate imperii limite constituto [b]). Antiochia digreditur ad inspiciendas Trajani reliquias, quibus Romam missis Antiochiam repetit [c]).

A. IMP. CAE. DI. TRAIAN. F. DI. NER. NEP. TRA. HADRIANO. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

B. IMP. CAES. DIVI. TRAIAN. AVG. F. TRAIAN. HADRIAN. OPT. AVG. GER. *Caput laureatum, in AE. I.*

C. IMP. CAES. DIVI. TRAIAN. PARTH. F. DIVI. NER. NEP. TRAIANO. HADRIANO. AVG. *Caput laureatum, in AE. I.*

D. IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANO. AVG. DIVI. TRA. PARTH. F. *Caput laureatum, in AV.*

E. IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANO. AVG. DIVI. TRA. *Caput laureatum, in AR.*

F. IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANO. OPT. AVG. GER. DAC. *Caput laureatum, in AR.*

G. IMP. CAESAR. TRAIAN. HADRIANVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

H. IMP. CAESAR. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. *Caput laureatum, in AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

Animadversiones ad capitis cultum vide infra in prolegomenis ad numos consulatus III.

* * *

Vt lit. A.

ADOPTIO. TRIBVNIC. POTESTAS. *Trajanus, et Hadrianus togati stantes jungunt dexteras.* AR. (Mus. Caes.)

Fictus hic est adoptionis typus Trajano paucis post hanc peractam diebus apud Selinuntem Ciliciae mortuo, et Hadriano interea Antiochiae Syriae absente. De hac adoptione paullo supra egimus. Idem typus infra in numis aeneis I. formae redibit.

Vt lit. B.

DAC. PARTHICO. P. M. TR. P. COS. P. P. S. C. *Trajanus, et Hadrianus togati stantes globum una tenent.* AE. I. (Mus. Caes.)

Hic numus, ut et sequentes aliquot Hadrianum jam anno praesente *patrem patriae* appellant, quod repugnat oraculo historicorum. Sed de hoc vide plura ad calcem numorum Hadriani sub titulo: *Pater patriae.*

Vt lit. D.

DIVI. NER*vae* NEP*oti* P. M. TR. P. COS. *infra:* FORT. RED. *Fortuna sedens.* In aliis: ORIENS. *Caput Solis radiatum.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. E.

PARTH. F. DIVI. NER. NEP. P. M. TR. P. COS. *infra:* CONCORD. *vel:*

a) Spart. b) Spart. Eutrop. c) ibid.

IVSTITIA. *vel*: PAX. *vel:* PIETAS. *cum typis congruis.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. F.

PARTHIC. DIVI. TRAIAN. AVG. F. P. M. TR. P. COS. P. P. *scripto infra, vel omisso vocabulo* ADOPTIO. *Trajanus, et Hadrianus togati stantes jungunt dexteras.* In aliis: PAX. *vel* PIETAS. *etc.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

P. M. TR. P. COS. DES. II. *infra* PAX. PIETAS. *etc. cum suis typis.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. C, in aliis, ut lit. H.

PONT. MAX. TR. POT. COS. S. C. *in aliis:* COS. DES. II., *infra:* CONCORDIA, *vel:* FORT. RED. *cum suis typis.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

PONT. MAX. TR. POT. COS. *Binae figurae togatae sedentes in substructione adstante Liberalitate, ad singulas hinc et illinc adscendit figura congiarium acceptura.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numus hic, ut ex consulatu simplice patet, est anni praesentis. Praeterquam quod *militibus ob auspicia imperii duplicem largitionem dedit*, populi etiam benevolentiam captavit, mox ab adito imperio *ternis per singulos aureis se absente divisis.* Vtriusque facti auctor est Spartianus. Ergo viri duo togati sedentes par consulum sunt, qui vice Caesaris absentis imperato congiario praesident.

V. C. 871 *P. X.* 118.

TR. P. I. II. COS. II. DES. III. P. M. OPT. GERM. DAC. PARTH.

Abest in anni hujus numis P. P., *de quo vide infra sub titulo Patris patriae.*

Hadrianus Aug. II. Ti. Claud. Fusco Salinatore cos.

Romam revertitur, et mox Trajanum consecrat. Populo debitum fisci remittit. Singula comprobantur numis.

A. IMP. CAESAR. TRAIAN. HADRIANVS. AVG. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. TRAIAN. HADRIANO. OPT. AVG. G. D. PART. *Caput laureatum, in AV.*

C. IMP. CAESAR. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. *Caput laureatum, in AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

D. IMP. CAES. DIVI. TRA. PARTH. F. DIVI. NER. NEP. TRAIANO. HADRIANO. AVG. *Caput laureatum, in AE. II.*

E. IMP. CAESAR. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. P. M. TR. P. COS. II. *Caput laureatum, in AE. I.*

F. IMP. CAES. HADRIAN. DIVI. NER. TRAIAN. OPT. FIL. *Caput laureatum, in AR.*

* * *

Vt lit. C.

ADVENTVS. AVG. PONT. MAX. TR. POT. COS. II. S. C. *Roma galeata armis insidens s. hastam dexteram jungit cum imperatore paludato adstante.* AE. I. II.

Rebus omnibus in Syria ordinatis Hadrianum per Illyricum Romam profectum refert Spartianus, atque istud accidisse hoc anno, per inscriptum COS. II. testatur numus praesens.

Vt lit. F.

AVG. GER. DAC. PAR. P. M. TR. P. COS. ITERO. (*sic*) S. P. Q. R. *Figura militaris stans d. hastam, s. parazonium.* AR. (Mus. Caes.)

Hunc numum olim vulgavi [a]), non modo quod in pluribus causis differt a cognitis hactenus Hadriani numis, sed etiam propter singularem modum scripti ITERO pro ITERVM. Vide, quae ibi amplius disputavi. Ceterum numus est elegantis operis, ut vulgo est omnis Hadriani moneta, et nullatenus suspectus.

Vt lit. B.

DIVO. TRAIANO. PATRI. *Caput Trajani laureatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Fuit Hadriano in urbem reduci in primis curis, in coelitum numerum patrem de se optime meritum referre, ut testatur Spartianus. Qua istud ratione praestiterit, supra in Divi Trajani numis diximus.

Vt lit. C.

LIBERALITAS. AVG. PONT. MAX. TR. POT. COS. II. S. C. *Duae figurae togatae in suggestu sedentes, retro Liberalitas stans cum tessera, et alia figura per gradus adscendens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Alius, sed TR. P. II. AE. max. mod. (Vaill. Num. praest. T. III. p. 116.)

In numis anni superioris congiarium primum vidimus, en alterum in praesente. Verba sunt Spartiani [b]): Hadrianus *ad refellendam tristissimam de se opinionem, quod occidi passus esset uno tempore quatuor consulares, Romam venit --- et ad comprimendam de se famam congiarium duplex praesens populo dedit, ternis jam per singulos aureis se absente divisis.* Habemus ergo jam congiaria terna, unum anni praecedentis distributis viritim numis aureis ternis, alterum duplex hujus anni, quod tamen fortasse uno nomine fuit intellectum; nam liberalitas III. occurrit demum in consulatu III. Fuisse tamen distributa diverso tempore, uterque hoc loco laudatus numus docet, quorum prior simpliciter TR. POT., sed alter TR. P. II. enunciat, nisi forte in priore dissimulatus fuit numerus, quod fere constanter in Hadriani moneta factum. Vaillantius aeneum prodidit inscriptum: LIBERALITAS. AVG. II. *Liberalitas stans.* Verum cum pro more anticam reticeat, atque ignoremus adeo, utrum numus signatus sit in consulatu II. vel III., inutilis ad causam nostram omnino est. Dixi ad numum similem anni prioris, utroque viro sedente exhiberi par consulum, per quos absente Hadriano liberalitas peragebatur. At cum congiario alteri anni hujus teste Spartiano adfuerit imperator ipse, ejusque numi binos etiam viros in suggestu sedentes proponant, dubium non videtur, etiam in his, quo civilius istud haberetur, exhiberi anni hujus consules, nempe Hadrianum, alterumque seu ordinarium, seu suffectum. Vaillantius figuram adsidentem ait esse Sabinam. At enim adduci non possum, ut credam, aut tantum sibi sumpsisse Sabinam, aut

a) Sylloge I. p. 101. b) Cap. 7.

tantum mulieri indultum fuisse ab Hadriano non magnopere uxorio.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. II. *in aliis:* COS. DES.III. infra: AET. AVG. vel: ORIENS. vel: PAX. vel: SALVS. etc. cum typis propriis. AV. AR. (Mus. Caes.)

Hujus rationis est potior pars monetae aureae, et argenteae hujus anni.

Vt lit. E.

RELIQVA. VETERA. HS. NOVIES. MILL. ABOLITA. S. C. *Lictor stans syngraphas humi jacentes admota face comburit, s. fasces. In aliis: adstant praeterea duae aliae figurae, in aliis tres.* AE. I. (Mus. Caes.)

Argumentum horum numorum ex illustrioribus unum est, quae ars nostra complectitur, quod ut plenius intelligatur, lubet marmor eodem pertinens et pluribus verbis inscriptum, etsi turpiter interpolatum, ex Grutero proponere [a]):

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. D. NERVAE. NEP. TRAIANO. HADRIANO. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II. QVOD VNVS. OMNIVM. PRINCIPVM. ET SOLVS. REMITTENDO. SESTERTIVM. NOVIES. MILLIES. CENTENA MILLIA. N. DEBITVM. FISCI. NON PRAESENTES. MODO. SED. ET. POSTEROS. SVOS. PRAESTITIT. HAC LIBERALITATE. SECVROS.

Haberem, quod adderem, marmor aliud Hispaniense ex Donio a Muratorio transcriptum [b]), atque idem argumentum continens, sed cui, quod insolentia multa continet, fides exigua habenda videtur. Coaevis his monumentis addamus testimonia historicorum. Hos inter Spartianus memorat [c]): *Ad colligendam autem gratiam nihil praetermittens infinitam pecuniam, quae fisco debebatur, privatis debitoribus in urbe, atque Italia, in provinciis vero etiam ex reliquiis ingentes summas remisit, syngraphis in foro divi Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis.* Et Dio [d]): *Vt Romam venit, quidquid aut fisco, aut publico Romanorum aerario debebatur, remisit, sexdecim annorum definiens tempus, ex quo, et usque ad quod tempus beneficium istud observandum esset.* Omitto Eusebium, Cassiodorum, Chronicon paschale, qui omnes hanc Hadriani insignem liberalitatem depraedicant. Nomine autem *reliquorum veterum*, quae in numo memorantur, intelliguntur publica, et fiscalia debita e residuis provincialium tributis, aut vectigalibus, ut notat Spanhemius, qui utriusque vocabuli verum sensum copiosis exemplis illustrat, quem praecipue adi [e]). Ea laudatum marmor compendio vocat *debitum fisci.* Summa in numo indicata efficit circiter sexaginta milliones florenorum Austriacorum, aut triginta milliones scutorum Romanorum, quo aestimare liceat cum beneficii ipsius magnitudinem, tum capacem inauditae liberalitatis Hadriani animum. Factum istud anno praesente, consulatus II. numo inscriptus invicte comprobat, et cum marmor praeter hunc consulatum insuper memoret trib. potestatam II., quae

a) Pag 10. 6. b) pag. 451. 1. c) Cap. 7. d) L. LXIX. §. 8. e) Tom. II. p. 553.

coepit circa dimidium Augusti hujus anni, certi insuper reddimur, eam liberalitatem inde usque ad proximas Kalendas Ianuarias exercitam, quibus consulatum III. Hadrianus inivit. Ceterum qui alii imperatores superioris, et inferioris aetatis simili beneficio claruerint, et quae alia ad hanc debiti remissionem pertinent, et quam difficultatem offerant verba Dionis sexdecim annorum tempus definientis, ne in hoc meo instituto longior sim, vide apud Spanhemium a), et Tillemontium b).

Typus in his numis modum ipsum, quo abolitum est fisci debitum, exprimit. Eodem exemplo jam olim Spartani *τα παρα των χρεωςων γραμματεια συνεισενεγκαντες ἐις ἀγοραν, ἁ κλαρια καλουσι, και παντα συνθεντες ἐις ἑν, ἐνεπρησαν, congestas in forum debitorum syngraphas, quas claria appellant, omnes coacervatas concremaverunt* c). Teste Livio d) reperti, cum ager foderetur, libri Numae Pompilii *in comitio, igne a victimariis facto in conspectu populi cremati sunt.* Hactenus omnes, qui horum numorum meminere, adseruerunt, in aversa exhiberi imperatorem stantem, et sinistra sceptrum tenentem. Verum in integerrimo numo ac nitidissimo musei Caesarei non sceptrum in manu hominis comburentis, sed fasces cum securi, solita lictorum arma, video, qui adeo in his numi proponitur exsequendo Hadriani jussu occupatus.

ANIMADVERSIO

in universam reliquam Hadriani monetam.

Labyrinthi inexplicabiles meatus ingredimur, reliquam, eamque numerosam Hadriani monetam lustraturi. Nam quod proximis Kalendis Ianuariis V. C. 872 consulatum III. ingressus eum deinceps magistratum per omnem vitam non amplius suscepit, eo quidem repudiato honore modestiam suam probavit, qui immodice repetitus in Domitiano arrogantiae signum fuit, at scientiae nostrae, et temporum cognitioni parum consuluit. Et ferendus esset hic defectus, si modo monetariis iteratae trib. potestatis numerum addere libuisset, quod plerumque in aliorum imperatorum numis factum. At enim ignotum fuit anteactae aetati, eam aliquando fore historiae sortem, ut ab numis mutuari lucem cogeretur. Ergo cum Hadrianus perpetuo deinceps inscribatur COS. III., absit numerus trib. potestatis, ipsa vero numorum argumenta etsi non raro historiam, vix tamen unquam chronologiam juvent, consilium aliud reliquum non est, nisi ut universa reliqua series ordine alphabetico partium aversarum succedat. Atque is modus multo mihi est visus opportunior illo, quem Mediobarbus sequendum putavit qui et ipse incertus, quibus annis singulos hujus principis numos insereret, etsi istud raro alias ignoravit, cepit consilium, omnes consulatus III. numos se-

a) l. c. b) in nota 3 ad Hadr. p. m. 958. c) Plutarch. in Agide c. 13. d) L. XL. c. 29.

cundum eorum typos, et argumenta certis annis nullo ad chronologiam respectu illigandi, quod etsi improbare propter varias causas maxime possem, religione tamen moveor, pias ejus, quas subjecit, preces reveritus: *faxit deus, ut ab omnibus probetur.*

Est tamen in his tenebris exigua quaedam lux, quam *patris patriae* titulus suppeditat. Infra ad calcem numorum hujus Augusti, quo loco de tempore ejus tituli recepti agam, probare contendam, non fuisse ab Hadriano adoptatum ante annum V. C. 881. Ex quo colligi potest, numos omnes, qui consulatum III. memorant, et ejus elogii mentione abstinent, aetate praecedere illos, qui illud addunt. Tamen in subjecta numorum descriptione ejus discriminis vitandae causa confusionis rationem non habebo, idque hic solum praemonuisse satis esto.

Ergo eorum, quae proxime disseram, hunc ordinem constitui: I. texentur annales non interrupti ad usque ipsum Hadriani excessum. In his me Tillemontium, nisi cum aliquoties ex certis causis discedendum visum, secutum profiteor, quin ad me pertinere existimem, in examen vocare, sintne facta Hadriani singula suis rite temporibus tributa, qua parte non historia minus, quam numorum scientia laborat. Praesentis instituti non est, annalium Romanorum nodos extricare, verum omne illud solum promere, in quo ad eos extricandos numi aut conferunt, aut deficiunt. II. Proponentur pro more inscriptiones partium adversarum, III. praecedent numi, qui regionem, urbem, aliaque ad geographiam pertinentia memorant. IV. succedent nullo alio discrimine numi reliqui omnes.

V. C. 872 *P. X.* 119.
TR. P. II. III. COS. III. P. M. IMP. II.
Desinunt tituli: OPT. GERM. DAC. PARTH.
Hadriano Aug. III. Q. Iunio Rustico cos.

Sarmatas per legatos vincit.

V. C. 873 *P. X.* 120.
TR. P. III. IV. COS. III. P. M. IMP. II.
L. Catilio Severo, L. Aurelio Fulvo cos.

Hoc anno Hadrianum iter per orbis Romani provincias inchoasse conjiciunt eruditi. Primum Gallias, deinde Germaniam adit.

V. C. 874 *P. X.* 121.
TR. P. IV. V. COS. III. P. M. IMP. II.
L. Annio Vero II. Aurel. Augurino cos.

In Britanniam trajicit, ubi ad continendos barbaros ab uno mari ad aliud murum ducit. In Gallias redux Hispaniam petit.

V. C. 875 *P. X.* 122.
TR. P. V. VI. COS. III. P. M. IMP. II.
M. Acilio Aviola, C. Corn. Pansa cos.

Quorsum se ex Hispania verterit, incertum.

V. C. 876 *P. X.* 123.
TR. P. VI. VII. COS. III. P. M. IMP. II.
Q. Arrio Paetino, C. Ventidio Aproniano cos.

Athenis partem anni exegisse, verisimile visum eruditis.

V. C. 877 *P. X.* 124.
TR. P. VII. VIII. COS. III. P. M. IMP. II.
M. Acilio Glabrione, C. Bellicio Torquato cos.

In Asiam creditur transivisse, et invisisse ejus provincias.

V. C. 878 *P. X.* 125.
TR. P. VIII. IX. COS. III. P. M. IMP. II.
P. Corn. Scipione Asiat. II. Q. Vettio Aquilino cos.

Perlustratis Archipelagi insulis Athenas revertitur.

V. C. 879 *P. X.* 126.
PR. P. IX. X. COS. III. P. M. IMP. II.
Annio Vero III. Eggio Ambibulo cos.

Siciliam putatur adivisse.

V. C. 880 *P. X.* 127.
TR. P. X. XI. COS. III. P. M. IMP. II.
Titiano et Gallicano cos.

Incertum iter. Videtur ex insula in urbem reversus.

V. C. 881 *P. X.* 128.
TR. P. XI. XII. COS. III. P. M. IMP. II.
Incipit Pater Patriae.
L. Nonio Asprenate Torquato II. M. Annio Libone cos.

Patris patriae titulum admittit, et Sabinam *Augustam* dicit. Haec prolixius probabuntur infra sub hoc titulo.

V. C. 882 *P. X.* 129.
TR. P. XII. XIII. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
Q. Iulio Balbo, P. Iuventio Celso II. cos.

Fine hujus anni fuisse in Arabia, ex actis anni sequentis colligitur.

V. C. 883 *P. X.* 130.
TR. P. XIII. XIV. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
Q. Fabio Catullino, M. Flavio Apro cos.

Fuit hoc anno in Aegypto. (Vide infra numos inscriptos ALEXANDRIA.) Illuc eum venisse ex Syria, colligo ex Dione a), tum ex numis Gazae, quae propter ejus adventum hoc anno novam aeram constituit. (Vide infra numos cum epigraphe: IVDAEA.) In urbe templum Romae, et Veneris aedificatur b).

V. C. 884 *P. X.* 131.
TR. P. XIV. XV. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
Ser. Octavio Laenate Pontiano, M. Antonio Rufino cos.

Ex Aegypto in Syriam redit c).

a) L. LXIX. §. 12. b) Euseb. Chronic. Cassiodor. Phlegon. c) Dio l. c.

V. C. 885 *P. X.* 132.
TR. P. XV. XVI. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
Sentio Augurino, Ario Severiano II. cos.

Hoc anno verisimile, coepisse bellum Iudaicum a Barchoceba motum, cujus initium Tillemontius biennio differt. Nam coepit teste Dione paullo postea, quam ex Oriente discessit Hadrianus, et longe abesse visus est [a]).

V. C. 886 *P. X.* 133.
TR. P. XVI. XVII. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
Antonio Hibero, Nummio Sisenna cos.

Anni hujus incerta omnia.

V. C. 887 *P. X.* 134.
TR. P. XVII. XVIII. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
C. Iulio Serviano III. C. Vibio Varo cos.

Eadem rerum incerta.

V. C. 888 *P. X.* 135.
TR. P. XVIII. XIX. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
Pontiano et Atiliano cos.

Initiatur sacris Eleusiniis et Athenis templum Iovis Olympii pluribus antea saeculis coeptum ad fastigium educit. (Vide de his infra in numo: RESTITVTORI. ACHAIAE.) Cognito virium defectu L. Aelium adoptat, quod factum alii in sequentem annum rejiciunt [b]). Hoc anno verisimile est, bellum Iudaicum Iulii Severi virtute confectum.

V. C. 889 *P. X.* 136.
TR. P. XIX. XX. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
L. Ceionio Commodo Vero, Sex. Vetuleno Civica Pompejano cos.

Crebra sanguinis per nares ejectione exhaustis viribus, atque inde tristior plures per causam affectati imperii ad mortem adigit.

V. C. 890. *P. X.* 137.
TR. P. XX. XXI. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
L. Aelio Vero Caes. II. L. Caelio Balbino Vibullo cos.

Incerta hujus anni.

V. C. 891 *P. X.* 138.
TR. P. XXI. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.
Camerino et Nigro cos.

Mortuo Kalendis Ianuariis L. Aelio T. Antoninum adoptat die XXV. Februarii. Post longos, ac diros cruciatus moritur Bajis die X. Iulii exactis annis vitae LXII. et fere dimidio, imperii XX. supra menses XI. Spartianus, et Eutropius Hadriano annos imperii XXI. menses XI. largiuntur. Eorum sententiae accedit Norisius nixus praeterea numorum ac marmorum testimonio, sed valde infirmo [c]). Ergo cum annum so-

a) L. LXIX. §. 12. b) Tillemont nota 13 in Hadr. c) Vot. decenn. p. 122.

lidum addit Hadriano, necesse erit, tantundem temporis adimere successori Antonino, ac tum viderit, in quos se laqueos induerit. Recole, quae in parte I. hujus operis ad numos Alexandrinos Antonini Pii observavimus [a]. Sed et Pagius hanc Norisii opinionem late refutat [b].

Fuit Hadrianus inter principes de imperio Romano optime meritos numerandus, etsi ingentia vitia non parum ejus verae laudi detrahant. Si biographum Spartianum, Dionemque audiamus, non alium magis principem perinde summa, atque infima imperii procurasse legimus. Quam ille indefessus fuerit in obeundis totius imperii provinciis, atque omnibus, qua illae laborarent, per se ipsum inspiciendis, quam severus in milite disciplinae exactor, quamque ille non ducis magis, quam commilitonis munus fungeretur, copiosius in sequentium numorum explicatione disseremus. Comis vero in omnes, et facilis saepe amicorum conviviis interfuit, aegros etiam tenuioris fortunae bis ac ter in die invisit, solatiis fovit, omnia denique ad privati hominis modum fecit. Vt privatim, sic et publice liberalis non modo debitum fisci ingens, quod ad annum V. C. 871 vidimus, populo remisit, et provincias damnum passas collato aere sublevavit, sed etiam erectis templis magnificentissimis, Athenis praecipue, quas impense dilexit, ac Cyzici, aquaeductibus, portubus, urbium tam ornamento, quam commodis consuluit. Superest Romae stupendae molis sepulcrum a se juxta Tiberim conditum, adcuratius reliquis descriptum a Procopio, et rudera Tiburtina, ejus magnificentiae aeternum monumentum, quo in loco, ut narrat Spartianus [c], sibi villam mire aedificavit, ita ut in ea et provinciarum, et locorum celeberrima nomina inscriberet, velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Poecilen, Tempe vocaret. Etsi inde ab adito imperio tuendae per terrarum orbem paci operam omnem impendit, qua de causa Armeniam, reliquasque trans Euphratem positas regiones, nimirum perpetuum bellorum fomitem ultro abjecit, non tamen militem ignavo otio diffluere passus est, sed occupatum semper, et in armorum negotio adsiduum tenuit, quo factum, ut et exteris esset semper formidatus, et ut bellum ipse nullum movit, sic mota facile componeret. Inter serias has imperii occupationes superfuit tamen tempus, quod seu exercitio corporis, seu honestis artibus impenderet. Venatus pertinax studium numi ipsi suppeditabunt. Graecis vero studiis tanta inde a puero contentione fuit deditus, ut Graeculus ipse a nonnullis diceretur [d]. Neque arithmeticae modo, geometriae, picturae, et musicae peritiam professus est, sed etiam artem fingendi ex aere, vel marmore, an vero proxime Polycletos, et Euphranoras, Victori, qui istud memoriae prodidit, non temere credimus [e]. Pere-

a) Vol. IV. p. 73. b) Dissert. hypat. P. I. c. 4. c) in Hadr. sub. fin. d) Spartian. Victor in Epit. e) in Epitome.

grinationis ita fuit cupidus, ut omnia, quae legerat de locis orbis terrarum, praesens vellet addiscere. Tam praeclarae vitae maculam aspersere voluptates, in quibus nimium eum fuisse perhibet Spartianus. Inconsultum ejus amorem, quo in puerum Antinoum furebat, in hujus numis perstringemus. Pacis vero fuisse appetentiorem proditur, quam istud imperii majestatem decere videretur; nam pecuniam eum exteris erogasse, ne quid novi molirentur, non modo Dio tradit [a]), sed et apertius Victor [b]), eum a regibus multis pace ope occultorum munerum impetrata jactavisse palam, plus se otio adeptum, quam armis ceteros. Verum multo funestior ejus fuit invidia, qua insectatus est eos, qui in arte quapiam excelluere, sic ut horum non paucos ad mortem etiam adigeret, quos inter fuere Euphrates celebris ejus aetatis philosophus, et Apollodorus Damascenus, fori Trajani, et pontis in Danubio architectus, et visum est nonnullis, pacis tantum, et securitatis publicae obtentu ab eo Armeniam, aliasque provincias relictas, disjectumque famigeratum Danubii pontem, revera quod Trajani gloriae invideret. Vti laetum eum, liberalem, clementem, ita et severum, tenacem, simulatorem, ac saevum, denique in omni vita varium vocat Spartianus. Saevitia, quam principio imperii caesis aliquot viris praestantissimis prodidit, multo violentius postremis ejus vitae annis erupit, cum accedente ad morbi dolores tristitia pestilentius adhuc malum suspicio animum ejus pervaderet, qua impulsus viros reip. clarissimos, et consulares, tanquam imperium adfectarent, occidi jussit. Quantum sibi ex his funeribus conciliaverit senatus odium, infra in ejus consecrati numis persequar. Animam egredi cunctantem his cohortatus versiculis fertur [c]):

Animula vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quae nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, ut soles, dabis jocos.

Istud carmen, si festivus quidam lepor inter facetias fudit, potest sane dissimulari. Sin argumentum est judicii, quod de pulcra, justaque scribendi ratione tulit, videmus, sibi in ipsa morte constare Hadrianum, qui vegetus valensque Antimachum Homero, Catomen Ciceroni, Ennium Virgilio potuit praeferre [d]), et sunt ii venia digni, qui eum Graeculum, et sophistam per ludibrium appellaverunt. Sepultus est primum Puteolis in villa Ciceronis, ejus deinde cineres translati Romam in sepulcro juxta Tiberim, quod sibi ipse vivus fecit, conditi sunt [e]).

Vxorem unicam habuit *Sabinam* sterili matrimonio.

ANIMADVERSIO

ad partes anticas numorum Hadriani.

Ad has praemonendum I., Hadrianum in iis plerumque fingi capite nudo, quod minus frequens est in numis Augustorum cum proxime praecedentium, tum consequentium. Sunt, qui istud fac-

a) L. LXIX. §. 9. b) in Epit. c) Spartian. c. 25. d) Spart. Dio. e) Spart.

tum opinentur propterea, quoniam teste Spartiano *frigora, et tempestates ita patienter tulit, ut nunquam caput tegeret.* Cum quo consentit et Dio [a]): *nullo calore, nullo frigore, ut capite operto esset, adduci potuisse, nam et inter nives Celticas, et calores Aegyptios nudo capite ambulavit.* Quae res ei male vertit; nam teste iterum Spartiano *peragratis omnibus partibus capite nudo, et in summis plerumque imbribus atque frigoribus in morbum incidit lectualem.*

II. Novi etiam moris est caput barbatum, testantibus istud non solum numis, sed diserte etiam Dione [b]): *Hadrianus enim*, ait, *primus imperatorum barbam promisit.* Videmus quidem etiam tam Augusti, quam Neronis genas in numis barbula vestiri, sed in his, ut diximus, causa fuit aut luctus, aut ponendae secundum veterem consuetudinem barbae aetas nondum matura. Ejus in Hadriano moris causam statuit Spartianus, *ut vulnera, quae in facie erant naturalia, tegeret.* At enim aliam huic ejus instituto causam subesse suspicor, nimirum quod philosophiae studia pertinacius professus erat, quam qui professi sunt, barbam alere consuevere. Atque in hac etiam mente fuisse Iulianum Augustum, satis ex iis patet, quae in Caesaribus suis Hadriano objectat: *post hunc* (Trajanum) *progreditur vir prolixa barba venerandus. - - - Hunc cum saepius in coelum oculos attollentem, ac solicite occulta inquirentem conspexisset Silenus, quid vobis, ait, videtur hic sophista?* Sane constat, Hadrianum sophistas, nisi quos propter invidiam acerbius habuit, impense fovisse, atque ipsum refert Spartianus apud Alexandriam in museo multas quaestiones professoribus proposuisse, et propositas dissolvisse, neque alia causa fuit tanti ejus in Athenas Atticas adfectus, nisi quod eam urbem philosophiae studia ab antiquo commendavere. His cum et proximi ejus successores Augusti enixe vacaverint (nam eam aetatem proprie sophistarum dicere possumus), barbam et ipsi alebant, nisi forte et hos velit Spartianus naturalia in facie vulnera barbae velo voluisse obtegere. Ea cultus ratio ex philosophiae cultu nunc invecta apud posteros principes in consuetudinem abiit, sic ut in longum tempus etiam imperatores ii, qui omnium minime philosophi essent, barbam tamen promitterent.

III. Si quis volet monetam Hadriani attentius observare, facile intelliget, in numis consulatus I. et II. comparere potius Hadriani protomen, quam caput, collum intelligo productius addita majore parte pectoris, et tergoris, tum et faciem in his nonnihil macilentam, et mentum acutius, ad haec additam simili πϱοτομῇ inscriptionem nondum captum per adoptionem TRAIANI nomen omittere, quod deinceps, ubi caput est tantum, et non amplius ea, quam dixi, protome, atque illud pinguius, constanter abest. Et haec quidem tam capitis, quam epigraphes peristasis observatur adhuc in nonnullis consulatus III. numis. Ex quo manifestum, primis consulatus III. annis retentum adhuc veterem et capitis, et inscriptionis

a) L. LXIX. §. 9. b) L. LXVIII. §. 15.

modum, et quod suapte sequitur, numos omnes hujus legis in haec consulatus III. principia removendos. Secundum hanc regulam reliquis aetate priores sunt omnes, qui anticam habent, ut ea mox literis A. B. E. G. describetur. Cum majoris momenti indicia alia desint, etiam leviora aspernanda non sunt.

IV. Etiam epigraphe dandi casu concepta ex more monetae Trajanae viguit adhuc in Hadriani consulatu I., seu anno V. C. 870. Tamen fine ejus anni in numis, in quibus Hadrianus dicitur COS. DES. II., casus rectus redire jam coepit. Perpauci sunt numi, qui in consulatu II. dandi casum retinuere, deinceps constanter valere jussum.

A. IMP. CAESAR. TRAIAN. HADRIANVS. AVG. *Protome laureata*, *in AV. AR. AE. I. II. III.*

B. IMP. CAESAR. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. P. M. TR. P. COS. III. *Protome laureata in AE. I. radiata in AE. II.*

C. IMP. CAES. HADRIANVS. AVG. COS. III. *Caput laureatum. Haec epigraphe forte tantum exstat in aureo, inscripto:* AN. DCCCLXXIIII. etc. *quem dabimus infra suo loco.*

D. HADRIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I. III. sed in AE. II. etiam radiatum.*

E. IMP. CAESAR. TRAIANVS. HADRIANVS. AVG. *Protome laureata in AE. I. radiata in AE. II.*

F. HADRIANVS. AVGVST. *Caput laureatum, in AV. et AR. Epigraphe rara.*

G. IMP. CAESAR. TRAIAN. HADRIANVS. P. M. TR. P. COS. III. *Protome laureata in AE. max. mod. radiata in AE. II.*

H. HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P. *Caput jam laureatum, jam nudum, in AV. AR. AE. I. II.*

I. HADRIANVS. AVGVSTVS. P. P. *Caput jam laureatum, jam nudum, in AV. AR. laureatum in AE. I.*

K. HADRIANVS. AVG. COS. III. *Caput laureatum, in unico AE. I. apud Pellerinium.* (Mel. I. p. 205.)

NVMI GEOGRAPHICI.

Memorabiles sunt Hadriani numi, qui *regiones*, *urbes*, *fluvios*, ad quos invisit, tum et *adventum* in eas terras, et loca, easque beneficio suo *restitutas*, ac denique *exercitus* in iis excubantes oculis objiciunt. Singula haec ut ex numis praeclare edocemur, sic et ab historicis egregie comprobantur. Teste Dione tot ipse urbes coram vidit, quot ante eum imperatorum nullus, omnibusque subvenit, dum aliis aquam, aliis portus, annonam, opera, pecunias, honores aliis alios largitus est [a]). Quam fuerit in instituendis exercitibus adsiduus,

a) L. LXIX. §. 5.

infra ad numum: DISCIPLINA. AVG. plenius disseremus. Quam vero duriter tanta itinera fecerit, nulla cujusque incommodi habita ratione, jam diximus, et dicetur adhuc.

Monendum praeterea, numos hos plerosque non esse signatos eo ipso anno, quo provincias singulas adivit, sed saltem complures multo serius; nam in omnibus hujus classis numis dicitur *Pater Patriae*, quem titulum anno demum V. C. 881, seu imperii anno XI. adoptavit, cum tamen certo constet, eum jam ante istud tempus multas peragratum provincias. Indubitatum igitur, serius a monetae praefectis imperatos hos typos recensendo singillatim illas terras, quas per vices obivit, quo seu imperatoris sui praeclare facta posteritati commendarent, seu ejus ambitioni, et laudis cupiditati servirent.

Quo anno adiverit regiones singulas, quarum in his numis fit mentio, si quid probabile occurrerit, in ipsis commentariis docere non negligam. Multa in hac causa reperi incerta, et obscura, quae satis illustrare virorum eruditorum adhibiti conatus nondum potuere. Omnium minime sequendus Pagius, qui in Critica sua ipsus sibi pedicas lubens volensque adligavit, dum non temporum modo, sed et rerum gestarum seriem infaustis suis quinquennalium epochis coercere adlaboravit.

* * *

Vt lit. H.

RESTITVTORI. ACHAIAE. *Imperator togatus stans mulierem genu flectentem sublevat, in medio urna prominente palmae ramo.* AV. (Mus. Caes.) AR. (Vaill.) AE. I. II. obvii.

Saepius Achaiam invisit Hadrianus nimium delectatus Graecorum ingenio, quo Achaia, latius in Romanorum sensu accepta, inde ab remotissimo aevo illustris exstitit. Quam in ejus urbes munificus fuerit, pluribus in locis commemorat Pausanias, ornata balneis, et aquis ex Stymphalo derivatis Corintho, templis, porticibus, simulacris per alias urbes positis [a]). At praecipuus Hadriani adfectus in Athenas, qua in urbe adhuc privatus archontem egit V. C. 865 teste Phlegonte [b]). Factus subinde imperator nihil erat honorum, quod urbi antiqua fama cognitae non impertiret. Inter opera ibi statuta est gymnasium, bibliotheca, templum Iunonis, et Iovis Panhellenii, sed omnibus his praestat templum Iovis Olympii [c]), de quo infra sub titulo *Olympius*, quem Hadriano dedere Graeci, redibit mentio. Addidit praeterea magnam pecuniam, frumentum, ac denique totam insulam Cephalleniam [d]). Vnde merito hierophantis, quae Hadrianum Eleusine initiavit, in elegante epigrammate, quod ante annos paucos ibidem reperit Worsleyus Anglus, et cum eruditis communicavit eruditus Show Danus [e]), de hoc imperatore dixit:

Ασπετον ὁς πασαις πλουτον κατεχευε πολεσσιν,
Αδριανον, κλεινης δ' ἐξοχα Κεκροπιας.

a) L. II. p. 117. 118. et alibi. b) in Mirabil. c. 25. c) Pausan. L. I. p. 42. 43. d) Dio L. LXIX. §. 16. e) Charta papyr. p. 77.

Qui immensas divitias in omnes diffudit civitates,
Hadrianum, praecipue in urbem *inclytae Cecropiae.*

Propter tanta urbis incrementa, sic ut pars addita *novae Athenae* diceretur, arci inscripti fuere hi versus a):

Αι δ' εισ' Αθηναι Θησεως πρωτον πολις,
Η δ' Αδριανου, κ' ου δε Θησεως πολις.

Hae sunt Athenae, Thesei vetus urbs,
At hae Hadriani, non vero Thesei urbs.

Apposite in numi aversa mulieri genu flectenti adstituitur urna prominente palmae ramo. Achaia ab ludis IV. omnibus Graeci nominis eo confluentibus, satis per se cognita, verum et Hadrianum is typus proxime contingit. Eum Athenis instituisse certamina, atque in iis pro agonotheta resedisse, testantur Spartianus, Eusebius, et Dio, et decursionem equestrem in Nemeis, et Isthmiis ludis intermissam Argivis restituisse auctor est Pausanias b). Ergo Achaia restitutis ad veterem splendorem ludis suis, quibus maxime inclyta fuit, jure ab Hadriano restituta dici potuit.

* * *

Vt lit. H.

AEGYPTOS. *Mulier humi sedens d. sistrum, s. canistro innixa, pro pedibus ibis.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Hadrianum peragrata Iudaea, et Arabia venisse Pelusium, restaurasse ibi Pompeji M. sepulchrum, et Antinoum suum, qui in Nilum exciderat, amisisse testantur Spartianus, et Dio c). Haec ut certa sunt, sic disputatum de tempore, quo Aegyptum intravit. Infra in numis inscriptis: ALEXANDRIA, probabimus, hunc in Aegyptum adventum figendum esse ad annum V. C. 883.

Typus aversae elegans est, atque uni Aegypto proprius. Sistrum instrumentum musicum Isidi persaepe tributum, et in Aegypto vulgati usus, ad quod apposite Virgilius d):

Regina in mediis PATRIO vocat agmina SISTRO.

Sic et ibis nota avis Aegyptia, et canistrum Aegypti ubertatem significant.

* * *

Vt lit. H.

AFRICA. *Mulier humi sedens capite elephanti exuviis tecto d. leonem contingit, s. canistro innititur, pone spica.* In aliis: *Mulier eodem cultu sedens d. scorpium, s. cornucopiae, pro pedibus canistrum, ex quo spicae promicant.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.

Antica ignota.

AFRICA. COS. III. P. P. *Navis cum remigantibus adsidente ad gubernaculum Victoria.* AE. max. mod. (Vaill. in num. m. m.)

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. AFRICAE. *Imperator togatus stans ad aram, illinc genius Africae capite elephanti exuviis tecto d. pateram, s. spicas, pro pedibus victima.* AV. (Mus. Caes.) AR. (Vaill.) AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. AFRICAE. *Imper. togatus mulierem elephanti exuviis tectam,*

---

a) Gruter pag. 1078. 1. b) L. VI. pag. 491. c) L. LXIX. §. 11. d) Aen. L. VIII. v. 696.

s. spicas tenentem, et genu flectentem sublevat, in utriusque medio spicae. AV. (Vaill.) AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Adivisse Africam diserte testatur Spartianus, *ac multum beneficiorum ejus provinciis attribuisse.* Et infra: *quando in Africam venit, ad adventum ejus post quinquennium pluit, atque ideo ab Africanis dilectus est.* Caput proboscide ornatum jam inde ab Agathoclis Siculi aetate, ut ejus numi demonstrant, fuit Africae symbolum. Leo, et scorpius, perinde ac elephanti, animalia sunt in hoc tractu perfrequentia, atque ideo Africae adstituuntur, ut cuniculus Hispaniae. Praeterea Africam subjectam fuisse scorpio signo coelesti, tradit Manilius [a]). Canistrum et spicae regionis fertilitatem arguunt.

* * *

Vt lit. H.

ALEXANDRIA. *Isis stans d. sistrum, s. situlam.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

ALEXANDRIA. S. C. *Mulier humi considens d. spicas, s. racemum cum botris, et simul canistro innititur, pro pedibus tres spicae.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. ALEXANDRIAE. S. C. *Imperator, et figura muliebris sacrificans.* AE. I. (Vaill.) In alio: *Hadrianus et Sabina jugati stantes manus porrigunt Serapidi et Isidi jugatis, ara intermedia.* AE. I. (Vaill.)

Opportune hoc loco tempus definire conabimur, quo Hadrianus Aegyptum, et Alexandriam intravit, in quo figendo propter monumentorum defectum operam hactenus luserunt chronologi. Scriptores veteres aut reticent tempus, aut in eo definiendo more suo dissentiunt. Quae de ejus in Aegyptum profectione, dissimulato tamen anno, tradiderunt Dio, et Spartianus, jam commemoravi supra in numo inscripto: AEGYPTOS. Si Vopiscum audias, fuit Hadrianus in Aegypto saltem anno V. C. 888. Nam recitat epistolam Hadriani, in qua scribit Serviano: *denique ut primum inde* (Aegypto) *discessi, et in filium meum Verum multa dixerunt, et de Antonino quae dixerunt, comperisse te credo* [b]). Constat, Aelium Verum non fuisse adoptatum ab Hadriano ante annum V. C. 888, ergo necesse est, hoc vel sequente anno fuisse Hadrianum in Aegypto, quod qua ratione cum historia certa conciliari possit, plane ignoro. Chronicon Alexandrinum Hadriani in Aegyptum iter in annum V. C. 875 confert, ut dicetur infra ad numos Antinoi. Pagius annum V. C. 872 maluit propter inscriptum his, de quibus agimus, numis consulatum III. [c]) quasi vero Hadrianus hoc tantum anno fuisset COS. III., et non reliquis usque ad vitae finem omnibus. Litem invicte decidunt cum numi, tum eximia vetus inscriptio. Audiamus primum numos.

Exstant Hadriani numi Alexandrini varii modi:

L. IE. *Genius muliebris Alexandriae capite elephanti exuviis tecto, et veste succincta stans, s. demissa spicas tenens*

---

a) L. IV. v. 776. b) in Saturnino c. 8. c) Crit. Bar. ad ann. Chr. 119.

adprehensam dextera adstantis imperatoris togati dexteram osculatur.

L. IЄ. *Idem genius s. vexillum tenens dexteram, qua simul spicas tenet, cum adstante imperatore jungit.*

L. IЄ. *Idem genius oleae ramum protendens occurrit imperatori quadrigis advecto.*

L. IЄ. *Imperator dextera elata, s. hastam sedet in sella supra triremem, in qua simul conspicitur gubernator.*

Vide similis argumenti numos alios in museo Borgiano sub L. IЄ.

Omnes hi typi tam adcurate secundum modos omnes Hadriani in urbem Alexandriam adventum exprimunt, ut eruditi plerique non dubitaverint, eum anno Alexandrinorum IЄ., quem omnes hi numi inscriptum offerunt, adfigere. Coepit hic annus secundum Alexandrinorum computum in neomenia Thot, id est: die XXIX. Augusti V. C. 883 exiturus eodem die anni sequentis, quo adeo labente certum est, Hadrianum in Aegypto commoratum. Tillemontius ex iisdem numis Hadriani in Aegyptum adventum usque in annum V. C. 885 differt, verum praeclaro illi viro calculus annorum Alexandrinae monetae inscriptorum non satis videtur fuisse perspectus, quem hodie exploratum habemus. Vaillantii doctrinam, istud Hadriani iter in annum Alexandrinum IA. id est: XI. retrahentis refutavimus in moneta numorum Aegypti a). Haec numi.

At multo illustrius testimonium veteris epigrammatis, praeterquam quod cum numorum testimonio conspirat, ipsum etiam anni tempus, quo in Aegypto adhaesit Hadrianus, nos edocentis. Illud Pocockius ipse cruri sinistro celebratae in superiore Aegypto Memnonis statuae insculptum excepit, vulgavitque b), attamen parum fideliter, nam erroribus totum est obsitum, sed quod sic eruditi sanitati restituendum putarunt, ut videre est apud Dorvillium c):

Εκλυον αὐδησαντος ἐγω Ποβλιος Βαλβινος
Φωνας τας θειας Μεμνονος ἡ Φαμενωφ.
Ηλθον ὁμȣ δ' ἐρατᾳ βασιλῄϊδι τῃδε Σαβινᾳ,
Ωρας δε πρωτας ἁλιος ἐσχε δρομον.
Κοιρανω Αδριανω πεμπτῳ δεκατῳ ἐνιαυτῳ,
Αματα δ' ἐσχεν Αθυρ ἐικοσι και πισυρα.

Audivi loquentis ego Publius Balbinus
*Voces divinas Memnonis, qui et Phamenoph *).*
Veni vero una cum amabili regina Sabina,
Horae vero primae sol habuit cursum.
Domini Hadriani quinto decimo anno,
Dies vero habuit Athyr viginti, et quatuor.

*) Consentit cum Aegyptia hac ejus statua appellatione etiam Pausanias. (Attic. L. I. c. 42.)

Nolo hic morosius inquirere, sitne universum hoc epigramma recte restitutum, nec ne. Vocabula, quae argumento praesenti serviunt, in Pocockii ectypo bona fortuna illaesa sunt, neque medica manu egent. Narrat, quisquis is fuit P. Balbinus, se una cum Sabina

a) Vol. IV. pag. 100. b) Descript. of east T. I. tab. 39. c) in Charitonem pag. 524.

Hadriani conjuge ad Memnonis statuam visendam profectum, factumque istud imperantis Hadriani anno XV., sive secundum numos L. IЄ. Ergo anno hoc Alexandrino Hadrianus, et Sabina praesentes fuere in Aegypto, qui, ut diximus, coepit exeunte Augusto V. C. 883, P. X. 130. Amplius et diem definit marmor, neque quartum, et vicesimum mensis Athyr. Coepit hic mensis anni Aegyptii tertius in anno communi die XXVIII. Octobris anni Iuliani, ergo quartus et vicesimus Athyr currebat cum die XX. Novembris, quo apud Memnonem fuit Sabina. En ex illustri hoc monumento tempus proxime definitum, quo Hadrianus in Aegypto praesens fuit proxime etiam accedente divo Hieronymo [a]), ex cujus mente Antinous, Hadriani in itinere Aegyptio comes, in Aegypto mortuus est V. C. 882, de quo vide, quae plura dicemus in moneta Antinoi.

Haec pridem scripseram, cum ad manus meas pervenit opus praeclarum Georgii Zoëgae, quo is Aegyptios numos musei Borgiani illustravit adjecta dissertatione de tempore, quo Hadrianus in Aegypto fuit. Non negat vir praestans, Hadrianum anno imperii secundum Alexandrinos XV. fuisse in Aegypto, numis Alexandrinis cum anno IЄ., quos supra indicavi, nimis aperte istud docentibus. Verum, quod aliis etiam viris eruditis placuisse video, bis eum in Aegyptum profectum statuit, primumque ejus iter anno imperii secundum Alexandrinos VI. adfigit, quo etiam tempore mortuum ibi Antinoum comprobare nititur. Fueritne hoc Hadriani in eam regionem iter simplex, an geminum, disputare non lubet, verum mearum esse partium existimo, evertere argumentum ejus validissimum, quo primum, ac maturius Hadriani iter niti ipse testatur. Ad tres enim numos Antinoi commatis Alexandrini, omnes L. Θ. notatos, quos olim in catalogo musei Caesarei descripseram, provocat, ex quo jure arguit, cum Antinous Hadriani comes testibus his numis mortuus jam fuerit in Aegypto anno imperii IX., numi alii Alexandrini Hadrianum anno XV. fuisse in Aegypto testentur, sequi, bis eum ad hanc regionem invisisse. Verum cum eosdem hos numos secundis curis in examen revocassem eo tempore, quo eadem argumenta de Hadriani itinere, et morte Antinoi tractare coepi, non obscure vidi, legendum potius L. IΘ., ut adeo auctor clarissimus ex his musei nostri numis nihil habeat ad causam suam subsidii, et gravate feram ipse, mea negligentia viro mihi amicissimo in re gravioris momenti fuisse illusum. Vide, quae de his Antinoi numis in hujus moneta copiosius disseram.

Si Hieronymo [b]), et Cassiodoro fides, Hadrianus Alexandriam a Romanis vastatam refecit, et teste Vopisco vetera privilegia restituit, et nova addidit [c]). In eadem urbe cum professoribus disputasse in museo, tradit Spartianus. Typi numorum praesentium principes Aegypti deos, aut fertilitatis cognitae argumenta exhibent, ac notandum praeterea, nunquam in numis Ro-

---

a) In Chronico. b) l. c. c) in Saturnino. c. 8.

manis genium Aegypti, vel Alexandriae elephanti pelle vestiri, quod patet cum ex numis modo adductis, tum ex numis gentis Aemiliae. Verum ab Aegyptiis ipsis id persaepe factum probant numi Alexandrini, quos paullo ante disputationis causa advocavi, aliique imperatorum praecedentium cum epigraphe ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ, tum numi ipsorum Aegypti regum.

* * *

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. ARABIAE. *Imperator, et mulier stantes ad aram dexteras conjungunt jacente humi victima.* AR. (Gessner ex mus. Pfau.) AE. I. (Vaill.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. ARABIAE. S. C. *Imperator togatus mulierem genu flectentem, et s. forte calamum tenentem sublevat, pro pedibus camelus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Narrat Spartianus, Hadrianum *peragrata Arabia Pelusium venisse.* Secundum ea, quae continuo in *Alexandria* dixi, necesse est peragratam ab Hadriano Arabiam ineunte anno V. C. 883. De attributis Arabiae, quae posterior numus offert, egi in moneta Trajani ad numum ARAB. ADQ. anni V. C. 858.

* * *

Vt lit. H.

ASIA. *Mulier dextro pede prorae navis insistens d. acrostolium, s. gubernaculum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. ASIAE. S. C. *Imperator togatus, et mulier sacrificantes.* AE. I. (Vaill. Mus. Caes.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. ASIAE. S. C. *Imperator figuram muliebrem sublevat capite radiato, s. sceptrum gerentem.* AE. I. (Vaillant.) In alio: *Mulier flexo genu gubernaculum super humero tenens ab adstante imperatore togato sublevatur.* AE. II. (Mus. Caes.)

Hadrianum in Asia (proconsularem intellige, quam solum innuunt hi numi) fuisse versatum, satis constat. Eum per hunc tractum, *iter facientem condidisse templa sui nominis*, narrat Spartianus. Quin urbes etiam memorantur, quae ita ab eo auctae fuere, ut non dubitarent, eum alterum conditorem appellare, et ab eo nomen mutuari. In harum numero fuere Cyzicus, Smyrna, Stratonicea Cariae, aliaeque complures. Quantam pecuniae vim erogaverit in unius Smyrnae ornamenta, videri potest apud Philostratum [a]). Quae ejus fuerint in Cyzicum merita, erecto ibi in nomen suum templo magnificentissimo, et constitutis ludis, in hujus moneta dictum. Quae sane causa princeps fuerit, cur eum Cyziceni tertium decimum deum appellaverint [b]).

Typus numi primi Asiae attributa maritima commodat, quod pleraeque ejus provinciae mari essent adsitae, neque aliter nisi mari saltem Roma profectis, adiri posset. Implexior ratio capitis radiati, et sceptri, quae offert numus tertius, si modo Vaillantius praeco vera vidit.

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. BITHYNIAE. S. C. *Ara ignita, hinc imperator togatus stans, illinc Bithynia capite turrito d.*

---

a) In vita Polemonis. b) Socrat. Hist. eccles. L. III. c. 23.

pateram, *s. gubernaculum*, *pro pedibus victima.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. BITHYNIAE. S. C. *Imperator togatus mulierem genu flectentem sublevat*, *quae dextro pede prorae navis insistit*, *et sinistra duas spicas*, *in aliis gubernaculum tenet.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Fuisse Hadrianum in Bithynia, scriptores diserte quidem non prodidere, verum istud testantur numi praesentes; atque etsi horum testimonio careremus, an temperare sibi potuisset Hadrianus, quo minus regionem inviseret, quae Antinoi sui patria exstitit? Quin etiam constat, eum in Bithynia venatum, et quo loco ursam occiderat, urbem de suo nomine Αδϱιανȣ θηϱας, *Hadriani venationem*, aedificasse, ut referunt Spartianus, et Dio, etsi haec urbs ambiguis finibus Mysiae potius videatur tribuenda. Quam fuerit Hadrianus in Bithynos beneficus deprecante potissimum, ut videtur, Antinoo, testantur urbes ab ejus nomine appellatae *Hadriani*, *Hadrianopolis*, praeter jam memoratas *Hadrianotheras*, quin et Claudiopolis, sive Bithynium Antinoi patria innumeris ab hoc imperatore beneficiis adfecta *Hadrianam* se in numis ad Gallieni usque aevum profitetur. Nicaeam quoque, Nicomediam, aliasque ejus regionis urbes sub imperii sui initium tremore terrae gravissime adflictas liberalitate sua juvit [a]), et serius in iisdem urbibus insignia templa, fora, aliaque aedificia statuit, ut adeo jure *Restitutor Bithyniae* appellari sit promeritus.

Bithyniae in numis caput est turritum, credo propter insignium urbium copiam. Gubernaculum manu tenet propter ejus regionis navigandi opportunitatem, hinc in Propontidem, illinc in Euxinum vergentis.

* * *

Vt lit. H.

BRITANNIA. S. C. *Mulier sedens dextero pede rupibus imposito*, *sinistra caput sustentans*, *d. hastam gerit*, *cubito in praegrandem clypeum innixo.* AE. I. II. (Vaill.)

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. BRITANNIAE. S. C. *Imperator*, *et provincia sacrificantes.* AE. I. (Vaill.

Vt lit. H.

EXERC. BRITANNICVS. S. C. *Imperator paludatus stans in suggestu adloquitur cohortes.* In aliis: *Imperator eques.* (Vaill.)

Teste Spartiano *Britanniam petiit*, *in qua multa correxit*, *murumque per LXXX. millia passuum primus duxit*, *qui barbaros*, *Romanosque divideret.* Sequendo verba ejusdem auctoris haec Hadriani profectio figitur ad annum V. C. 874. Reliqua Britannica Hadriani aetate fere ignorantur, neque typi aliquid, cui immoremur, suppeditant.

* * *

Vt lit. H.

CAPPADOCIA. S. C. *Vir capite turrito*, *et habitu succincto stans d. montem Argaeum*, *s. vexillum tenet.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

EXERCITVS. CAPPADOCICVS. S. C.

a) Euseb. in Chronico.

Imperator eques adloquitur milites. AE. I. (Vaill.)

Hadrianus instituto per Asiam proconsularem itinere Cappadociam intravit, et ab indigenis *servitia castris profutura suscepit*, ut refert Spartianus. Addit, eum ex vicino Parthiae rebus, et conservandae vicinorum regum amicitiae prospexisse. De monte Argaeo, trito Cappadociae symbolo, actum in numis Caesareae Cappadociae.

* * *

ADVENTVI. AVG. CILICIAE. S. C. *Imperator, et mulier sacrificantes.* AE. I. (Vaill.)

Ciliciam Hadrianum adivisse, explicate historici non produnt, tamen id factum post iter Cappadocicum, colligitur ex Spartiano. Nam post illud narrat, *circumeuntem provincias procuratores, et praesides pro factis supplicio adfecisse*, ac deinde intrasse in Syriam, quod factum Tillemontius ad annum V. C. 877 refert.

* * *

Vt lit. H.

DACIA. S. C. *Mulier rupi insidens d. signum militare, s. gladium incurvum.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

EXERC. in aliis EXERCITVS. DACICVS. S. C. *Imperator in equo d. elata tres adstantes milites adloquitur.* AE. I. (Mus. Caes.)

Hadrianum privatum bis fuisse in Dacia, nimirum per utrumque bellum Dacicum, ex Spartiano discimus. Vtrum illam Augustus adiverit, neque numi, neque scriptores meminere. Istud certum narrante Eutropio, non placuisse Hadriano Daciam imperio adjectam, et abjecisset eam statim ab adito principatu, perinde atque Armeniam, nisi aliud suasissent tot Romanorum coloniae ibi constitutae, quae abductis legionibus hostium incursionibus totae patuissent. Nihil igitur ea parte immutavit, nisi quod celebrem Danubii pontem, Trajani opus, dejecit, ut in hujus moneta diximus. Quare marmor editum a Grutero [a]), positumque Hadriano, *cujus virtute Dacia imperio addita felix est*, aut supposititium putandum, aut infamis adulationis reum.

* * *

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. GALLIAE. S. C. *Imperator, et mulier ad aram sacrificantes, humi jacet victima.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. GALLIAE. *Imperator togatus mulierem humi prolapsam sublevat.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Primum Hadriani iter, ex quo peregrinari instituit, Gallicum fuit auctore Spartiano.

* * *

Vt lit. H.

GERMANIA. *Mulier stans d. hastam, s. clypeum Germanicum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

EXERCITVS. GERMANICVS. S. C. *Imperator eques milites adloquitur.* AE. I. (Vaill. Mus. Caes.)

Ex Galliis transivisse in Germaniam, refert Spartianus, atque idem alibi narrat, ab eo Germanis regem impositum.

a) Pag. 249. 4.

* * *

Vt lit. H.

HISPANIA. *Mulier sedens juxta rupem d. ramum, pro pedibus cuniculus.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

EXERCITVS. HISPANICVS. S. C. *Imperator eques milites adloquitur.* AE. I. (Vaill.) AE. II. (Mus. Christinae.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. HISPANIAE. *Imperator togatus mulierem sublevat s. ramum tenentem, pro pedibus cuniculus; in aliis pro hoc ara intermedia.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Spectatis majoribus Hadriano patria fuit Hispania, et natale illis solum Italica municipium Baeticae; nam ipse Romae primam lucem aspexit. Puer aliquamdiu in hac sua patria moratus est, dum in Germaniam, ac deinde Romam avocaretur, ut supra diximus. In supremo fastigio ex Galliis Hispaniam petiit, et acto Tarracone omnium Hispanorum conventu ibi hiemavit, et sumptu suo aedem divi Augusti restituit [a]). Etsi in propinquo esset, Italicam tamen suam non invisit, quanquam multis eam honoribus, et splendidis muneribus ornaret [b]). Certe quinquennalem honoris causa in ea egisse, Spartianus refert.

Cuniculus Hispaniae symbolum vulgo cognitum, de quo vide, quae olim plura diximus in Prolegomenis ad numos Hispaniae Vol. I. p. 8.

* * *

Vt lit. H.

ITALIA. *Mulier stans d. hastam, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. ITALIAE. *Imperator, et Italia stantes ad aram sacrificant.* AV. (Mus. Caes.) AR. (Vaill.) AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. ITALIAE. *Imperator togatus stans mulierem genu flectentem, et s. cornucopiae tenentem sublevat.* AV. (Vaill.) AE. I. (Mus. Caes.)

Hadrianum primum advenisse in Italiam anno V. C. 871, in ejus anni numis vidimus, atque hic adventus saepe fuit repetitus, quoties nimirum ab solitis peregrinationibus in urbem reversus est. Sed et constat, multis ab eo beneficiis, et honoribus ornatam fuisse hanc terrarum dominam. Remissum fisci debitum supra vidimus, quae indulgentia Italiam maxime sublevavit, remissum praeterea Italiae aurum coronarium, pueris etiam, ac puellis, quibus Trajanus alimenta destinaverat, incrementum liberalitatis adjecit [c]). In pluribus Italiae urbibus annuum, eumque honorarium magistratum gessit [d]).

* * *

Vt lit. H.

IVDAEA. S. C. *Imperator togatus stans mulierem genu flectentem sublevat, circa quam tres puelli palmas gestantes.* AE. I. (Mus. Farnes.) Alius, sed sine S. C., AE. max. mod. cum praegrandi circulo in museo Pisani. Similis cum simili circulo, sed fusus, est in museo Caesareo.

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. IVDAEAE. S. C. *Imperator, et genius Iudaeae sacrifican-*

---

a) Spartian. b) Dio L. LXIX. §. 10. c) Spartian. d) ibid.

tes, *juxta quem puelli palmas tenentes.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

EXERCITVS. IVDAICVS. S. C. *Imperator in suggestu stans milites adloquitur.* AE. I. (Patin ad Suet. p. 377.)

Adventum Hadriani nostri in Iudaeam testatur Dio a). Desunt numi, qui Hadrianum *restitutorem Iudaeae* celebrarent, etsi typus numi primi revera restitutionem imitetur. Sed enim illo imperante indigna erat ea natio, quae augusto beneficio recrearetur. Satis constat, quanto furore, qui fidem humanam superet, adhuc Trajano rerum potito fanatica ea gens velut oestro percussa Cyrenaicam primum, quae sceleris incunabulum fuit, deinde Alexandriam, ac Cyprum caedibus, incendiis, rapinis pervaserit. Ad obsequium armis redacta quievit tantisper. Subinde, seu quod Hierosolymas coloniam deduxit Hadrianus, ut ait Dio b), seu quod genitalia praecidere vetarentur, ut Spartiano visum, palam obsequium exuit, arsitque infando bello omnis Palaestina lecto duce Barchoceba. Belli initia, tametsi per populi commoti vilitatem levia videri poterant, non tamen aspernanda Hadrianus arbitratus Iulium Severum, quo praestantiorem ducem ea aetas non habuit, ex Britannia evocat, belloque gerendo praeficit, qui tandem nonnisi aegre, ac multis acceptis incommodis, captis iterum, atque iterum eversis Hierosolymis, excisis castellis, interfectis omnibus, qui obstitere, reliquis sub hasta venditis, bello temerario finem imposuit. Ejus adcuratam historiam conscripsit Tillemontius c).

Quo anno Iudaeam inviserit Hadrianus, controvertitur. Factum istud profitetur Pagius anno V. C. 872. P. X. 119 d), ergo ipso anno, cujus Kalendis Ianuariis consul III. processit conlega Rustico. Sententiam suam binis testimoniis comprobat, uno Chronici Alexandrini, narrantis, iisdem consulibus Hadrianum venisse Hierosolymas, rebusque ibi ordinatis urbem de se dixisse *Aeliam.* Altero Epiphanii ex libro de Ponderib. et Mensur., cujus verba sunt: *Hadrianus Antiochiam, ac Coelen Syriam, Phoenicem, et Palaestinam, quae Iudaea dicitur, anno, quam eversa fuerat, septimo et quadragesimo peragrans Hierosolymam celeberrimam urbem ac nobilissimam contendit, quam Titus Vespasiani filius secundo sui imperii anno everterat.* Chronici Alexandrini edicto, quia ipsi consules adduntur, certe intelligendus annus V. C. 872. Ad Epiphanium quod attinet, minus illi probe cum computo chronici convenit. Captae fuerunt a Tito Hierosolymae V. C. 823 die II. Septembris, ergo annus septimus ac quadragesimus Chronici exivit eodem die anni V. C. 870. At enim hoc tempore vix imperium adhuc degustavit Hadrianus. Ait quidem Pagius, ut utrumque auctorem conciliet, et biennii defectum resarciat, annum primum Epiphanii non ducendum ab anno V. C. 823, seu captarum Hierosolymarum, sed ab anno sequente, quo triumphus Iudaicus actus est, ac praeterea, ut

a) L. LXIX. §. 11. b) L. LXIX. §. 12. c) T. II. P. II. p. 490. d) Crit. Baron. ad hunc ann.

saepe ab antiquis fit, excludi annum ultimum, quo Hadrianus Hierosolymas venit. Violenter satis, sed ad causam necessario. Credam praestare, hujus aetatis chronologis non magnam habere fidem, qui passim rationem temporum male descripsere. Satis esto, tam maturum Hadriani in Judaeam, ac vicinum tractum iter non modo infirmo niti fundamento, sed etiam componi non posse cum instituto itinerum, quod sibi in peragrandis imperii provinciis praefixit Hadrianus, et nos in annalibus digessimus. At vero Hadrianum anno demum V. C. 883 fuisse in Judaea, et inde intrasse Aegyptum, docent numi Gazae Judaeae, et quae supra ad numum Hadriani inscriptum: ADVENTVI. AVG. ALEXANDRIAE. disseruimus.

* * *

Vt lit. K.

RESTITVTORI. AVG. LIBYAE. S. C. *Imperator togatus stans mulierem genu flectentem sublevat.* AE. I. (Pellerin Mel. I. p. 205.)

Mediobarbus eo loco, quo *restitutas* ab Hadriano provincias recitat, cum ad Libyam perventum est, ejus numum plane perfunctorie sic describit: RESTITVTORI. LYBIAE, nulla facta mentione seu typi, seu musei, quo factum, ut monstrati hujus numi nullam esse habendam rationem censerent antiquarii. In aliis catalogis omnibus, quotquot reperi, eum numum reticeri video. Serius illum ex museo suo vulgavit Pellerinius, verum is, ut ab auctore proponitur, nonnulla offert insolentia. I. Epigraphe capitis: HADRIANVS. AVG. COS. III. in nullo hactenus Hadriani numo a me comperta est. Sed levius istud. Majoris momenti est, quod in eo observo II., nimirum epigraphen aversae: RESTITVTORI. AUG. LIBYAE. Quid huc irrepsit vocabulum AVG., quod in omnibus restitutarum provinciarum numis constanter abest, quanquam adsit constanter in numis inscriptis: ADVENTVI. AVG.? Vtrum exstet alicubi numus RESTITVTORI. AVG. AFRICAE, quem ibi vir eruditus citat, ignoro, atque etiam majorem in modum dubito; nam videtur hunc numum citare solum de memoria, et non consultis libris, perinde atque mox infra confertim fallitur, cum adserit, non exstare numos inscriptos: ADVENTVI. AVG. SICILIAE, deinde auctores veteres nusquam confirmare, Hadrianum aliquando aut in Achaia, aut in Sicilia commoratum, cujus tamen profectionis copiosa veterum habemus testimonia, quae suis locis indicata reperies. Ad numum propositum ut redeam, utraque a me proposita ratio persuaderet facile, eum esse malae notae mercem, nisi eum genuinum tueretur auctor gravis, et magni in scientia nostra nominis Pellerinius. Fuisse Libyae tum maxime opus restitutore Augusto, nimio certum, quando imperante Trajano, et Hadriano a Judaeis rebellibus ultra ducenta hominum millia caesa constat, de qua miserae regionis calamitate vide Dionem, et Orosium. Hadrianum in vicina Alexan-

driae Libya fuisse venatum, narrat Athenaeus [a]).

* * *

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. MACEDONIAE. S. C. *Ara ignita, hinc imperator togatus stans, inde genius Macedoniae pileatus succincta veste d. pateram, s. flagellum, pro pedibus victima.* AE. I. (Vaill.) AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. MACEDONIAE. S. C. *Imperator togatus figuram genu flectentem pileatam, et s. flagellum tenentem sublevat.* AE. I. (Mus. Caes.)

Quo tempore in Macedoniam venerit, incompertum; verisimile tum, quando altero imperii anno per Illyricum Romam ex Oriente venit. Pileum vulgati in hac regione moris vidimus in numis regum Macedoniae, tum et in denariis C. Antonii, et gentis Planciae. Verum additi flagelli causam hactenus reperire non potui.

* * *

Vt lit. H.

MAVRETANIA. S. C. *Maurus stans d. hastam, s. equum freno retinet.* AE. I. II. (Mus. Caes).

Vt. lit. H.

ADVENTVI. AVG. MAVRETANIAE. S. C. *Ara, hinc imperator stans, inde Mauretania d. pateram, s. vexillum, pro pedibus victima.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

EXERCITVS. MAVRETANICVS. S. C. *Imperator eques milites adloquitur.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. MAVRETANIAE. S. C. *Imperator sublevans figuram procumbentem.* Sic numum describit Vaillantius. AE. I.

Neque de tempore, quo Mauretaniam vidit Hadrianus, aliud praeter conjecturas habemus. De Mauris Spartianus: *Motus Maurorum compressit, et a senatu supplicationes emeruit.* Spectato ordine, quo istud narrat, id factum est sub initium ejus peregrinationum. Causa motus per Lusium Quietum illata, virum in praestantissimis ejus aetatis numerandum. Patria Maurus in utroque bello Dacico cum suo Maurorum equitatu egregia edidit facinora. Veterem suam gloriam in bello Parthico sic provexit, ut in meritorum praemium a Trajano praeturam primum, ac consulatum auferret, ac denique provinciam Palaestinam, quo in munere Judaeos rebelles ad obsequium reduxit. Haec compendio persequitur Dio [b]). Si fides Themistio, eum Trajanus, etsi extra imperii Romani fines natus esset, successorem sibi destinavit [c]). Ab Hadriano ad regendos Mauros translatus, orto ab his tumultu, cujus ipse, ut imperium in se transferret, auctor est creditus, imperatoris jussu exarmatus est misso ad sedandos Mauros Marcio Turbone [d]), denique in itinere sive senatus, sive ipsius Hadriani jussu occisus est [e]).

Maurus equum ducens proprius gentis typus. Maurorum equitatus antiquae famae cum propter equorum excellentiam, tum gentis ipsius studium.

a) L. XV. p. m. 677. b) L. LXVIII §. 32. c) Orat XVI. d) Spart. c. 5.
e) Idem cap. 7.

Quare et in priscis Mauretaniae regum numis signatos jam equos videmus. Quanto vero usui hoc ipso aevo equestris ea gens in variis Trajani bellis duce Lusio fuerit, pluribus locis testatur Dio, ejusque testimonium perennius exhibet columna Trajani, in qua equites Mauri finguntur effreni cursu in Dacos irruentes.

* * *

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. MOESIAE. S. C. *Ara, hinc imperator stans, illinc genius Moesiae d. pateram, s. incertum quid.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

EXERC. MOESIACVS. S. C. *Imperator eques milites adloquitur.* AE. I. (Vaill.)

De Hadriani in Moesiam itinere nihil prodidere veteres. Fuere, qui eum Pinci Moesiae superioris oppido celebrasse ludos ex ejus ipsius numo adfirmarent, sed quam nos sententiam refutavimus supra in numis Trajani pag. 446.

* * *

Vt lit. H.

RESTITVTORI. NICOMEDIAE. *Imperator togatus mulierem genu flectentem, et s. gubernaculum inversum tenentem sublevat.* AE. I. (Mus. Caes.)

Huc pertinent, quae supra ad Bithyniam, cujus Nicomedia metropolis fuit, disserui, quo loco ea etiam beneficia commemoravi, quae privatim in Nicomediam Hadrianus contulit. Gubernaculum manu tenet perinde atque in Bithynia in numo supra laudato. Causa est, quod opportuno portu instructa naves non modo in commercii, sed et belli usum serrituras in tuto collocavit. Cum quo praeclare conspirat numus ejusdem urbis Graecus cum capite Antonini Pii, in cujus aversa est figura stans gubernaculum item inversum tenens, scripto juxta: CTOΛOC, *classis*, de quo numo egi pluribus in moneta Nicomediae. Ex quo apparet, fuisse hanc urbem totius ejus tractus navarchida.

* * *

Vt lit. H., in aliis ut lit. I.

NILVS. *Nilus decumbens d. cornucopiae, s. arundinem, et simul Sphingi innixus, pro pedibus hippopotamus, infra crocodilus.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

NILVS. S. C. *Nilus procumbens d. cornucopiae, pro pedibus hippopotamus, infra crocodilus, plures puelli senem aut circumsistunt, aut per corpus repunt.* AE. I. II. (Mus. Caes. Vaill.)

Vt lit. H.

S. C. *Idem aversae typus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Nilus Aegypti illustris fluvius, at Hadriano *semper acerbus, semper honoratus*, qui charum sibi Antinoum sese pro imperatoris capite devoventem merserat, quod infra in ejus amasii moneta copiosius persequar. Habemus in elegantibus his numis Nilum cum omnibus suis attributis, arundine, Sphinge, crocodilo, hippopotamo, puellis, sive cubitis, de quibus singulis late egimus in Prolegomenis ad numos Alexandrinos Vol. IV. p. 36., in quibus perfrequens est Nili eodem modo decumbentis imago.

* * *

Vt lit. H.

EXERC. NORICVS. S. C. *Imperator*

eques adloquitur cohortes. AE. I. (Vaill. Mus. reg. Christinae.)

* * *

Adversa ignota.

EXERCITVS. PARTHICVS. *Imperator stans in suggestu milites adloquitur.* AE. max. mod. (Vaill. in num. m. m.)

Hoc numo probatur, Hadrianum, etsi Parthica abjecit, aluisse tamen exercitum, qui Parthiae invigilaret, et quem dubium non est circa Euphratem excubasse. Fuisse hoc imperante bellum Parthorum in motu, sed Hadriani colloquio repressum, narrat Spartianus.

* * *

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. PHRYGIAE. S. C. *Imperator sacrificat cum genio provinciae pileo Phrygio tecto.* AE. I. (Vaill.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. PHRYGIAE. S. C. *Imperator togatus figuram genu flectentem pileo Phrygio tectam, et s. pedum tenentem sublevat.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

De Phrygia, quod ad Hadrianum pertineret, nihil distincte veteres. Pileus, quo genius tegitur, proprium fuit Phrygum gestamen, et illo tecti, simulque pedo armati, scilicet vitae pastoritiae argumento, in veterum monumentis saepe finguntur illustres Phryges, Paris, Marsyas, Midas, aliique.

* * *

Vt lit. H.

EXERCITVS. RAETICVS. S. C. *Imperator in aliis stans, in aliis eques milites adloquitur.* AE. I. II. (Vaill. Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. D.

SICILIA. S. C. *Caput adversum juvenile passis crinibus sine collo, infra quod monstrum marinum.* AE. I. (Vaill. Mus. Christinae.)

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. SICILIAE. S. C. *Ara, juxta quam hinc stat imperator, illinc mulier capite spicis redimita, d. pateram, s. spicas.* AE. I. (Catal. d'Ennery.) AE. II. (Paruta in Sicil. tab. 174.)

Vt lit. H.

RESTITVTORI. SICILIAE. S. C. *Imperator togatus sublevat mulierem genu flectentem s. spicas tenentem, et capite spicis redimito.* AE. I. II. (Paruta l. c. Vaill.)

Redux ex Achaia, quod factum Tillemontius censet V. C. 879, *in Siciliam navigavit, in qua Aetnam montem conscendit, ut solis ortum videret, arcus specie, ut dicitur, varium* [a]). Numi II. et III. facilem suppeditant explicatum; nam spicae fertilitatem notant, nimirum cognitas insulae facultates. Sed argumentum numi I. molestum est aenigma. Vaillantius caput illud adversum esse Medusae statuit, Havercampus Solis, qui nempe hac facie saepe, ut ait, in Rhodiorum numis observatur, et cum compertum sit, hos Syracusas colonis frequentasse, en causam typi hujus in Siciliam translati [b]). Fuerintne monetarii Romani adeo arguti, aut adeo in arctum redacti, ut, cum Siciliam adumbrare vellent, ad levem hanc, et ignobilem de advocatis Rhodo colonis peristasin confugere necesse fuerit, ambigo, cum usitati alii, ne-

a) Spartian. b) Mus. Christinae. pag. 60.

que unis solum Syracusis, sed toti insulae communes typi, ut: Diana, triquetra etc. praesto essent. Si caput illud revera Solis est, de quo tamen dubitare liceat, credam potius adludi ad solem ab Hadriano ex Aetna prospectum, quod continuo ex Spartiano vidimus, quam ad Rhodios adventitios, praecipue cum et Aetnaei ejus montis accolae Solis caput in moneta sua signaverint. Sed forte Medusae potius caput refert, quod saepe in numis Siculis, et insertum triquetrae comparet. Monstrum marinum infra positum esse Scyllam, dubitari nequit, quam constat in freto Siculo grave imperium exercuisse, et quam forma non multum absimili sistunt numi Sex. Pompeji. Quanquam nisi numus hic Vaillantium praeconem haberet, virum longo usu in palaestra nostra exercitatum, luberet numi hujus γνησιότητα in dubium vocare. Nam primum, cum provinciae omnes, quas hactenus vidimus, figuras integras suis distinctas attributis quocunque demum situ offerant, sola Sicilia arcessitum longe, aenigmaticum, et hac aetate obsoleti thematis typum obtrudit, cum tamen eadem Sicilia in successoris Antonini numis personam mulieris, nempe in fingendis hac aetate provinciis usitatam induat. Suspecta etiam videtur in hoc numo capitis epigraphe; nam cum in omnibus aliis Hadriani numis similis argumenti legatur inscriptum: HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P., in hoc uno praetenditur inscriptum: HADRIANVS. AVGVSTVS. Sed praestat rem in medio relinquere.

Vt lit. H.

EXERCITVS. SYRIACVS. S. C. *Imperator stans, in aliis eques milites adloquitur.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

ADVENTVI. AVG. THRACIAE. S. C. *Imperator et genius provinciae sacrificantes.* AE. I. (Vaill.)

Iter Hadriani in Thraciam incerti est temporis. In ea urbem de suo nomine Hadrianopolin dictam ad Hebrum condidit hodieque celebrem.

RELIQVI HADRIANI NVMI MEMORABILIORES.

Vt. lit. C.

ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CON. *Mulier humi sedens d. rotam, s. tres obeliscos, seu conos complexa.* AV. (Mus. Caes.)

Vt. lit. B.

Eadem aversa addito S. C. AE. I. (Mus. Caes. alibi.)

Illustres hi numi ex iis, qui COS. III. inscribunt, soli sunt, quorum aetas tuto, ac proxime possit definiri; nam offerunt ipsum *annum* DCCCLXXIIII ab urbis scilicet conditu, atque una memorant *natalem urbis*, nimirum a Parilibus, que XI. Kal. Majas in memoriam conditae hoc die urbis celebrata fuere. In hos numos postremus commentatus est Baro Bimardus ad Jobertum [a]), qui laudatis primum aliorum sententiis de vera epigraphes lectione, (nam de hac cumprimis agitur) iisque refutatis suam demum stabilire nititur. Non attinet, eas quoque hoc loco commemorare,

a) Tom. II. pag. 178.

quae quoniam falsae lectioni innituntur, suapte corruunt. Vaillantius legit: *Anno* 874 *natalis urbis populo Circenses concessit.* Sed advertit Bimardus, ludos Circenses adeo fuisse Romae frequentes ut verisimile non videatur, voluisse monetarios facti ordinarii memoriam modo extraordinario in numis conservari. Harduinus, cum quo, ut plerumque alias, sentit Jobertus, sic epigraphen explicat: ANN*o* DCCCLXXIIII. NAT*ali* VRB*is* P*lebeii* CIR*censes* CON*stituti.* Hunc modum aspernatur Bimardus, quoniam nullo idoneo fundamento nititur, ac praecipue, quoniam Circenses aeque plebeii, ac senatus, et equestris ordinis fuere. Refutatis ergo horum sententiis suam prodit legendo: ANN*o* DCCCLXXIIII. NAT*ali* VRB*is* P*rimum* CIR*censes* CON*stituti.* Censet igitur, Hadriano imperante ad celebrandum natalem urbis nova, et hactenus insueta fuisse constituta. Revera neminem auctorum veterum, ipsum neque Ovidium, cum natalem hunc in fastis memorat, constitutorum hujus causa sacrificiorum, aut ludorum meminisse. Constituisse igitur Hadrianum, cui indignum visum est, diem universo populo Romano sacerrimum nullis peculiaribus caerimoniis condecorari, ut ludi Circenses ejus causa peragerentur. Hanc sententiam non parum juvat Athenaeus [a]), qui, cum narrasset, quo tempore Romae cum dipnosophistis suis convivabatur, repente exauditum tibiarum, et cymbalorum, et cantantium strepitum, addit: ἐτυχεν δε οὐσα ἑορτη, τα Παριλια μεν καλουμενα, νυν δε Ῥωμαια, τη της πολεως Τυχη ναου καθιδρυμενου ὑπο του παντ' ἀριστου και μουσικωτατου βασιλεως Ἀδριανου. *Forte autem tum agebatur festum, quod Parilia olim vocabatur, nunc autem Romana, templo Fortunae urbis dedicato ab optimo, et literarum amantissimo imperatore Hadriano.* Quo testimonio docemur, ab Hadriano statutum templum Fortunae urbis, ac tum festum Parilia haud dubie novis quibusdam ritibus, atque, ut numi hi docere videntur, ludis Circensibus fuisse celebratum. Haec Bimardi sententia si non plane certa, tamen praeferenda reliquis videtur. At enim lis durabit semper, donec de vera siglae P. significatione, quae varie expleri potest, magis certi erimus. Eruditus Fogginius legendum censet *Publici*, nimirum, inquit, ut numus indicet, fuisse jam etiam antea eo die a gente Julia privatis sumptibus celebratos ludos Circenses, quoniam narrante Dione [b]) pridie Parilium nuncius de victis a I. Caesare in Hispania Pompeji liberis in urbem est perlatus [c]). Sed statuendus tandem conjecturis modus.

Insignia, quae mulier humi sedens manu complectitur, Circum ipsum, ludosque notant tanquam partes totum, nimirum rota currum, tres obelisci, sive coni Circum, quorum terni conjuncti utrinque spinam finiebant, et metae usum praestabant, circa quam flectendus quadrigarum cursus. Narrat Joannes Lydus [d]), hos circorum obeliscos, quos ille perperam pyramides vocat, fuisse sacros Nemesi, credo, ne seve-

---

a) L. VIII. p. m. 361. b) L. XLIII. §. 42. c) Fasti Verrii p. 58. d) Περι μηνων in prooem.

ram hanc deam sibi adversam experirentur, qui in arenam descenderunt.

Sunt hi numi soli, qui annum epochae ab urbe condita, toti imperio tantopere sacrae atque venerabilis inscribunt, et qua non raro scriptores Latini in signandis annis usi sunt. Sed neque in marmoribus frequentior ejus usus. Audrichius, qui similia collegit [a]), unicum tantum marmor reperit, qui ejus mentionem faciat. Est apud Fabrettum [b]): EXCESSIT. ANNO. VRBIS. CONDITAE. DCCCXCVII. Ceterum an anni urbis conditae in utroque hoc monumento sint in annis Varronis, an Capitolinis, aliisve, non liquet.

* * *

Variae inscriptiones capitis.

COS. III. *addito in aliis* P. P. *variis typis in omni metallo, et forma.*

Nihil in Hadriani numis hac aversae inscriptione vilius stantibus cum hac omnis generis typis, sed qui obvii plerumque sunt argumenti.

* * *

IMP. CAESAR. HADRIANVS. AVGV. COS. III. P. P. *Caput laureatum.*

DECVRSIO. *Bini viri in citatis equis d. hastam praecedente milite.* AE. m. m. (Mus. Farnes. Vaill. in numis max. mod.)

Huc propter idem argumentum referendus sequens:

Vt lit. D.

S. C. *Idem aversae typus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem aversae epigraphe, et idem typus obvii sunt in numis Neronis, quo loco animadverti, iis indicari Neronis in Circenses studium. Satis compertum, ab his Hadrianum nostrum alienum non fuisse, utut moderatum [c]), quod etiam tum patuit, quando decursionem equestrem (δρομον ἱππιον) Nemeis, et Isthmiis ludis intermissam Argivis restituit, ut narrat Pausanias [d]).

Vt lit. H.

DISCIPLINA. AVG. *Imperator adducta manu veste praecedens sequentibus pluribus militibus cum signis militaribus.* AV. AE. I. (Mus. Caes.) In aliis scribitur: DISCIPVLINA. AVG. (Vaill.)

Audiendus ad numi hujus intelligentiam Spartianus [e]): *Militem*, ait, *quasi bellum immineret*, *exercuit*, *tolerantiae documentis eum imbuens* - - - *cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens*, *hoc est*: *caseo*, *larido*, *et posca exemplo Aemiliani*, *et Metelli*, *et auctoris sui Trajani*, *multos praemiis*, *nonnullos honoribus donans*, *ut ferre possent ea*, *quae asperius jubebat*; *siquidem ipse post Caesarem Octavium labentem DISCIPLINAM incuria superiorum principum retinuit* - - - *exemplo etiam virtutis suae ceteros adhortatus*, *cum etiam vicena millia pedibus armatus ambularet*, *triclinia de castris*, *et porticus*, *et cryptas*, *et topia dirueret*, *vestem humillimam frequenter acciperet*, *sine auro balteum sumeret* - - - *delicata omnia undique summoveret*, *arma postremo eorum*, *supellectilemque corrigeret etc.* His consona refert etiam Dio [f]), qui et addit, ita ab eo milites omnes exercitos, et institutos,

a) Institut. Antiq. p. 69. b) Inscript. p. 83. c) Dio L. LXIX. §. 10. d) L. VI. p. 491. e) Cap. 10. f) L. LXIX. §. 9.

ut quae tum ab illo constituta sunt, ad sua usque tempora vim in disciplina militari obtinerent. Et Victor [a]): *Officia publica, et palatina, nec non militiae in eam formam statuit, quae paucis per Constantinum immutatis hodie perseverant.*

Antica incerta.

HERC. GADIT. *Hercules innixus clavae s. tria mala, hinc vir humi decumbens, illinc dimidia navis.* AV.

Hunc numum Tristanus sese ex Arschotanis numis hausisse profitetur [b]), quorum tamen exigua vulgo fides est. Verum ejus meminit quoque Vaillantius, et bina ejus exemplaria se vidisse testatur Florezius [c]). *Hercules Gaditanus* Tyro metropoli Gades translatus non modo in Hispania, sed ipsa Roma inclytus fuit, sic ut ex jure Romano ejus loci Hercules, quod plerisque aliis aliarum regionum diis negatum, bonorum heres supremis tabulis scribi potuerit [d]). Proponitur vero in numo Hadriani, cum quod urbs Gaditana Italicae ejus patriae vicina facile cum hac Herculis cultum communicavit, essetque mater Hadriani Domitia Paulina Gadibus oriunda, ut principio diximus, tum quod Hadrianus provincias omnes obeundo, easque beneficiis quaquaversum adficiendo Herculis quodammodo nomen, et honores sibi emeruit. Navis rem Gaditanorum maritimam haud dubie arguit; at viri decumbentis imaginem, quam plerique alii fluvium dixere, esse incerti explicatus, facile mihi cum laudato Florezio convenit. Forte non temere conjecero, esse imaginem Oceani. Sane in numis Tyri metropolis Oceanum viri eodem modo decumbentis specie propositum videmus, scripto juxta, ne is aliorsum accipiatur, vocabulo ΩΚΕΑΝΟϹ., notum vero, Gades ipsi Oceano fuisse adsitas. Similis figura viri humi decumbentis est etiam in numo Herculis Prodicii, quem dabimus infra sub P. M. TR. P. COS. III. Ceterum vide, quae Tristanus loco indicato ad hunc numum fuse commentatur. Huc etiam revocari possunt numi aurei, et argentei inscripti COS III. vel: P. M. TR. P. COS. III., et quorum typus est: *Hercules nudus, et adversus armis insidens d. clavam, s. fulmen.*

Vt lit. A.

LIBERAL. AVG. III. P. M. TR. P. COS. III. *Typus congiarii obvius.* In aliis: *Duae figurae sedentes, quae congiarium dispensant.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. III. S. C. *Typus congiarii obvius.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

LIBERALITAS. AVG. IIII. COS. III. S. C. *Imperator togatus sedens in suggestu, cui adstat Liberalitas, quae ex cornucopiae opus in subjecti civis sinum effundit.* AE. I. (Mus. Caes.)

Antica ignota.

LIBERALITAS. AVG. V. *Reliqua ignota.* Vide, quae mox *dicentur.*

Vt lit. H.

LIBERALITAS. AVG. VI. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

LIBERALITAS. AVG. VII. *Liberalitas*

---

a) In Epit. b) Comment. hist. Tom. I. p. 378. c) Medell. de Espann. Tom. III. p. 70. d) Vlpian. Fragm. XXV.

stans. AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

Eadem epigraphe addito S. C. *Typus, ut in Liberalitate IIII.* AE. I. (Mus. Farnes.)

Liberalitatem I. et II. vidimus ad annos V. C. 870. 871.

Liberalitas III. Videtur hanc exercuisse in ipso consulatu III., quoniam figura alia adsidet, quam non dubitem esse consulem conlegam.

Liberalitas IIII. De hac nihil eruo. Istud certum, quoniam Patris patriae titulus omittitur, eam contigisse ante annum V. C. 881.

Liberalitas V. De hac nimis obiter Vaillantius, ex cujus verbis colligi quidem potest, eam in numis, iisque rarissimis existere, sed eos describere negligit [a]).

Liberalitas VI. VII. Hae Patris patriae titulum jam addunt, ceterum in quos annos cadant, definiri nequit. Harum tamen postrema videtur esse ea, quam populo erogavit causa adoptionis Aelii summa IIS. ter millies [b]).

Vt lit. E.

LIBERTAS. RESTITVTA. PONT. MAX. TR. POT. COS. III. S. C. *Imperator togatus in suggestu sedens stante infra muliere, quae puellum, quem sinistra gerit, imperatori offert, alio ad latus dexterum adstante.* AE. I. (Mus. Caes.)

Ad hujus aversae explicatum nihil opportunum e veteribus eruo. An eo pertinet, quod refert Spartianus: *Liberis proscriptorum duodecimas bonorum concessit?* ac forte tum alia in eorum commodum constituit, quibus *Libertas restituta* dici potuit.

Vt lit. B.

LOCVPLETATORI. ORBIS. TERRARVM. S. C. *Imperator togatus sedens in suggestu, adstat Liberalitas, quae ex cornucopiae opes in sinum duorum civium infra stantium effundit.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numus hic compendio magnificum Hadriani in omnis aetatis, ordinis, loci liberalitatem depraedicat, quare et typus in eo idem est cum illo, quem supra in nonnullis liberalitatis numis vidimus. Hadrianum egregie munificum ex hactenus dictis abunde intelleximus, ex quo magnificum *locupletatoris orbis terrarum* titulum sibi peperit, quae hic repetere superfluum foret. Vnicum Dionis locum, qui praesentem numum juvat, commemorare libet [c]). *Multa populis*, ait, *privatisque hominibus, multa etiam senatoribus, et equitibus largitus est; nec enim exspectabat, quousque rogaretur, sed agebat omnia, ut cujusque necessitas postulabat.* Vnde merito in marmore, quod supra in RESTITVTORI. ACHAIAE recitavi, de Hadriano adfirmare potuerit hierophantis Eleusinia:

Ασπετον ὀς πασαις πλουτον κατεχευε πολεσσιν,
Qui urbibus omnibus immensas divitias profudit.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. III. *variis typis* in AV. AR. AE. I. II. III.

Numi sic inscripti magnam hujus aetatis monetae partem efficiunt. Ex his me-

---

a) Num. praest. T. II. p. 66. b) Spartian. in Aelio Caes. c) L. LXIX. §. 5.

morari meretur sequens:

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. III. *Templum distylum, intra quod Hercules nudus stans d. clavam, quem mulier altera adstans a dexteris, altera a sinistris ad se invitare videntur, infra figura senilis decumbens.* AV. (Mus. Caes.)

Eximium hujus numi typum lubet Ciceronis ipsius verbis explicare [a]). *Namque Herculem Prodicium dicunt, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est, exisse in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum, multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis.* Vide de Prodicio hoc Hercule Xenophontem [b]), Themistium [c]), Quinctilianum, Maximum Tyrium, aliosque, quos recenset Potterus ad Clementis Alexandrini Paedagog. L. II. c. 10. Atque hanc subinde fabulam eleganter Silius Italicus seniori Africano applicuit [d]), serius monetarius noster Hadrianum cum Hercule contendens. Nam ut hic averso a voluptate animo austerum vitae genus est amplexus, et excisis ingenti labore monstris pacem terrarum orbi restituit, ita et Hadrianus posthabitis mollioris vitae illecebris maluit per insignem laborum tolerantiam peragrare orbem Romanum, atque in singulis ejus provinciis castigata praesidum avaritia, judicatis litibus, egenis sublevatis beneficentiae suae vestigia relinquere. Hadrianum per ipsos numorum typos saepe cum Hercule comparatum in hoc tractatu vidimus; an vero exstent etiam numi, qualem se apud praesidem Thuanum vidisse ait Casaubonus [e]), inscriptum: ΑΥΤ. Κ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ϹЄΒΑϹΤΟϹ. ΗΡΑΚΛΗϹ. ΡΩΜΑΙΟϹ, et in quo ipse in ornamentis Herculeis spectatur, valde dubito. Verisimile est, numum hunc esse Commodi, qui *Hercules Romanus* dictus saepe est in numis tam Romanis, quam Graecis, quamquam revera in museo Theupoli inter numos maximi moduli pag. 778 recitetur numus, in quo Hadriani caput leonis pelle coopertum dicitur, si modo genuinus is putandus est. Quid sibi velit procumbens in imo vir senilis, mihi incompertum. Fluvium dicerem, si aut arundinem gestaret, aut urnae pro more inniteretur; sed neque tum ejus causam tenerem. Vide etiam, quo pacto Lucianus eandem Herculis Prodicii fabulam secum actam narrat [f]).

Vt lit. I.

PATIENTIA. AVGVSTI. COS. III. *Mulier sedens d. pateram, s. hastam.* AR. (Seguin Sel. num. p. 150.)

Suspicatus primum est Vaillantius, in hoc Seguini numo vocabulum CLEMENTIA a falsario concinne in PATIENTIA transformatum, conjectura nequaquam temeraria, quia in numis utrovis modo inscriptis idem est typus [g]). At fatetur Morellius, subinde alterum ejus numi exemplar Vaillantio obtigisse et ab hoc museo regio illatum, in quo

a) De Offic. L. I. c. 32. b) Memorab. Socrat. L. II. c) Orat. XXII. d) Punic. L. XV. v. 20. e) ad Spartiani Hadr. cap. 13. f) in Somnio. g) in notis ad Seguin. p. 414.

nunc bis habetur [a]). Aversam commode explicat cognitum Hadriani institutum, siquidem definiente Cicerone [b]) *patientia est honestatis, aut utilitatis causa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpessio.*

Vt lit. B.

PROVIDENTIA. DEORVM. S. C. *Imperator togatus stans d. extenta, s. volumen respicit aquilam superne advolantem, et scipionem unguibus deferentem.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Judice Tristano [c]) Hadrianus hoc typo suam in superos pietatem testatur, nimirum qui non crederet, sese aut fato, aut meritis suis, sed deorum providentiae debere imperium, quod ipsi statuentibus sic diis traditur misso per aquilam Iovis ministram scipione, seu sceptro imperii insigni, in quam rem opportune citat Eustathium, ex cujus sententia *aquila index est providentiae, et amoris, quo Iuppiter in humanum genus fertur.*

Vt lit. A.

PVDIC. P. M. TR. P. COS. III. *Mulier velata stans dextera intra vestem abdita.* AR. (Mus. Caes.)

Pudicitia rarus est typus in numis Augustorum, at frequens in numis Augustarum. Pudicitiam probavit Hadrianus, quando eos ab aula removit, *qui apud Sabinam uxorem familiarius egerant, quam reverentia domus aulicae postulabat*, impudicitiam, quando *adultorum amore* (quos inter primum locum tenuit Antinous) *ac nuptarum adulteriis* erat irretitus, quod utrumque refert Spartianus. Fuit ergo per intervalla pudicus, et impudicus. At enim numi coaevi virtutes tantum principum memorant, relicta historiae post eorum obitum exarandae vitiorum mentione. Sic numi quoque frequenter Hadriani clementiam crepant, sed violentas mortes virorum illustrium eo vita functo collegit historia incorrupta.

Vt lit. B.

RESTITVTORI. ORBIS. TERRARVM. S. C. *Imperator togatus stans mulierem genu flectentem capite turrito, et s. globum tenentem sublevat.* AE. I. (Mus. Caes.)

Supra in numis geographicis abunde vidimus, quantum provinciis singulis benefecerit Hadrianus, quibus omnibus in unum collectis dignus est habitus, qui uno nomine *restitutor orbis terrarum* diceretur.

Vt lit. H.

ROMVLO. CONDITORI. *Romulus paludatus gradiens d. hastam, s. tropaeum super humero.* AR. (Mus. Caes.)

Romulum urbis conditorem magno honore ab Hadriano fuisse habitum, vel inde patet, quod diem, quo is Romam condidit, amplioribus caerimoniis sacrum esse voluit, ut conspeximus supra ad numum primum hujus seriei. Fingitur in numo praesente Romulus gestans spolia opima, eaque oblaturus Jovi Feretrio, quae Acroni Ceninensium regi in acie caeso detraxit, ut vulgo notum.

* * *

---

a) Specim. pag. 101. b) de Invent. L. II. c. 54. c) Comment. hist. Tom. I. pag. 358.

Vt lit. A.

SAEC. AVR. P. M. TR. P. COS. III. *Vir seminudus stans, et s. tenens globum, cui phoenix insistit, d. circulum contingit, quo totus ambitur.* AV. (Mus. Caes.) AR. (Vaill.)

Aversa hujus numi aureum imperante Hadriano saeculum depraedicat. Saecula ex metallis traxisse nomen, mythologorum inventum est. Quae beatiora fuere, iis ab auro, metallorum nobilissimo, indita appellatio. Tale sub Augusto exstiturum, si fides Virgilio, multis ante eventum saeculis Aeneae pater Anchises praedixit [a]):

Augustus Caesar, divum genus, AVREA condet
SAECVLA.

Sed fuere etiam saecula, quae cum ferrea essent, ac lutea, aurea nihilominus sunt dicta, quomodo decretum fuit a Commodo, ut aevum, quo principatum teneret, nominaretur saeculum aureum, idque in omnibus literis scriberetur [b]). Vtrum senatus imperante Hadriano per adulationem similem legem sciverit, incertum. Avem globo insistentem esse phoenicem, docemur ex numis inferioris aevi, in quibus non raro eadem volucris globo insistens adstituitur inscriptioni: GLORIA. SAECVLI. vel: FELIX. TEMPORVM. REPARATIO. Phoenicem esse aeternitatis symbolum, diximus in numis divi Trajani. Sed etiam longius aevum notat, quoniam diu vivere est creditus. Circulus haud dubie indicat orbem saeculi in se revoluti, nisi forte zodiacus est; nam si non fallit similis numi pictura Pembrockiana [c]), in eo zodiaci signa videntur. Vide de hoc numo plura apud Tristanum [d]), et Liebeum [e]).

Antica incerta.

S. P. Q. R. AN. F. F. OPTIMO. PRINCIPI. *scriptum intra lauream.* AE. I. (Vaill. Mus. Christinae.)

Antica incerta.

S. P. Q. R. AN. F. F. HADRIANO. AVG. P. P. *intra lauream.* AE. I. (Vaill.)

Adclamatio haec est, qua S. P. Q. R. A*nnum* N*ovum* F*austum* F*elicem* (nam sic legendas literas solitarias continuo docebimus) Hadriano auguratur. At fuit principibus duplex singulis annis annus novus, unus, communis omnibus, nimirum Kalendis Januariis, quo die strenae, id est: munuscula ultro citroque mitti consuevere, quae non raro plene inscripta fuere his verbis: ANNVM. NOVVM. FAVSTVM. FELICEM, ut nos docet Fabrettus [f]), ad quam inscriptionis normam legendae etiam, ut mox dixi, numorum praesentium literae. Etiam pro salute principis anni principio, nimirum III non. Januar. vota fuisse concepta, disputabimus in tractatu de numis Votorum. Alter annus novus principibus sacer fuit dies, quo imperium auspicati sunt, dictus et dies natalis imperii, atque hoc sensu revera Seneca in Apocolocynthosi diem III. id. Octobr., quo mortuus est Claudius, et imperare coepit Nero, vocat *annum novum*, *initium saeculi felicissimi.* Vter annus novus in his numis intelligatur, nam utroque recurrente

---

a) Aen. VI. b) Dio L. LXXII. §. 15. c) Part. I. tab. 17. d) Comment. hist. T. I. p. 368. e) Goth. num. p. 443. f) Inscript. p. 500. n. 36. 37.

concepta fuere pro principe vota, difficile est decidere, neque etiam decisum numos praesentes plus illustraverit. His ita disputatis audiendus etiam Havercampus numi hujus epigraphen sic explens: S. P. Q. R. *Anno Natali (scilicet urbis) Fieri Fecit* OPTIMO. PRINCIPI [a]). Nimirum huic polygrapho, cetera erudito sane, idem evenit, quod evenire solet polyphagis, qui, quoniam multum ingerunt, male digerunt. Quis enimvero fuit annus urbis natalis? non sane alius, nisi is ipse, quo Romulus urbem fertur condidisse. Ergo ante novem fere jam saecula hi sunt numi Hadriano a senatu dicati? Similis aversa est etiam in numo Antonini Pii, quem descriptum vide ad annum V. C. 892, item Alexandri Severi, quem vide in hujus Augusti numis vagis.

Vt lit. H.

S. P. Q. R. EX. S. C. *Templum decem columnarum variis statuis exornatum.* AE. m. m. (Buonarroti Osserv. ist. p. 16.)

Vt lit. H.

S. P. Q. R. *in area* S. C. *Templum decem columnarum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Verisimile censet Buonarrotus, hoc templum illud ipsum esse, quod imperante Hadriano aedificatum fuisse Romae, et Veneri, mox infra ad numum VRBS. ROMA. AETERNA. dicemus. At enim templum in numis his propositum structum fuisse EX. S. C., numus prior manifeste eloquitur, at constat, templi Romae, et Veneris architectum fuisse ipsum Hadrianum. Omnino igitur incertum, cujus honori jubente senatu hae aedes surrexerint.

Vt lit. H.

TELLVS. STABIL. *Vir succincta veste stans d. forte ligonem, s. rastrum.* AV. AR. (Vaill. Mus. Caes.)

Vt lit. H.

TELLVS. STABIL. *Mulier humi sedens d. globum praegrandem contingit, s. forte vitem.* AR. In aliis *simul canistro innititur addito* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

HADRIANVS. AVGVSTVS. *Caput Hadriani ornatum pelle leonina.*

TELLVS. STABILITA. *Mulier humi considens dexteram globo imponit, circa quem pueruli, s. vitem.* AE. max. mod. (Theupoli.)

Et epigraphe, et typus allegorici sunt. Nimirum Hadrianus dicitur *stabilivisse tellurem*, dum repressis seditionibus intestinis, et profligato a bellis externis metu, ad haec coercita praesidum cupiditate pacem, libertatem, ac securitatem, quibus agricultura, et civium facultates nituntur, fundavit. Si genuinus est numus postremus, in quo Hadriani caput leonis exuviis tegitur, sed cujus mihi fides nonnihil videtur suspecta, habemus imperatorem collatum cum Hercule, qui similia agendo tellurem stabilivisse dici potuit. Ea explicatio magis mihi videtur idonea prae altera, quam obtulit Tristanus [b]), Hadrianum scilicet sua in deos pietate promeritum, ut tellus principio ejus imperii perpetuis, et horrendis vexata terrae tremoribus, quibus illustres Asiae urbes considerunt, stabilis deinceps consisteret. Istud illi persuasit ancora, quam in figurae stantis manu videre sibi visus est. At enim quae sint vere haec in-

a) Mus. Christin. pag. 65.　　b) Comment. hist. Tom. I. pag. 575.

strumenta, quae utraque manu gestat, tuto definiri nequit. Magis laborat explicatio Vaillantii, qui, quod figura stans d. tenet, antliam dicit, qua Hadrianus lacum Fucinum exsiccavit. Omnia in hoc judicio praepostera. Quaeritur primum, utrum lacus tantae capacitatis, et per aquarum molem saepe vicinis damnosus adactis antliis potuerit egeri? Deinde cum Spartianus dicat: *Fucinum lacum emisit*, satis apparet, Hadrianum eodem modo opus aggressum, quo olim Claudium, qui eundem lacum effosso monte, et ducto canali *emisit*, ut ait Suetonius [a]). Ope antliae aquas non emittimus, sed haurimus, attollimus, sugimus. Denique hanc ejus sententiam evertunt numi posteriores, qui globum exhibent, quo nemo dubitabit indicari tellurem, seu orbem terrarum, non vero exiguam terrae portionem egestu lacus agriculturae idoneam redditam. Simili inscriptione, et typo numum cudit Commodus ad annum V. C. 940. An vero et hic lacum Fucinum emisit? Animadvertendum etiam, cum in numo Domnae ad similem typum, qualem exhibent numi posteriores, nempe mulierem sedentem juxta globum, quem puelli obeunt, scriptum legatur: FECVNDITAS, inscriptione numorum praesentium *telluris stabilitae* indicari posse *tellurem* procurata liberorum procreatione, principe matrimoniis favente, et alimentorum ope juventuti destinatorum *stabilitam.*

Vt lit. D.

VIRTVTI. AVGVSTI. *Imperator eques leonem hasta confodit.* AE. max. mod. (Mus. Farnes.)

Hadrianum venatus fuisse studiosissimum, in ejus vitae compendio diximus. Ea autem fuit per multum, ac diuturnum usum dexteritate, ut aprum maximum uno ictu conficeret. In Mysia, sive Bithynia, quo loco feliciter est venatus, et ursam occidit, oppidum Hadrianotheras, *Hadriani venationem*, condidit. Equus, cui in praesente numo insidet, forte est nobilis ille Borysthenes, quo in venationibus uti solebat, cuique mortuo monumentum aedificavit, erexitque cippum ejus laudes epigrammate eloquentem. Quod vero propius ad numi praesentis typum pertinet, est, quod leonem manu sua stravisse feratur. Inter periculosa haec studia jugulum, et coxam fregit, ut nonnihil crure claudicaret. Haec Spartianus, et Dio [b]). Narrat etiam Athenaeus [c]), Hadrianum in Libya Alexandriae vicina venatum immanem leonem Maurum, cujus metu tota vicinia solum vertit, confecisse.

Vt lit. H.

VENERIS. FELICIS. *Venus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

VRBS. ROMA. AETERNA. *Roma sedens in templo sex columnarum d. globum s. hastam.* AE. max. mod. (Theupoli).

Vtrumque numum conjungo. Hadrianum Veneri, et Romae aedificasse templum, cum ex aliis, tum Dione constat [d]). Addit, eum ipsum fuisse hujus aedis architectum, occisumque ejus

---

a) In Claud. c. 20. b) L. LXIX. §. 10. c) L. XV. p. m. 677. d) L. LXIX. §. 4.

jussu Apollodorum, architectum ejus aetatis celeberrimum, cujus saepe in Trajano meminimus, quod quae Hadrianus in ejus structura adversum architectonicae leges peccaverat, liberius carpserat. Teste Spartiano hoc *templum Vrbis fuit ingenti molimine, ita ut operi etiam elephantes XXIV. adhiberet.* Supra ad primum hujus seriei numum vidimus testimonium Athenaei narrantis, conditum ab hoc fuisse Fortunae Vrbis templum, quo loco et commemoravi solennia, quibus natalem urbis condecoravit, testimonia luculenta ejus in urbem dominam adfectus. Eusebius, et Cassiodorus aedificatum hoc templum statuunt anno II. Olympiadis CCXXVII., qui respondet anno V. C. 883. Horum posterior explicate: *Templum Romae, et Veneris factum est, quod nunc Vrbis appellatur.* Consentit in tempore et Phlegon, qui addit: *Hadrianus Apollodorum architectum occidit, quod is templum Veneris, et Romae a se aedificatum reprobavit* a). Vtriusque numinis hac in aede cultum in sera adhuc tempora durasse, testis locuples est Prudentius sic eum perstringens b):

Delubrum Romae (colitur nam sanguine et ipsa
More deae, nomenque loci ceu numen habetur,
Atque urbis, Venerisque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura deabus.)

Idem templum videtur innuere Joannes Lydus in opere *περι μηνων*, cum narrat: *Εν ταυτη τη ἡμερᾳ Τραιανος τη παντων τυχη καθιερωσε ναον, θεσπισας κατα τον ἱερον νομον μηδενα παρα τον θυσαντα γευεσθαι της θυσιας. Eodem die* (sc. Kalendis Ianuariis) *Trajanus omnium Fortunae dedicavit templum, decreto, ne quis juxta sacrum morem oblatas carnes praeter sacrificantem gustaret.* Haud dubie is *Trajanus* scripsit pro *Hadrianus*, cujus generis sphalma facile condonamus inferioris aevi scriptori.

Antica incerta.

VENERI. GENETRICI. *Venus stans d. Victoriolam tropaeophoram, s. hastam, et clypeum.* AV. (Vaill.)

Veneris genetricis epigraphe nunc primum occurrit, obvia deinceps, sed in numis Augustarum. Causam, cur ea apud Romanos tanto in honore esset, dedit Macrobius c). Nimirum cur Aprilis Veneri sacer esset, *hanc Romulo fuisse adserunt rationem, ut primum quidem mensem a patre suo Marte, secundum ab Aeneae matre Venere nominaret, et hi potissimum anni principia servarent, a quibus esset Romani nominis origo, cum hodieque in sacris Martem patrem, VENEREM GENITRICEM vocemus.*

Vt lit. H.

VICTORIA. AVG. *Mulier alata gradiens d. stolam a pectore diducit, s. ramum.* AR. (Mus. Caes.)

De hac Victoria Nemesi recole, quae dixi ad numos Claudii inscriptos: PACI. AVGVSTAE. pag. 236.

Vt lit. H.

Sine epigraphe. Pons octo columnis, quibus totidem statuae insistunt, ornatus. AE. max. mod. (Num. max. mod. Lud. XIV. Vaill. in AE. I. et m. m.)

a) In Eusebio Scaligeri. b) Contra Symmach, L. I. v. 219. c) Saturn. L. I. c. 12.

Est hic pons Tiberi impositus, et ab Hadriano dictus Aelius teste Dione a). Ejus meminit etiam Spartianus b): *fecit et sui nominis pontem.* De numo hoc sic Baldinus c): *dummodo sit indubitatae antiquitatis, a peritis enim pro suspecto habetur.* Sane in Caesareo quoque museo ejus exemplum adest, sed haud dubie spurium.

Vt lit. H.

Sine epigraphe. Isis cum flore loti in capite cani praegrandi currenti insidet, d. sistrum, s. hastam. AE. II. (Mus. Caes.)

Idem typus exstat in aeneo II. formae item anepigrapho Faustinae senioris apud Theupoli, et in numo Fl. Iuliani musei Caesarei inscripto: VOTA. PVBLICA. Eum explicatum vide in numis: VOTA. PVBLICA, quos post ejusdem Juliani numos recitabimus.

DIVVS HADRIANVS.

DIVVS. HADRIANVS. AVG. *Caput nudum.*

CONSECRATIO. *Aquila globo insistens.* AV. (Mus. Caes.)

Senatus ob caesos complures illustres ordinis sui viros, de quibus egi supra in synopsi ejus vitae, tam inflammato erat in Hadrianum odio, *ut acta ejus fieri irrita vellet, nec appellatus esset divus nisi Antoninus rogasset. Templum denique ei pro sepulcro apud Puteolos constituit, et quinquennale certamen, et flamines, et sodales, et multa alia, quae ad honorem quasi numinis pertinent.* Haec Spartianus d). Similia Dio e), et Eutropius. Addit Victor f), postquam subito prodivere, quorum imperatum quidem ab Hadriano exitium fuit, sed quos ejus furori studiose subtraxit Antoninus, tum senatores suos quique complexi censuere, quod principio abnuerant. De certamine quinquennali apud Puteolos constituto consule, quae in Antonino sub titulo *Pius* notabo. L. Fabius Cilo dicitur SODAL*is* HADRIANAL*is* adhuc imperante Severo in binis marmoribus, quae post alios emendatius edidit insignis Marinius g).

* * *

DIVO. HADRIANO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila stans expansis alis.* In aliis: *Ara ignita.* AR. (Mus. Caes.)

Sunt argenti impuri, multoque serius signati, de quo numorum genere agetur in tractatu de numis consecrationis.

De numis aeneis maximi moduli.

Sub Hadriano cudi coepti numi, quos proprie *maximi moduli* appellamus, nimirum qui seu mole, seu volumine numos primae formae excedunt, et nota solita S. C. fere constanter abstinent, neque adeo eidem usui videntnr servisse, cui reliqua moneta aenea. Istud hic ὡς ἐν παρόδῳ monuisse suffecerit, nam de hoc argumento jam egimus olim in Prolegomenis generalibus Vol. I. cap. V. et X. Iuvat tamen hoc loco commemorare orationem a Winkelmanno parum consulte prolatam. *Observan-*

a) L. LXIX. §. 23. b) Cap. 19. c) in Vaill. edit. Rom. T. I. p. 68. d) in Hadr. ub fin. e) L. LXX. §. 1. f) in Caess. g) Iscriz. Alban. p. 50.

dum hoc loco, inquit [a]), *numos imperatorum aeneos maximae formae nonnisi sub Hadriano feriri coepisse. Quo constituto omnes illi, qui Vindobonae in museo Caesareo servantur, adulterini putandi sunt.* Fuere, qui haec eruditi ejus viri verba sic caperent, tanquam omnes ejus thesauri numi aenei maximae formae essent condemnandi, quos inter video fuisse cl. abbatem Fea [b]). Verum satis docet verborum contextus, Winkelmanno intellectos tantum fuisse numos ejus musei illos, qui Hadriani imperium praecedunt. Sed et istud adserendo turpe admisit peccatum. Si enim librum, qui eorum numorum tabulas aeneas continet, inspexisset, vidisset continuo, numos ejus musei plerosque Hadriani imperio priores esse ex contorniatorum genere, servatumque et hic ineptum morem, imperatorum lacunas barbara hac infimi aevi merce explendi. Eodem pacto omnibus fere aliis, iisque praestantissimis museis eandem poterat ignominiae notam inurere. At vero jam satis cognita sunt Winkelmanni inconcinne scripta, quoties numismatica tractat. Ceterum injustam hanc censuram abesse video in Winkelmanni editione secunda Vindobonensi.

De numis aeneis III. formae.

De hujus generis moneta ad singulos fere imperatores praecedentes aliquid monuimus. Ejusmodi sub Hadriani quoque habentur, etsi rariores, quorum nonnulli sunt typo perelegante. Typi fere numinum attributa offerunt, ut: *lyram*, *fulmen*, *aquilam inter pavonem*, *et noctuam.* Insignior unus musei Caesarei:

Vt lit. D.

COS. III. S. C. *Mulier capite turrito rupi insidens d. spicas, ad pedes fluvius emergens.* AE. III.

Hic typus frequens est in numis urbium Ciliciae, et Syriae latius sumptae, quo suum ad illustriorem quendam fluvium situm volebant indicare. At fere proprius fuit hic typus Antiochiae Syriae Oronti adsitae, cujus etiam genium hoc typo significari non vane suspicor. Merebatur autem Antiochia cum Hadriano connecti, quem in hac urbe imperium adivisse pridem docuimus, atque hanc unam causam fuisse existimo, cur tot, ac tam magnificis aedificiis urbem exornaverit, si vera sunt, quae perhibet Malala chronographus [c]). Narrat quidem Spartianus, Hadrianum *Antiochenses inter haec ita odio habuisse, ut Syriam a Phoenice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur.* Verum haec contigisse serius, ipsa verba *inter haec* docent, nempe quo tempore perlustrandis provinciis erat intentus, praesentem vero numum satis mature fuisse signatum, docet omissum in eo Patris patriae elogium.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum numi frequentes sunt, quorum epigraphe Graeca est, etiam argentei drachmae pondere, quo-

a) Hist. art. pag. 410 edit. Dresd.

b) Storia delle arti Vol. II. pag. 389. nota A.

c) Lib. XI.

rum plurimos Hadriano imperante Amisi Ponti percussos habemus. Sunt etiam nonnulli similes signati Caesareae Cappadociae, et in aliis urbibus ignotis, quos vide apud Vaillantium, et in Supplementis Khellii.

Exstant etiam argentei maximae formae in urbibus Graecis cusi, ex quibus insigniores sunt duo Tarsenses, quorum unus in aversa habet: ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΤΑΡϹЄΩΝ typo *Aquilae harpae insistentis*, quem olim ex museo Caesareo edidi, et illustravi [a]). Alter cum capite hinc Hadriani, illinc Sabinae, quem integrum dabimus infra in numis hujus Augustae.

At multo plures sunt argentei maximae formae, quorum epigraphe Latine peragitur. Hos non solum ipsa moles arguit extra urbem percussos, ut jam alias saepe inde ab Augusto monui, et hoc loco apertius profitetur Vaillantius ipse, sed etiam typi certis urbibus proprii. Sunt vero:

COS. III. *Duae Nemeses stantes.* (Vaill.) Typus Smyrnae.

— — *Iuppiter togatus stans d. aquilam, s. hastam.* (Vaill.) Typus Laodiceae Phrygiae.

— — *Iuppiter Labrandensis stans d. aquilam, s. bipennem.* (Mus. Caes.) Typus est regum Cariae, et Mylasae Cariae, de quo vide numos hujus urbis.

— — *Miverva stans, etiam in nonnullis intra templum.* (Vaill.) Forte Amisi, vel Sidetum.

— — *Apollo Actius stans.* Vaillantius hujus numi praeco censet, numum signatum Nicopoli Epiri, sed vereor, ut exstet numus argenteus cum imperatoris capite in urbe Graeciae Europaeae signatus.

COS. III. *Aesculapius stans.* (Vaill.) Typus Pergamenus.

— — *Figura barbata stans d. tridentem, s. aquilam, pro pedibus Cerberus.* (Vaill.) Typus sane insolens, qui uno signo trium deorum fratrum attributa complectitur. Sed urbem, in qua hic numus signatus, non reperio.

— — *Fasciculus sex spicarum.* (Vaill.) Typus tritus in numis hujus formae per omnes fere hactenus Augustos, etsi de patria non satis constet.

Praetereo typos alios ignobiliores, quos omnes vide apud Vaillantium.

Huc etiam pertineant argentei similis formae, iique satis obvii, quorum similes jam vidimus in moneta praecedentium imperatorum:

DIANA. EPHESIA. *Diana Ephesia stans.* (Mus. Caes.)

COM. BIT. (*Commune Bithyniae.*) *Templum, cujus peristylio inscriptum:* ROMSPAVG. (Mus. Caes.) De hoc numo, una cum aeneis m. m. inscriptis: ΚΟΙΝΟΝ. ΒЄΙΘΥΝΙΑϹ. egi in numis Bithyniae.

Illustris praeterea est sequens:

IMP. CAESAR. AVGVSTVS. *Caput Augusti nudum.*

HADRIANVS. AVG. P. P. REN. *Figura togata stans d. duas spicas praefert, sinistra togae involuta.* AR. m. m.

a) Sylloge I. pag. 47.

Vide variorum, measque de singulari hoc numo conjecturas a me propositas in Prolegomenis ad numos Familiarum pag. 102.

Addendus denique:

ΕΥΚΛΕΙΔΗϹ. *Caput barbatum laureatum.* In antica est caput Hadriani. Numus haud dubie aeneus, et urbis incertae [a]). Notus Euclides insignis a disciplinis mathematicis famae.

De nomine *Olympii*, quod plures Graeciae urbes Hadriano impertivere, vide proxime sub *Titulis.*

Metalla.

Numos Hadriani, qui *metalla* memorant, in numis Trajani sub eodem titulo recensuimus.

MAGISTRATVS et HONORES.

Consul.

Tertio consules, cum ipse ter fuisset, plurimos fecit [b]). Modus quem in ineundo hoc magistratu tenuit, supra in annalibus propositus est, neque chronologiam vexat.

Pater patriae.

De adoptato ab Hadriano patris patriae titulo haec prodidere historiae, et annalium conditores. Orosius [c]): *Idem quoque continuo pater patriae in senatu ultra morem majorum appellatur.* Spartianus [d]): *Patris patriae nomen delatum sibi statim, et iterum postea distulit, quod hoc nomen Augustus sero meruisset.* Chronicon Eusebii ad annum Hadriani XII. et V. C. 881 sic ait: *Hadrianus imperator PATER PATRIAE appellatur, uxorque illius Augusta.* At ejus interpres Hieronymus, tum et Fasti Siculi utramque appellationem ad annum V. C. 879 retrahunt.

Numi sequentem rationem tenent:

Numi consulatus I., id est: signati a mense Augusto anno V. C. 870 usque ad proximas Calendas Ian. In horum aliis titulus P. P. additur, in aliis omittitur.

Numi consulatus II. sive signati V. C. 871. In his omnibus titulus P. P. abest, si forte demas unicum musei Carpinei editum a Buonarrotio, sed de quo agetur infra.

Numi consulatus III., sive signati a Kal. Ian. V. C. 872 usque ad exitum Hadriani. Rursum in horum aliis hic titulus additur, in aliis omittitur. Observo tamen, in omnibus hujus consulatus numis, in quibus occurrit Hadriani protome, et nomen TRAIANI reliquis adhuc ejus nominibus additum, et qui omnes secundum ea, quae in prolegomenis ad numos consulatus III. monui, primis hujus consulatus annis signati sunt, titulum P. P. perpetuo abesse, et abesse etiam in numis, qui per epigraphen sese ANN. DCCCLXXIIII. urbis conditae percussos ipsi profitentur. Nam non moror aeneum similem a Mediobarbo ad hunc annum descriptum, in quo P. P. additur. Plus tribuo numis iis hujus argumenti, quos suo loco descripsi.

a) Spon Miscell. p. 140. b) Spartianus. c) L. VII. c. 13. d) Cap. 6.

Procedant et marmora.

In horum nullo, cujus auctoritate niti possit historia critica, Hadrianus dicitur P. P. ante trib. potestatem XII. Ejus causa videri potest insigne marmor positum in TR. P. II., quod *reliqua vetera abolita dicit* a). Columna milliaria posita in eadem trib. potestate II. b) Aliud illustre TR. P. V., in quo leguntur termini pomoerii restituti c). Aliud monumentum publicum TR. P. VI., in quo Hadrianus dicitur viam Suessanis municipibus sua pecunia fecisse d). Elegans tabula marmorea cardinalis Carpinei cum TR. P. X. e) Tabula marmorea, in qua Hadrianus TR. P. XI. perhibetur templum deae Cuprae restituisse f). Praetereo complures lapides alios concordes; nam nonnisi monumentis publicis lubet sententiam meam stabilire.

At vero monumenta demum, quae trib. potestatem XII. memorant, omnia, quod norim, Hadrianum *patrem patriae* appellare incipiunt, cujus causa citare liceat unam tabulam aeneam, ut ajunt, honestae missionis g), et continuatur sedulo hic titulus per reliquos tribunatus, cujus exempla proferre non attinet, quoniam hoc loco solum agitur, quo anno hic titulus addi coeperit. Non me fugit, per Gruteri, et Muratorii opus non paucas spargi inscriptiones, in quibus Hadrianus jam ante hanc trib. potestatem XII. patris patriae honore adficitur. At vero qui has in examen vocare volet, deprehendet facile, earum nullam ejus esse auctoritatis, quae latam a me legem possit infringere, aut cum illustribus monumentis a me proxime laudatis componi; atque etiam ut istud demus, quis erit, qui spondere audeat, additas epigrammati notas chronologicas rite fuisse exceptas, sic ut pro TR. P. VII. non potius legendum sit TR. P. XII. et COS. III. pro COS. II.? Sed de simili vulgatorum marmorum perversitate vide quae multo plura monebo in tractatu de tribunicia potestate. Nequaquam dissimulo, opponi posse numum, qui propositae regulae dicam impingit, a Buonarrotio editum h), qui talis esse fertur: HADRIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.* X. COS. II. P. P. *Cybele quadrigis leonum invecta.* Satis esto animadvertere, nullum numum consulatus II. hactenus cognitum offerre memoratam hanc capitis epigraphen, aut etiam caput quale pictura exhibet, loco protomes, quam hoc anno fuisse in usu, in prolegomenis ad numos consulatus III. affatim probavi. Quare in praesente numo aut legendum COS. III., aut is adulterinis accensendus, quorum artifices subtiliora haec criteria perspecta non habuere.

Sed argumentum ex validissimis unum, quod ex Alexandrinis Hadriani numis peto, huc distuli. Sunt in museo Caesareo numi duo hujus classis, in quorum antica: *Caput et epigraphe Hadriani*, in adversa: ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Duae dextere junctae*; in horum uno additur: L. IB., in altero L. IΓ.

---

a) Grut. p. X. b) Grut. pag. 154. 6. c) l. c. pag. 198. 1. d) l. c. pag. 151. 3. e) l. c. pag. 249. 1. f) l. c. pag. 1016. 2. g) l. c. p. 573. 2. h) Osserv. istor. tab. I. n. 1.

Secundum Alexandrinorum calculum annus Hadriani IB. exit die XXIX. Augusti V. C. 881, eodemque incipit annus IΓ., quod tempus illud ipsum est, quo patris patriae titulum ab Hadriano adscitum dixi, et satis apparet, placuisse Alexandrinis, novum istud elogium, quo Hadrianus per modestiam tamdiu abstinuerat, cum primum ejus suscepti nuncius appulit, in moneta publica promulgare. Sane in nullo Hadriani numo Aegyptio, qui antea, vel post signatus est, ea patris patriae epigraphe legitur, ut certius intelligas, decus istud tum primum arcessitum, et continuo subitae causa laetitiae in numis jactatum.

Observandum denique, nequaquam in numis pro monetarii arbitrio titulum P. P. vel additum fuisse, vel omissum, in qua sententia fuisse Tillemontium video [a]). Ex quo sequeretur, in praesente negotio numos appellari non posse. Quin constat potius, in omittendis reliquis omnibus titulis minus fuisse anxios ejus aevi monetarios, quam in titulo patris patriae, ex quo eum imperator adoptavit.

Quapropter testimonio marmorum, et numorum Alexandrinorum, qui receptum ab Hadriano patris patriae elogium in trib. potestate XII., aut saltem exeunte XI. evincunt, firmatur oraculum Eusebii, illud anno V. C. 881 adsumptum adserentis, in quem annum revera uterque is Hadriani tribunatus incidit. Sed enim an continuo abjiciemus fidem numismatum obviorum, qui Hadrianum mox ab adito imperio *patrem patriae* appellant, et historicorum, qui eundem titulum in primis numerant, qui ei imperium auspicanti delati sunt? Tantum istud abest, ut utrique etiam se mutuo confirment. Nimirum secundum Spartianum, et Orosium statim audita Hadriani adoptione, et Trajani morte ei absenti delatum fuit patris patriae nomen. Ergo hoc decreto illud continuo insertum fuit monetae, quae in urbe Hadriani nomine signata est. Igitur primi Hadriani numi habentor, qui hunc titulum ostentant. Teste eodem Spartiano imperator eum sibi delatum distulit. Quod cum senatui renunciatum esset, (nam Antiochiae tum Hadrianus aberat) intellecta principis voluntate vetuit deinceps hoc elogium monumentis publicis inseri, donec illud princeps ultro admitti velet. At vero datum jam fuit in provincias exemplum, atque in his etiam duraverit, cum jam in urbe abstineretur. Quae sane sola causa putanda est, cur, quamvis demus etiam, marmora recte fuisse descripta, tamen serius etiam in marmoribus Dacicis, et Hispaniensibus titulum hunc illegitime additum legamus. Serius denique Augusti exemplum secutus Hadrianus illum admisit, et quidem, ut definivimus, V. C. 881, eoque perpetuo deinceps usus est. En salvam numorum, marmorum, et historicorum concordiam, quorum apparens dissensus recentioribus crucem fixit, ac praecipue Tillemontio [b]). Quam belle cum tempore suscepti ab Hadriano P. P. tituli conspiret tempus admissae a Sabina

a) Tom. II. Part. III. p. 955. b) Nota I. in Hadr.

Augusteae appellationis, infra in hujus vita exponemus.

Trajanus, Optimus, Germanicus, Dacicus, Parthicus.

In nomina haec Hadriano per adoptionem jus partum. Trajani nomen adhuc primis consulatus III. annis in numis retentum, ut dixi in prolegomenis ad numos consulatus III. Reliqua nomina primo Hadriani anno obvia, sed jam coepere fastidiri anno altero. Nam, ut tum dixi, in solis Trajani consecrati numis leguntur, tandem in consulatus III. moneta omnino reticentur.

Olympius.

Insolitam hanc, et superum regi propriam appellationem Graecorum adulatio cum Hadriano communem esse jussit, ut docent copiosa marmora, praecipue Atheniensia, et numi. Complura marmora hunc titulum prodentia vide apud Muratorium [a]. Numi, in quorum antica reliquis Hadriani titulis additur ΟΛΥΜΠΙΟϹ, sunt Cyzici, (Mus. Albani.) Ephesi, (Mus. Pisani.) Laodiceae Phrygiae, (Theupoli.) Tarsi in insigni tetradrachmo musei Caesarei, a me olim vulgato [b], et aliarum plurium. Conferendi ejus elogii auctores fuere Athenienses, nequaquam novo ingenio, nam hoc titulo jam pridem Periclem suum ornavere Iovi propter eloquentiae vim comparatum [c]. Sed in Hadriano causa fuit, quod is Iovis Olympii templum immensae molis apud Athenienses perfecit, et dedicavit, de quo videantur Spartianus, Dio [d], Pausanias [e]. Hujus causa et ludi *Hadriana Olympia* a Graecis urbibus passim constituti, quorum meminere Philostratus [f], marmor Cyzicenum [g], aliaque, de quibus vide notam Olearii ad dictum Philostrati locum. Biagius ex museo Naniano vulgavit aram dedicatam ΑΔΡΙΑΝΩ. ΒΑΣΙΛΕΙ. ΟΛΥΜΠΙΩΙ. ΔΙΙ. ΔΩΔΩΝΑΙ. *Hadriano imperatori Olympio Iovi Dodonaeo* [h]. Ne tamen nimium coelesti hoc cognomine sese efferat Hadrianus, meminerit, ab iisdem Atheniensibus teste Dione Chrysostomo Olympium quoque vocatum fuisse hominem, incertum quem, ex ignobili quopiam Phoenices vico oriundum [i], nec longum tempus, et eodem nomine Graeci Commodum orbis pestem cohonestabunt testibus Ephesiorum numis.

Imperator.

Iteratum ab Hadriano imperatoris titulum ex numis ignoramus. Plus lucis suppeditant marmora, a quibus docemur, Hadrianum toto imperii tempore semel tantum, neque amplius, hunc honorem auxisse. Ita in praegrandi basi marmorea apud Gruterum leguntur hae notae: TR. P. XX. IMP. II. COS. III. P. P. [k]. In alio lapide apud eundem: TR. P. XXI. COS. III. IMP. II. P. P. [l]. Si fides inscriptioni, quam Gruterus ex Panvinii commentariis hausit [m], imperator II., atque postremum jam fuit in trib. potestate III., quae cadit in

a) Pag. 234. 235. b) Sylloge I. pag. 47. c) Plutarch. in Pericle. d) L. LXIX. §. 16. e) L. I. pag. 42. f) in Polemone p. 530. g) Caylus Rec. Tom. II. pag. 211. h) Monum. Graec. pag. 57. i) Orat. XXXI. p. 346. k) pag. 249. 8. l) pag. 252. 2. m) pag. 248. 8.

annos V. C. 872. 873, et revera circa hoc tempus Sarmatas per legatos vicit. Fuerunt quidem deinceps etiam per imperium motus, ut Mauretanicus, et multo atrocior Iudaicus ab Hadriano feliciter repressi, non tamen ex his placuit imperatorium decus iterare, sive quod nullam bello gloriam quaesivit, sive quod bellum Iudaicum vel ipsi victori adeo fuit cruentum, ut, cum ejus felicem exitum senatui perscriberet, non uteretur solito literarum exordio: *ego, et exercitus valemus* [a]). Veriorem causam existimo, quoniam memorati motus non erant externorum Romani imperii hostium, sed subjectorum populorum, quos satis habuit ad obsequium revocare nullo alio quaesito honore bellico.

PRETIVM.

Commatis Romani:		
	Aurei, et argentei - - - - - -	C.
	Aenei max. mod. - - - - - - - -	RRR.
	Aenei I. et II. formae - - - - - -	C.
	Aenei III. formae - - - - - - - -	R.
Commatis peregrini:		
	Argentei max. mod. - - - - - -	RR.
	Argentei III. formae - - - - - -	R.
	Aenei urbium liberarum - - - - -	R.
	Coloniarum - - - - - - - - -	RR.
	Alexandrini - - - - - - - - -	C.

SABINA.

Sabina Trajani ex Marciana sorore, et hujus filia Matidia proneptis. Patrem historia non prodidit. Vivo adhuc Trajano, sed neque hoc magnopere volente, Hadriano per Plotinae huic faventis artes matrimonio conjuncta est [b]). At enim invito Hymenaeo has initas fuisse nuptias, utriusque dissensus, etsi *concordiam Augustam* constanter crepent numi, et qui postremo Sabinae fatalis fuit, abunde comprobavit. Objecti primum uxori amores virorum, perinde quasi turpior esset amor sexus disparis, quam paris, qua infamia praecipue laboravit Hadrianus. In ea animorum aversione pars utraque odium alere non destitit; nam Hadrianus uxorem, quod morosa esset, et aspera, se fuisse dimissurum ferebat, si privatus fuisset [c]); illa palam jactare, quam im-

a) Dio L. LXIX. §. 14. b) Spartian. c) Spartian.

mane ingenium pertulisset, et elaboravisse, ne ex eo ad humani generis perniciem gravida fieret a). Desperato utriusque consensu ad extremum prope servilibus a marito injuriis adfecta, denique ad mortem voluntariam compulsa est b), non sine fabula propinati per occultum veneni. Ex verbis Spartiani istud referentis colligitur, factum istud circiter biennio ante mariti mortem; alii multo arctius tempus constituunt c). Et vero ex numo Amisenorum, quem infra producam, et altero Alexandrino cum anno KA., liquet, eam in autumno V. C. 889, nimirum altero ante Hadriani excessum anno adhuc fuisse superstitem.

Augustae titulo fuisse honoratam, numi palam testantur. Hieronymus in Chronico, et Chronicon paschale eodem anno Hadrianum dictum *patrem patriae*, et Sabinam *Augustam* statuunt, annumque adsignant V. C. 879. Vtrumque etiam conjungit Orosius, sed factum illud contendit mox imperii initio d). Verum supra in Hadriano docui, (sub titulo patris patriae) probabiliorem esse Eusebii sententiam, titulum patris patriae in annum V. C. 881 differentis. Igitur in Sabina quoque differendus *Augustae* titulus, si modo verum est, quod sane verisimile est, eodem anno utrique novum hunc honorem accessisse. Etenim constat ex Plinio e), Plotinam, et Marcianam tamdiu deprecatas Augustae appellationem, quamdiu Trajanus patris patriae nomen recusasset, quarum exemplo recente forte et usa Sabina hunc honorem non maturius appetiverit. Huic disputationi lucem quoque adfundet numus Tarsensis, quem intra dabimus, et consulendus etiam numus I. commatis Romani. Numi Sabinae Alexandrini certae fidei annum primum dant IΓ., hoc priorem nondum vidimus, ut in horum tractatu diximus. Coepit is exeunte Augusto V. C. 881, quo praeclare confirmatur initium Augustei hujus in Sabina tituli supra ad eundem annum fixum. Quare frustra Scaliger Eusebium in Sabina Augustae elogium differentem vellicat, adserens, illud competere uxoribus, simul ac mariti a senatu Augusti dicti sunt.

In divarum numerum fuisse relatam, numi *divae Sabinae* docebunt.

Matrimonium fuisse sterile, continuo diximus.

Si quid valet scriptorum nostri aevi, et antiquariorum consensus, binas Augustas, quibus *Iuliae Sabinae* nomen fuit, agnoscere cogemur, unam, quae fuit Titi Aug. filia, alteram in qua nunc versamur, Hadriani uxorem. Demonstravimus in numis Iuliae Titi, huic Augustae nunquam fuisse *Sabinae* nomen, illudque unis Goltzii mendaciis deberi, quae deinde eruditorum omnium commentarios infecere. Idem nunc de Hadriani uxore judicium, cujus alterum nomen *Iuliae* sola iterum Goltzii officina doliaria finxit. Certe illud monumenta veterum omnia, si modo fide digna sunt, inficiantur. Vulgavit Pocockius epigramma, quod in Memnonis crure legitur hujus sententiae f):

---

a) Victor in Epit. b) Victor l. c. c) Tillemont. p. 450. d) L. VII. c. 13. e) Paneg. c. 84. f) Inscript. ant. p. 82.

ΙΟΥΛΙΑ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ
ΟΤΕ ΗΚΟΥΣΕΝ ΙΟΥΛΙΕΩΝΟΣ
Ο ΣΕΒΑΣΤΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟΣ

quod deinde sic Latine reddere non dubitavit: *Iulia Augusta quando audivit Iulia nepos Adrianus imperator*, et deinde adserere, isthoc *Iuliae* nomine intelligendam Iuliam Sabinam. At nos magis rigidi, atque severi non audimus testimonium usque adeo corruptum, ut sanum ex illo sensum nequeas elicere. Enimvero inter ejusdem Memnonis inscriptiones semel atque iterum Augustae nostrae fit mentio, sed quae tum semper Sabina tantum, nunquam Iulia vocatur. Sabinam ergo Iuliam agnoscat is, cui Goltzius auctor fide dignus videbitur, qui in Thesauro suo numum Graecum protulit cum nominibus Iuliae Sabinae.

Partes anticae.

A. SABINA. AVGVSTA. *in omni metallo.*

B. SABINA. AVGVSTA. IMP. HADRIANI. AVG. *epigraphe rarissima in AE. II. musei Caesarei. Causam dabimus in numo I. ex sequentibus.*

C. SABINA. AVGVSTA. HADRIANI. AVG. P. P. *in omni metallo, et forma.*

Capitis in Sabina duplex est cultus, alius inde a Iulia Titi filia in Augustorum numis conspicuus, nimirum quem describit coaevus Iuvenalis [a]):

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Aedificat caput.

Alius humiliore frontis ornatu capillis diademate quodam revinctis, et in occipite in nodum collectis. Videtur ergo imperante Hadriano mundus muliebris magnas vices passus, novis constitutis a feminarum senaculo legibus, sed quas paullo post evertet recentius Faustinae ingenium.

Partes aversae.

Vix memorabile quid offerunt Sabinae numi. Argumenta perpetua: CONCORDIA. AVG. — IVNONI. REGINAE. — PIETAS. — PVDICITIA. — VESTA. etc. Observari solum merentur pauci sequentes:

Vt lit. B.

S. C. *Ceres sedens d. spicas, s. facem.* AE. II. (Mus. Caes.)

Hanc capitis epigraphen in nullo hactenus Sabinae numo videre mihi contigit, intelligo, omissum juxta Hadriani nomen *patris patriae* titulo. Ex qua peristasi augurari liceat, aliquanto saltem maturius Sabinam *Augustae*, quam Hadrianum *patris patriae* titulum abstulisse, etsi utrumque eodem anno accidisse permittamus, ut supra dictum.

Mulierem partis aversae Cereris ritu sedentem esse ipsam Sabinam, dubium non est, cum paullo post ejus ipsius caput spicis coronatum simus visuri. Romanorum exemplum secuti Graeci eam in marmore dixere Σαβειναν βασιλισσαν Σεβαςην νεαν Δημητρα αὐτοκρατορος Αδριανȣ γυναικα, *Sabinam reginam Augustam novam Cererem imperatoris Hadriani*

a) Sat. VI. 501.

uxorem [a]). Cereris cultu fingitur etiam Sabina in insigni gema beryllo musei Caesarei.

* * *

Vt lit. C.

S. C. *Mulae duae thensam trahentes.* AE. I. (Vaill.)

De hoc thensae typo recole, quae supra ad numum Iuliae Augusti uxoris, inscriptum: S. P. Q. R. IVLIAE. AVGVST. notavi.

* * *

Vt lit A. Caput Sabinae spicis coronatum.

Sine epigraphe. Cybele leone sub vecta d. tympanum, s. hastam. AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Videmus in rarissimo hoc numo Sabinam Cereris instar proponi, ut continuo ad numum primum adverti.

Diva Sabina.

Sabinam consecratam testimonio suo cui contradici nequit, statuunt numi, a quo, jure potest ambigi. Communis inter recentiores sententia obtinet, eam istud honoris ab ipso marito nactam. At enim si verum est, quod nonnullis visum, eam paucis ante hujus obitum mensibus mortuam, et quidem porrecta ab hoc potione venenata, adduci non possum, ut credam, aut Hadrianum ipsum in recente odio voluisse uxorem invisam ad summum honoris apicem extollere, nisi ad amoliendam ejus ad mortem adactae suspicionem fecisse istud dicatur, aut senatum invito principe decernere apotheosin fuisse ausurum. Credibile igitur, placuisse istud successori Antonino, cujus Sabina fuit jure adoptionis mater, cujusque fuisse natura materteram, supra in Matidia παρεργως indicavimus.

DIVA. AVG. SABINA. *Caput Sabinae velatum.*

CONSECRATIO. *Aquila stans.* AR. In aliis: *Sabina d. hastam ab aquila sursum evecta* AV. (Mus. Caes.)

Eadem adversa, sed in nonnullis caput sine velo.

PIETATI. AVG. *Ara.* AR. (Mus. Caes. Vaill.)

Quod supra verisimile dixeram, Sabinam ab Antonino consecratam, numus hic confirmare videtur. Ex nonnullorum veterum sententia hic *Pius* dictus est, quia precibus adegit senatum, ut Hadriano patri coelestes honores decerneret. Idem cum impetrasse videatur matri, signatus numus praesens typo arae, quam Sabinae dedicaverit addita epigraphe *pietatis Augustae.*

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

Insignes sunt argentei drachmae pondere signati apud Amisum Ponti, qui praeferunt annos aerae Amisenae PΞς, PΞZ. (Mus. Caes.) PΞH. et PΞΘ. (Vaill. Num. praest.) Ex hoc posteriore certum fit, Sabinam saltem in autumno anni V. C. 889, a quo tempore numus hic percussus est, adhuc fuisse in vivis, et forte adhuc in autumno 890, si aera Amisi non, quod hactenus visum eruditis, V. C. 721, sed 722 coepit, et refellitur sententia Baldini ex male intel-

a) Murat. Inscript. p. 237. 1.

lecto Spartiani loco arguentis, Sabinam jam mortuam ante adoptionem Aelii, quem tamen adoptatum jam constat anno V. C. 888, aut saltem nondum adulto anno 889.

* * *

Egregius etiam est sequens, quem ex Pellerinio totum describere operae pretium.

ΑΤΤ. ΚΑΙ. ΘΕ. ΤΡΑ. ΠΑΡ. ΤΙ. ΘΕ. ΝΕΡ. ΤΙ. ΤΡΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟΝ. *Caput Hadriani radiatum intra literas grandes* Π. Π.

CABEINA. CEBACTH. ΑΔΡΙ. ΤΑΡC. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟC. *Caput Sabinae lunae impositum intra literas grandiores* AT. AR. max. mod. (Pelerin Mel. I. pag. 187.)

Proponitur in hoc numo Hadrianus cinctus corona radiata instar Solis, et Sabina instar Lunae, quae in Augustorum pari attributa praeter monetam Romanam inde a Severo non pauci offerunt numi extra urbem signati, et speciatim numi coloniae incertae cum capitibus Neronis, et Octaviae. Sed haec aliunde satis cognita. Verum istud in hoc numo peculiare, quod in area partis anticae legatur Π. Π. id est: Πατερα Πατριδος, in area aversae AT. id est: ATγȣςη, et quidem utrumque exaratum charactere grandiore, quod sane non sine certa ratione factum. Plane verisimile est, numum hunc fuisse signatum V. C. 881, quo anno diximus, et Hadrianum *patris patriae*, et Sabinam *Augustae* titulos abstulisse, quod novum additum decus dum utrique gratulantur Tarsenses, illud peculiari quadam ratione, et in ostentationem, quo in oculos citius incurreret, numismati argenteo maximae formae insculpsere. Novi, Pellerinium literas AT legere ATτονομȣ, haud dubie propterea, quoniam cum jam praecedat vocabulum CEBACTH, sequens ATγȣςη ejusdem cum priore significationis manifesta esset tautologia. At vero primum ipse fatetur Pellerinius, nunquam alias Tarsenses solitos Αυτονομȣ titulum numis inscribere: deinde propter hanc ipsam rationem, ut minus apparens esset tautologia, pro jam dicto CEBACTH substituerunt ATγȣςη. Minus offendisset Pellerinium apparens haec tautologia, si reflexisset animum ad numum ejusdem Sabinae ab Haymio editum a), in quo legas: CABEINA. CEBACTH. ATΓ.

* * *

Coloniarum.

Hactenus ei tantum a Corinthiis dedicatam monetam constat.

* * *

Alexandrini.

Horum nonnulli proditi. Insignior is, qui annum KA. inscriptum exhibet b), unde arguitur, ut dictum, Sabinam adhuc exeunte Augusto V. C. 889 in vivis fuisse.

a) Tom. II. tab. 33. n. 9. b) Theupoli.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei - - - - - - - - -	R.
Argentei - - - - - - - -	C.
Aenei max. mod. - - - - - -	RRRR.
Aenei I. II. formae - - - - - -	C.
Aenei III. IV. formae, nisi verius sunt animae denariorum, et quinariorum - - -	R.
Commatis peregrini:	
Argentei max. mod. - - - - - -	RRRR.
Argentei III. formae - - - - - -	RR.
Aenei urbium liberarum - - - - -	R.
Coloniarum - - - - - - -	RR.
Alexandrini - - - - - - -	RRR.

L. AELIVS CAESAR.

Teste Spartiano ante adoptionem dictus est *L. Aurelius Verus*, quanquam et habuisse paterna *Cejonii Commodi* nomina idem testetur. Pater fuit Cejonius Commodus, quem alii Verum, alii L. Aurelium, Annium alii prodiderunt, majoribus nobilissimis, ex Hetruria, vel Faventia oriundis a). Transactae primae aetatis experimenta desiderantur. Per literarum, et formae commendationem probatus Hadriano, cum hic morborum pertinacia vexatus successore, atque adjutore egeret, ab hoc adoptatus in gentem Aeliam transivit, et deinceps neglectis aliis nominibus dici coepit *L. Aelius Caesar*. De anno adoptionis magna, et multum agitata inter eruditos lis, quam vide apud Tillemontium. (Nota 13 ad Hadr.) Qui maturrime, annum V. C. 888 constituunt, quibus favet Spartianus binis locis, in Hadriano, et Aelio; alii sequentem 889. Numi Romani nihil conferunt, qui tantum habentur cum ejus consulatu II., quem is inivit V. C. 890. Istud certum ex marmore Gruteriano b), Aelio saltem ante exeuntem annum 889 tribuniciam potestatem non fuisse delatam; nam in hoc dicitur Hadrianus TRIB. POT. XXI., et Aelius simpliciter TRIB. POTES. COS. II. Ingressus est Hadrianus tribunatum XXI. die circiter XI. Augusti V. C. 890. Quare si Aelio tribunicia potestas maturius fuisset delata, is jam explevisset primam in Augusto ejus anni, addereturque in mar-

a) Spartian. b) pag. 252. 2.

more trib. potestas II., cujus numerum etsi Hadriani numi fere constanter reticeant, non reticent tamen marmora, ac multo minus praesens Gruterianum, quod Hadriani tribunatui numum suum addere non neglexit. Est in museo Borgiano Velitris numus Aelii rarissimus Alexandrinus, in cujus aversa: L. Γ. ЄΙΡΗΝΗ. typo *Pacis stantis.* Quoniam Aelius diem obivit V. C 891 ipsis Kalendis Ianuariis, annus hic Γ, sive III. coepit exeunte Augusto V. C. 890, annus B sive II. exeunte Augusto V. C. 889, quo item mense finem habuit annus A, seu I., qui quo ejus anni Iuliani mense coeperit, non constat. Videtur adeo ejus dignitatum distributio esse talis: V. C. 889 Kalendis Ian. processit consul I., sed dictantibus fastis nomine Cejonii Commodi, nulla adhuc *Caesaris* mentione. Aliquo intra hunc annum tempore adoptatur ab Hadriano, et *Caesar* addita tribunicia potestate dicitur, et designatur consul iterum. Mox praetoris nomine ad regendam Pannoniam mittitur. Reliqua vide in annalibus.

Narrat Spartianus, Aelium peculiari quadam ratione, non, ut Trajanum a Nerva, fuisse adoptatum, sed fere ut Constantium, et Galerium a Diocletiano. Qua oratione quid intellectum fuerit historico, varie est disputatum, ut dicemus in tractatu de *Caesare.* Ejus adoptionis explicandae modum sibi ex laudato numo Alexandrino oblatum censet cl. Zoëga, de quo egimus in Aelii Caesaris numis Alexandrinis.

Aelius adoptatus mox praetor, ac regendae Pannoniae praefectus est; creatus etiam consul primum in annum V. C. 889, et in annum sequentem designatus consul iterum. (Spartian. in Hadr. et Aelio.)

Hactenus Aelii numi desiderantur.

V. C. 890 *P. X.* 137.

CAESAR. TR. POT. COS. II.

Kalendis Ian. consul iterum procedit. Fine anni ex Pannonia Romam revertitur [a]).

A. L. AELIVS. CAESAR. *Caput nudum*, *in AV. AR. AE. I. II.*

B. L. AELIVS. CAESAR. TR. P. COS. II. *Caput nudum*, *in AR.*

Partes numorum Aelii aversae obvios fere typos habent, quos suae explicant inscriptiones, ut: CONCORDIA. — PIETAS. — SALVS, addita saepe trib. potestate, et consulatu. Lubet ad has animadvertere, nunquam iis addi vocabulum AVG., v. c. CONCORDIA. AVG., ac jure quidem, quia Aelius noster Augustus nunquam fuit. Quare cum viderem, in catalogo Mediobarbi exhiberi argenteum Aelii numum inscriptum FELICITAS. AVG., nossemque, similem alium exstare in museo comitis Vitzai, atque hunc quoque argenteum, illum cognita ill. possessoris humanitate petenti mihi missum adcurate inspexi, eumque esse ex subaeratis unum facile deprehendi. Quapropter non aberravero, si alterum Mediobarbi eodem vitio laborare statuam. Nimirum vetus falsarius aversam, quae Hadriani est,

a) Spartian.

in Aelii numum transtulit. En tibi novum iterum argumentum, quam parum nos auctoritate cotalogorum, ac praecipue in describendis argenteis stare possimus, in quibus latentis intus aeris ignominia raro, a Mediobarbo nunquam notatur, tanquam istud addere, vel omittere ad utilitatem, quam ex numis veteribus capimus, non pertineret.

Ex omnibus Aelii numis sequens unicus est, qui totus describendus videatur.

Vt lit. A.

PANNONIA. TR. POT. COS. II. S. C. *Pannonia mulieris specie stans pileo patrio tecta, d. vexillum.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Tam in Hadriano, quam Aelio commemorat Spartianus, Aelium mox post adoptionem Pannoniis ducem, ac rectorem fuisse impositum. Quamdiu in provincia manserit, ex ambiguis Spartiani verbis non satis liquido colligitur. Anno exeunte eum Romae jam fuisse, certum est ex ejus subita morte de qua mox. Pannoniam utramque videsis in moneta Decii, et Iuliani II. tyranni. Dixi, Pannoniam in his numis sisti pileo patrio tectam. Gestare pileos proprium fuit populis a Ponto Euxino in occasum positis, et de Getis quidem, Dacis, Pannoniis istud testantur scriptores, et monumenta. Daciae genium pileatum habemus in ejus ipsius numis, tum et numis Trajani Daciae captae testibus. Pileatos Dacos, et Getas vocat etiam Paulinus [a]). De Pannoniis Vegetius [b]): *Vsque ad praesentem prope aetatem consuetudo permansit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus uterentur.* Vide de hoc plura in nota Fabricii ad Dionis Dacos πιλοφορȣς [c]).

V. C. 891 *P. X.* 138.

CAESAR. TR. POT. II. COS. II.

Redux e provincia, et aeger accepta potione, qua se existimabat juvari, mortuus est ipsis Kalendis Ianuariis. (Spartian.)

Fuere, qui ejus mortem referrent ad Kalendas Ian. anni praecedentis, verum existunt duo marmora, quae contrarium invicte docent, unum, quod supra citavi, in quo Aelius jungitur cum Hadriano agente trib. potestatem XXI., quam is auspicatus est circiter die XI. Augusti anni prioris, ergo Aelius tum adhuc superstes fuit; alterum item apud Gruterum [d]), positum L. AELIO. CAESARE. II. P. COELIO. BALBINO. COS. KAL. IVL. Processit Aelius, ut vidimus, consul II. anno proxime superiore, seu 890, et marmor positum est Kalendis Iuliis, ergo non potuit diem obivisse Kalendis Ianuariis ejusdem anni, nisi forte dicere quis velit, eum, etsi mortuum, nominari tamen in marmore, quia consul annum aperuit, eique nomen dedit. Verum vix credibile, dissimulaturos istud fuisse historicos, si idem dies eum et consulem, et funus vidisset. Obstant et numi Aelii, qui copiosi supersunt, et qui omnes consulatum II. inscriptum habent, quem is inchoavit eo ipso die, quo secundum patronos adversae sententiae mortuus est. Ergo necesse erit, aut credere, omnes hos numos cusos esse, antequam

a) Carm. XXX. b) L. I. c. 20. c) L. LXVIII. §. 9. d) pag. 1009. 6.

hunc consulatum iniret, aut signatos eo jam vita functo. Vtrumque an verisimile? Obstat denique numus hujus Caesaris Sinope percussus cum anno CLXXXII., ex cujus calculo confit, Aelium adhuc vixisse exeunte anno superiore.

Ceterum fuit Aelius, ut Spartiani verbis utar, comptus, decorus, pulchritudinis regiae, oris venerandi, in vita privata etsi minus probabilis, minus tamen reprehendendus, eloquens, et in republica non inutilis. In provincia rebus aut bene, aut feliciter gestis non quidem summi, medii tamen ducis famam abstulit. In voluptatibus, ac mollitie nimius, cujus ingenio venter multas novi generis cupedias, corpus effeminatum molles, ac delibutos unguentis lectos, et adcubationes debuit. Cursoribus Cupidinum exemplo alas adposuit, inditis Boreae, Noti, Aquilonis nominibus. At idem valetudinis improsperae fuit, quod post adoptionem maxime patuit, sic ut ejus adoptati Hadrianum paullo post poeniteret, isque feratur dixisse, se in caducum parietem incubuisse, et perdidisse IIS. quater millies, quod populo, et militibus pro ejus adoptione dederat, et jam tum de Aelio dixere sortes Virgilianae:

Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent.

Consecratus post mortem non proditur, at statuas per totum orbem colosseas, et templa in nonnullis urbibus ejus honori ab Hadriano imperata refert Spartianus, sepultum autem in monumento Hadriani Capitolinus a).

Vxor. Hujus nomen a Spartiano reticetur, qui aliud non prodit, quam fuisse Aelium Nigrini generum, ejus ipsius, quem, quod Hadriano insidiatus esset, Faventiae jubente senatu occisum alio loco perhibet b). Eodem auctore Aelius huic suae uxori conquerenti de extraneis ejus voluptatibus respondisse fertur: *patere me per alias exercere cupiditates meas; uxor enim dignitatis nomen est, non voluptatis.* Ejus reliqua una cum nomine interciderunt. Multo ingeniosior Occo suffragante etiam Mediobarbo, qui hanc Nigrini filiam, et Aelii uxorem fuisse vocatam Domitiam Lucillam confidenter quidem, at nullo teste adserit, eique non paucos numos Lucillae Veri ademptos nulla veri specie largitur, de qua lite plura disserere non lubet, cum eam jam unanimis antiquariorum consensus secuerit.

Proles: *L. Verus* M. Aurelii in imperio conlega.

Fabia, cujus meminit Capitolinus in M. Aurelio, et L. Vero.

* * *

Numi hujus anni, qui Aelium paucas tantum horas superstitem vidit, non habentur.

Numi commatis peregrini.

Insignis est numus argenteus drachmae pondere signatus Amisi Ponti cum anno ΡΞΘ, quem vide in moneta hujus urbis, quo loco et iniquam lectionem Pagii perstrinxi, in numo simili scriptum ΡΞЄ perperam adserentis c). Vide,

a) In Vero sub fin. b) In Hadriano Cap. 7. et 23. c) Critic. Bar. ad ann. Chr. 157.

quae de hujus numi usu plura diximus in numis Amisi Ponti.

In numo maximi moduli, quem Spanhemius ex museo regis Galliarum citat, dicitur ΛΟΥΚΙΟϹ. ΑΙΛΙΟϹ [a]).

Coloniae numus unicus editus a Vaillantio ex museo Christinae, estque Corinthi.

Alexandria Aegypti plures offert inscriptos: ΔΗΜ. ЄΞΟΥϹ. ΥΠΑΤ. Β. De insigni alio inscripto L. Γ. egi altius. Reliqua vide in numis hujus classis.

PRETIVM.

Commatis Romani:		
	Aurei - - - - - - - -	RR.
	Argentei - - - - - - - -	R.
	Aenei max. mod. - - - - - -	RRRR.
	Aenei I. et II. formae - - - - -	vix R.
	Aenei III. formae - - - - - -	O.
Commatis peregrini:		
	Vrbium liberarum AR. max. mod. - - -	RRR.
	AR. III. formae - - - - - - - -	RR.
	Aenei - - - - - - - - - -	RR.
	Coloniarum - - - - - - - -	RRRR.
	Alexandrini - - - - - - - -	RR.

ANTINOVS.

Hujus numos, etsi ad imperatorum classem nullo pacto pertineant, Hadriani monetae subjicio, cum quod conjuncti melius, quam per singulas urbes, quorsum pertinent, dispersi ejus illustrant historiam, tum quod nihil fere continent, nisi, quod ad unum Antinoum, et qui eum extulit, Hadrianum pertineat.

Antinous natus Bithynii Bithyniae urbe adeo per formae illecebras gratiosus apud Hadrianum fuit, ut inde ab Iovis Ganymede non habeat antiquitas alium viri amasium magis ore vulgi celebratum, et per infamiam cognitum. Insaniam, qua in vivum furebat, intendit in mortuo. E vivis ereptum in Aegypto, satis constat, at mortis genus jam olim anceps, et variis rumoribus fuit vulgatum. Plerique navigio excussum, et mersum in Nilo scripsere. Alii, devotum fuisse Hadriano, ac pro eo, detrectantibus aliis, mortem voluntariam oppetiisse, quod imperatori, cum fatum producere vellet, animam voluntariam opus esse noverat. Fuere etiam, qui ab ipso Hadriano immolatum suspi-

a) In Caess. Iuliani pag. 11.

cabantur, quod persuasum fuit Dioni. Quidquid erit, e vivis sublatum immoderate, ac muliebriter flevit, neque statuas modo per totum imperium dedicavit, sed urbem etiam in Aegypto struxit ab ejus nomine dictam Antinoopolin. Etiam sidus novum, aut quod tale esse videbatur, Antinoi nomine, quod hodieque usurpant Vraniae filii, adfecit. Tum vero cognito Hadriani luctu patuit Graecorum ingenium semper alias in obsequia praeceps, at modo turpiter servile. Videres certantes urbes, seu cum Antinoum volente Hadriano consecrarent, seu cum omnibus vicis ejus imagines proponerent, aras, templa, sacerdotes, prophetas, certamina gymnica, oracula constituerent, summorum deorum insignibus decorarent, illustri saepe inter hos loco adsignato, qualem videre est in celebri epigrammate Gruteriano [a]), quod ΑΝΤΙΝΟΩΙ. ϹΥΝΘΡΟΝΩΙ ΤΩΝ. ЄΝ. ΑΙΓΥΠΤΩΙ. ΘЄΩΝ. Μ. ΟΥΛΠΙΟϹ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟϹ. ΠΡΟΦΗΤΗϹ, *Antinoo adsessori deorum, quos Aegyptus colit, M. Vlpius Apollonius propheta* dedicavit, aut cum a Tertuliano *synodi deus*, seu in ipsa deorum concilia admissus dicitur [b]). Plura ejus vesaniae argumenta in numorum explicatione proponentur. Perversum hunc in Hadriano, subjectisque populis animorum habitum non mirabitur, cui non ignota sunt, quae multo ante Alexander M., ejusque comperta voluntate nationes omnes in decernendis mortuo Hephaestioni honoribus constituerunt. Confer, quae de hac regis Macedonis impotentia memoriae prodidit Lucianus [c]), et miraberis in utroque disparis aetatis facto parem stuporem, et geminam impudentiam, nisi quod Pellaeus juvenis intendit furorem, cum capitale esset, nolle Hephaestionem deum credere, et hunc quoque παρεδρον και αλεξικακον θεον. Quod vero mirandum magis, hic Antinoi cultus nequaquam temporarius fuit; nam testatur Clemens Alexandrinus [d]), sua adhuc aetate sacras Antinoi noctes durasse. Fuit tamen haec Graecorum amentia, qua divinos honores praestitere impuro Hadriani catamito, eo utilis, quod ecclesiae Christianae patribus campum aperuit sugillandi superstitionis ritus, ipsam impietatem, ac scelera consecrantis. Lubet omissis aliis audire Aur. Pudentii Musam sic canentem [e]):

Quid loquar Antinoum coelesti in sede locatum?
Illum delicias nunc divi principis, illum
Purpureo in gremio spoliatum sorte virili,
Hadrianique dei Ganymedem, non cyathos dis
Porgere, sed medio recubantem cum Iove fulcro
Nectaris ambrosii sacrum potare Lyaeum,
Cumque suo in templis vota exaudire marito.

Annum, quo supremum diem obivit, elicio V. C. 883, ut monebo infra in

a) Pag. 86. 1. b) Apologet. c. 13. c) de non tem. cred. calumn. d) Protrept. p. 43. edit. Oxon. e) Contr. Symmach. L. I. v. 271.

ejus numis Alexandrinis. Sepultum fuisse Antinoopoli, testatur Epiphanius. Ea, quae diximus, capta sunt ex Dione, Spartiano a), Victore b), Pausania c), Suida d), tum passim ex patribus ecclesiae.

Numi:

Neque Roma, neque Romae metropolis exemplo coloniae monetam suam famigerati hujus scorti imagine inquinari passae sunt. Solis igitur urbibus Graecis conservatae Antinoi memoriae sive beneficium, sive dedecus debemus, quarum hic numos omissis aliis, qui ejus historiam non illustrant, alphabeti Graeci ordine subjicimus, Alexandrinis ad calcem reservatis.

* * *

ANTINOOC. IAKXOC. *Caput hedera redimitum.*

ЄΓЄCIOC. ANЄΘHKЄ. AΔPAMYTHNΩN. *Ceres sedens.* AE. I. (Haim. T. II.)

De vocabulo IAKXOC, quo nomine Graeci Bacchum quoque intellexere, plura olim disserui, cum in numum ejusdem Antinoi Tarsensem, in quo idem NЄOC IAKXOC appellatur, quemque infra recitabo, commentarer e). Videntur Graeci plurimum adfinitatis inter Bacchi, atque Antinoi decoram formam vidisse, nam illius plerumque aut attributa Antinoo addidere, ut certos nos faciunt cum numi, tum Pausanias, qui, quas vidit, Antinoi seu tabulas pictas, seu signa, pleraque cultu adsimilari Baccho adserit f). Aversam Cereris, aut verius Proserpinae erudite Haymius ex Arriano explicat, cujus verba sunt g): *etiam Athenienses* (quorum coloni fuere Adramyteni Mysiae, hujus numi auctores) *Bacchum Iovis, et Proserpinae filium colunt, diversum ab hoc Baccho, et Iacchus mysticus huic Baccho, non Thebano illi, accinitur.* Addo marmor Gruterianum dicatum FABIAE. ACONIAE - - - SACRATAE. APVD. ELEVSINAM. DEO. IACCHO. CERERI. ET. CORAE. h). Habuere ergo Adramyteni Bacchum suum ducta religione Athenis, aut his vicina Eleusine, quem et numus, et marmor IACCHVM vocant, et in aversa sociatur Proserpina, quae hoc pacto personati hujus Antinoi mater exstitit.

* * *

ANTINOOC. HPΩC. AΓAΘOC. *Caput nudum.*

AΔPIANOΘHPITΩN. *Bos stans, in cujus latere luna.* AE. II. (Spanheim Tom. II. p. 336. Vaill. Num. Graec.)

Eadem adversa.

AΔPIANOΘHPA. *Caput Apri.* AE. m. m. (Theupoli.)

Numi sunt Hadrianotherae Bithyniae. Aliud ab hac honoris vocabulum Antinoo inditum, nempe *boni herois*, quo nomine veteres dixerunt bonorum virorum solutas corpore animas, in quo comprobando prolixus est Spanhemius i). Aversam numi prioris objicere Apin majorum gentium inter Aegyptios

a) In Hadriano. b) de Caess. c) in Arcadic. p. 617. d) in Aδϱιανος et Παιδικα. e) Num. vet. p. 232. f) L. VIII. p. 617. g) de Expedit. Alex. p. 88. h) pag. 309. 2. i) l. c.

numen, inserta lateri lunula efficit, qua de nota Api propria vide Plinium [a]), et Ammianum [b]). Iungitur is cum Antinoo, quoniam hic, ut supra vidimus, σύνθρονος erat Aegypti deorum.

Alterius numi aversa ad urbis historiam pertinet, ut in ejus moneta docuimus. Non omittendum hoc loco, in ejus numi descriptione ingentem lapsum ab auctore Catalogi Theupoli admissum, dum ejus epigraphen legit: ΑΔΡΙΑΝΟΥ. ΘΗΤΑ., idque interpretaretur: *Hadriani servus.*

* * *

ANTINOOC. ΗΡΩC. *Caput nudum.*

AMICO. - - - *Vpupa intra lauream.* AE. II. (Seguin Sel. num. p. 152.)

Epigraphen aversae valde esse attritam profitetur Seguinus, sic ut dubitare liceat, utrum epigraphe vere *Amisum* Ponti urbem enunciet. Typo upupae Antinoi in Hadrianum suum pietatem indicari existimat, quia, inquit, haec avis pro symbolo pietatis erga deos, et parentes habebatur. Ejus adserti fontem non indicavit; reperio tamen apud Aelianum [c]), hunc alitem adversum parentes pium esse. Monendum, Vaillantium numum Antinoi cum simili aversae typo protulisse, sed inscriptum: CΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΙЄΡΟΝΥΜΟC. ΑΝЄΘΗΚЄΝ [d]).

* * *

ANTINOOC. ΗΡΩC. *Caput Antinoi nudum.*

ΙΟΥΛ. CATOPNINOC. ΑΝΚΥΡΑΝΟΙC. *Deus Mensis stans d. ancoram, s. hastam.* AE. I. (Vaill.)

Numus est Ancyrae Phrygiae, et typus aversae huic urbi domesticus.

* * *

ΗΡΩC. ANTINOOC. *Caput nudum.*

TOIC. APKACI. *Equus liber gradiens.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

ΒЄΤΟΥΡΙΟC. *Protome Antinoi capite nudo.*

Eadem aversa. AE. m. m. (Mus. reg. Gall. Theupoli.)

Nusquam alibi copiosiores Antinoo honores habiti sunt, quam apud Mantineam Arcadiae, nimirum praecipiente istud Hadriano. Ejus causa exstitit, quod Bithynienses Bithyniae, apud quos natus est Antinous, Mantinensium coloni fuere. Igitur sacram novo deo aedem eo in oppido exstrui, ejusque simulacris, et quaesitissimis marmoribus exornari jussit, addito gymnasio, et annuis initiis, et certamine quinquennali. Refert isthaec Pausanias αὐτόπτης [e]). Ad notionem epigraphes TOIC. APKACI. subaudi: ἀνέθηκε, *dedicavit*, et quidem magistratus ΒЄΤΟΥΡΙΟC, *Veturius*, sive sacer is fuit, sive profanus, quem alter numus cetera similis praeterea enunciat. De hac formula in Graecis numis obvia egimus alibi [f]). Equum partis aversae ad certamina in Antinoi honorem a Mantinensibus obita referendum tenui conjectura censemus.

---

a) L. VIII. §. 71. b) L. XXII. c. 15. c) de Nat. anim. L. X. c. 16. d) Num. Graec. p. 30. e) L. VIII. p. 617. f) Vol. IV. p. 368.

* * *

H. ΠΑΤΡΙϹ. ΑΝΤΙΝΟΟΥ. *Caput Antinoi nudum.*
ΚΟΙΝΟΝ. ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ. *Templum octo columnarum.* AE. m. m. et AE. III. (Vaill. mus. Caes.)

Patria Antinoi, a qua, ut testatur inscriptio anticae, hi numi percussi sunt, fuit Bithynia, aut arctiore sensu Bithynium Bithyniae oppidum, de quo proxime. Pars aversa non raro occurrit in numis Hadriani, et Sabinae, cujus explicationem pete ex numis communi Bithyniae nomine signatis [a]).

* * *

ΗΡΩϹ. ΑΝΤΙΝΟΟϹ. *in aliis:* H. ΠΑΤΡΙϹ. ΑΝΤΙΝΟΟΝ. ΘΕΟΝ. *Caput nudum.*
ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΒΙΘΥΝΙΕΩΝ. *Mercurius rejecto post tergum palliolo stans d. palmae, s. oleae ramum tenet, pone taurus.* AE. m. m. (Mus. Caes. Vaill. Mus. Pisani, Mus. Farnes.)

Bithynium oppidum Bithyniae ut Antinoi, sic horum numorum patria fuit, cui praeter varia in amasii gratiam ab Hadriano collata benefacta permissum etiam, ut honorifico *Hadriani* nomine uti liceret. Partis aversae typus ut varie ab hujus numi praeconibus proponitur, sic et varie explicatur. Non dubito, sub Mercurii schemate latere ipsum Antinoum, cujus patria fuit Bithynium, et patria major, ut diximus, Arcadia, perinde atque Mercurius ipse Arcas fuit natus in Cyllene Arcadiae monte. Est in museo reginae Christinae numus Commodi in hoc Bithynio signatus, in cujus aversa Vaillantius caput Antinoi vidit. Sed hoc ejus praeconium iam in numis hujus urbis refutavi.

* * *

ΟϹΤΙΛΙΟϹ. ΜΑΡΚΕΛΛΟϹ. ΙΕΡΕΥϹ. ΤΟΥ. ΑΝΤΙΝΟΟΥ. *Caput nudum.*
ΑΝΕΘΗΚΕ. ΤΟΙϹ. ΑΧΑΙΟΙϹ. *Mercurius nudus s. caduceum, d. adsurgentem Pegasum retinet.* AE. m. m. (Mus. Farn. Theupoli.)

Eadem adversa.
ΑΝΕΘΗΚΕ. ΤΟΙϹ. ΑΧΑΙΟΙϹ. *Mercurius nudus stans d. strophium, s. caduceum, ante eum Priapus in cippo.* AE. m. m. (Vaill.)

Eadem adversa.
ΑΝΕΘΗΚΕ. ΤΟΙϹ. ΑΧΑΙΟΙϹ. *Antinous eques cum hasta.* AE. II. (Vaill.)

Eadem adversa.
ΑΝΕΘΗΚΕ. ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ. *Sol nudus in bigis d. flagellum.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

Ex postremo hoc numo priorum, qui generatim Αχαιϛ tantum memorant, locus natalis colligitur. Exhibent hi Hostilium Marcellum, qui se ipsum *sacerdotem Antinoi* profitetur, et qui, composita utriusque partis inscriptione, praesentes numos Corinthiis, et in genere Achaeis dedicavit. Qua ratione Mercurius numi primi cum Pegaso connectatur, difficulter poterit ex mythologia expediri, nisi forte placuit Corinthiis, Antinoum partim attributis Mercurii, quae ei addita ex sequentibus etiam numis intelligemus, partim Bellerophontis Corinthii proponere. Alterius numi typus sensum fortasse continet turpiter ambiguum. Tertius Antinoum omni herois

a) Vol. II. p. 403.

cultu incedentem sistit. Quarti typus ad Corinthios pertinet, ut horum numi commonstrant.

* * *

ANTINOOC. HPΩOC. *Caput nudum.*

ΔΕΛΦΩΝ. *Tripus.* AE. II. (Pellerin Suppl. III. p. 131.)

Est Delphorum Phocidis typo tripodis domestico causa oraculi.

* * *

ΕΥΚΑΡΠΕΩΝ. *Caput perjuvenile nudum, pone caduceus.*

ΕΠΙ. Γ. ΚΛ. ΦΛΑΚΚΟΥ. *Luna cum duobus astris, inferne caput bovis.* AE. III. (Haym, Pellerin.)

Caput anticae Haymius esse Mercurii adserit, Pellerinius Antinoum sub Mercurii specie ab his Phrygiae Eucarpensibus propositum [a]). Istud certum, magistratum *C. Claudium Flaccum* legi etiam in numo Antonini Pii apud eandem Eucarpiam signato, quem edidit Arigonius, quae peristasis Antinoo non quidem prodest, sed neque multum adversatur, cum altius dixerimus, ejus cultum etiam mortuo patrono Hadriano pluribus in oppidis durasse. Si caput anticae vere est Antinoi, causam sociatae in aversa lunae pete ex sequente numo Hierapolis. Pellerinius etiam in alio simili capite, quod exhibetur in numo suo Docimei Phrygiae, Antinoi caput sub Mercurii imagine agnoscit.

* * *

ANTINOON ΘEON. *Protome Antinoi.*

IEPAΠOΛIC. *Luna cum astro.* AE. III. (Vaill.)

Numum omnibus partibus simillimum, sed Nicopolis Epiri nomine olim edidi ex museo comitis Vitzai [b]), nisi fortassis uterque unus idemque numus est, et Vaillantius epigraphes parte per aevum adrosa ex IEPA. NIKOΠOΛIC suum IEPAΠOΛIC obtrusit, numumque adeo Hierapoli Phrygiae dedit. Typum lunae tum ex Tatiani adversum gentiles oratione explicui, cujus verba in Latinum versa sic habent: *quomodo mortuus Antinous adolescens speciosus in luna sedem obtinuit? quis illum eo deduxit?* Fuere igitur nonnulli Graecorum theologorum, qui lunicolam fecere Antinoum. Quod si Antinous sive Hierapolitis, sive Nicopolitis creditus fuit Bacchus, qualis testimonio numorum creditus fuit Adramytenis, et Tarsensibus, aliam potest luna habere significationem; nam docente Vlpiano [c]) *Διονυσου ἀδελφη ἡ σεληνη, ἐνιοι δε παιδα σεληνης τον Διονυσον. Bacchi soror est Luna, sunt tamen, qui Bacchum Lunae filium volunt.*

* * *

ANTINOOC. HPΩC. *Protome capite nudo.*

IΠΠΩN. KAΛXAΔONIOIC. *Antinous grypho volante sursum vectus.* AE. m. m. (Seguin.)

Gryphus ales Apollini sacer nunc Antinoo velut alteri Apollini servire a Chalcedoniis cogitur. Noti horum numi imperatorii, in quibus fingitur Apollo, a cycno in altum elatus.

* * *

KYZIK. seu *Cyzicenorum* unum, sed cum reliqua inscriptione vitiata vulgavit Vaillantius. (Num. Graec.)

a) Rec. II. p. 35. b) Num. vet. p. 102. c) ad orat. Demosth. in Midiam.

* * *

ANTINOOC. HPΩC. *Caput nudum.*

H. MHTPOΠOΛIC. NIKOMHΔEIA. *Aries cum astro.* AE. m. m. (Vaillant.)

In aliorum aversa: *Harpocrates*, vel *Taurus*, *etc.* AE. m. m. vel AE. III. (Vaillant, Buonarroti Osserv. istor.)

Iungitur aries cum Antinoo, velut novo Mercurio, cui, ut constat, animal illud proprium fuit, astrum vero Antinoi sidus indicat, de quo in ejus vita egimus. Harpocrates Antinoi conlega in concilio deorum Aegypti, ut eodem loco diximus, atque vel eodem sensu taurus, qui frequenter numorum Aegypti posticam partem occupat, Apin sistit, vel victimam, quae ejus honori caesa est.

* * *

ANTINOON. ΘEON. *Protome Antinoi.*

NEIKOΠO. - - - *Luna bicornis cum astro.* AE. III. (Mus. com. Vitzai, et a me editus in meis num. vet. p. 102.)

Eadem adversa.

NEIKOΠOΛEωC. *Porta urbis.* AE. III. (Mus. princ. de Waldeck.)

Sunt hi numi Nicopoleos Epiri. Ad explicandum lunae typum adhibe, quae supra ad similem aversam in numo Hierapolis Phrygiae observavi.

* * *

HPΩC. ANTINOOC. *Caput nudum.*

EΠI. ΓOTANΔPOT. CAΛHNΩN. *Bacchus stans.* AE. (Sestini Lettere T. IV. p. 127.)

Est Salae Phrygiae. Magistratus nomen aliter legendum videtur; forma enim parum Graeca est.

* * *

ANTINOOT. HPΩ - - *Caput nudum.*

CAPΔIANΩN. NEΩKOPΩN. *Apollo Actius stans.* AE. I. (Mus. Farnes.)

ANTINOOC. HPΩC. *Caput nudum.*

CAPΔIANΩN. *Vir barbatus nudus in aliis stans, in aliis sedens d. fulmen, s. infantem gestat.* AE. III. (Mus. Caes. Patin, Vaillant.)

Apollinem Actium a Sardianis cultum testantur eorum numi, quibus inscriptum AKTIA, nempe certamina. Vir alterius numi infantem ulnis complexus haud dubius est Iuppiter Bacchum ex Semele inter fulmina natum fovens, de quo vide dicta in moneta Sardium. Vidimus hactenus, et videbimus deinceps, Antinoum jam Apollini, jam Baccho fuisse aequiparatum. Ergo Sardiani Antinoum instar Apollinis Actii, et instar Bacchi sui Pyrigenis proposuere.

* * *

ANTINOOC. HPΩC. *Caput nudum.*

ΠOΛEMΩN. ANEΘHKE. CMTPNAIOIC. *Taurus.* In aliis: *Panthera femella d. pede thyrsum.* In aliis: *Prora navis.* (Mus. reg. Gall. Mus. Caes.) In aliis: *Aries, juxta quem caduceus.* (Mus. Farnes. Mus. Magni Ducis, et Pisani.) Sunt omnes AE. max. mod. In alio: *Alexander M. dormiens sub arbore, adstant duae Nemeses.* AE. I. (Vaillant.)

De tauro actum jam saepius. Panthera ad Antinoum velut Bacchum, ut aries ad eum tanquam Mercurium pertinent. Navis, nisi ad urbis historiam adludit, quam in Smyrnae moneta exposuimus, aut ad ipsum *Polemonem* numo

inscriptum, cui teste Philostrato concessum fuit sacram eam triremen conscendere a), referri potest ad Antinoum, cujus statuam cum adjuncta navi lusoria Hadriani jussu effictam, et apud Antinoopolin dedicatam refert Epiphanius. Typus Alexandri M. dormientis, et geminae Nemesis Smyrnae domesticus est, ut olim dictum. De Polemone horum numorum auctore multa diximus in numis Smyrnae Ioniae, et Laodiceae Phrygiae.

* * *

ANTINOOC. HPΩC. *Caput nudum.*

ΑΔΡΙΑΝΗC. ΤΑΡCOΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. *Cista mystica Bacchi inter tres thyrsos, in imo:* ΝΕΩ. ΙΑΚΧΩ. AE. I. (Mus. Caes.)

ANTINOOC. HPΩC. *Caput nudum.*

Eadem epigraphe. Tripus cum ramo humi jacente, in imo: ΝΕΩ. ΠΥΘΙΩ. AE. I. (Mus. Caes. Buonarroti Osservaz. p. 36.)

In alio: ΚΥΔΝΟC. *Cydnus fl. decumbens.* AE. m. m. (Vaill.)

Antinoum appellatum *Iacchum*, jam supra in Adramytenorum numo vidimus. In praesente eum Tarsenses *novi Iacchi* nomine adficiunt. Numum ipsum olim edidi, et explicavi in meis Numis veterib. p. 232. In altero numo vocatur *novus Pythius*, seu Apollo. Igitur Tarsenses Antinoum propter formae illecebras cum illis diis comparavere, quos pulcherrimos opinio ferebat, Apollinem nempe et Bacchum. Quare et apud Ovidium sic Sappho de Phaone suo formoso:

Sume fidem, et pharetram, fies manifestus Apollo,
Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

* * *

ANTINOOC. HPΩC. *vel:* ANTINOΩI. HPΩI. *Caput nudum.*

TIANOI. *Neptunus in navi vectus a duobus equis marinis.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

Alius, sed: *Antinous seminudus panthera vectus, s. thyrsum super humero.* AE. m. m. (Mus. Caes. et reg. Gall.)

Alius, sed: *Antinous nudus sedens super basi.* AE. I. (Vaillant. Mus. Vitzai.)

Alius, sed: *Bacchus nudus stans d. cantharum, s. thyrsum, pro pedibus panthera.* AE. III. (Mus. Caes.)

Diligentes in observando Antinoo videmus Tianos Bithyniae, ac Bacchi formam ei potissimum convenire fuisse opinatos, ex numis ipsis videmus.

* * *

Antica incerta.

ΕΠΙ. ΑΙΛ. ΚΑΠΙΤΩΝΟC. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Antinous in templo quatuor columnarum.* AE. I. (Vaillant.) In alio: *Venus nuda, tamen pudica, stans in templo quatuor columnarum.* AE. II. (Ibid.)

Sunt hi numi Philadelphiae Lydiae.

* * *

ΠΑΝΙ. ΑΝΤΙΝΟΩ. *Protome Antinoi nuda capite hedera coronato, s. pedum.*

Epigraphe vitiata. Taurus stans. AE. m. m. (Mus. Caes.)

Anticae epigraphe exstat quoque in

a) In vita Polemonis §. 1.

numo contorniato, quem paullo post dabimus. Verisimile videtur, propositum hoc loco numum signatum fuisse in Arcadia, qua in regione, ut supra ad numum, inscriptum TOIC. APKACI, monuimus, praecipuo Antinous honore est mactatus, et Pan ipse, utpote inter Arcadas natus, princeps numen exstitit. Quare et popularibus Panos ritu proponere Antinoum placuit. Eadem de causa nequaquam absurdum, numum Bithynii cusum opinari, quoniam id oppidum Arcadum fuit colonia, ac propterea in eo quoque celebratior Panos cultus.

* * *

ANTINOOC. *Caput nudum.*
Antinous eques sinistra elata, intra equi pedes AΛ. AE. II.

Hoc modo numum hunc proposuit Haymius, eumque propter adstitutas literas AΛ. Alabandae Cariae donavit [a]). Similem alterum serius vulgavit Liebeus [b]), nisi quod in aversa ante Antinoum equitem visitur pars aedificii, et intra equi pedes legitur PEΣ / T. AΔ Vterque vir eruditus numum suum integerrimum profitetur. Hactenus ergo hic numus in eorum classem tribuatur, quorum vera patria ignoratur. Omnium minime probavero conjecturam Liebei, qui literas aversae legi posse PEΣ*αινης* T*ης* AΔ*ϱιανης*, et significare Rhesaenam Mesopotamiae suspicatur.

* * *

Neu quid hoc loco monetae Antinoiae desit, addemus pseudonumos sequentes:

ANTINOOT. HPOΩC. *Caput Antinoi.*
VICTORIA. AVG. *Victoria stans d. coronam, s. palmam.* Contorniatus. (Vaillant in numis Graecis p. 40.)

ANTINOΩ. ΠANI. *Protome Antinoi capite nudo, s. pedum super humero.*
VICTORIA. AVG. *Victoria gradiens.* Contorniatus perelegans. (Mus. Princ. de Waldeck.)

Ignobilia haec monumenta, quorum natales inferiori imperii R. aevo debentur, istud tamen confirmant, quod principio in vita Antinoi dixeram, Caesarei hujus Ganymedis memoriam diu adhuc in multorum animis perseverasse.

Numi Antinoi Alexandrini.

Lubet ante omnia proponere hujus classis numos Antinoi, quo modo eos variis in catalogis editos reperi, sed quorum deinde seu probitatem, seu veram lectionem in severius judicium vocabo.

1. ATT. KAIC. TPAIAN. AΔPIANOC. CЄB. *Caput Hadriani.*
L. H. *Protome Antinoi, cujus capiti flos loti, aut calathus imminet, juxta palmae ramus.* AE. I. (Mus. Pisani. Theupoli.)
Alius simillimus, sed cum L. IH. (Zoëga ex mus. reg. Gall.)

2. ANTINOOT. HPωOC. *Caput imminente flore loti.*
L. Θ. *Antinous eques d. caduceum.* AE. II. (Similes tres a me olim ex museo Caesareo vulgati P. I. pag. 195. Patin Numi Impp. p. 166.)

a) Tom. II. tab. 33. n. 10. b) Goth. num. p. 311.

3. ANTINOOT. HPΩOC. *Caput loto ornatum.*

L. TPICKAIΔEKATOT. *Caput Iovis laureatum.* AE. I. (Zoëga Num. Aegypt. ex museo reg. Christinae).

4. ANTINOOT. HPΩOC. *Caput loto ornatum.*

L. IH. IΘ. *Antinous eques d. caduceum.* AE. II. (Harduin Hist. Aug. Mus. Caes.)

5. ATT. KAIC. TPAIAN. AΔPI-ANOC. CEB. *Caput laureatum.*

L. ENNEA. K. Δ. *Protome Antinoi, cujus capiti calathus imminet, juxta palmae ramus.* AE. I. (Haym. T. II. p. m. 275.)

6. ANTINOOT. HPΩOC. *Caput loto ornatum.*

L. K. *Antinous eques d. caduceum.* AE. (Arigoni, Theupoli.)

7. *Eadem adversa.*

L. KA. *Antinous eques d. caduceum.* AE. I. III. (Mus. Pisani, Farnes. Theupoli.)

Si in numo ex propositis primo revera habetur imago Antinoi, ut istud adserit Mazzolenus musei Pisani editor, et cum eo auctor musei Theupoli, ad haec si in aliis Alexandrinis Antinoi numis certus legitur annus Θ, ut mihi quondam visum, cum catalogum musei Caesarei vulgarem, atque etiam Patino numum similem edenti [a]), plurimum probabilitatis accedet testimonio Chronici Alexandrini, cujus verba sunt Latine reddita: *Anno II. Olympiadis CCXXV. Aviola, et Pansa Cos. Hadrianus in Aegyptum profectus urbem Antinoi Thebaidis aedificat ex a. d. III. Kal. Novemb.* Hae notae efficiunt annum V. C. 875. P. X. 122. Mortuus igitur tum jam fuit Antinous, quoniam unanimi consensu Antinoopolis nonnisi mortuo Antinoo aedificata fuit. Atque hanc sententiam penitus confirmabunt numi, de quibus ago, cum anni H. et Θ, qui secundum Aegyptiorum calculum incipiunt exeunte Augusto V. C. 876 et 877, quique cum jam Antinoum specie numinis proponant, eum jam antea decessisse invicte arguent.

At vero his argumentis obstat I. auctoritas Hieronymi [b]), qui Antinoi mortem in annum V. C. 882 differt, ac praecipue monumentorum veterum, quibus facile probatur, Hadrianum anno demum V. C. 883 in Aegypto fuisse, quo tempore Antinoum Nilo fuisse mersum communis fama est. II. Argumentum a laudatis numis cum annis H. et Θ. petitum minus est validum, quoniam dubitare licet utrum existant numi Antinoi inscripti L. Θ. Sane numi similes tres musei Caesarei, quos loco II. descripsi, et in quibus non satis integris, atque inductus a Patino, legere mihi dictum annum videbar, in examen rursum vocati, potius L. IΘ. offerunt, atque eundem etiam annum forte offeret Patinianus. Numus ex propositis I. cum anno H. exiguum adfert momentum; nam primum abest inscriptio Antinoi, et numus ipse non hujus est, sed Hadriani; deinde etsi demus, protomen aversae secundum omnia lineamenta referre Antinoum, eo tamen certi nondum sumus, esse eam mortui, non vivi imaginem. Nam poterant facile Alexandrini, quibus cognitus utique fuit insa-

a) L. c. b) in Chronico.

nus Hadriani in hunc puerum amor, prono Graecorum ingenio ad consecrandos etiam vivos, cuipiam deorum suorum Antinoi personam largiri, ut paullo post iidem Alexandrini Antoninum Pium, et Faustinam vivos Serapidis et Isidis specie proposuere. Denique quod cumprimis observandum, in hoc quoque numo nullus dubito legendum L. IH., non L. H., quod ut credam, facit simillimus alter ab adcuratissimo Zoëga ex museo regis Galliarum descriptus, et L. IH. inscriptus [a]), quem deinde ratione temporis continuo sequitur citatus Haymianus cum anno XIX.

At molestiam adhuc facessit numus III. cum anno XIII. Etenim cum Antinous in illo jam dicatur *heros* necesse est, in mortuis eum jam fuisse anno Alexandrinorum XIII., qui coepit exeunte Augusto anni V. C. 881, quod sane adversatur sententiae nostrae, qua, ut supra in Hadriani numis pag. 489 probavimus, statuitur, Hadrianum V. C. 883 demum fuisse in Aegypto, ac tum mortuum Antinoum. Interim, fateor, non parum vellicat, non modo, quod unicus is est cum hoc anno Antinoi numus, neque ex opulentissimis aliis museis ejus similis cognitus, sed multo magis etiam quod numus hic ex omnibus unicus est, qui annum XIII. sic plene L. TPICKAIΔЄKATOT. perscribat contra omnia alia exempla, cum in aliis numis Hadriani, Antonini, Aurelii legatur L. TPICKΔЄ. vel: TPICKAI. vel: TPICKAIΔ., neque aliter. Atqui similia observata, ut in aliis causis levia videri possunt, sic in numis, in quibus philologia critica nititur, animum jure advertunt. Constat, quam se industrie in effingendis Antinoi numis exercuerit falsariorum ars, et memini, in illustri Christinae museo, in quo cimelium illud servatur, offendisse me numos non modo jure suspectos, sed etiam antiquos quidem, sed quos recentior fraus depravavit, cujus exemplum olim proposui in meis Numis veterib. p. 286, et in credito Antinoi numo, de quo egi in operis praesentis volumine II. p. 408.

Ex his sequitur, nullam nobis ex numis hactenus cognitis imponi necessitatem Antinoi mortem anticipandi, quod olim censuit Buonarrotius [b]). Quin ex numis ipsis Antinoi, quorum certi cum anno Hadriani XVIII. incipiunt, satis manifeste eruitur, tam mature ejus mortem non esse constituendam. Nam quis credat, si Antinoum cum Chronico Alexandrino mortuum anno V. C. 875 statuamus, continuis primis annis, dum recens fuit Hadriani dolor, atque is mox consecratus, et omnibus mactatus honoribus, nullam ab Alexandrinis ei dedicatam monetam, nisi velimus numos intra hoc tempus cusos omnes fortuito deperditos adserere, tandem ab anno V. C. 887 post annorum XII. intervallum, cum jam paullatim resedit dolor, atque ejus observandi contentio, coeptos cudi numos cum ejus imagine, ac deinceps per reliquum Hadriani imperium continuatos? Accedit argumentum aliud, atque, etsi ἀρνητικον, nequaquam tamen, ut opinor, ignobile. Si juxta Chronici Alexandrini testimonium jam anno V. C. 875 in Aegypto fuit Ha-

---

a) Numi Aegypt. p. 146. n. 388. b) Osserv. istor. p. 26.

drianus, et is tum urbem Antinoi aedificavit, quam nonnisi post ejus amasii mortem fuisse fundatam conspirant omnes, quaeri jure potest, cur hactenus numus nomi Antinoitae, quem diserte inter Aegypti nomos memorat Ptolemaeus, repertus nondum sit, cum tamen in hac numorum classe plerorumque habeamus nomorum numos cum capite Hadriani addito L. IA. Annus hic Hadriani XI. Alexandrinus majore sui parte fluxit cum anno V. C. 880, ergo quinquennio post, quam mortuus praetenditur Antinous, et condita Antinoi urbs, neque adeo justum defuit temporis spatium, quo stabilitis jam Antinupolis rebus haec quoque urbs et nomus in monetae hujus Hadrianeae societatem potuisset vocari. Ergo haec ipsa omissio confirmare videtur, Antinoum anno XI. Alexandrinorum lucis adhuc habuisse usuram. Quod si aliquando contingeret, ejus generis numum ex terrae latebris emergere, tum hercle, ut suapte manifestum est, tantum confirmabuntur verba Chronici Alexandrini, quantum evertetur sententia mea, et causa conditae jam tum Antinupolis necesse erit confiteri, non modo statuendam maturiorem aliquam Hadriani in Aegyptum profectionem, sed et maturandam ipsius Antinoi mortem, contra ac nobis aliorum monumentorum ope visum fuit. Magis igitur verisimilis sententia Hieronymi, quamvis et haec nimis maturam ejus mortem videatur dictare. Tillemontius in annum Hadriani XVI. V. C. 885 inclinat, nimirum quia huic anno Hadriani in Aegyptum profectionem adfixit. Vide de hoc argumento plura supra in numis Hadriani: ADVENTVI. AVG. ALEXANDRIAE.

PRETIVM.

Commatis Romani

Commatis peregrini

Coloniarum	O.
Vrbium liberarum	O.
Aurei, et argentei	O.
Aenei max. formae	RRR.
— I. et II. formae	RR.
— III. formae	RR.
Alexandrini	RR.

FINIS VOLVMINIS VI.

VINDOBONAE 1827.

TYPIS HAEREDIS VAN GHELEN.

[illegible]

SPECIAL 83-B
1358
V.3

GETTY CENTER LIBRARY